BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
8
40 N
15
ROMA

GASPARIS CONTARENI CARDINALIS OPERA OMNIA,

Hactenus excuſſa, ad omnes Philoſophię partes, & ad ſacram Theologiam pertinentia.

VIRTVTI SIC CEDIT INVIDIA.



VENETIIS,

Apud Damianum Zenarium MDLXXXIX.

Cum licentia Superiorum.

ALEXANDRO FARNESIO
CARDINALI AMPLISSIMO
ALOYSIVS CONTARENVS
S. P. D.

IN HOC *volumine libri ſunt eius, quem tu ſingulari quadam beneuolentia proſecutus es, qui tibi deditiſſimus fuit, quem Paulus* III. *Pontif. Max. auus tuus, ſacri Collegij honore decorauit, & ad maxima, grauiſſimaq; negotia ſibi conſiliarium, ac miniſtrum eſſe voluit, Gaſparis Contareni patrui mei. Quos tibi gratiſſimos fore ſpero tum propter hominis memoriam, tum propter officium, quo ego, & omnes mei adducti ſumus, vt eos tibi potiſſimum offerremus, cum hoc teſtimonio quamuis leui noſtram in te obſeruantiam, atque animi grati voluntatem oſtendere vellemus. Ex hoc numero quidam iam antea impreſſi fuerant, nõ ſua quidem voluntate, ſed coacti, & in alienas manus neſcio quo pacto delapſi: reliqui apud nos iacebant, vix audentes lucem aſpicere, tanquam filij ſic à patre inſtituti, vt verecundiam ſibi colendam in primis arbitrarentur. Qui tamen nobis hortantibus atque impellentibus, tui nominis amplitudine, tuaq; auctoritate tecti atque confiſi, tandem in publicum prodire vnà cum aliis non dubitauerunt. Omnes enim in vnum coëgimus, atque coniunximus, eum ordinem in iis collocandis adhibentes, quo ipſum ferè in ſcribendis vſum eſſe ſciebamus: conſueuerat enim ille ſtudia ſua ei vitæ generi, in quo verſabatur, accommodare. Itaq; cum primùm philoſophiæ operam dediſſet, deinde ad Rempub. acceſſiſſet, poſtremò ad ſacros ordines vocatus fuiſſet, in vnoquoque vitæ ſtatu, quanquam legationibus, & alijs publicis muneribus pro ſua, Chriſtianaq; Repub. obeundis ſemper ferè fuerit occupatus, ea ſcripſit, quæ tempori, & viuendi inſtituto conuenirent. Quo circa primo loco ea poſuimus, quæ ad philoſophiam ſpectant, videlicet de Elementis, de Prima philoſophia, de Animæ immortalitate, nonnullaq; alia. Secundo loco quæ ad res ciuiles pertinent, de Magiſtratibus inquam, & Repub. Venetorum. Poſtremo ea, in quibus de rebus ſacris agit. hi ſunt libri de Sacramentis, de Officio Epiſcopi, Scholia in Epiſtolas D. Pauli, Summa Conciliorum magis illuſtrium, quem librum ad Pont. Max. auum tuum miſit, aliaq; variorum argumentorum opuſcula. Hos igitur libros ad te mittimus, & quaſi pupillos quoſdam tuæ tutelæ tradimus. Tu pro tua benignitate eos libenter accipies, quamq; in tuis ſoles neceſſarijs amplectendis ac fouendis, eandem in his protegendis atq; ornandis conſuetudinem ſeruabis. Vale.*

INDEX OPERVM GASPARIS CONTARENI CARD. QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

De Elementis libri V. pag.1.

Prima philoſophiæ compendij libri VII. pag.91.

De immortalitate animæ libri II. pag.177.

Non dari quartam figuram ſyll. pag. 233.

De Homocentricis. pag.238.

De Ratione anni. pag.253.

De Magiſtratibus & Repub. Venetorum lib. V. pag.259.

De Sacramentis Chriſtianæ legis & Catholicæ Eccleſiæ lib. IIII. pag.327.

De Officio Epiſcopi libri II. pag.401.

Scolia in epiſtolas Diui Pauli. pag.433.

Catechiſmus. pag.533.

Conciliorum magis illuſtrium ſumma. pag.546.

Confutatio articulorum ſeu quæſtionum Luth. pag.564.

De poteſtate Pontificis. pag.581.

De Iuſtificatione. pag.588.

De libero arbitrio. pag.597.

De prædeſtinatione. pag.604.

Explanatio in pſalmum, A te leuaui. pag.623.

GASPARIS CONTARENI
OPERVM CATALOGVS TVM EORVM, QVAE ANTEA IMPRESSA FVERE,

Tum eorum, quæ nunc primum in lucem edita ſunt, cum Teſtimonijs Doctorum Theologicæ facultatis Pariſienſis, quibus hæc à ſe probari, & Chriſtiana veritate nihil diſcrepare, aſſeuerant.

LIBRI V. de Elementis fuerunt impreſsi Pariſijs per Nicolaum Diuitem. 1548.

Item per Andream Vuechelum. 1564.

Libri VII. primæ philoſophiæ compendij, fuerunt impreſsi Pariſiis ex typographia Gulielmi Nigri. 1556.

Liber primus de immortalitate animæ fuit impreſſus Venetiis apud hæredes Octauiani Scoti. 1525.

De libro ſecundo. Ego Simon Vigoreus doctor Theologus, canonicus Eccleſiæ Pariſienſis, atteſtor me in poſteriore Apologia illuſtrisſimi domini Cardinalis Contareni, quam ſcripſitdc immortalitate animæ, nihil offendiſſe, quod meo iudicio Chriſtianæ fidei aduerſetur, in cuius rei fidem ſyngrapha hac atteſtationem meam confirmaui. 1570. 14. Octobris.

S. VIGOR.

De quarta figura, de Homocentricis. Ego ſubſcriptus certifico me ſupra ſcripta ſatis diligenter perlegiſſe, in quibus nihil puto alienum eſſe à vera, & Catholica religione, quod hæc ad Aſtrologiā, & Dialecticā ſpectent, in cuius rei fidē hæc propria manu ſignaui. anno domini 1570. die 2. Nouēb.

DE MOCHARES.

De ratione anni Epiſtolæ fuerunt impreſſæ Lugduni apud hæredes Sebaſtiani Griphij. 1561.

Libri V. de Magiſtratibus, & Repub. Venetorum fuerunt impreſsi Pariſiis apud Michaelem Vaſcoſanum. 1543.

Item Baſileæ apud Forbenium, & Epiſcopium. 1547.

Item Venetiis apud Baldum Sabinum. 1551.

Fuerunt impreſsi Florentiæ apud Laurētium Turrentinum. 1553.
- Libri IIII. de Sacramentis Chriſtianæ legis, & Catholicæ Eccleſiæ.
- Catechiſmus ſiue Chriſtiana inſtructio.
- De poteſtate Pontificis.
- Conciliorum magis illuſtrium ſumma.

Nos ſubſcripti Doctores regētes Theologicæ facultatis Pariſienſis ingenue, ſanctéque teſtamur prælecta accurate, & diligenter à nobis eſſe ea, quæ ſequuntur Reuerendisſimi & Illuſtrisſimi Cardinalis Gaſparis Contareni cōmentaria, & opuſcula; nimirum comment. in D. Pauli epiſtolas ad Ro-

manos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Colloſſenſes, Theſſalonicenſes, Timotheum, Titum, Hebræos, nec non in epiſtolam D. Iacobi. Itē epiſtolam de Iuſtificatione, Confutationem articulorum ſeu quæſtionum Lutheri, Commentarium in Pſalmum, Ad te leuaui oculos meos. Tractatum de officio Epiſcopi, Epiſtolam de libero arbitrio. quibus in omnibus nihil comperire licuit, quod ſit Catholicæ Eccleſiæ, aut Sacroſanctis Patrum Sanctionibus diſſonum, quodq́ue poſsit pium quemquam, & Chriſtianum lectorem offendere. In cuius rei teſtimonium ſyngrapham noſtram hic duximus apponendam. Kalend. Decembr. anno ſalutis reſtitutæ. M. D. LXX.

HVGONIS. AYMONIS.

Nos ſubſcripti Doctores regentes Theologicæ facultatis Pariſienſis ingenue, ſancteq́ue teſtamur, prælecta accurate, & diligenter à nobis eſſe ea, quæ ſequuntur Reuerendisſimi & Illuſtrisſimi Cardinalis Gaſparis Contareni, commentaria, & opuſcula, nimirum commentaria in D. Pauli Epiſtolas ad Romanos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Colloſſenſes, Theſſalonicenſes, Timotheum, Titum, Hebræos, nec non in epiſtolam D. Iacobi. Item epiſtolam de Iuſtificatione, Confutationem articulorum ſeu quæſtionum Lutheri, Commentarium in Pſalmum, Ad te leuaui oculos meos, &c. Tractatum de officio Epiſcopi, Epiſtolam de libero arbitrio, & epiſtolam de prædeſtinatione. quibus in omnibus nihil comperire licuit, quod ſit Catholicæ Eccleſiæ, aut Sacroſanctis Patrum Sanctionibus diſſonum, quod que poſsit pium quemquam, & Chriſtrianum lectorem offendere. In cuius rei teſtimonium ſyngrapha noſtra hic duximus apponenda, anno ſalutis reſtitutæ. 1571. tertio Idus Februarij.

DAHY. HVGONIS.

Nos infraſcripti Doctores Regentes Theologi Ordinis Prædicatorum, in alma Vniuerſitate Pariſiorum, teſtamur accurate ac diligenter perlegiſſe opuſcula diuerſa Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Cardinalis Gaſparis Contareni uiri eruditisſimi, nimirum Commentaria in D. Pauli Epiſtolas ad Romanos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Colloſſenſes, Theſſalonicēſes, Timotheum, Titum, Hebræos, nec non in epiſtolam D. Iacobi. Item epiſtolam de Iuſtificatione, Confutationem articulorum, ſeu quæſtionum Lutheri, Commentarium in Pſalmum, Ad te leuaui oculos meos &c. Tractatum de officio Epiſcopi, Epiſtolam de libero arbitrio, & Epiſtolam de prædeſtinatione. quibus in omnibus nihil comperire licuit, quod ſit Catholicæ Eccleſiæ, aut ſacroſanctis Patrum Sanctionibus diſſonum, quodq́ue poſſit pium quemquam, & Chriſtianum lectorem offendere. In cuius rei teſtimonium ſyngrapha noſtra hic duximus apponenda, anno ſalutis reſtitutæ 1571. Sexto Idus Aprilis.

Michael Ferre Doctor, & Regens in Vniuerſitate Pariſien.

F. Franciſcus Goraceus Italus, Doctor, & Regens Collegij Ordinis Prædicatorum.

Nos fratres Nicolaus Bourinus, Franciſcus Goraceus, conuentus Pariſienſis ordinis Prædicatorum, Doctores Theologi ac Regentes affirmamus, & atteſtamur librum Reuerendiſs. ac Illuſtriſs. D. Cardinalis Gaſparis Contareni continentem commentaria, & opuſcula in D. Pauli epiſtolas ad Romanos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, Timotheum, Titum, Hebræos, nec non in epiſtolam D. Iacobi, item epiſtolam de Iuſtificatione, confutationem articulorum, ſeu quæſtionum Lutheri, commentarium in Pſalmum Ad te leuaui oculos meos &c. Inſtructionem Chriſtianam, Tractatum de officio Epiſcopi; epiſtolam de Libero arbitrio, & epiſtolam de prędeſtinatione, nobis oblatum fuiſſe à D. Clariſsimo Aloyſio Contareno Ampliſsimi Senatus Venetiarum apud Chriſtianiſsimum Galliarum Regem Oratore præſtantiſsimo, vt eum viſitaremus. quod & fecimus. perlecto tandem libro teſtamur, nihil in eo inueniſſe, quod ſit Catholicæ Eccleſiæ, aut Sacroſanctis Patrum Sanctionibus diſſonum, ſed pium eſſe, Catholicum, nec non etiam eruditum, & vtilem.. In quorum omnium fidem has ſignauimus ſyngraphis noſtris hac die xxiii. Aprilis. 1571.

Frater Nicolaus Bourinus,
primus Regens.

Ego Ioannes Maldonatus, ſacerdos profeſſus Societatis Ieſu, & profeſſor Theologiæ in collegio Pariſienſi eiuſdem Societatis, teſtificor me legiſſe diligenter libros Reuerendiſs. Cardinalis Gaſparis Contareni, qui ſequuntur, de Sacramentis Chriſtianę legis & Catholicæ eccleſiæ libros 4. de officio Epiſcopi libros 2. Scholia in epiſtolas D. Pauli, Catechiſmum, Conciliorum magis illuſtrium ſummam, confutationem articulorum Lutheranorum, de Poteſtate Pontificis, de Iuſtificatione, de Libero arbitrio, de Prædeſtinatione, explanationem in Pſalmum, Ad te leuaui. nihil verò reperiſſe, quod Eccleſiæ Catholicæ ac Romanæ ſenſui aduerſatur; quin multa inueniſſe, quæ magnam legentibus vtilitatem afferre poſsint. In cuius rei fidem hanc tabellam ſcripſi, & meo chirographo ſignaui, Pariſijs in collegio Societatis Ieſu, quod Claromontanum dicitur, Anno 1571. die decima nona Iulij.

Ioannes Maldonatus.

Quæ in hoc volumine Gaſparis Contareni Cardina. opera continen tur, conſentiente, & approbante Sanctiſſimo Sedis Apoſtolicæ Officio Generalis Inquiſitionis, denuo impreſſa ſunt.

Ita eſt. Frat. Marcus Medices Veronenſis, Ordinis Prædicatorum, in Ciuitate Venetiarum, & toto eius Sereniſsimo Dominio Inquiſitor Generalis.

GASPARIS CONTARENI
VITA
A IOANNE CASA CONSCRIPTA.

CVM permultum inter laudationem atque hiſtoriam, intereſſe oportere facile intelligerem; propterea quod illa virtutis modo præconium quærit; hæc veritatis in vtranque partem teſtimonium continet, ſæpe mihi de Gaſparis Contareni vita cogitanti in mentem veniebat, vereri, ne, ſi eam literis mandaſſem, laudare me hominem magis, quam qui eius vitæ curſus fuiſſet, narrare voluiſſe, multi arbitrarentur. qui cum commemoratum à me de illo nihil viderent, quod eſſet à laude ſeiunctum, quæ reprehenſionem habitura fuiſſent, dedita opera à me prætermiſſa eſſe exiſtimarent. Sed cum laudatoris ſit, de cuius laude dicit, eius bona verbis amplificare, aliquid etiam alieni adfingere; vitia oratione attenuare, aut etiam ſilentio præterire: in altero facile præſtare poſſum, vt hic meus commentarius plurimum à laudatione diſſentiat: nec enim ſermone noſtro Contareni virtutem augere conandum nobis eſt, in altero, vt de eius vituperatione indicem nihil, non nos, ſed res ipſa laudationi perſimilem narrationem noſtram efficiet. Quod ſi qui erunt, qui cum plus de aliena virtute prædicari ſentiant, quàm quantum de ſua ipſi ſibi polliceri ſoleant; aut ægre id ferant, aut orationi meæ fidem non habeant, ij ſic cogitare debebunt; dici hæc à nobis de eo, qui iam non ſit: quique cum ſuæ ciuitatis probis viris omnibus, tum aliarum gentium; cæterarumq; nationum clariſſimis quibusq; hominibus notus, beneq; cognitus fuerit: quorum cum magna pars ſit ſuperſtes, nulla nobis cauſa eſt, cur de mortuo mentientes, tot viuorum, illuſtrium præſertim hominum, vanitatis impudentiæq; noſtræ teſtimonia colligere velimus: clarorum autem virorum laudibus fauere potius quàm obtrectare omnes debebunt. mihi certe aut de Contareno tacendum fuit: aut de eo, ni mentiri forte maluiſſem, cum laude dicendum. Venetorum ciuitas optime morata, optimeq; conſtituta eſt. id ex eo intelligere licet, quod vna temperatione, vnis legibus, ſine vlla ſeditione, ſine vllo inteſtino malo, annos eorum Reſpublica amplius mille manet, quodq; à paruis initiis profecta ad eam opulentiam, atque ad id imperium, quod videmus, peruenit: complures vrbes, easq; claras atque florentes ſocias vectigalesq; habet: Corcyra, Creta, Cypro, multis magnisq; inſulis, tranſmarinisq; prouincijs dominatur: claſſem inſtructã paratam que habet, quantã nullus Rex, nulla nationes valeant cõparare. ea ciuitas vna omnium, de

*quibus memoriæ proditum ſit, libertatis, æquabilitatiſq́; maximè amans, maximeq́; re-
tinens eſt: quippe quæ duriſſimis quondam Italiæ temporibus ſeruitutem fugiens, è conti-
nenti ſeſe in vndas æſtusq́; coniecerit; fortuniſq́; omnibus relictis, vnam modò ſecum ex-
tulerit libertatem, atq; in ea tuenda tot ſæculorum ſpatium verſata, ſtudium volunta-
temq́; vſu etiam atque exercitatione corroborauit. Itaq́; libertatis fortaſſe nomen alibi
quoq; gentium inuenias; libertatem ipſam puram atq; incorruptam, ab omniq́; metu va-
cuam, vtinam aſpicere in alijs ciuitatibus, vti quondã fuerat, deorum nobis beneficio ali-
quando liceat. illud ſalutare inſtitutum mordicus à Venetis retentum eſt, vt Reipub. at-
tingendæ, præterquã iis, qui initio in ciuitatẽ conuenerunt, quiq́; germani, Veneti & tan-
quã ab origines ſunt, poteſtatem præterea facerent nemini; niſi ſi quando deliberata re,
bene de Repub. meritis, eius vrbis inquilinis, aliis've quibuſdam, id ius nominatim ad ho
diernum diẽ conceſſum eſt. Ex eo igitur priſcorũ genere ciuiũ Aloyſius Contarenus fuit,
cũ prudens paterfamilias & locuples, tum præſtãs Senator & nobilis: atq; is Polyxenam
Malipetriã in matrimonio habuit, fœminã primariã. Ea, cũ aliquot iam peperiſſet pue-
ros, neque ij diutius viuerent, ad amicas æqualeſq́; dicitur rurſum prægnans retuliſſe; à
quibus, vt ſunt pleraq; mulieres religioſæ, admonita eſſe dicitur; vti, qui natus eſſet puer,
ei nomen imponeretur vnũ ex iis nominibus, quibus vocati ij Reges ſunt, qui ad Chriſtũ
Deũ noſtrũ paruulum ac lactantẽ venerunt: fore enim vt vitalis eſſet. Cum ſalua igitur
paucis poſt menſibus peperiſſet, puerum nominari Gaſparem iuſſit, qui primus eius fami-
liæ hoc nomine appellatus eſt. Is vbi adoleuit, magna in eo ingenij indoles erat, magna ad
literarum ſtudia propenſio: itaq; facilè Aloyſius pater conſilium, quod de puero cœperat,
mutauit; mercaturis enim illũ faciendis, reiq́; augendæ, (quippe cui multæ atque amplæ
multis in locis res rationeſq́; cum multis eſſent cõtractæ) filiũ ſcilicet natu maximũ Vene
tijs deſtinauerat: eſt enim ferè in liberis ciuitatibus, mercaturis rem quærere, nobilitati
quoq; non modò non turpe, ſed, ſi bono modo fiat, etiã honeſtũ. Verũ vbi pueri ingenium
naturamq́; maius quiddã ſpectare atq; polliceri intellectum eſt, conſilium illud de merca-
tura funditus pater abiecit; neq; vlla in re filij voluntati ac ſtudio defuit. Is, vbi quod ſa
tis eſſet, operæ Antonio Iuſtiniano, Laurẽtioq́; Bragadeno Venetijs viſus eſt dediſſe: (nã
ij publicè à ciuitate conſtituti erant, qui iuuentutem in dialecticis, atque in philoſophia
erudirent) Patauium profectus, Petro Põponatio Mãtuano, magno nobiliq́; philoſopho
in diſciplinã ſeſe tradidit. Erat in adoleſcente naturæ vis peracris illa quidẽ, &, vt mihi
videbatur, peracuta, ſed tamen neſcio quo modo magnitudine & firmitate, potius præſtãs
&, quod maximè rem continet, ad ſapientiæ ſtudia accommodatum, & tanquam philo-
ſophum inerat ingenium: memoria omnino valebat plurimum. huc accedebat animi ac
victus, vitæq́; totius conſtantia quædam, vt, quam ſemel inſtituiſſet rationem, de ea non
defatigatione, non pigritia, non voluptate depelleretur. Opinio eſt in omni vita re Ve-
nerea illum omnino vſum eſſe nunquam. defixa mens ſcilicet in eo ſtudio, cui ſe ab
ineunte ætate dediderat, eoq́; paſta atque alta, nihil præterea concupierat. Itaque ce-
leriter aſſecutus eſt, vt æqualium magiſter, grandiorum natu magiſtrorumq́; tan-
quam æqualis, & compar haberetur. Certum temporis ſpatium, horarum ſanè haud
amplius trium, meditationi & bibliothecæ attributum, & tanquam ſepoſitum habuiſſe
dicitur, cui tempori nec vnquam quicquam detraheret, nec ferè adderet. qui reliquus e-
rat dies in congreſſionibus amicorum, collocutionibuſq́; conſumebatur: ea de literis ſcili-*

cet

*cet erant, vt in ſuo ſtudio, ne cum vacare quidem videretur ceſſaret, idq́; ipſum nihil a-
gens, ageret tamen, vrgeretq́; propoſitum, & tamen animũ à cõtentionibus relaxaret. Il-
lud etiam narrari nobis ab eo ipſo meminimus, cum diceret nunquã ſe in omni adoleſcen
tia cõmiſiſſe, vt mane aliquid poſtridie aggrederetur ediſcere, quin prius ea, quæ pridie
percepiſſet, diligentiſſimè reminiſcendo recordatus eſſet: vitandã enim aſotorum conſue-
tudinem aiebat, qui crudi ſeſe tamen ingurgitant, quoque magis cibo replentur, oneran-
turq́; minus virium, minus valetudinis habent. In eo igitur curſu cum ſedulitate magis
quàm contentione aut labore admirabiles progreſſus efficeret: atq; eos, qui in eodẽ curri-
culo erãt, lõgo interuallo antecederet, mortẽ Aloyſius pater obijt. duodeuiginti ille annos
natus erat eo tẽpore, liberorum autem magnũ ſanè numerũ, filios ſeptem, quatuor filias,
præterea magna cũ multis contracta, implicitaq́; negotia Aloyſius reliquerat. atq; odio-
ſum omnino negotiũ eſt homini in cogitationis ac doctrinæ ſtudijs occupato, familiaris rei
procuratio; vt minus mihi mirũ videri ſoleat, Democritum, nobilẽ quondã philoſophũ,
vt ea cura eoq́; impedimento liberaretur, omnes fortunas ſuas, ſicuti literis proditum eſt,
abieciſſe. Veruntamen quanquã inuitus ac mœrens diſcedebat à literis, tamen Patauio
profectus eſt: atq; eandem illam animi moderationem æquabilitatemq́; adhibens, fratri-
bus partim in Apuliam, partim in Alexandriã, (ibi enim magnas ſocietates Aloyſius pa
ter habuerat) diſtributis, partim Venetijs relictis, bene domi conſtitutis rebus Patauium
reuerſus eſt: ſtudiumq́; haudquaquã longo interuallo à ſe intermiſſum, cupide renouauit.
in ea vrbe doctiſſimorũ hominum plena, ac liberalibus artibus affluenti, aliquot annos
cõmoratus eſt: cum in principibus iam philoſophis numeraretur, atq; eius nomẽ plurimũ
in dies increbreſceret. Atque hoc loco poſtulari, exigiq́; à nobis arbitrati ſumus, vt, qui
eius progreſſus, & quale tanquam iter ad percipiendas fuerit diſciplinas, demonſtrare-
mus. A primis igitur dialecticæ elementis profectus ſic omnem philoſophiã perluſtrauit,
vt illius ſingulas tanquam oras non viſeret modò atq; inſpiceret, quod plerique facimus,
ſed in vnaquaq; etiã illius quaſi regione cõmoraretur, & habitaret. Itaq; illud aſſecutus
eſt, nihil in ea vt arte, ita copioſa & magna atq; varia, tam eſſet magnum atq; arduum,
aut tam minutum atq; paruum, quod eius aut diligentiam lateret, aut fugeret intelligen
tiam: nihil autem tam abſtruſum aut reconditũ, quin promptum illi expoſitumq́; quam-
uis ſubito eſſet atque ex tempore. Eius nos rei permagnum quondam ſpecimen cepimus.
nã cum Florentiæ fortè eſſemus, quà ille Roma profectus, iter in Germaniam habebat ad
Cæſarem, erant in ea vrbe, cum alij complures in ea philoſophia, quæ de natura eſt, docti
atq; exercitati, tum duo præter cæteros, Petrus Victorius & Franciſcus Medices, quorũ
erat vtriuſq; & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, tum ſtudium ardens in vtro-
que ac peracre vigebat, flagransq́; & ſingularis in vtroque induſtria: ſed alterius breue
tempus doctrinæ augendæ, & declarandæ fuit: Victorius qualis vir, quantusq́; iam tum
eſſet, ea quæ nunc eſt, eius doctrina, libriq́; ab eo editi declarant. Ii per eos dies ad Conta-
renum ſanè ventitabant, à quo nos quoq; non ferè diſcedebamus: hoc affirmare poſſum,
cùm omnis inter eos ſermo eſſet de phyſicis, nullius rei mentionem eſſe factam à ſummis
illis viris, ingenio præſtantibus, animo vacuo, otio abundantibus, ſtudio incenſis, tempo-
re paratis, à bibliotheca, & literis recentibus, quin eam Contarenus, & memoria teneret,
& intelligentia comprehenſam haberet & oratione tam facilè explicaret, quàm quæ fa-
cillima ſunt. Præſtabat id non tam credo memoria, qua tamen valebat, vt antea dictum
eſt (natura enim quoq; plurimũ ille excellenti fuit) quàm ipſa, via ac ratione percepta do*

 ctrina.

ctrina. Sic enim eum ipſum dicere ſolitum eſſe accipimus: non modò certam artium multarum inter ſe quandã naturalem eſſe diſpoſitionẽ, vt aliam alia ſuo quoque loco deinceps tanquam ſubſequatur, & cum priori poſterior quaſi coagmentetur: ſed vnius quoq; eiuſdemq; cuiuſuis ſcientiæ ſi quis ordinem & tanquam ſeriem conturbauerit atq; interſciderit, ad exitum perueniri non poſſe: magnoq; in errore verſatos ſuperioris ætatis homines aiebat eſſe, qui multa properantes tranſilirent; aut vllam artem ediſcere ſe poſſe diſſipatã arbitrarẽtur, aut mutilam atq; hiantẽ: amputatis enim interſciſſiſq; diſciplinis progredi, perueniriq; ad ſcientiã non magis poſſe, quàm interruptis iter pontibus confici. vnũ autẽ omnino ſibi comitẽ ac monitorẽ ad Ariſtotelis iter, multis ſæpe obſtructum difficultatibus, Thomã Aquinatẽ aſciuerat, hominẽ non contentionis, ſed veritatis amantem, qui & ſubtilitatẽ habeat, nec vltra, quàm par eſt, progrediatur acumine, atq; idem articulatim partiteq; ac diſtribute doceat. Doctus etiã Græcis Latiniſq; literis erat; Poëtas, Homerũ, Virgilium, Lucretium, Horatium lectitauerat atq; didicerat. Itaque, cùm nõ artis factitandæ, ſed eruditionis liberaliſq; doctrinæ fruendæ cauſa, philoſophiæ ſe dediſſet, omnes tamen artifices, magiſtroſq; omnes, non ſcientia modò, ſed fama quoq; & celebritate facilè ſuperabat. Erat hominis vita atq; victus non tam exculitus atq; expolitus, quàm cum grauitate quadam, ſimplex ac lenis placatuſ'que; oratio inculta illa quidẽ atq; inornata, ſed hoc ipſo, quod omni careret fuco, ſplendida atq; iucunda, pura, ac naturali ſuo tanquam colore amabilis pellucens, plenaq; auctoritatis ac fidei. nulla mollities, nullæ, ne in adoleſcentia quidẽ animi aut corporis delitiæ, ſermo nulla aſſentatione ſuffuſus, nulla animus maleuolentia infuſcatus, & cum feſtiuitas lepoſq; haud magnopere adeſſet, aberat etiam ruſticitas atq; triſtitia. Quin etiã hoc ab eo dici memini, deuorare ſeſe certorum hominũ, qui in aliqua vitæ parte claudicarent, incõmoda aut etiam vitia ſolere, ſimulac de bonis, quibus illi excellerent, aliquid deguſtaſſet. Ac cũ Galeatius Florimontius, qui nunc Sueſſæ Epiſcopus eſt, vir cum omnibus honeſtis artibus perpolitus; tum præcipuè caſtus atq; integer, tum religione ac pietate in primis incenſus, in notandis autem, reprehendendiſq; amicorum vitijs vnus omnium maximè acer ac liber, caſtigator nonnunquã etiam ſubamarior (atq; is à Contareno in fratris locũ diligebatur) cum ille igitur nobis audientibus nequire ſe ſatis mirari diceret, illum, qui omnium eſſet mundiſſimus ac ſaniſſimus, cum hominibus quibuſdã, quos ipſe appellabant, id quod nobis minimè neceſſe eſt, qui turpitudine aliqua, tanquam morbo affecti atq; inquinati haberentur, tam ſæpe conflictari. Quæ ille cum ſanè cõmotus ac ſtomachans diceret, quid nos, inquit Contarenus, nunquam ne abſynthio aut ſcamonæ radice curari nos patimur? quid ni? inquit ille. Ergo, inquit Contarenus, earũ potionũ exorbemus ſapores teterrimos, vt ſucco epoto illius iuuemur vi ſalutari: horũ vitia, ſi qua ſunt, nõ deuorabimus, & tanquã amaritiem perferemus atq; exorbebimus, vt illorũ tanquam veſcamur virtute, atq; alamur bonis? quid autẽ ipſis nobis fiet, ſi amandũ ſtatuerimus, niſi qui perfectus abſolutuſq; fuerit, eſſe neminẽ? laudare ſe, quod in quoque probaret, libenter aiebat, quod reprehenderet, vituperare non ſe neceſſe habere. Hanc animi æquitatem, hanc tam præclarã maximarũ artium doctrinã, alia longè iis maiora bona decorabant, ſumma integritas, ſumma innocentia, pietas, non hæc quæ facie, motu, amictu cõmendatur, quã in multis cernimus, ſimulata, & ſpecie atq; oratione hominũ opinionem captans, ſed ſolida, nuda, ſinceraq; in mente atq; in animo inerat. quibus ille rebus inſtructus, cum magnum eius eſſet

nomen

nomen, magnaq́; non ſolũ laus, ſed etiam admiratio, aliquanto citius, quàm conſtituerat, Patauio deceſſit. Nam, cum omnis propè dixerim terrarum orbis eo tempore contra Venetos conſpiraſſet, periculoſiſſimumq́; ei ciuitati bellum intuliſſet, afflictis Venetorum opibus, Patauio ipſo obeſſo, nec multò poſt amiſſo, maturius omnino, quàm in animo habebat, inuitus, nondum diſcendi ſiti ſcilicet expleta, domum ſeſe recipere coactus eſt. Erat eius ætas nondum firmata, vt Reipub. operam nauare poſset, itaque in ijſdem ſeſe ſtudijs aliquot annos continuit, cum eius domus, tanquam bonarum artium gymnaſium quoddam, ab ijs, qui doctrina deſiderio tenebantur, frequentaretur. Veruntamen ad Rempub. vbi primum acceſſit, eius ingenium, quod de Hortenſio eſt memoriæ proditum, tanquam Phidiæ ſignum, ſimul aſpectum ac probatum eſt. Itaque cum ſeptem & triginta tum haberet annos, à ciuitate ad Cæſarem Carolum hunc quintum in Germaniam orator (ſic enim Veneti appellant) eſt miſſus. legationis munus magnam apud Venetos habet dignitatem, magnam ad ſummos honores, magiſtratusq́; adipiſcendos commendatione n, ſæpeq́; à multis vnà petitur, & in comitio ſuffragijs oratores magna ambitione creantur. Gerebat illis temporibus in Italia bellum Cæſar cum Rege Galliæ, cum quo illi antea quoque continentia bella interceſſerant, atq; cum eo Pontifex maximus Leo x. ſeſe coniunxerat. cum Rege Veneti conſpirauerant, atque omnis impetus belli ad Mediolanum conſederat. nã eam vrbem Gallis Venetisq́; defendentibus, Cæſaris ac Leonis copiæ oppugnabant. Ad eum, qui cum bellum ſuæ erat ciuitati, planè'que ad hoſtem ire ſe Contarenus intelligebat, apud quem exploratoris non legati locum obtinere eum neceſſe eſset, atq; ipſa res cogeret. Accedebat etiam, quod Cæſarem, quibuſcum inimicitias exerceret, iis ſolere eſſe amariorem audierat, illisq; maximè, qui Gallorum fauerent rebus. Itaque animo ſane cõmoto ad Cæſarem adijſſe dicitur: nã & ſponte ipſe ſua verecundus, ingenuo quodam quod tamen ſine ſegnitia eſſet pudore fuit. Verum eadem illa doctrina, caſtitatis, ingenuitatis, innocentia opinio, multò ante eius aduentum ad exteras quoque nationes perlata, Cæſaris illi animum voluntatemq́; conciliauerat. nam amare ille plurimum ingenuos apertosq́; hominum animos dicitur. Itaque, vt ſemel in primo illo, qui ei cum Cæſare fuit, congreſſu, hilari vultu acceptus & comiter appellatus eſt, faciles ad eum deinde ſemper aditus habuit, & illo, quanquam ciuitati erat iratus, non modò pacato, ſed etiam propitio vſus eſt. ac paulatim, cum eam, quæ antea de ſe fuerat, opinionem magis ac magis in dies confirmaret atque augeret, iam ipſi Cæſari non modò gratus, ſed etiã familiaris erat. Itaq; cũ certior factus eſset, Gallorũ, Venetorumq́; copias in Inſubribus fuſas ſuperatas'que, Gallos ex oppido eſſe expulſos, cæde & fuga ſuorum; qui eam rem nuntiarent, Contareno miſiſſe dicitur, atque ijs præcepiſſe, vt de incommodo, quod Veneti accepiſſent, reticerent, neque illorum copias in eo prælio dicerent interfuiſse: eam in illo ſeſe corporis imbecillitatem aſpicere, vt excruciari eum illam noctem ſuæ tanta illa patriæ clade nunciata nolit. In Hiſpaniam Cæſar conſtituerat reuerti, neque per Gallorum fines, qua proximum erat iter, quod exercitum non habebat, ire poterat. itaque per Belgas profectus ad Oceanum perrexit: ibi'que nauibus conſcenſis in Britanniam appulit, paucis'que intermiſſis diebus rurſum naues ſoluit, atque in Hiſpaniam contendit. Toto hoc itinere eum Contarenus proſecutus eſt: eum'que in Hiſpaniam perueniſſent, biennium apud eum eſt commoratus. atque in ea legatione omnino quinquennio conſumpto Venetias rediit, cum illud re confirmaſſet, quod à Græcis qui-

 buſdam

buſdam Poëtis mandatum verſibus video, magnã gratioſi nuntij eſſe vtilitatem. Nã, cũ omne id temporis ſpatium inimico inter ſe animo Cæſar & Veneti eſſent, ac ferè continenter bello inter ſe contenderent: multa ille tamen ob eam, quã ſuo nomine erat apud Cæſarem, gratiam obtinuit; multa ſuæ ciuitatis mandata confecit: magno quoque vſui Reipublicæ fuit. ſimulq́; illud eſt aſſequutus, vt multarum magnarumq́; rerum diuturna conſuetudine ac tractatione, tot nationum naturis, moribus, inſtitutis cognitis atque perceptis, magnum rerum agendarum vſum, magnamq́; haberet prudentiam. Itaque cum diligentiam, operam, curam, prudentiamq́; ſuam ciuitati mirifice probaſſet, abſens & in Senatum lectus eſt: qui honos Venetorum legibus non ferè diuturnior anno & menſibus quatuor eſt: & quod olim, exiguis etiam tunc ciuitatis rebus, precibus rogandi erant, qui domeſticis ſuis relictis negotijs, ad conſilium de publicis capiendum conuenirent, Rogatorũ concilium appellatur: eiusq́; per magna & poteſtas eſt & dignitas; quippe cui omnis Reſpublica permiſſa ſit, viciſſimq́; in hac ciuitatis amplitudine ac dignitate à clariſſimis quibuſque ciuibus ſummis opibus, ſumma contentione expetitur. magna præterea auctoritatis eſt in ea ciuitate magiſtratus, cui ab eo nomen inditum eſt, quod præcipua, magna atque ampla procuratio demandata illi eſt, ærarij ac vectigalium; quæ in continenti Veneti magna atque ampla habent. nam eum magiſtratum illi Sapientes terræ firmæ appellant. hanc quoque poteſtatem Contarenus ſtatim renuntiata legatione, maxima totius ciuitatis voluntate omnibus ſuffragijs adeptus eſt. habuit de ea ipſa legatione, more maiorum, orationem in Senatu, vberem ac plenam, cum de Cæſaris ingenio, voluntate, inſtitutis, opibus, copiisq́; diſſereret, earumq́; nationum, ad quas adiiſſet, mores, leges, facultates, conſilia exponeret: quæ cum ab eo diſtinctius ſcilicet atque eruditius dicerentur, quàm Venetorum hominum aures audire ad eam diem conſueſſent, tanta diligentia, tanto'que ſilentio atque attentione audiebatur, vt vocis bonitas, quæ ille ſanè exilis fuit, non magnopere deſideraretur. Non ſum vulgi opinionis, iudicii'que neſcius: arbitrantur enim philoſophiam hominum, vitæ'que huius communis quaſi corruptelam eſſe quandam; atque eos, qui in ſtudijs cogitationis ac doctrinæ, paulo vlterius progrediente ætate verſati ſint, homines in ſolitudine atque in angulis educatos, curiæ lucem aſpicere, aut in huius ciuilis turbæ ac fori ſtrepitu & concurſatione, & in rerum agendarum tumultu, & tanquam acie, ſine magna animi titubatione negant auſuros eſſe conſiſtere, hominum conſuetudinis imperitos, legum, morum, ſermonum, voluntatum'que ignaros, atque à communi vita & hominum ſenſibus, victuq́; longe, multumq́; abhorrentes. ſic vulgo exiſtimant. ſed falluntur ſanè, multo'que id aliter euenit. nam, qui, tanquam inermes, ad prælium & pugnam; ſic nullis aut leuibus doctrinæ præceptis, quaſi armis, inſtructi ad Rempublicam accedunt, ij artem, quam facere intendunt, vnam quidem omnium maximam ac difficillimã, Reipublicæ patriæ'que periculo diſcere coguntur; atque, vt in vetere Græcorum prouerbio eſt, Dolio faciendo figlinam aggrediuntur percipere. idq́; ipſum de malis auctoribus magiſtriſq́; ſane inſciis atque improbis, vulgo & foro. quanquam nobilitari homines ijdem Græci in foro aiunt: qui ſi hoc ſentiunt, virtutem, vt in maiore luce poſita locata'que ſit, ita magis, magis'que ſplendeſcere, atque illuſtrari, ipſi ſanè videant, vbi nam eam potiſſimum in bono lumine collocent: ſin illud præcipiunt, à populo, bene viuendi rationem, tuendarum'que ciuitatum diſciplinam peti oportere, aut in foro cum reliquis mercibus

expo-

expoſitam virtutem venire, næ ego mihi locum modò demonſtrari, magno emere poſſum: ſed non eſt ita. Nam ſponte quidem ſua, aut prudentiam hominum animus atque ingenia non magnopere gignunt: aut huius nobis ætatis, tanquam ſterilitas quædam vehementer lamentanda eſt. Quibus autem opinionibus imbutæ eorum mentes, & tanquam conſitæ, ad Rempublicam è populi diſciplina, & quaſi cultura prodire ſoleant, operæpretium eſt attendere. Nam ij, qui animum philoſophiæ præceptis excoluerunt, regendarumq; ciuitatum artem edidicerunt, neque timidi ſunt, quod ſciĕntia earum rerum, quas quiſque tractet, animum addere, non adimere ſolet, neque audaces ac temerarij, quod ſtultitia ac temeritas plurimum ab arte ac ſapientia diſſident. Reipublicæ verò gubernator ille de populo, nec ignauiam à verecundia ſegregare, neque præcipitem aut pertinacem ciuem ſeiungere à forti atque conſtanti magnopere nouit, niſi vſu demum atque experientia doctus, cum ſæpe lapſus, ſæpe deceptus multa in Republica offenderit, & ciuitatis periculo ac detrimento, (vt antea à me dictum eſt) prudentiam didicerit. Philoſophia autem, quæ vel maximè in effingendis, atque ad virtutem conformandis, hominum ſenſibus atque moribus occupata ſit, &, vt illi morati tandem ſint, quemadmodum cum ijs conflictari non incommodè queamus, vias rationesq; tradat, neque ab hominum abhorret moribus, &, qui ſit optimus Reipublicæ ſtatus, intelligit, & quibus artibus inclinatæ, ruentesq; ciuitates ſubleuentur, tenet, & ad eas, quæ non optimis inſtitutis ac legibus temperatæ ſint, accommodari ſeſe tamen non recuſat, remedia'que temporum, locorum, caſuum'que incommodis adhibet ſalutaria, eadem multa de hominum vitijs, quæque eorum cautiones ſint, præcipit. eadem qui cuique arti, cuique fortunæ, cuique animi aut corporis affectioni, mores ſenſus'que comitari ſoleant, commonet. ad eam doctrinam tam fructuoſam, tam'que opimam, vbi vſus quoque atq; exercitatio acceſſit, tum verò præclari illi ac ſingulares ciues exiſtunt: qualis vel imprimis Contarenus ſua in Republica fuit: qui cum ingenuarum artium in gremio educatus, & tanquam Philoſophiæ alumnus quidam ad agendum deſcendiſset, maximo'que ſibi vſui præcepta, quæ olim imbiberat, eſſe intelligeret, ſuos ciues hortari non deſiſtebat, vt ea peruestigarent, quæ de naturis humani generis, de'que rerum publicarum gubernationibus à philoſophis explicantur. nec verò occultabat hoc ipſe de ſe. Nã à principio cùm primum in ſenatum lectus fuit, ſæpe factum eſſe aiebat; vt in ſuggeſtum aſcendere, ſententiæ dicendæ cauſa, cùm cuperet, auſus non ſit; quod pudore quodam & rei inſolentia retraheretur; eam'que rem magno ſibi dolori eſſe ſolitam; itaque in animo habuiſse, niſi cum animi timorem ac verecundiam peruinceret, ad Rempub. poſthac non accedere, ſuum'que locum alijs conceſſurum, quibus ad dicendum animus non deeſſet: nec enim verum eſſe, fortibus ac ſtrenuis ciuibus ab ignauis, timidis'que locum præripi. verum nihil neceſſe fuit, talis ciuis prudentia, ac conſilio Rempublicam priuari: nam paucis menſibus, cum ſeſe animo facile confirmaſſet, ſic ſententiam dicebat, vt neminem magis prudenter, magis've compoſitè loquutum vnquam fuiſſe conſtaret. docebat ille quidem verbis, quàm maximè poterat, proprijs, cum partitè ac diſtinctè, tum memoriter ac copioſè: animos autem cum oratione minimè conaretur impellere, auctoritate ipſa vehementer permouebat & fide. lingua celeri ac volubili leporem atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi æquum eſſe cenſebat: mentes enim ciuium inflecti, atque incitari, quo maximè tempore ſedatos, ve-

ctosq; eos eſſe oporteret, cum concilium capturi de Republica eſſent, turpe atque inutile eſſe exiſtimabat; atque eos, qui magno quodam conatu orationis vim ad ſenſus atque impetus animorum, atque motus commouendos admouerent; ſi id ſua priuatæ vtilitatis cauſa ſuſciperent, improbè; ſi Reipublicæ cauſa, arroganter ſine controuerſia facere aiebat: quòd tantum ſibi ſumant, vt non communi Rempublicam conſilio regi velint, ſed ſuo: quamq; ipſi probarent ſententiam, in eam cæteros ciues non adducere, ſed compellere ſtuderent. Eodem tempore Contarenus Brixiæ præfectus renunciatus eſt. eum magiſtratum Capitaneum Veneti appellant. quò cum proficiſci cogitaret, iam'que impedimenta impoſita in lintrem haberet, repentè horribilis nuntius adfertur: Romam à Cæſaris militibus captam, Pontificem maximum in arcem compulſum, vrbem ipſam diripi ac vaſtari. quibus rebus Venetias nuntiatis, magnus ſubitò cum dolor, tum etiam terror inuaſit. Itaque mutato conſilio Contarenus, cum vereretur aliis armis Brixiam egere, quàm quibus ſeſe ipſe aſſuefecerat, conſilio atque auctoritate, eum magiſtratum recuſauit. atque interim otium à Republica nactus, ſtudiis ſcilicet ſuis, illis priſtinis obſequebatur. Bellum, cum grauis hæc plaga accepta eſt, cum Cæſare Veneti, ac Clemens vii Pontifex maximus communiter gerebant; ſed totius imperii ſumma tradita erat Franciſco Mariæ Vrbinatum Principi, quem illi Ducem appellant. Eum Veneti ſuarum copiarum ſeorſum Ducem habebant: nam ciuē terreſtres copias ducere per leges non licet. ac cum ſeditione facta Clemens iam complures menſes in cuſtodia à Cæſaris militibus aſſeruaretur, cumq; vrbis depopulandæ, vaſtandæ, incendendæ modum homines feri ac barbari, ſibi ſtatuerent nullum, cui rei Cæſarem, quod longè abeſſet gentium, cum maximè cuperet, negant potuiſſe occurrere: commoti rei indignitate atque acerbitate Chriſtianorum Principes plerique omnes inter ſe de Pontifice maximo è cuſtodia educendo conſpirauerunt. eius rei cauſa, Concilium Ferrariæ indictum eſt, quod Alphonſum Eſtenſem, qui eius vrbis imperium, à maioribus acceptum, eo tempore obtinebat, maximi animi hominem, reiq; militaris peritiſſimum, adiungi ſibi vehementer ſtudebant: à quo cum propter conſilium, ac virtutem, tum propter oppidi opportunitatem, opes, belliq; inſtrumenta, quibus ille abundaret, earumq; rerum omnium facultates, quæ ad bellum vſui erant, multa, magnaq; auxilia ſubminiſtrari ſibi ad id bellum intelligebant poſſe. Eo Galliæ Britanniæq; Reges legatos miſerunt cum mandatis homines nobiliſſimos, idem & ii, quibus Pontificis maximi ſalus priuatim curæ erat, fecerunt, & Mediolanenſis Dux Franciſcus Sfortia. Eodem Veneti Contarenum mittunt: maximè enim eorum Reipublicæ intererat eam confici rem, propterea quod cum Pontifice, quemadmodum dictum à me eſt, ſocietate & fœdere coniuncti, continentibus bellis non longè à ſuis finibus cum Cæſare contenderent. eo Concilio peracto, atque haud ita multo poſt Pontifice liberato, ad eum Contarenus, ſuæ ciuitatis iuſſu, legatus profectus eſt. Magna erat eo tempore omnium rerum perturbatio, magni Galliæ, Italiæq; totius videbantur motus impendere, quod & Clemens ipſe iniquiſſimo animo contumeliam, quam acceperat, ferre exiſtimabatur, quod per pacis ſimulationem circumuentus in hoſtium poteſtatem veniſſet, quod ſuperbè crudeliter'que tractatus, & in deditionem receptus tam diu in cuſtodia fuiſſet retentus, atque ad extremum quod non dimiſſus, ſed elapſus è manibus & catenis eſſet. quod omnia exempla, cruciatus'que in ſuos edita Romæ, atque in omnibus vicis & oppidis eſſent. Accedebat, quod Florentini Hippolytum

polytum

politum atque Alexandrum Pontificis fratrum filios, qui ipſius potentia in ea vrbe imperium antea obtinuiſſent, è ciuitate eiecerant: quod ille grauiſſime, atque indigniſſime ferebat. eius dolor quam in partem erumperet, expectabatur ab omnibus. Eadem Gallię Regis cauſa erat, atque conditio. Nam & bello ſuperatus captus'que, tantum ſe de vetere virtutis opinione, deq; bellica gloria deperdiſſe, maximo erat illi dolori & ſui, liberorumq; ſuorum mercatu (vt ipſe exiſtimabat) mundinationeq; illa Cęſaris, hoſtili ſcilicet in eum odio exarſerat. Tum Veneti multis de cauſis Franciſcum Sfortiam in regnum reſtitui volebant, atque eam rem ad ſuam rempublicam magnopere pertinere arbitrabantur: quibus omnibus rebus efficiebatur, vt in tanta animorum mutatione & diſcordia renouari in Italia bellum neceſſe eſſe omnibus videretur. Interim Clemens cum Cęſare in gratiam redierat, amicitiamq; conciliauerat: & quò liberius patriam iracundiam exercere poſſet, iuſtiſſimas ſuas in Cęſarem minuerat inimicitias, & ſuas illi iniurias, aut condonauerat, aut viciſſim pacis ſimulatione, idoneum doloris ſui vlciſcendi tempus expectabat. Atque cum Cęſaris duces & exercitus, illius nomine Florentiam oppugnarent, faciendum ſibi eſſe exiſtimauit, vt propius ipſe accederit, itaque Bononiam ſeſe contulerat. eò Cęſar quoque ex Hiſpania venit, vt à Pontifice maximo, cuius vnius ea poteſtas eſt, diadema cęteraq; imperij inſignia acciperet. atque ei aduenienti cum obuiam Contarenus extra vrbem proceſſiſſet, dicitur eum Cęſar per quam longo ſanè interuallo à ſe viſum agnouiſſe, atque ijs oculis, ea'que vultus hilaritate eum aſpexiſſe, vt id à multitudine, quę viſendi cauſa prodierat, & omnes vias oppleuerat, animaduerteretur: atque ex ea re coniectura fieret, rem inter Cęſarem & Venetos conuenturam: id quod exitus comprobauit. Nam prę ter omnium opinionem, in tanta animorum incitatione, & diſcordia, tot vltro citro'que illatis acceptis'que iniurijs ac detrimentis, tum pacificationi locus vix vllus videretur eſſe relictus, receſſum tamen ab armis eſt, pax'que inter omnes conſtituta quę res per Contarenum acta magna ex parte, & confecta, cum ſuę ciuitati gratiſſima atque optatiſſima accidiſſet, mirifice eius & gloriam, & auctoritatem auxit, vt nullam rem tantam, aut tam difficilem eſſe cenſerent, quin eam ille animo & cogitatione ſuſcipere, & conſilio tueri, & auctoritate atque induſtria conficere poſſet. memoria teneo me Romam illis temporibus veniſſe, tantus erat omnium, qui in ea vrbe tunc aderant, de Contareni doctrina, prudentia, continentia, pietate, conſenſus, tanta'que admiratio: vt non amarent modo eum, qui tunc erant ciuitatis principes, ſed etiam vererentur & colerent. atque omnino multa prę clarè legibus ſancita ſunt apud Venetos, in his quod vetantur legati ab ijs, ad quos miſſi ſunt, vlla aut munera aut beneficia accipere. quod vtinam alię quędam ciuitates aut reperiſſent, aut repertum à Venetis, imitari ſaltem vellent, ne ſuos ciues (id quod vſu fere euenit) pleros'que foris venales, domi hoſtes haberent; quandiu enim abſunt neglecta, quam ſuſceperunt, reipub. cura, locupletari ſe ſperant, eorum gratiam aucupantur, atque ijs ſeſe venditant: ijdem domum reuerſi beneficijs ac muneribus alligati, atque deuincti quam patrię charitatem debent, eam alienis, ſępe etiam hoſtibus prę ſtare, ac perſoluere coguntur. ita dum alij aliorum aut Regum aut nationum rem gerunt, deſerta nimirum à ciuibus publica res eorum iampridem labat & corruit. At Contarenum eę ciuitates, apud quas magna cura, ſumma'que fide ac diligentia rem ſuam publicam geſſit, prę clariſſimis muneribus donauerunt: tot enim tamq; variarum

gen-

gentium conſtantiſſimo conſenſu mirifice probatum, ſummoq́; laudatum opere, maxima dignitate, exiſtimatione, gloria, muneratum ditatumq́; domum dimiſerunt. ſeueriſſimis legibus Venetijs ambitus conſtrictus eſt; ſuffragium ne per ſe, ne've per alium quenquam rogent, interdictum eſt. itaque cum à ciuitate ipſa vniuerſa non à ſingularibus ciuibus nominatim petendi magiſtratus ſint, idq́; ſæpe (ijdem enim eoſdem magiſtratus, certis intermiſſis temporibus, crebro gerunt) vna virtute nixam omnium ciuium ambitionem eſſe oportet, vt qui ſæpiſſimè ampliſſimas dignitates adepti ſint, ij non amicorum, aut propinquorum diligentiæ, aut tenuiorum hominum officij, aut etiam fortaſſe auaritiæ, ſed ipſius Reipublicæ, certiſſimum de ſe teſtimonium habeant. nam multis locis reprehendendi erroris ſui, ciuitati facultas datur; itaq; ſæpe vſu euenit, vt, qui ſemel primo aliquem honorem cunctis ſuffragijs aſſecuti ſint; ijdem, iterum petenses, repulſam ferant. quò maior eorum ciuium ſplendor eſt, qui omnium dignitatum curſum & tanquam ſpatia & circuitum iterum & ſæpius ſine vlla offenſione confecerint, ij clariſſimi apud ciuitatem ſunt: ijs honos ab omnibus ætatibus, omnibusq́; ordinibus habetur; ij cum opibus & potentia ne infimos quidem ciues antecedant, dignitate, exiſtimatione, auctoritate, gloria, anteferuntur omnibus; eadem eſt enim ciuium omnium parq́; ſpecies, vna toga, eaq́; ſimplex, nullus omnino non modo comitatus, ſed ne comes quidem, vt primi ciuitatis (ſi quis illorum conſuetudinis ignarus interuenit) vni de multis facile videri poſſint. ſed ij quoquo venerint, ſalutantur, appetuntur; iis in viis deceditur, obuiam itur in curia, in foro aſſurgitur: vt mihi virtus nudata phaleris omnibus & aduentitiis ornamentis exuta, in vna ea ciuitate ſua ipſa pulchritudine & lumine nitere, ac ſplendeſcere ſemper ſit viſa. Prorſus viſendæ Venetiæ ſunt, non propter vrbis modo eximiam pulchritudinem, nouitatemq́; antea inauditam. etenim maximam formoſiſſimamq́; vrbem in medijs excitatam æſtibus ſeſe fluctibus erigere, quis non miretur? naues onerarias maximas paſſim ad priuatorum ianuam religatam, triremes in plateis nauigantes, quis ſinè magna admiratione ac voluptate aſpexerit? mihi quidem ſic videtur, hanc profecto vrbem ſi conſpicata modo eſſet antiquitas, Neptunum nimirum aliquem ex profundo ac latebris excitaßet, atque cum celſiſſima illa tecta ſtruentem ac fabricantem feciſſet: qui tametſi nullus ſcilicet vnquam fuit; tamen ſi ſit, aut eſſe ſi poſſit aliquis, nullum illi attribui munus aut opus, illa vrbe præclarius poſſet, aut quod magis diuinæ conuenit naturæ. Sed hæc oculorum, illa animi ex eius vrbis cognitione voluptas capitur, vt equidem ſentio, vel maxima, quod vnæ dominantur apud eos leges: iis & magiſtratus obtemperant, & ciues æque ad vnum omnes: atque eo vſque mihi potentiam execrata prudentiſſima ciuitas videtur, vt neminem vnum illis magiſtratui praeße paſſa ſit. Terni, quini, ſeni, deni, imperia, poteſtates, ſingulos magiſtratus gerunt, vt non ſolum Domini os, quo nulla tetrior, nulla oculis deteſtabilior objici ſpecies poteſt, aſpiciendum ciuibus non ſit, ſed ne Domini quidem imago ſimilitudo, aut effigies. quamobrem ſpectatum exteræ nationes alacri animo Venetias eant; nec vrbis modo cauſa, quod dicere inſtitueram, ſed vel maxime ciuitatis pulcherrimo totius orbis terrarum ſpectaculo ſeſe ad eam diem caruiſſe profecto intelligent. Poſtquam Roma Contarenus rediit, confeſtim ad ſummos honorum gradus ſine vlla dubitatione vel controuerſia elatus eſt. nam & maturius quàm ciuitatis conſuetudo antea tulißet, ſapiens magnus factus eſt, & Conſiliarius. qui duo Magiſtratus ſummi apud

Venetos

Venetos ſunt, neque dubium erat, quin, ſi quis ex diui Marci Procuratorum Collegio demortuus eſſet, eius Contarenus in locum ſubſtitueretur. ea vna procuratio perpetua Venetorum legibus eſt. id vnum ad honorum perfunctionem Contareno abfuit. Itaq; ſic in Republica verſabatur, vt, etiam ſi literas omnino non didicißet, illuſtriſſimum tamen ciuitatis locum obtinere eum neceſſe eſſet. Sic autem doctrinæ gloria celebrabatur, vt, tametſi Rempublicam attigiſſet nunquam, ciuium omnium, qui fama ac nomine excellunt, clariſſimus ſuo tamen nomine fuißet futurus. accedebat Chriſtianæ Theologiæ ſingularis quædam atque exquiſita cognitio: ea'que non ſcientiæ modo aut oſtentationis diſceptationis've, ſed vitæ, ac diſciplinæ cauſa comparata; ad eius enim præcepta animum mentem'que referens, omnes ſuas cogitationes, conſilia, actiones, vitam denique omnem conformauerat atque direxerat: vt non modo ad Philoſophorum regulas bene beate'que, ſed etiam ad Chriſtianorum diuinum hoc præſcriptum piè ſancte'que viueret. Eſt Venetijs quidam quaſi Romanorum, qui quondam fuit, campus ille atque comitium, quod magnum ab illis Concilium nominatur. ad id concilium omnes, quibus ferre ſuffragium per ætatem licet, ſtatutis diebus conueniunt. ibi cum Contarenus forte eſſet Conſiliarius, cuſtos'que poſitus ſortibus, quibus Veneti in petendis Magiſtratibus vtuntur; nam quorum ſors exiit, ij pronunciant, quem potiſſimum ſua ſententia ei Magiſtratui, cuius comitia habentur, gerendo idoneum eſſe exiſtiment: itaque mirifico caſu accidit, vt, ibi cum eſſet, in vniuerſæ ciuitatis conſpectu atque oculis, publicæ Roma allatæ literæ ſint, in quibus res omnibus noua, omnibus inopinata; illi quidem certè ipſi prorſus incredibilis, ſcripta eſſet, cooptatum Contarenum à Paulo Pontifice Maximo in Cardinalium collegium eſſe. Legerunt eas inter ſe literas, primum eius collegæ; à quibus ſatis magno interpoſito ille interuallo ad ſortium vrnas, vt dixi, aſſidebat. itaque excepta inter legendum vox ab ijs, qui proximi conſederant, ſuſurro primum & rumore dubio bonam euenire, felicem fauſtam'que eam illi dignitatem precante, ad aures Contareni profluit. ille verò reſpuere, nec adduci poße, vt eam ſibi rem narrari ſaltem pateretur, atq; omnino ne aures quidē ad audiēdum præbere, verùm recitatis palam literis magna vniuerſæ frequentiæ approbatione ac lætitia, inter ſe collocuti conſurrexerunt collegæ; atque ad eum cum magna cum lætitiæ, tum etiam obſeruantiæ ſignificatione adierunt. quod ille cum vehementer commotus recuſaret, ac ſeſe id ætatis ad aliud vitæ genus negaret poſſe traduci, ad curiæ veſtibulum ab ijs vniuerſo eo Concilio comitatus, deductus eſt. Cum'que collegæ, hominis honeſtandi ſtudio, domum reducere eum ſumma contentione pergerent, prorſus non tulit. erat eo tempore inter collegas Aloyſius Mocenigus grandior natu vir, qui apud ciuitatem gratiſſimus cum eßet, princeps'que Concilij publici haberetur, ſæpe à Contareno de Republica diſſenſerat. is ad eum gratulatum cum alijs non adiit, credo quod pedibus erat admodum infirmis. hic clara voce, vt à cuncto exaudiretur Senatu, rei nouitate percitus, adiurans, cum frontem feriret, ac Paulo malediceret, affirmaſſe dicitur, maximam ab eo ciuitati iniuriam fieri, quod eam ciue priuaret, quem illa vnum omnium habuiſſet optimum. Concilio dimiſſo (id enim is conuentus nomen habet) vniuerſa ciuitas domum ad Contarenum læta atque alacris confluere cœpit. ille uero ſuſpenſo animo, incertusq; etiam nunc quid ageret, minus multo erat, quā cæteri, hilaris, ac nec mehercule iniuria: quid enim honos ille homini in re ſua fami-

familiari ampla, atque illuſtri, in Republica principi, in toto orbe terrarum claro atque nobili, afferebat: præter moleſtias ac labores? mutanda, vita victuſq; quinquageſimo demum anno ratio tota & conſuetudo, ſuæ ciuitatis dediſcendi mores, aliena ediſcendi, haud parua quidem ab ea, ad quam ille ſeſe exercuerat, diſciplina abhorrentes; viuendum ad vnius hominis non ſemper prudentiſſimi penè arbitrium atque nutum; comitatus magni alendi, ſæpe diu eodem cenſu; aliæ cogitationes, conſilia, inſtituta, officia, actiones, perſona ſuſpicienda prorſus alta. Sæpe mihi narrauit vir omnium clariſſimus atque grauiſſimus, quem Romæ his paucis annis à ſua ciuitate legatum, ſumma apud duos Pontifices Max. auctoritate, ſummaq; gratia vidimus Paulum & Iulium tertios (in vtriuſque enim tempora eius legato incidit) Matthæus Dandulus ſeſe, cum vehementer auctor Contareno fuiſſet eius honoris accipiendi, qui non ab eo expetitus, ſed ad eum delatus eſſet, magna contentione ratiocinandoq; vix ægre ad extremum homini perſuaſiſſe, ne committeret, vt Pauli conſilium, in quod non ille temere incurriſſet, ſed ſine vlla dubitatione duce Deo deueniſſet, aſpernari videretur: præſertim his Reipublicæ Chriſtianæ temporibus: multos enim fore, qui eam rem aliorſum acciperent, atque ille faceret: quippe in Romanam Eccleſiam impietatis ſceleriſq; nefarij Gaſparem Contarenum, virum vnum omnium maxime pium, maximeq; religioſum, ſubſcriptorem habere gloriaturi, ſeſeq; in eo impudentiſſime iactaturi eſſent, quippe qui, cum à Pontifice Max. ne beneficium quidem accipiendum ſibi eſſe ſtatueret, quid de cauſa illa tota iudicaret, nemini dubium relinqueret. Hæc cum Dandulus diceret, adderetq; eos, qui Contareno æquiſſimi futuri eſſent, ſuſpicaturos tamen eſſe non ob animi magnitudinem atque æquabilitatem, tantam illum dignitatem à ſe remouiſſe, ſed propter imbecillitatem atque ignauiam defugiſſe: peruicit homo grauis atque eloquens, omniq; neceſſitudinis genere cum eo ab adoleſcentia coniunctus, cum propter affinitatem, tum præcipue propter morum, voluntatum, ſtudiorum ſimilitudinem, vt dubitantem confirmaret: atque in ſuam ſententiam diu multumq; cunctantem ac terguerſantem perduceret, qui maximam partem eorum, quæ à me poſita in hoc commentario ſunt, nos docuit. omnino verum id eſt, quod ait apud Euripidem Theſeus, cum Herculem, quo tempore ille Athenas in exilium venit, multis honoribus ac beneficijs proſequeretur: ſic enim ait: laudem feremus omnium pulcherrimam, vniuerſa à Græcia, Feciſſe cum memorabimur bonis bene. quod ille Græce optime, nos Latine vt potuimus. verumtamen is eſt virtutis ſplendor. vt non modo ij, qui eius compotes ſint, honore digni habeantur, ſed etiam ſi qui honorem illis, qui adepti eam ſint, habeant, honorati ipſi & clari ob eam rem euadant. id, quod Theſeus de ſe ſperabat, Paulus etiam aſſequutus eſt. nec enim dici poteſt, quantum in Contareni dignitate amplificanda ſuam ipſe gloriam propagarit. quamquam fuit ille ſuo quoque nomine inſignibus laudibus ornatus, virq; egregiè magnanimus & planè maximus. Ab hoc tempore aliud tanquam vitæ exordium, & quaſi origo, Contareno naſcitur. Antiquiores habentur Venetum mores, propterea quod inquinari ſe externis conſuetudinibus ea ciuitas paſſa non eſt. victu & cultu non modo à luxuria longe abſunt, ſed etiam de lautitia hac, quæ pleraſq; Italiæ ciuitates nuper inuaſit, permultum circumſcripſerunt: quippe qui priſco more eſſe ſe principes, quam videri malunt. Conſuetudo autem eorum

moderа-

moderatio'que vitæ quotidianæ diſcrepat illa quidem fortaſſe non nihil, ſed ita, vt ad ſummam expolitionem deſit forſitan aliquid, firmum autem quiddam ac ſolidum certe ſubſit, & leuitate atque ineptijs vacet. quod Romæ contra mihi viſum eſt fieri: aptiores enim in conuictu & congreſſionibus Romani ſunt: ſed accerſito quodam interdum genere minimeq; vernaculo. vitæ autem cultus lautior eſt, atque, vt video nonnullos exiſtimare, etiam delicatior. in Principibus quidem luxus pæne Regalis, magnus equorum, iumentorumq; numerus, multitudo familiarium, lauta, ſplendida, ſumptuoſa ſupellex; vt dediſſe mihi operam videantur non modo re magni vt eſſent, atque clari, ſed etiam ſpecie atque pompa. neque eo hoc dico, quòd exterarum rerum, quæ ad dignitatem ac decorem pertinent, rationem non habendam eſſe exiſtimem, aut quò mihi id arrogem vt vtrius ciuitatis ſtudia rectiora ſint diiudicare me poſſe profitear. Sed illud affirmo, hanc quaſi migrationem è ſua in alienam, non illam quidem deterius, ſed longe longeq; aliter moratam ciuitatem Contareno ingraueſcente iam ætate, ſubitam ac repentinam neceſſario moleſtam fuiſſe. veruntamen, ita vitæ victuſq; mutatio facta ab eo eſt; vt ingenium tamen, inſtitutaq; ſua vna priſtina retineret: nec vllos ſpiritus, tanta facta acceſſione dignitatis atque fortunæ, ſibi ſumeret: ſed probitas, affabilitas, & eadem quæ in priuato fuerat, facilitas atque humanitas (quamquam inuidioſa illa, tanto'que opere à multis expetita purpura recens induta erat) in tegumentis inuoluta, & quaſi perſonata: elucebat tamen, & agnoſcebatur ab omnibus. Nam, cum intempeſtiui ipſi complures, moleſtiq; ſæpe eſſent, propterea quod omnibus præſto ille ſemper erat; admonitus eſt à ſuis, non tam faciles eius ordinis cæteros ſeſe præbere conſueuiſſe, ſed certam diei horam conſtitutam habere, ante quam adiri ad ſe non paterentur, neque cuiquam ſui poteſtatem facerent. quibus ille reſpondit non ſe putare honorem illum ſibi ſoli eſſe datum, ſed eius partem amicos, partem inopes homines, & egentes iure ſibi optimo vindicare; ad quorum arbitrium viuendum ſibi eſſe ſtatueret, non ad ſuum; nec enim æquum eſſe amicorum clientum'que negocijs, tempus, idoneum quod ſit, à ſe præſcribi, ſed ab ijs ipſis, quid rerum ſuarum occaſiones ac momenta exigant, ſtatui oportere: itaque vt quique ad eum veniebant, ſtatim admittebantur, ac quibus operam ſuam ſemel eſſet pollicitus, fidem in eo religioſiſſime ſeruabat; vt ſæpe tenuium aut miſerorum hominum cauſa ad ſummos Reges iterum & ſæpius adire non dubitauerit: cum id præcipue Chriſtiani eſſe officij contenderet, id maxime hominum genus auxilio iuuare quod maxime opis & auxilij egeret. Quod iudicium ipſius etiam faciebat, vt reliquias Græcæ nationis, multis grauibus'que malis conflictatas, foueret, ac quibuſcunque rebus poßet, ſubleuaret. accedebat autem huic animi propenſioni erga illos, vt miſeros & duriſſima ſeruitute oppreſſos, quod memor erat veterum beneficiorum, quæ vniuerſi mortales ab erudita ea gente accepiſſent: inde nanque & bonas artes, & cuncta ingenua ſtudia profecta per omnes terras manaſſe affirmabat. nam quin maiores eorum pietatem Chriſtianam, cultum'que hunc optimum noſtræ vitæ ſtrenuè adiuuiſſent, dubitari non poſſe dicebat. cum Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus quaſi ſigniferi huius ſanctiſſimi doctorum hominum gregis fuiſſent, qui pectora noſtra excoluerunt, ac ſcriptis laboribus'que ſuis veros ritus, exploſis inde falſis opinionibus, eò inſeruerunt. quare oportere nos, ſi grati eſſe velimus, lapides etiam, ſtirpeſ-

ꝗue eius telluris amplexari, nedum homines, cum quibus tot arctiſſimis vinculis con-
iuncti ſnmns, omni amore proſequi non debeamus. vigebat autem eo magis in animo
ipſius hæc opinio, qnia illos ipſos ſnmmos Theologos quos appellaui, vt Philoſophos quo-
qne einſdem gentis, quotidie in manibus habebat, & eorum laboribus vigilijs'que ſe
inſtructum eſſe recordabatur. Quod proximum erat, fidem diligentiſſime præſtabat,
vt ad diem, quibus deberet, ſemper perſolneret. quæ res à potentioribus non paucis ne-
glecta efficere ſolet, vt multis in locis ſit fides angnſtior. neque hoc tantum maioribus
in nominibus cuſtodiebat: ad tempus'que ijs, qui ſe grandiore pecnnia iuuiſſent, reſpon-
debat, (quod tamen vt faceret ægre & vrgente tantnm aliqua neceſſitate committebat).
vernm etiam aduerſns tenues homines, quibus aliquid deberet, ſe talem præbebat: quæ
cnlpa moribus eorumdem inhærens, inquinat non parum eorum ſplendorem; miſe-
ros'que illos creditores ad deſperationem & laqueum aliquando adigit. declarat quan-
topere maculam hanc fugeret, quam'que omni in re iuſtitiam coleret, vox edita ali-
quando ab ipſo, qnum forte audiſſet diœcetem ſunm iubere minntum qnendam opifi-
cem cras redire: caſtigatum enim illnm iuſſit pecnniam eam ſtatim diſſoluere, addi-
dit'que, ſi vnde id faceret, non eſſet, ſumeret ex abaco vas, ipſum'que diuenderet:
arbitrari enim ſe tennem illnm hominem magis mercede ſna, quàm ſe argento illo,
menſa'qne ornatu egere. eodem'que pacto toto animo abhorrebat ab indignis graui &
honeſto viro quæſtibus. non pauci enim ne deſit ipſis pecunia in minime neceſſarijs ſum-
ptibus, & vt inanem ſplendorem retinere poſſint, cogunt illam illiberaliſſima quæſtus
ratione ac ſordidiſſima. quum igitur eo tempore, quo Bononiam Legati nomine obtine-
bat, qui, pars illius muneris obeundi, illatarum iniuriarum cauſas audiebat, ita cum eo
egiſſet (putabat enim Contarenum eiuſdem animi eſſe, cuius plerumque ſunt, qui nego-
tijs illis implicantur.) eſurimus profecto: nnllum enim emolumentum parit impoſita
mihi cura: cuncta'que in ciuitate concordia atque otij plena ſnnt: inqnit ille, volnpta-
tem magnam mihi nuntias, cupio'que hunc ſtatum rerum permanere, videre'que diem
illum, quo ego, vt habeam ſumptum vnde faciam, mnlam etiam, qua vehor, cnm omni
ornatu proſcribere cogar. Non putaui autem alienum eſſe, has etiam ipſius voces me-
moriæ mandare, quum præſertum huiuſcemodi breuia dicta, quia ab intimis ſenſibus
proficiſcuntur, ſubito'que prolata ſunt, in ſingnlis factis, ac motibus animi, vt reliqnis
etiam caſibns hnmanis, videantur imprimis mores voluntatem'qne eorum, vnde erum-
punt, indicare: eædem'que voces multum valere, non ſine cauſa ſemper exiſtimatæ ſint
ad homines informandos, illos'que etiam emendandos, qui contrarijs vitijs tenentur.
Quam cauſam fuiſſe puto, cnr plures & docti & prudentes viri ſedulo multas college-
rint, & volumina etiam ex ipſis confecerint. Sæpe multum'que ineunte adoleſcentia
cum iracundia, quæ panlo ſibi conſneuiſſet eſſe moleſtior, quaſi luctatum, ad extremnm
proſtratam illam & domitam aiebat oppreſſiſſe: non modo enim turpe, ſed etiam miſe-
rum ſibi ſemper viſum, ira incitatos à conſilio, atque à nobiſmetipſis abſcedere: quod
de ſe Terentianus ille prædicaret, præ iracundia Menedeme non ſnm apud me; Bibnlum
antem illum, qui cum Libone fuit ad Oricum, (quamquam hoc de Scribonio ab inimi-
ciſſimo homine memoria traditum eſt, & qui quacunque re potuit exiſtimationem eius
ſemper violauit) ſibi nullius pretij hominem videri fniſſe, qni cum de compoſitione agen
dum eſſet cum Cæſare, ad colloquium non prodijt, ob eã rem, quod furenter conſneuiſſet,

iraſci

*iraſci; ne res maximæ ſpei, maximæq́; vtilitatis eius iracundia impedirentur. itaque
non modo ſtomachantem, ſed ne commotum quidem viſum illum vnquam eſſe, qui cum
eo familiariſſime vixerunt, affirmant: vt nimirum prope patiens ac lentus exiſtima-
retur, neque ijs, qui in epulis, in cubiculo ipſi miniſtrarent, ſæpe ceſſantibus, ſæpe
etiam peccantibus, non modo non conuicium faceret, ſed ne verbo quidem maledice-
ret. Quod igitur de nonnullis doctis viris memoria proditum eſt; vt Socrate, Stilpo-
ne Megareo; quum illi natura propenſi eſſent ad aliquod vitium, effeciſſe tantum eos
ſtudio ac diligentia ſua, vt nullum vnquam in vita ipſorum veſtigium rerum illarum
appareret; id vero de hoc noſtro prædicari poteſt: in illisq́; ſine dubio Contarenus e-
numerari debet, qui vitioſam naturam compreſſerint: ac quicquid illis aliquod ma-
ius malum, ſi creuiſſet, ferre potuiſſet, tenerum adhuc & imbecillum fregerint, &
omnes eius fibras extirparint. Superbiorem ipſum (de quo etiam ſupra non nihil ſi-
gnificatum eſt) copia bonorum, quæ aut à fortuna acceperat, aut ipſe ſuo labore, in-
duſtriaq́; quæſiuerat, non fecerat: in quod vitium paſſim multi, minoribus multò lau-
dibus commendati, ruunt. & ſane hanc culpam, ille, vt ſcopulum aliquem, magno-
pere vitabat: quod ſi vnquam in ſermone aliquo aliquid à ſe forte prolatum intelli-
geret, quod tenuem modo vmbram illius mali retineret, valde dolebat. vt contigit
quodam tempore. cum enim Paulus tertius loqueretur cum ipſo de augendo nume-
ro ſummorum Antiſtitum, oſtendiſſetq́; ſe in animo habere quoſdam in eum ordi-
nem cooptare, Contareno minime probatos (quod ille etiam præſeferebat, atque id tunc
palam dicebat) videns ipſum ſuæ voluntati refragari Pontifex Maximus inquit, ijs
ipſis verbis, inſitum fuit ſemper Cardinalibus, vt nouis repugnarent, ne ſibi alijs di-
gnitate exæquentur; reſpondit igitur ille commotior quam ſolebat. Noli ſanctiſſi-
me Pater ita de me exiſtimare: cognitum enim tibi eſt, quot ego nominarim, idoneam
prorſus materiam huic operi efficiendo: & vnde fingi poſſint perſonæ tantæ dignita-
ti ſuſtinendæ aptæ. Quin etiam dictitabat, ampliſſima ſacerdotia plus in ſe oneris,
quàm ſplendoris habere: quoque maiora illa forent, eò moleſtiæ plus ſollicitudi-
nisq́; continere. Quare ſe ſæpe vicem dolere ſolitum eorum, qui Pontifices Maxi-
mi creati forent. quia pondus Aetna grauius humeris ſuis ſuſtinerent. Cuius iu-
dicij Seleucus quoque Rex quondam fuit: ille namque dixit: Quæ vox eius moni-
mentis literarum mandata eſt à doctis viris, vt errorem eorum coarguerent, qui falſo
putant opulentiſſimos quoſque homines non beatos eſſe, magnisq́; ſemper voluptati-
bus frui, cernentes ſplendorem vitæ illius ac florem: inquit igitur ille, neſcire priua-
tos illius ſtatus incommoda: ideoq́; magnopere falli in iudicio de illo faciendo. quod
ſi ſcirent tantum, quàm arduum ſit, ac moleſtiæ plenum, tot epiſtolas ſcribere, ac le-
gere, futurum prorſus vt diadema abiectum iaceret ſine honore vllo: nec quem-
quam inuentum iri tam ſtultum, qui ipſum tolleret, ac capiti ſuo imponeret. nec ta-
men non multo maioribus grauioribusq́; curis premi neceſſariò illos, ſi munus ſuum
fideliter obire vellent, qui vitam moresq́; eorum, quibus præſunt, regendos ſuſcepe-
runt; animosq́; ab omni labe purgandos, quàm qui in eo tantum eximio ſtatu rerum
ſuarum, regnoq́; conſeruando, occupati ſunt. Quum igitur hoc crimen Contarenus
vehementer reformidaret; ac, ſi quis vere exiſtimare poſſet, vacuus prorſus ab ipſo fo-*

ret, non tamen penitus potuit ea ſuſpicione carere. Erat ille in omni ſermone ſuò, factoq́; integer, ac liber, remotus ab omnibus blanditijs orationis: acerrimus inimicus vanitatis illius, aſſentationis'que, quę nunc in locum inuaſit ſimplicis veritatis, libertatisq́; loquendi, meritò quondam magnopere probatę. ob quod etiam ingenij bonum ferunt eum Carolo Cęſari valde acceptum fuiſſe, quum ob alias etiam animi dotes ab eo diligeretur. Hęc igitur probitas nuda, expers'que omnis fuci ac fallaciarum: quaque vti eò venerat, ita ſe Romę in longe alijs moribus, inſtitutis'que conſeruarat, cauſa fuit, vt ſuperbię à non nullis inſimularetur. quaſi ille contemnens cęteros prę ſe, quidquid ſentiret de omni re contra commoda illorum diceret: nec ſua quicquam intereſſe putaret potentioribus aduerſari. quam anſam quidam arripientes, ipſum vt contumacem & inhumanum apud Paulum III. criminati ſunt. quod nimis libere in Senatu contra ipſum ſententiam diceret, atque honeſtiſſimos quos'que viros offenderet. ipſe vero, id diuerſo conſilio faciebat: neque vt impediret commoda aliquorum, ſed vt religioni ſuę; & ei, quod rectum eſſe ſentiebat, ſeruiret. vt autem, quod non verum eſſet, nec ordine factum, quamuis intelligeret, ſe apud aliquos offenſurum, accuſabat, ita gratiam aliorum aſtuta ſimulata'que oratione non aucupabatur: cui rei oſtendendę in vtramque partem exemplum hoc ſatis accommodatum erit. Contigit aliquando, vt eo aſtante in Senatu ageretur de Camarino in poteſtatem tradendo vni alicui Pontificis Maximi nepotum, eo genere iuris, quod feudum appellant. admonuit igitur Contarenus Paulum, vt antequam de tanta re quicquam ſtatueretur, colendę iuſtitię cauſa, vacuę'que à culpa conſeruandę ſanctiſſimę Sedis, mandaret vt iura Varanę familię, quę diu in poſſeſſione eius oppidi fuerat, diligenter noſcerentur: ne iniuria aliquid ipſa in ea re acciperet. Hęc ſententia, pręſenti animo dicta, illa ipſa die per Vrbem ſparſa, diſſeminata'que eſt: quare Hercules Varanus, qui Romę tunc erat, ſtatim domum ad Contarenum venit, gratias'que illi maximas egit, cauſam'que totam ei commendauit; cui quidem ille, eadem animi ſimplicitate, quod tamen quidam ab agreſti, inhumano'que ingenio profectum potius dicerent, reſpondit, Non oportebat te mihi iſto nomine gratias agere: quod enim feci tunc, vt ęquitati officio'que meo ſatisfacerem, feci. nec quicquam amplius cogitationis ſuſcipiam de iſta re, pręter id, quod mihi fides mea pręſcripſerit, niſi aliquid à Pontifice ipſo, quod eo faciat, curę meę mandatum fuerit. Blandus aliquis, illa occaſione vſus, ſtuduiſſet gratię illi, ſine vllo ſuo labore partę, nouam gratiam addere: animum'que honeſti viri inani ſpe, falſisq́; pollicitationibus lactaſſet. Quare mihi venit in mentem arbitrari, non paucis in rebus ſimile fuiſſe Contareni ingenium naturę moribusq́; Dionis Syracuſani: vt enim reliqua, in quibus ipſis inter ſe magnopere conuenit, taceam; non deerant etiam in Regia illa Dionyſii filij (vt ab eruditiſſimis viris memorię proditum eſt) qui caſtiſſimi illius & integerrimi viri maximas virtutes, & ſane eaſdem has propinquis vitiorum vocabulis deformarent; ac grauitatem ſuperbiam eſſe dicerent: libertatemq́; loquendi contumaciam vocarent. Qui Dion, cum induci non poſſet, vt vnà cum alijs peccaret, qui ſe omni genere vitiorum contaminarent, eorum peccata videbatur diſſimilitudine vitę coarguere. fertur tamen ille durior fuiſſe natura, triſtior'que. vnde tem-

perare

perare indolem illam ſummo ſtudio ipſum debere à doctiſſimo viro, ſtudioſiſſimoq́; gloriæ ipſius elegantiſſima voce dictum eſt: hortatus eſt enim Plato, vt gratijs hoſtias immolaret, ſuaſitq́; vt aliquid etiam daret moribus ſuorum temporum, inſtitutiſq́; reliquorum mortalium: non quia id omnino verum eſſet, ſed quia ad congreſſus hominum frequentandos, beneuolentiamq́; eorun'dem retinendam, obſequium ſæpe neceſſarium foret. atque hæc priuati officij ſunt, illa publici; quod malas conſuetudines tollendas curauit, illas veteres renouandas; quod multarum legum præclariſſimarum auctor, ſuaſorq́; fuit; quod in dicenda ſententia nunquam inuidiam reformidauit, multaq́; contra collegarum ſuorum commodum ſæpe ſuſcepit, atque perfecit. vitioſa quadam conſuetudine duabus, ſæpe etiam pluribus ciuitatibus vnus & idem dabatur cuſtos, qui Græco verbo, Epiſcopi appellantur: neque in ijs ipſis ætatis progreſſus expectabatur, qui annalibus Pontificum maximorum legibus conſtitutus eſt; adoleſcentuli, ſæpe pueri maximis adminiſtrationibus præficiebantur. has atque huiuſmodi alias prauas, corruptasq́; conſuetudines ſua Contarenus ſententia delebat: moresq́; ſacerdotum hominum, nimium non nunquam deformatos emendabat, magnaq́; ſua ipſe offenſione communem Reipublicæ leuabat inuidiam. Non eadem conditione eſt Collegium Cardinalium, cæterarumq́; ciuitatum Senatus aut conſilium; nam illæ ex ea, quam habent, ciuium copia in ſuos Senatus, qui aptiſſimi viſi ſint, legunt. in collegium verò Cardinalium è toto orbe terrarum, qui aut doctrina, aut nobilitate, aut prudentia, aut probitate, religione, pietate excellunt, ſi Pontifici maximo viſum ſit, eos cooptare licet: eoq́; factum eſt, vt ſumma is ordo amplitudine, ſumma auctoritate, ſummo ſplendore, omni ille quidem tempore fuerit; quippe è Chriſtianorum flore decerptus atque collectus, veruntamen iis, de quibus inſtitutus mihi ſermo eſt, temporibus præcipuum quoddam in eo lumen enituit: propterea quod Paulus Pontifex Maximus magni atque acris iudicij vir, eximia ſingulariq́; virtute homines nactus, ad eam illos dignitatem vltro ipſe euocauerat. vt ei collegio, quod per ſe antea eſſet clariſſimum, ea re lucis tamen permultum attuliſſe videretur. ex hac virorum clariſſimorum copia, cum mittendus ad Cæſarem legatus eſſet, Contarenus potiſſimum ad id munus delectus eſt: cauſa mittendi ea fuit. vehementer erat Cæſar anxius ſollicitus'que, quod Germani, qui plurimum armis poſſunt, neque præſto illi in bellis erant, neque eum pecunia iuuabant: propterea quod maximis inter ſe ſeditionibus de religione contendebant, atque inteſtinis diſſenſionibus diſtenti, nullo illi vſui eſſe poterant. abiecti quidam perditi'que ac deſperati homines, quadraginta fere ab hinc annis, iampridem receptas ratas'que diſciplinæ Chriſtianæ ſententias in controuerſiam reuocauerunt; multitudini'que perſuaſerunt imperitæ, vti à Romano Pontifice, quod caput Chriſtianæ Reipublicæ, atque Eccleſia eſt, deſciſcerent: ſeſe'que in libertatem vindicarent. quod malum tarde initio ſerpens, ab iis neglectum, à quibus opprimi id & poterat & debebat: paulatim infimæ plebis, vulgi'que mulierum animis legum vinculis laxandis & diſſoluendis; pollicenda'que cupiditatem multarum licentia in fraudem inductis, paucis annis opinione magis adcreuit. idemq́; nefarius furor, poſtquam populare exiſtimari cœptum eſt, pietatem euertere, multos quoque principes inuaſit, alios metus impellebat, veritos ne à ſuis deſererentur, ſi ab illis diſſentire pergerent, par-

tim rerum nouarum ſtudio, partim leuitate & ſtultitia, quod Deo immortali, legibusq; ſpernendis fortitudinis opinionem facere ſeſe de ſe nonnulli arbitrarentur, partim etiam auaritia, quod Sacerdotum maximus amplißimasq; poſſeßiones publicabat, inter ſe partiebantur. multi tamen, quibus eſſet Deus pro ſua ipſorum pietate propitius, veram integramq; pietatem conſtantißime complexi, nullis permulceri illecebris, nullis illici præmijs, nullo timore depelli ſeſe paßi ſunt. eaq;, à maioribus, quæ acceperunt inſtituta, ad hoc vſque tempus fortißimo animo retinuerunt. Sed tanta inter vtroſque extitit non modo contentio, ac diſceptatio, ſed etiam concertatio, atque pugna, tantumq; exarſit odium; vt maximæ, bellicoſißimæ, florentißimæ, atque adeo ante hunc furorem religioſißimæ, optimæque de Republica meritæ nationis, vires, opes, & copiæ abſumptæ, in ſeſe ipſa conficienda atque delenda ſint. quibus rebus permotus Cæſar animo & cogitatione in ea cura defigebatur, ſi per compoſitionem minui id malum ſedariq; diſcordiæ poßent. qua de re cum omni contentione cum Germaniæ ciuitatibus ageret; primo Chriſtianorum omnium concilium in ijs maxime locis indici poſtulauerunt, quò adire tuto ipſi poſſent. is erat locus nuſquam gentium: quippe cum ab omnibus defeciſſent, nec vllis ſeſe gentibus committere auderent, præterquam in eorum ipſorum finibus. ad id concilium venturos, eius'que decretis iudicijsq; ſtaturos ſeſe pollicentur. id eo ab illis conſilio fiebat, quod Pontificem maximum nunquam eò deſcenſurum ſibi perſuaſerant: verum ubi probari à Paulo III conditionem, ac ne de loco quidem, cuius iniquitate deterritum iri eum maxime ſperabant, recuſari ſenſerunt; paulatim regredi, neque in eo quod vltro ipſi poſtulauerant, manere, dirimi controuerſias per colloquium poße; id breuius, expeditius certiusq; eſſe, dicere longum eſſe expectare, dum ex vltimis terris conueniretur. omnia ſibi Cæſar experienda exiſtimabat, ſi vlla ratione mederi ei tanto malo poſſet. Itaque deliguntur homines docti ex vtroque numero vndeni. ad colloquium venitur; magna contentione, magna pertinacia ab ijs, qui ſe ipſi proteſtantes appellant, diſputatur, atque in omni genere calumniæ deliteſcitur. eos ij, qui ratas veteres ſententias eſſe volunt, Catholiciq; appellantur, acriter refellunt, conſtantißimeq; in ſententia perſeuerant. ad extremum, cum concertationum exitus nullus reperiretur, nec quicquam inter eos conueniret, prorſus diſiunctis diſcordibusq; opinionibus, infecta re, à colloquio diſcedunt. quod quoniam ſe abſente factum erat, Cæſar ſperans Germanos ſuum aſpectum atque auctoritatem reuerituros, aliquid de pertinacia, atque calumnijs remiſſuros, iterum deligi homines iubet, qui colloquendi cauſa Ratisbonam conueniant: atque eò ipſe proficiſcitur, vt maiore auctoritate de concordia ageretur, ſimulq; magnopere à Paulo III per literas petit, legatum vt ad ſe mitteret, qui ad rem tantam & tam grauem maxime eßet idoneus. Paulus è tanta præclarißimorum hominum facultate & copia Contarenum ſine vlla dubitatione delegit, atque hominem in Germaniam mittit: quod is magnum iam antea eius gentis propter eas cauſas, quæ commemoratæ nobis ſunt, haberet vſum, & Cæſari eſſet gratißimus: idemq; innocentia, doctrina, prudentia, facilitatis, animiq; moderationis magna apud Germanos opinione excelleret: quiq; (id quod Cæſar magnopere poſtulauerat, maximeq; ad rem pertinere arbitrabatur) in diſputando minime eſſet ambitioſus, minimeq; pertinax. eò cum veniſſet, mirabiliter acceptus à Ger-

mania

*maunia eſt, & maximo in honore apud Cæſarem fuit: nam cum omnes Germaniæ
Principes, tum Rex Romanorum ipſe, officij, honoriſq;, honeſtandiq; hominis cauſa
domum ad eum venit, & in ſacris cærimonijſq; ſolennibus datus ei locus eſt ſecundum
Cæſarem primus: nihilq; earum rerum, quæ ad homines magnos honeſtandos adhiberi
conſueuerunt, in eo prætermiſſum eſt. quæ, tametſi ordini ſcilicet debebantur, & digni-
tati, tamen cum alacrius aliquanto, tum etiam cumulatius quàm antea ſolita ſint, per-
ſonæ dicuntur eſſe perſoluta; accedebat quod Cæſar iucundiſſima eius conſuetudine &
ſermonibus delectatus, ſæpe hominem ad ſe extra ordinem vocabat: cumq; de grauio-
ribus negotijs, de'que Republica collocuti inter ſe eſſent, multa ad eum Cæſar de ſuis pri
uatim rebus referebat: multa de Geometria, multa de Geographia quærebat; quibus il-
le ſcientijs, quod eæ ad rem militarem (quæ illi ſpectanda erat maximè) pertinent, ope-
ram multam illis temporibus dabat. illa autem cum in promptu Contarenus haberet,
quod puerili diſciplina erat in ijs artibus ſtudioſe verſatus, omnia ſcilicet certa, diluci-
da'que reſpondebat. Quæ cum de Contareni apud Cæſarem familiaritate, ac gratia,
apud omnem autem Germaniam auctoritate & fama, Romam eſſent allata; ventum
eſt in ſpem fore, vt res conueniret, mitigatis'que Contareni lenitate & prudentia Ger-
manorum animis, teterrimæ diſcordiæ tollerentur. quæ res quoniam maiorem in modum
illi gloriæ futura erat, homini vehementer inuideri cœptum eſt. Nec deerant etiam Ro-
mæ, qui dicerent nulla alia de cauſa ipſum Germanis gratum acceptum'que eſſe, niſi
quia aduerſarijs indulſiſſet: ac decreta, quæ pugnaciſſime defendere debebat, ijſdem pro
didiſſet. Hæ uerò graues acerbæ'que uoces ab ijs, qui æquo animo laudem gloriam'que
Contareni non ferebant, emanabant: nec tantum illic, ubi plurimum ipſi obeſſe pote-
rant, improbe mittebantur, uerum etiam per omnem Italiam fuſæ ac diſſeminatæ, ma-
gnopere illius exiſtimationem ac dignitatem lædebant. quas tamen ille, magno animo
præditus, rei'que ipſius naturæ non ignarus, primo contempſit: ad eam namque male-
uoli hi ſermones inuidorum in Germaniam uſque delati ſunt; ſimul'que ſperabat exi-
tum earum rerum innocentiam ſuam, fidem'que patefacturum: cui ſane ipſe toto ani-
mo incumbebat. Contigit tamen tunc, quod ſæpe in magnis arduis'que rebus uſu uenit,
ut negotium illud, Chriſtianæ Reipublicæ magnopere vtile, atque adeo ſalutare, in me-
dio curſu fractum ac diſſipatum ſit. id autem magna ex parte factum eſt malitia, frau-
deq; illorum, qui Cæſaris potentiam, quæ multum compoſitis rebus, Germania'que
pacata creuiſſet, ſuſpectam habebant, ſuis'q; rebus periculoſam exiſtimabãt. Hi nam'q;
non modo veterum diſcordiarum fibras, ut oportebat, communis utilitatis cauſa non
euellebant, verum etiam nouarum ſimultatum ſemina occulte iaciebant, in aures eo-
rum, quibus commiſſa res erat, inſuſurrantes, ac falſos quoſdam metus eò inferentes.
Vt autem aſtuta hæc conſilia rem remorabantur, & ne ad exitum adduceretur im-
pediebant, ita ſubito exortum eſt, quod animos Germanorum ad longe alias curas
traduceret; finem'que diſputationi illi, ac colloquio faceret. Hoc autem fuit incur-
ſus Turcarum Regis in Pannoniam cum maximis copijs, communis'que hoſtis metus:
nec enim effecit tunc timor ille, quod plerunq; conſueuit, magnopere exacerbatis animis,
ut ſtimulum periculum tantum admoueret ad odia extinguenda, & gratiam reconci-
liandam; ſed potius ſpem, quæcunque erat, malorum illorum ſedandorum eo tempore in-*

tercidit, ac ſuſtulit. Miſſis igitur ſermonibus illis, quod factum eſt extremo menſe
Quinctili, cœperunt Germani arma: totos'que ſe ad impetum illum coercendum, fineſq́;
ſuos tuendos contulerunt. Cæſar verò aliam rationem iniit eius periculi callido con-
ſilio propulſandi; quod à veteribus etiam ducibus non ſemel vſurpatum fuit, & ſa-
tis tutum ſemper vtile'que cognitum eſt: ſtatuit enim cum claſſe, quam maximam ædi-
ficauerat, ornauerat'que in Africam nauigare. magno nanque ſpatio Solimanus in-
de remotus, auxilium illis locis ferre nullo modo poterat, & ne maiorem etiam aliquam
plagam in Græcia acciperet, non ſine cauſa metuere debebat. vrgebant prætereà Ca-
rolum, vt hoc faceret, aſſiduæ preces Hiſpanorum, crebra'que damna ſtimulabant,
quæ cuncta illa maritima regio quotidie accipiebat ob frequentem irruptionem pirata-
rum, adeo vt mare pæne omne clauſum illic foret. quare vt tam grauibus malis regnum
illud ſuum liberaret, deleretq́; maculam, quam ſibi videbatur ſuſcipere ob tantam
licentiam prædonum, ſtatuit, vt dictum eſt, apparatui illius belli non deeſſe, ſedemq́;
nefariorum hominum, ſi poſſet, omni ratione euertere: quamuis inimici timoris ipſum
arguerent, quod ferociſſimum hoſtem declinaret, ac tellurem, quam maxime tueri de-
bebat, tanto impendente periculo deſtitueret. in Italiam igitur celeriter venit. cum ve-
rò muneri, quod ſuſtinebat, non ſine magna animi ſui moleſtia finem factum eſſe vi-
diſſet Contarenus, nec ſe poſſe amplius nauare operam Reipublicæ, vna cum Cæſare
reuerſus eſt. Poſtea verò quam Tridentum ventum eſt, Imperatorem, vt ſe dimitteret,
rogauit: velle enim ſe, quum commodè id facere poſſet, Eccleſiam ſuæ fidei commiſſam,
quæ non longè inde abeſſet, inuiſere: ac poſtquam publice non poſſet, priuatim religio-
ni, officioq́; ſuo ſeruire. venerunt tamen eo tempore Roma à Pontifice Maximo lite-
ræ, quæ iuberent ipſum perſona legati retenta, apud Imperatorem eſſe, Mediolanumq́;
vnà cum eo proficiſci. in quam vrbem ille, vt veteris imperij iuris, non multo ante rece-
ptam, volebat (vt moris eſt) cum pompa ingredi, inde'que Lucam accedere. quo in lo-
co Pontifex ipſe Cæſarq́; ſtatuerant ſimul congredi, ac de communibus rebus ſtudioſe
agere. accidit hoc in itinere res, quæ vehementer animum optimi viri commoueret. cum
enim Brixiam ventum eſſet, ciuis eius loci, honeſtus ſanè vir, ac vetus amicus Conta-
reni, qui ad ipſum ſalutatum venerat, quæſiuit ex eo ſimpliciter, quæ mens ipſum im-
puliſſet, vt capita, quæ ferrentur prolata ab aduerſarijs, adeo abſurda, & à vera ra-
tione aliena, in Germania comprobaret. cui ſtatim reſpondit ille; eas eſſe meras nugas,
rumoreſq́; prorſus inanes, & quos omnium aures reſpuere deberent. ſe namque, nedum
anceps quod eſſet, & in quo ſcrupulus aliquis reſideret, ſine auctoritate Pontif. Max.
conceſſurus aduerſarijs fuiſſet, ea etiam quæ rata in primis ſunt, & firma aliter rece-
ptum non fuiſſe. non deſtitit auctor eius ſermonis, ſed addidit rem aliter atque ille pu-
taret ſe habere: neque enim incertam eſſe, ac nullo auctore prolatam famam illam: ſe
namque literas vidiſſe ab eius ordinis homine ſcriptas, ſummo viro, quem etiam no-
minauit, quæ id commemorarent, ac verum eſſe contenderent. non potuit tunc homo
leniſſimus ſibi temperare, quin ſtomacharetur exclamaret'que, digna verò merces hæc
eſt meorum laborum, ſi vera ſunt, quæ narras; ſtatimq́; vt innocentiam ſuam exiſti-
mationemq́; tueretur, miſit Epiſtolam ad Pontificem Maximum, quæ valde que-
ſtus eſt de iniuria illa, ſermone'que improbiſſimo, quem Roma profectum, ac per omnem

Italiam

*Italiam ab iniquiſſimis diſſipatum, contra dignitatem ſuam comperiſſet: rogauitq́; ſi-
mul, vt, ſi penitus eum non aſſeruaretur, ſaltem ſe indicta cauſa ne condemnaret: nec
quidquam de illa re ſecum ſtatueret, antequam ipſe ad eum perueniſſet: ſperare enim ſe
facile cauſam ſuam probaturum, oſtenſurumq́; laude ſe ac præmio, non reprehenſione
aut pœna vlla, ob ea, quæ in Germania geſſiſſet, dignum eſſe. cum Mediolanum per-
uentum eſſet, quæ ciuitas omni genere lætitiæ, magnificentiaq́; apparatus Cæſarem ex-
cepit, mirifice facto ſuo quodam Contarenum Carolus decorauit, ac, quid ſentiret de vir-
tute, ſingulariq́; probitate hominis, notum teſtatumq́; omnibus eſſe voluit: lateri enim
ſuo ipſum in omni ea pompa hærere voluit: cumq́; hoc ille modeſtiæ cauſa recuſaret, ſe-
quereturq́; aliquanto poſt, mandauit humaniſſimus princeps vni è famulis, vt panè im-
uitum ipſum traheret, ac propè ſe collocaret, omneq́; id tempus, donec eò perueniret,
quò paratum illi hoſpitium erat, conſumpſit cum eo iucundiſſimis ſermonibus. id vero
cum perſonæ, dignitati'que datum non ſine cauſa aliquis arbitrari poſſet, licet tamen
exiſtimare, multum etiam ad hoc valuiße iudicium, quod fecerat de homine; quod puta-
ret, vt qui veræ gloriæ non ignarus eßet, eam rem non minus ſibi, quàm Contareno laudi
& honori futuram. & ſane literis mandatum eſt, eius nominis primum Auguſtum Cæ-
ſarem, quum primum Alexandream, quam bello cœperat, ingreſſus eſt, in magna copia
honeſtorum, ac clarorum virorum Areum, grauiſſimum & eruditiſſimum hominem, ſi-
bi adiunxiſſe; familiariter'que cum eo ſolo in tanta lætitia, fortunæ'que magnitudine lo-
quutum eſſe, quem etiam, vt magis eum ciues ſui ſuſpicerent ac fortunatum iudicarent,
manu teneret: erat enim philoſophus ille Alexandrinus: ſed aliæ quoque res, dum illic
manſit, indicio eſſe potuerunt; quantopere Contarenum diligeret: id quod animaduer-
ſum ab alijs opulentis viris, qui in eo comitatu erant, fecit vt omnes ipſum colerent, ac
de illo celebrando quaſi inter ſe contenderent. Cæſar, qui, vt ſupra oſtendi, mare tranſire
ſtatuerat, quæ ad curſum illum neceſſaria erant, ſtudioſè parabat: imperarat'que vt Ge-
nuam claſſis, propinquos'que in portus cogeretur. quare, vt id celerius fieret, ſtatuit ſibi
in eam vrbem accedendum, inde'que Lucam eundum, quò Pont. Max. ſe venturum ſi-
gnificarat. Contarenus igitur breuiore via ſe Lucam contulit, atque illic, quod maxime
cupiebat, poſt paucos dies Pontificem Maximum vidit; qui ſanè hilari vultu, nulloq́; ſi-
gno edito offenſionis, ipſum accepit. nec multo poſt eodem Imperator venit, qui non ceſſa-
uit etiam in alijs magnis rebus, quas cum Paulo III. egit, multa prædicare de pruden-
tia, induſtria, probitate legati; quibus omnibus virtutibus, in munere illo obeundo vſus
fuerat in Germania: nec non queſtus eſt, quod Romæ multa falſo iactata forent contra
fidem & dignitatem ipſius, quum ille integre, ſincere'que perſonam eam ſuſtinuiſſet; ac
negotia cuncta cum fide adminiſtraſſet. cui ſtatim ſapientiſſimus ſenex: quiq́; ignarus
non erat artium malarum, quibus plerique Romæ vtuntur, aut inuidia commoti, aut, ſi
alios depreſſerint, ſperantes ſe in locum illorum inuaſuros, reſpondit, ſibi eximie cogni-
tam eſſe ac probatam Contareni virtutem; ſe'que eam ob cauſam ipſum tunc in Ger-
maniam miſiſſe: tantum'que oneris ei impoſuiſſe; facturum'que etiam breui, vt nemo du-
bitare poſſit de beneuolentia ſua erga illum, ac quo denique loco eum haberet, ſe omnibus
declaraturum. Non contentus autem hoc Pontifex, vt omnem ſcrupulum ex animo
Contareni euelleret, gauderet'que ille ſecum tam prompto erga ſe animo fortunatiſſimi
hominis, ac tam præclaro teſtimonio ſuarum virtutum, notum eſſe voluit ipſi eum ſer-
monem:*

monem:

*monem: ſimulq́; ſuaſit illi, vt contemneret maleuolas voces improborum, nec puta-
ret eas quicquam valere ad exiſtimationem ſuam violandam. fontem etiam huius
mali aperire volens, teſtimonium citauit veterum poëtarum, qui naturam inuidiæ
verſibus ſuis expreſſerunt; moremq́; illam habere tradiderunt, vt ſumma loca feri-
ret, non minus quàm venti editiſſima quæque appetere, ac violentius verberare conſue-
uerunt: omniq́; demum ratione, qua potuit, oſtendit ſe eum valde carum habere; cumq́;
etiam gratias amanter egiſſet pro ſuſceptis laboribus, fecit ei poteſtatem, vt tot itineri-
bus defatigatus Romam reficiendi ſui cauſa breuiore via accederet: ipſe nanque vici-
nitate inuitatus, Bononiam profectus eſt; inde'que Ariminum venit, ac Flaminia de-
nique via Romam reuerſus eſt. nondum autem duobus menſibus tranſactis, memor eius
quod dixerat, de augenda dignitate Contareni, legatum ipſum Bononiæ declarauit: quæ
publica cura prouinciaq́; reliquas omnes ſuperat, quas intra ſuos fines, imperiumq́; ſta-
tus Reipublicæ poſſidet. ille igitur hoc nouo onere ſibi impoſito, vt qui non minus rebus
gerendis, quàm contemplandis factus erat, Martio menſe ſe in prouinciam contulit. fa-
ctum'que eſt, vt VI. Kal. Aprilis in Vrbem ingrederetur. qui dies apud eos maxime ce-
lebris agitur, conſecratus genitrici eius, qui ſalutem nobis dedit: ſumma igitur lætitia to-
tius ciuitatis exceptus eſt. conata'que eſt illa, quam ſpem conceperat animo de probitate
& prudentia ipſius, externis etiam rebus, honoribusq́; omnibus indicare: certo enim ſcie
bat futurum ſibi illum potius eſſe optimum parentem, quàm durum aliquem & auarum
dominum, aut etiam fortunarum ſuarum expilatorem. in quo certe illi falſi non ſunt:
vt primum enim res illas attigit, nullo negotio cognitum eſt, non minùs ipſum in rebus iu
dicandis clementia vti & æquitate, quam ſummo illo iure, quod ſæpe merito repreben-
ditur, ac ſi quis vere exiſtimet, quod alio nomine appelletur, dignum eſt. Totos dies ille
cauſis audiendis, controuerſiis'que tollendis operam dabat: nec vnquam moleſto ſanè hoc,
& odioſo munere, præſertim homini in alijs curis ſtudijs'que educato, defatigabatur.
hoc autem faciebat, naturamq́; ille ſuam, conſuetudinemq́; flectebat, quia vere gloriæ
deditus erat, ac prodeſſe mortalibus quacunque re poterat, ſtudebat. quare quodcunque
munus obiret, dignum viribus opera'que ſua, in ipſum tota mente incumbebat. Erant
hæ curæ cogitationes'que hoc tempore Contareni; procurabat'que ille commoda eius no-
biliſſimæ ciuitatis: cum repente inopinante illo, Roma literæ venerunt, quæ ipſum ad a-
liud munus traducerent, in quo ſanè ille diutius verſatus fuerat, quod'que omnes nume-
ros honeſtatis in ſe habebat. cum enim ſedari nunquam potuiſſent, vlla vllius opera iræ
inter Franciſcum Gallorum Regem, & Carolum V. Imperatorem, ſed quotidie magis
nouis iniuriis inferendis inflammarentur eorum animi, gereretur'que aut pararetur
ab ipſis ſemper bellum teterrimum, quod in ſingulos dies Reipublicæ Chriſtianæ grauiſſi
ma vulnera imponeret, & ad internecionem denique redigeret maxime pias nationes;
officij ſui eſſe ratus eſt Paulus Pontif. Max. tanto malo, ſi vlla ratione poſſet, mederi:
tantumq́; & tam ſæuum incendium extinguere. quare mittendos ſibi eſſe cenſuit ſeorſum
ad ambos potentiſſimos reges, legatos, prudentiſſimos viros, & tanto oneri ſuſtinendo pa-
res: præclare enim ſciebat, quanta vis eſſet in miniſtris ad vnam quamque rem effi-
ciendam: hanc'que curam, omnium maximam requirere perſonas in primis ſapientia &
auctoritate præditas atque ornatas, & non minus gratas acceptas'que principibus ijs,
quorum animos detinere ac flectere deberent. elegit igitur, quem ad Cæſarem in Hiſpa-
nis*

niis tunc degentem mitteret Gaſparem Contarenum, & ad Gallorum Regem ire voluit Iacobum Sadoletum; ambos viros probos, atque omni ingenij laude florentes, &, vt collegas in ampliſſimo ſacerdotio, ita multis honeſtis artibus inter ſe coniunctos, ac maxime bonis omnibus probatos, quæ res geſta eſt Sextili menſe. Erat eo tempore Sadoletus Romæ. quare ſignificauit per literas Pontifex Contareno quod de illo ſtatuiſſet: mãdauitq; vt, quæ ad iter neceſſaria erant, expediret: ſocium namque ipſius in honeſtiſſimo illo munere intra paucos dies in viam ſe daturum. Hoc accepto nuntio, ille, qui nullum vnquam vtilitatis aliorum cauſa laborem recuſarat, quamuis ætate iam confectus eſſet, & ſatis imbecilla valetudine, æquo animo tulit ſibi onus illud imponi. quod ſi animam etiam in ea legatione ſe profuſurum eſſe certo ſciſſet, tanta erat pietate præditus, & ita dicto audiens eſſe ſummo Pontifici cupiebat, vt ipſam prorſus repudiaturus non fuerit. appropinquabat ſane illi mors, quæ tamen longe alia ratione, & vbi minime expectabatur, ipſum oppreſſit. nec enim (vt à me nunc diligenter narrabitur,) aut laboribus, aut defatigationibus nouis accelerata eſt. Agebat Contarenus ætatis ſuæ annum LIX. in his curis, quas oſtendi, toto animo occupatus: partem tamen illarum iam in id munus, quod inſtabat, deriuans. incumbens igitur illis, quæ multa profectò ac graues erant, moleſto anni tempore, vt par eſſet ipſis ſuſtinendis, aliquando reficiendi ſui cauſa ſe in propinquum vrbi locum conferebat: vbi manens & æſtum declinaret, quo conficiebatur domi; & aliquantulum à perpetuis ſuis laboribus animum relaxaret. nam ſiquid maioris momenti ſubito eueniſſet, facilè illuc adibatur; vbi etiam poteſtatem ſui omnibus faciebat. Locus autem valde animo ipſius, temporiq; illi accommodatus, ac quo plurimum varijs de cauſis delectabatur, erat ſacellum diuæ Mariæ à monte vocatæ, cuius poſſeſſio procuratioq; eſt ſodalium diuæ Iuſtinæ. acciderat autem, vt illis ipſis diebus, qui primi Sextilis menſis fuere, fratris filius illius ſalutandi & viſendi cauſa Bononiam veniret, qui ſuperiore anno Patauij inter ſodales illos receptus fuerat: vocabatur vero nouo nomine, vt conſuetudo eſt eorum, qui ſe ſacris aliquibus initiant, Placidus. cum autem probus adoleſcens eſſet, ſeminaq; nonnullarum virtutum in ſe contineret, à Contareno diligebatur. ille igitur primo apud ſuos in vrbe manſit in diui Proculi dicato ipſis domicilio: vt tamen eo facilius frui poſſet Contarenus, ipſeq; itidem ſitim ſuam expleret viſendi virum, quem maximè optabat, ſecum ſanguine coniunctum, cuius etiam viſendi alienigenæ deſiderio flagrabant, impetrauit à ſuis, vt ſe illic eſſe paterentur. Quæ cauſa reliquis cauſis addita eſt frequentandi receſſum eum, diutiusq; illic cõmorandi. hic collis ab vrbe abeſt ſpatio mille paſſuum, amoeniſſimus, & natura & arte factus ad animum multis modis paſcendum, atque omni honeſta voluptate explendum. & ſanè qui deſideria optimi huius viri gaudiaq; cognita haberet, quod non magno negotio omnibus contingere potuit, qui familiariter cum eo vixiſſent: facile iudicaret, paucos illos dies, quos illic traduxit, iucundiſſimos ei fuiſſe omnium, quos in vita vnquam guſtaſſet: viuebat enim cum ſui amantiſſimo fratris filio, cumq; alijs nonnullis comitibus illius; eorundemq; ſacrorum ſocijs, honeſtis ſane viris & eruditis rem diuinam crebro faciebat; omnisq; ſermo illic erat de rebus, quibus maxime capiebatur. Cum igitur, vt traditum à me eſt, calores eſſent maximi, crebrò in porticulam quandam declinandorum illorum cauſa veniebãt, &, vt illic frequentius deambulabant, ita etiam aliquando poſita menſa cibum capiebant: vergit enim illa ad ſeptemtriones, vrbemq; ipſam quaſi ante pedes poſitam proſpi-

cit,

*cit, planitiemq́; omnem, quæ ipſam cingit. Quin etiam remotiores vrbes illinc commo-
de cernuntur Mutina, Ferraria, aliaq́; nobilia oppida. quare non ſine cauſa expetitur
proſpectus ille, paritq́; oculis incredibilem voluptatem: quamuis tunc', capto iucundita-
te illius Contareno, nihil tale timenti, exitium comparauerit. aura enim illa lenis, quæ
flabat, frigidiuſculusq́; aër, cum temperamentum corporis ipſius rarius eſſet, paruoq́; mo-
mento ſæpe commoueretur, facile ad imas partes penetrauit, ſanguineq́; inflamma-
to abſceßum in latere creauit è genere eorum, quæ ἀποστήματα Græci vocant. quare ſta-
tim febris conſecuta eſt, quæ ſeptimo die ipſum conſumpſit; quamuis magna diligentia
ſummorum medicorum curatus ſit: ſimul ac enim primum cognouit ſe ægrotare, Bono-
niam reuerſus eſt. ipſe autem in primis naturam, vimq́; eius morbi mature perſpexit:
tribus namq; diebus, antequam animam efflaret, omnem rem Ludouico Beccatello, vni
è familiaribus ſuis, quo plurimum in rebus maioris ponderis vtebatur, enarrauit. dixit
igitur grauitatem eius morbi non apparere, reconditasq́; corporis partes magis ipſum op-
preſſiſſe, quàm exteriores male habere, in promptuq́; eße. addiditq́; genus id morbi peri-
culum magnum in ſe continere: quod ſi vires corporis ea forent, vt ſpatio trium qua-
tuor've dierum reſiſterent, ſine dubio morbum ipſum impetum ſuum remiſſurum: ſe
tamen magnopere vereri, ne contra ipſe deficiat, naturaq́; penitus frangatur: intellige-
re enim ſe venæ motum valde imbecillum eſſe. cui ille, qui ſaluti ipſius proſpiciebat, re-
ſpondit rogans, vt abduceret animum ab his moleſtis cogitationibus, rationemq́; omnem
ſui curandi in prudentia, diligentiaq́; medicorum poſitam eſſe vellet: affirmans præterea
Deum optimum Maximum, quem ſemper ille pie coluiſſet, ipſi præſidio futurum: eſſe
autem acurate incumbendum valetudini recuperandæ, vt cito munus mandatum obi-
ret, iterq́; ad Imperatorem faceret. ille vero ſtatim hilari vultu, ad alium longe maio-
rem Imperatorem ſibi iter inſtare, dixit, idq́; ipſos breui cognituros: neque tamen ſe hoc
dicere', quia mortem valde perhorreſcat, parumq́; animo æquo ferat ſe è vita diſcede-
re: intelligere enim ſe præclare quot quantaq́; beneficia à Deo acceperit, quorum etiam
pleraq; commemorauit, non gloriæ cauſa, oſtentationis'que, cui tunc locus minimè erat,
verum vt ſe gratum eße, erga auctorem illorum ſignificaret. inquit igitur, ſe ortum eße
ea in ciuitate, quæ nulli earum cederet, quæ in vniuerſo terrarum orbe exiſtunt: è fami-
lia'que, quæ haud poſtremum locum in ea Republica teneret: conſecutumq́; itidem illic
eſſe honores non paruos: &, vt domi, ita etiam foris gradus maximos dignitatis ade-
ptum eſſe: vtranque vitam ſe cum laude aliqua coluiſſe: & eam, quæ in contemplatio-
ne rerum verſatur, & eã quæ rebus agendis incumbit: perueniſſe ad ætatis annũ LIX.
quem terminum vitæ non multi attingere potuerunt: quare ſecum quoque hac parte non
male actum eſſe, canereq́; ſe debere vna cum ſacro Hebræorum vate carmen, quod ad
æquum, grauatumq́; animum ſignificandum pertinet, nomenq́; illius laude gloriaq́; cu-
mulandum, quia non tam liberaliter ſe geſſerit erga multos, neque tot bonis expleuerit
omnem populum gentem'que: vnum tantum ſibi moleſtum eße, quod, vt optabat, com-
modis quorundam tenuiorum hominum non proſpexerit, qui ſibi, poſtquam ad ſacrum il
lum honoris gradum aſcenderit, fideliter miniſtrarint: ſperare tamen ſe, Deum optimum
Max. Pontificem'que, cuius dignitati toto animo inſeruierit, fortunas eorum ſubleua-
turos. nec oblitus eſt ſuo, opportunoq́; tempore mãdare cuſtodi ipſius, vt priuilegiũ, quod
beneficij loco à Pontifice impetrat ad delicta penitus abſtergenda traditum, ſibi lege-*

ret,

ret, dum mente orationeq́; conſiſteret. cum hæc animo verſaret, ſanè conſtanti ac forti, atque hoc ſermone ſemet conſolaretur, ſuos, qui præſentes aderant, (ij autem erant, vt quiſque maxime illi acceptus, probatusq́; fuerat) angebat, atq; ita perturbabat, vt lachrimas vix tenere poſſent: à quibus tamen ſibi diligenter temperabant; quamuis intelligerent ne magna quidem copia ipſarum ſpectante illo effuſarum, poſſe ipſum commoueri, & è ſtatu illo animi deijci. Eadem verò hominis prouidentia in intelligendo, prædicendoq́; ſuis vitæ ſuæ fine, exitu ipſo comprobata eſt, quæ in cæteris rebus iudicandis ſignificandisq́; ſæpe apparuerat: creſcente enim ſemper vi morbi, remedijsq́; omnibus ſuperatis, oppreſſus ille eſt: animam'que efflauit IX. Kal. Septembris meridie. Quamuis autem horas circiter ſex antea voce orbatus eſſet, non tamen ſenſu animi, intelligentiaq́; extremo illo tempore caruit, vt certis quibuſdam notis indicijsq́; perſpectum eſt; confiditq́; clementia conſeruatoris noſtri, vt Chriſtianum virum decet; & cum aliter non poſſet, ſe ſpem omnem ſuam in eo collocatam habere nutu admonitus diligenter de hoc ſignificauit. vt vero ſe conſtantem in hoc, maximeq́; pium præbuit, ita, quæ moris eſt conſuetudinisq́;, non ſolùm magno, verum etiam alacri animo geri cuſtodiriq; paſſus eſt. quæ ſanè, vt nuntia mortis perterrefaciunt plerosq́;, ac valde omnes, qui non firmas radices egerunt in fidem Chriſtianam, perturbant. Reliquit uerò ille diſceſſu ſuo ſuos omnes mœroris ac luctus, pleniſſimos: vt vniuerſam quoque ciuitatem dolore magno adfectam, quæ ſanè, quacunque ratione potuit, funus illius honeſtauit, &, quam moleſta ipſi optimi cuſtodis mors fuiſſet, planum fecit. die autem, quæ ſequuta eſt mortem ipſius, funus ductum eſt. orationem de laudibus eiuſdem, & honeſte acta cuncta vita, habuit Romulus Amaſæus, diſertus & nobilis orator, qui tunc in ea vrbe, domicilio quodam vetere omnium diſciplinarum, & humaniores literas docebat, & negotia publica Reipublicæ adminiſtrabat. Corpus in diui Proculi diſpoſitum eſt, eo concilio vt Venetias poſtea comportarerur, in ſepulchro'que maiorum ipſius clariſſimorum virorum collocaretur. Paulus tertius nuntio allato de obitu Contareni ægre admodum illum tulit: declarauit'que, quanti hominem feciſſet, omni genere liberalitatis vſus erga domum illius: nec tantum Pontifex max. qui ſæpe opera ipſius fideli & vtili vſus fuerat, verum etiam Romæ cæteri probi viri morte ipſius vehementer conflictati ſunt. nam quantum luctum eadem in patria excitarit, non facilè dici poteſt. omnes deniq; qui aliquando doctrinam illius guſtarent, ſingularisq́; probitatis hominis ſpecimen aliquod acceperant, publicam illam cladem exiſtimarunt. Ciuis autem collega'que ipſius in ampliſſimo ſacerdotio Petrus Bembus quantum dolorem cepiſſet ex graui morbo Contareni, deſperataq́; iam à medicis ſalute, notum omnibus eſſe uoluit: in epiſtola enim ad Flaminium Tomarotium quomodo affectus animo eſſet audito caſu illo, & propinqua morte optimi & honeſtiſſimi viri, diligenter narrauit. verbis ipſis, quam illuſtri loco poſita ſint, alio'que ſermone edita, ſuperſedebo: poſſem etiam aliorum multorum, doctorum & excellentium virorum teſtimonia citare, qui quantum damnum morte illius factum eſſet, ſcriptis ſuis teſtati ſunt: in quibus etiam nonnulli, qui ab eo vehementer diſſentiebant de ratione viuendi, veroq́; cultu Chriſtiani hominis, & acerrimi aduerſarij opinionum, quas ille in Germania defendit, extiterũt. magnifice tamẽ de eruditione continentiaq́; illius, in illis ipſis libris, quibus ſententias ipſius oppugnabant, loquuti ſunt: quod ferè vſu ueni re non ſolet, vt à quibus de veritate homines diſſentiant, non eoſdem etiam conentur

deformare, atque ita auctoritate omni ipſos ſpoliare. & quoniam de dolore, quem illo tempore cœpit Paulus III mentionem feci, libet etiam commemorare, quod ab eodem illo familiari Contareni, & omnibus officijs cum eo coniuncto, Ludouico Beccatello, honeſto in primis & fide digno viro, accepi, ad id confirmandum vehementer accommodatum: declarat enim manſiſſe diu in animo Pontificis ægritudinem hanc, ac leui quoque monitu refricari ſolitam tantam plagam. niſi forte aliquis putet ſapientiſſimum illum ſenem quotidie magis, in magna penuria talium virorum, cognouiſſe, quantum incommodum olim acceptum fuerit obitu eius viri, qui vt quietorum temporum ornamentum ingens, ita perturbatorum præſidium firmum erat. quũ.n. ad ſe illum euocaſſet, opera ipſius quibuſdam in rebus vſurus, diligẽter ex eo quæſiuit, an præſens forte ille adfuiſſet, quum fato Contarenus functus eſt: rogauitq; ut diceret aliquid de inſtitutis & vita illius. cui ſtatim, mihi affirmauit ille, ſe reſpondiſſe id, quod erat: mirificam fuiſſe Contareni integritatem, fidemq; in ijs omnibus gerendis, quæ mandata illi ab ipſo forent, intelligeret've ipſe ſua ſponte, facere ad dignitatem Romanæ Reipublicæ conſeruandam, virumq; illum vera probitate præditum fuiße, non ficta ac ſimulata, quam perſonam plerique, vt eò perueniant, quo cupiunt, ſibi callide imponunt: vnum'que omnium Contarenum veteres ac maxime ratas opiniones & animo probaſſe, & verbis etiam ſemper defendiſſe: quo ſermone accepto commotum Pontificem Max. qui deambulabat, ſtetiße, manuq; iterum percuſſiſſe menſam propè poſitam, dixiſſeq; non ſine gemitu quodam ac ſuſpirio (quod indicauit, euulſam eſſe penitus omnem ex animo ipſius ſuſpitionem, quæ quondam ei inculcata de illo vocibus maleuolorum fuerat) Amiſimus profecto magnum virum, ac valde vtilem Reipub. noſtræ ciuem. ſed, vt alia, ita hoc magno conſtantiq; animo ferendum. Quoniam autem non ſemel dictum eſt in hac uita de magna labe animi quorundam, quum ab ipſo illo uitio magnopere Contarenus abhorreret, qui alienam perſonam induentes (vnde Græco vocabulo, ſumpto ab actoribus fabularum, vulgo ὑποκριταὶ appellantur) & eam quidem ſemper meliorem, uel optimam potius omnium, longe alij videri uolunt, quam uere ſint; atq; ita magnis in rebus imponunt ſimplicibus hominibus, nihil inde mali ſuſpicantibus, unde plurimum ipſos expectare oportebat. non alienum eße duxi de hoc etiam diſſerere: etſi enim nunquam defuerunt, qui fallacias & dolos horum nefariorum hominum aperirent, ac maxime illos eſſe cauendos in uita admonerent, nunquam tamen ita probi uiri eruditi & inſtructi fuerunt, ut ſatis poſſent artes eorum intelligere, atque inſidias etiam uitare. in primis autem in pietatem noſtram chriſtianam, quæ tota in ſimplicitate animi fundata eſt, radices egit, atq; incommoda ſæpe magna apud nos peperit hæc fraus. quo maiore odio digni ſunt hi peſſimi mortales, qui in re, quæ quò magis pura integra'que eſt, eò magis probatur, aſtutis conſilijs vtuntur, ac dolos malos exercent. Hoc etiam aliquo modo ſignificaſſe videtur doctiſſimus vir Plato, qui, hoc genus hominum notans, inquit poſtremam iniuſtitiam eße, videri velle optimum virum, quum minime ſis. idemq; ab Aeſchylo, non ſolùm graui poëta, ſed etiam docto in diſciplina Pythagorea prolatum eſt, quum ferret in cœlum magnis laudibus Amphiaraum, ſummum illum augurem, eundemq; ſanctiſſimum virum: inquit enim ipſum non ſtuduiſſe quod multi faciunt, vt videretur optimus, verum vt eſſet. nam quod nos, malis multis doctos, reddunt etiam aliquando dubios & incertos; faciunt'que, vt probos honeſtosq; viros ab improbis & impuris diſtinguere nequeamus; non dici etiam

poteſt

poteſt quantopere hoc pacto obſint, cum apud Euripidem etiam ſapiens antea ſemper habitus Theſeus, eo nomine ſuſpectam habuerit eximiam probitatem, caſtitatemq́; filij: inſimulatus enim falſo Hippolytus, quod cubile ipſius violaſſet, quũ ſe ille apud eum purgaret, quod vita ſua ab eo ſcelere valde remota eſſet, fidem ea de cauſa non fecit: timuit.n. pater ne tenuis victus cultusq́; quo filius delectabatur, abſtinentiaq́; à veſcendis animantibus ſimulata foret: ſimulq́; ne diſciplina Orphei, quam ille profitebatur, familiaritasq́; demum Dianæ, in qua ſe valde iactabat, ficta eſſet. quare in alteram partem miſerabiliter peccauit. ſed eò redeamus vnde digreſſi ſumus. idem etiam intimus conſilij Contareni, nec minus ſtudioſus famæ exiſtimationisq́; huius optimi ac pudentiſſimi viri, quem ſibi in vita tanquam viuum quoddam exemplar probitatis propoſuerat, notam, quam improbe vitæ ipſius inurere præpoſterus quidam amicus ſtuduit, hoc pacto deleuit. narrat enim forte eueniſſe, vt illo ipſo tempore, quo grauiter Contarenus ægrotabat, Bernardinus Ochinus, ille nouæ condendæ Franciſcanæ familiæ dux & auctor Bononiam venerit, Romam ad cauſam dicendam euocatus: inſimulabatur enim in ijs concionibus, quas Venetijs habuerat, nonnulla dixiſſe, quæ veteribus decretis Romanæ Reipublicæ aduerſabantur: addidq́; habuiſſe illum literas ad ſe ſcriptas à Giberto Epiſcopo Veronenſi, quibus à ſe petebat, ut diligenter ageret cum Legato, ut hortaretur hominem ad ſiſtendum ſe in iudicio: coramq́; ad ea, quæ ipſi obijciebantur, defendenda. quum cognouiſſet ipſum timide ad id deſcendere, egereq́; ſtimulo quopiam & auctoritate magni alicuius & grauis viri: neque enim adhuc Gibertus hominis leuitatem inconſtantiamq́; perſpexerat. Is autem veſperi venerat, quum iam cœnaſſent omnes, legatus tamen adhuc in lectulo vigilaret: qui, quum ſperaret morbum poſtridie leuiorem fore, ut commodius eum audire poſſet, loquique cum ipſo familiariter, iuſſit vt præberentur illi, quæ ad curandum corpus pertinerent: contigiſſe verò contra, vt ea nocte morbus ingraueſceret: quare mane legatum totum diſtentum fuiſſe in remedijs, quæ medici adhibenda iuſſerant, ſumendis, nouis'que curationibus: unde factum fuerit, ut neque de hoſpite illo, neque de alia vlla re agi cum eo potuerit. Bernardinus interim, cui in primis mala ſua mens, malusq́; animus cognitus erat: atq; vmbras etiam, vt, qui ſibi alicuius ſceleris conſcij ſunt, faciunt, reformidabat, cœpit vereri ne aſtute illic detineretur: putabat. enim fingere morbum legatum. quo metu homo oppreſſus (nam hoc verũ eſſe non multo poſt è conſilio, quod cepit, perſpectum eſt) non ceſſabat Ludouicum vrgere, vt rogaret legatũ, poteſtatem ſibi faceret abeundi; in quo ille ipſi non obtemperabat, putãs breui fore vt melius eſſet legato: videbatur enim ſibi perſpexiſſe, cupere illum magnopere cũ Bernardino loqui; qui ſanè ad id tempus magnum ſibi nomen ex facultate illa dicendi, & opinione ſanctitatis conciliarat. Cum autem, magis magisq́; ſemper timore creſcente, inſtaret, Ludouicus importuno ſanè tempore, coactus eſt, cum æſtu febris in lectulo legatus iactaretur, eò irrumpere: rogareq́; vt pateretur ipſum abire. in quo ſane humaniſſimus vir ei morem geſſit: quumq́; ad eum Bernardinus introductus eſſet, hæc ipſa verba protulit. Vides, quo in ſtatu ſim, excuſatio hæc apud te iuſta ſit, & ora, vt Deus opt. max. mihi propitius ſit, feliciter'que inſtitutum iter perage. cui ille tantum demiſſo (vt moris eſt) capite reſpondit, ſe prorſus ita facturum: illico'que abijt. Hic eſt ſermo, quem Bononiæ habuit, cum ſanctiſſimo & modeſtiſſimo viro Bernardinus. nec verbum præterea additum eſt. qui tamen poſtea quum ſuſceptam vitæ rationem deſeruiſſet; acer-

rimumq́; ſe hoſtem Pontificiæ poteſtatis præbuiſſet, vt ſe ſapienter id feciſſe oſtenderet, à perditaq́; cauſa & flagitijs multis contaminata, meritò deſeciſſe: habere'que ſe multos ſocios eius conſilij probare vellet, non veritus eſt, criminari amicum, memoriaq́; ac literis prodere, queſtum ſecum eſſe eo tempore Contarenum de moribus inſtitutiſq́; Romanorum antiſtitum, & inſectatione ſæua atque iniuſta bonorum: huiuſcemodi'que alia multa ſcribere prorſus inania, & quæ non ſolùm à veritate abhorrerent, ſed etiam vitæ eius, cui adſicta erant, nullo modo conuenirent. Quæ cuncta Ludouicus (vt eſt vir optimus, & omnis officij, quod in amicitia coli debeat, obſeruantiſſimus) aſſeuerabat, refellendi eius mendacij cauſa, & purgandæ innocentiæ viri illius mortui, quem vnum magnopere dilexerat: nec tantum hoc ſe ita habere teſtimonio ſuo confirmabat, ſed alios etiam teſtes huius rei producebat, qui præſentes illic adfuerant: in quibus etiam nominabat Iulium Contarenum fratris legati filium, qui poſt eius mortem & naturæ probitate, & commendatione patrui creatus eſt Pontifex ciuitatis, cui præfecturæ regendæ præpoſitus antea fuerat. cum hoc tanti momenti ſit, ad integritatem Contareni oſtendendam, abſtergendam'que maculam illi falſò aſperſam, volui totam rem, ut factam eam accepi, ac pæne ijſdem verbis, quibus mihi expoſita eſt, commemorare. rebus autem geſtis ab eo, dum vixit, enarratis, nunc quæ monimenta ingenij reliquerit, fructus'que otij ipſius indicabo. prius tamen, quod adhuc ualet aliquid ad confirmandam doctrinam hominis, teſtimonium de ea re grauiſſimi & eruditiſſimi viri citabo: quod additum ſuperioribus teſtimonijs, quæ prodidi de eximio ingenio ipſius, præſtantiáq; cognitione omnium diſciplinarum, vera eſſe declarabit: ſimul'que non ſinet quempiam dubitare, quomodo ille, in vita plerunque occupata, tot tamq́; præclara opera efficere potuerit, quæ multum etiam poſteris proſint, perpetuoq́; teſtentur, qualis ille, quantus'que vir fuerit. Ludouicus igitur, cui cognomen ferrei oris fuerit, nobilis philoſophus, & qui multos annos in Bononienſi gymnaſio, ſumma cum laude & admiratione omnium, qui aliquando ipſum diſputantem audierunt, matrem eam omnium optimarum artium coluit. mortuo Contareno, quum ſermo ipſi eſſet inſtitutus cum honeſtis quibuſdam viris de damno, quod eo tempore factum eſſet interitu illius, plurimiſq́; animi dotibus, ac maximis virtutibus vna cum eo extinctis, inquit doloris plenus (nam virum eum valde dilexerat; in familiaritatemq́; ſe eius inſinuarat illo tempore, quo Legati nomine vrbem eam rexit.) Ego, quod mihi videor meo iure facere poſſe, nec enim malum me omnino eſſe exiſtimatorem harum rerum arbitror, adfirmo hunc hominem omnibus, quos aliquando cognoui in philoſophiæ ſtudijs meritò laudatos, qui ſanè non pauci fuere, præſtitiſſe & ſcientia multarum rerum, & iudicij firmitate: ipſumq́; vere philoſophi grauiſſimo nomine dignum fuiſſe iudico. Certe cum ego de aliqua re, propria eius ſtudij, cum eo diſſerebam, videbar mihi præ illo minutus quidam philoſophus eſſe, vel potius nouus quiſpiam auditor, & plane rudis eius artis quam profitetur. quare ad ipſum ſæpe me conferebam, vbi locus aliquis obſcurior mihi negotium faceſſeret: in qua quæſtione quum paulo antea ipſe toto animo verſatus eſſem, & aliquas etiam horas, euolutis pluribus voluminibus, præterito die conſumpſiſſem: ille verò, vt exiſtimari poteſt, ſpatio multorum annorum, nullam cogitationem de ipſa ſuſcepiſſet, ita tamen apte & exquiſite nodos illos diſſoluebat, vt videretur diu multum'que non multo antea de ea cogitaſſe. quare (inquit) ſæpe ego pænè ſtupidus euaſi; mihi'que potius cum cœleſti aliqua natura,

quàm

*quàm cum mortali homine viſus ſum loqui: id'que nunc, quia res ita ſe habet, verum'-
que id prorſus eſt, prædico, nulla alia cauſa impulſus: quis enim non videt aſſentationi
nunc locum non eſſe, quæ præterea à perſona, quam ſuſtineo, longe ſemper abeſſe debet?
hæc aſseueranter tunc ab illo prolata quum eſſent, auxerunt magnopere opinionem, quam
qui aderant, de præſtanti Contareni ingenio antea in animis habebant. Sed etiam ſcri-
pta, quanta fuerit eruditio ipſius, aperiunt: quæ ſanè vt ordine à me tradantur, hæc ſunt:
Edidit igitur iuuenis adhuc (x x x enim tertium ætatis tunc annum agebat) librum con-
tra iudicium Petri Mantuani doctoris ſui. Nec tamen ea de cauſa minus pius, quam
uis contra pietatem facere videretur, fuit: ille enim in omni ſermone ſuo affirmare ſoli-
tus erat, ex opinione, ſententiaq; Ariſtotelis exiſtimari debere animos noſtros eſſe mor-
tales. Quum contra ipſe ſedulò aduerſus eum diſputans, citatis multis locis, & tanquam
tabulis obſignatis, oſtenderit longe aliter principem Peripateticorum de ea re ſenſiſſe:
videri'que potius immortalitate donatos ipſos Ariſtotelem eſſe voluiſſe. cuius opinio-
nis antea Plato, vnde didicerat, ſine vlla dubitatione fuerat. argumenta autem illa
firma ad probandum & grauia fuiſſe, opusq; totum valde elaboratum, perſpicitur:
quia acutiſſimus ille Phyſicus in libro, quo defendit opinionem illam ſuam, acriter op-
pugnatam ab eo, quem inſtruxerat, tradit eum librum & doctiſſimum omnium & v-
berrimum eſse, qui omni tempore materiam illam perſequuti ſunt, additq; videri pror-
ſus eum diuina opera & manu fabricatum fuiſſe. Scripſit etiam de elementis libros
quinque; in quibus viam omnem, rationem'que Ariſtotelis diligenter expreſſit: miſit
autem illos ad Matthæum Dandulum ſororis ſuæ virum: cuius hic ſupra mentio cum
magnis verisq; ipſius laudibus facta eſt. addidit his, in altiore philoſophiæ parte, libros
ſeptem, quos dicauit Paulo Iuſtiniano, nobiliſſimo & clariſſimo ſuo ciui, qui odio rerum
humanarum, quum pertæſum eſset varietatis ipſarum, vt facilius diuinas contemplare-
tur, Deo'que ipſi toto animo ſeruiret; in Hetruſcos montes, cœtumq; Camaldulenſium
ſe contulerat. Hi libri ei qui attente legerit, nullo negotio patefacient, quæ fuerit vis a-
nimi ipſius, & quanta prudentia in rebus grauioribus tractandis. ſed idem etiam (vt
melius adhuc intelligatur factum illum natura & ſtudio fuiſſe ad perſonam eam ſuſti-
nendam, quam ipſi multo poſtea ſapientiſſimus Pontifex, multumq; ſemper omni in re
prouidens, impoſuit) iuuenis adhuc, vitam'que colens ſolutam ac nullis ſacris aſtrictam,
occaſionem hanc eius rei nactus, quod familiaris ipſius Pontifex Bergomas deſtinatus
fuerat, ipſum inſtituere cupiens, duos libros ſcripſit de officijs eorum ſacerdotum: finxit'q;
ita, atque informauit talem virum, quales ſi forent quibus tantum hodie commiſſum
eſt, non laboraremus: quis enim non fateatur pias in primis caſtas'que fuiſse cogita-
tiones ipſius, tota'que mente ac ſtudio ſolitum eſſe in illis uolutari optimum virum,
poſtquam alium inſtruere & ornare in ea uita auſus eſt, quam ipſe adhuc non attige-
rat, nec vnquam cogitarat, præcepta illa ſibi vtilia aliquando futura? præterea quum
orta quæſtio eſſet in Senatu de Pontificis Max. poteſtate, diuinitus ne illa ſtabilita
foret, an humanis conſilijs regeretur: quumque multum de ea re illic in vtranque par-
tem diſputatum eſſet, domum reuerſus, vt quid ipſe de eo ſentiret, oſtenderet, omni'que
errore ciues ſuos liberaret, ſpatio vnius noctis libellum confecit, qui non excuſus in ma
nibus verſatur. ſed vt iiſdem etiam in ſuo proprio'que ipſorum munere prodeſſet: effi-
giemq; eius Reipublicæ, in qua natus erat, exprimeret, quinque libros confecit de ma-*

giſtratibus, req; publica Venetorum, qui itidem diuulgati ſunt. poſtquã vero in ampliſſimorum antiſtitum collegium cooptatus eſt, perlectis diligenter ſynodis omnibus, quę varijs temporibus ob emendandum ſtatum Chriſtianę Reipublicę coacta ſunt, in breue quoddam corpus grauiſſimas quaſque ipſarum collegit: ſeruato temporum ordine, materiaq; omni, quam perſequutę ſunt, demonſtrata. vtile vero mirifice eſſe potuit volumen illud ei ſynodo, de qua tunc ſummis contentionibus agebatur: quamque Paulus iis aduerſarijs, reconciliandorum animorum gratia, proponebat; multumq; opis afferre illis omnibus, qui in eo certamine verſari deberent. miſit autem opus hoc multarum vigiliarum ad eum, cuius maxime intererat, quid de ea re fieret: & qui eo tempore tota mente in illam curam incumbebat. abſoluto autem illo, par huic opus, & quod eundem finem haberet, aggreſſus eſt: ſcripſit enim quatuor libros de ritibus cerimonijſq; noſtrę religionis, ac fidei Chriſtianę, quę Sacramenta appellant: quibus libris complexus eſt materiam illam omnem, &, quę radix viſq; ipſarum fuiſſet, declarauit: quidque demum pie credi, & cuſtodiri de illis deberet, veris rationibus argumentiſq; ſatis firmis confirmauit: nam ipſum argumento hoc ſumpto, ſi quod pollicitus erat, praſtare voluiſſet, debuiſſe omnem quęſtionem, de qua nunc tot tantęque lites & concertationes inter diſſidentes partes Reipublicę exiſtunt, explicare, planum, & exploratum eſt. quare ſic quoque pręclare inſtruxit & armauit illos, qui pro veritate cominus congreſſuri erant cum hominibus magno errore inflatis, & cauſam eam malam obſtinate defendentibus. vt autem libellum alium admodum vtilem prauis opinionibus ex animis hominum euellendis conficeret, occaſionem hanc habuit. factum eſt, quum ille Bononiam Legati nomine obtineret, vt vir prudens ſalutiſq; gregis illius, qui fidei ipſius poteſtatiq; commiſſus foret, vt paſtorem bonum decet, valde ſtudioſus, ad eum veniret, medicinam ab eo petens; rationem'que accipere cupiens, qua ſaluum ipſum incolumem'que redderet, quum grauiter ęgrotare non paruam partem ipſius cognoſſet: quam tamen totam rem ille ita tractari volebat, quum honeſtam nobilem'q; ciuitatem regeret, vt ne ignonimia illa notaretur, & tamen remedium cito adhiberet, ne magis malum ſerperet. conſilium ipſius quum mirifice probaſſet Contarenus, multa animo reuoluens, vt erat ſummus & accuratus medicus huius peſtilentis morbi, ſtatuit demum ita rem eſſe agendam. confecit tanquam inſtitutionem quandam breuem Chriſtiani hominis, collegitq; quę magis mordere animum debent, probra omnia, & ita vt aperire ipſa oporteat cum dolore ſacerdoti: illum autem commentariolum κατήχησιν appellauit, qui ſane non vni illi ciuitati ſanandę factus videretur, ſed Chriſtianis omnibus in officio retinendis, & ab illa contagione liberandis. Eum uero grauis ille vir ad ſuos comportauit, diuulgatum'que ſtudio quodam & arte effecit, vt vulgo reciperetur, cuncti'que ſe via illi tenenda, legibuſq; ſeruandis aſtringerent: ſtatim enim probatus fuit omnibus, exceptis paucis illis, qui plane perditi ac deſperati forent. poſtea'que & ipſe formis excuſſus eſt. Quum autem, vt geſta tunc res eſt, temporique illi aptum fuit, nomen & ciuitatis & prefecti ipſius in ſacris rebus curandis cęlauerim, illa poſtea patefacta, quum incommodi nihil amplius inde naſci poſſit, deberi puto perſonam etiam à me indicari. Moronus enim Mutinenſium Epiſcopus is fuit, qui & ipſe non multo poſt ob ſingularem prudentiam in rebus gerendis, pręclaras'que alias animi dotes, auctus dignitate eſt à Pontifice maximo: cuius ampliſſimi ſacer-

cer-

cerdotij inſigne Bononię manibus ſuis legatus capiti ipſius impoſuit. Illuſtrauit etiam ſcholijs quibuſdam ſuis Contarenus multos obſcuros locos in Epiſtolis diui Pauli, quum ipſas accurate legeret. quo ſane in ſtudio toto animo occupatus erat, cum mors eum oppreſſit. Sed etiam Epiſtolas ipſe non paucas conſcripſit eruditas, & optimorum pręceptorum plenas, vt libellos etiam nonnullos alios, aliquam occaſionem illorum conficiendorum nactus, pręcipue autem ſtudijs amicorum, varijsq́; eorum temporibus ſeruiens, in quibus eſt quęſtio diligenter explicata, perdifficilis ſane, magniq́; ſemper momenti habita ad vitam bene beateq́; degendam: qua traditur liberam eſſe poteſtatem noſtram, omniq́; nexu cauſarum ac neceſſitate ſolutam, Veteres illi αὐτεξούσιον ipſam vocabant: & qui de fato diſſerunt, re huic contraria, neceſſario de ipſa diſputationem ſuſcipiunt. eum vero librum miſit ad Victoriam Columnam, fœminam lectiſſimam, & quę ob eximium amorem erga virum mortuum, admirabilemq́; ingenij laudem in condendo carmine maximo quoque honore digna eſt. ſed etiam, vt ſorori ſuę, quę ſe in caſtiſſimum cœtum mulierum Muranarum coniecerat, morem gereret; animumq́; ipſius ſuauiſſimo cibo aleret in ea ſolitudine, cui ſe dicauerat, interpretatus eſt, duos Hebręorum illorum cantus Italico noſtrę ętatis ſermone: cum enim ille doctrina ingenioq́; ſuo prodeſſe quoque alienis ſtuderet; non viſus ſibi eſt poſſe ſuis vllo modo deeſſe. Quin etiam, eodem honeſto deſiderio incenſus vt vtilitatibus fratrum ſuorum ſeruiret, qui crebrò, mercaturis faciendis operam dantes, nauigabant; confecit libellum de ęſtu maris, & quam cauſam reciproca illa fluctuum agitatio haberet, diligenter monſtrauit: qui tamen liber amico ipſius commodatus, magno adhibito ſtudio recuperari nunquam potuit. Sed ne omnia diligenter minutiora ipſius opera, quę plurima ſunt enumerem: in quibus tamen appareret ſpecimen illius doctrinę ac iudicij, finem faciam. poſſum enim vere adfirmare, quodcunque temporis vacuum à negotijs nanciſcebatur, in his rebus ipſum conſumere ſolitum: omnesq́; vigilias ſuas eum conſueſſe temporibus amicorum neceſſariorum'que ſuorum conſecrare: neque enim oſtentationis & glorię cauſa huiuſcemodi ſcriptiones ſuſcipiebat, in hisq́; ſe dies atque noctes macerabat: quamuis iuſtus inde honos, nec magnopere reprehendendus conſequatur: ſed, vt dixi, voluntati amicorum, commodisq́; indulgens, ſiue ſtudijs ſuis, memorięque ſeruiens, à ſcribendo nunquam ceſſabat.

DE ELEMENTIS.

LIBER PRIMVS.

A NEMO eſt hominum, Matthæe Dandule, ingenij adeò tardi, ac ferè ſtupidi, qui non ſingularem quandam voluptatem capiat ex rerum naturæ contemplatione, cuius vel ſpecies ipſa oculis obiecta ſui ſplendore ac pulchritudine ſummopere nos delectare cōſueuerit. Quo effectum eſt, vt plurimi, excellentiori animo, ſublimioriq́; ingenio prædìti, quibus fortuna huiuſmodi otium non inuidit, omnibus alijs voluptatibus ſpretis, omiſſa etiam cura rei familiaris, ac pene ſui ipſorum obliti, ſe totos dederint huic philoſophiæ parti, in qua traduntur à ſapientibus viris in lucem proditæ rerum natura conſtan-
B tium cauſæ, ac in huiuſmodi ſtudijs omnem ætatem conſumpſerint: in quibus cum ego adoleſcentiæ ac iuuentutis annos impenderim, poſtquam ad rempub. acceſsi, nulla ex re maiorem ſoleo capere voluptatem, magisq́; mederi moleſtijs, quibus plerumque afficior in muneribus publicis obeundis, quàm ſi quando per ſuccisiuas horas antiqua hæc mea ſtudia repeto. Tunc etenim mihi videor fœlices horas agere, tūc immortalium Deorum vitam æmulari. Neque interdum hoc tantum me iuuat, ſi ſumpſero in manus monumenta ſummorum virorum, commentaq́ue eorum excellentiſsima memoria repetiero: verum, ſi quippiam maioris otij mihi contigerit, conſueui non ſolum illa iucundiſsime meditari, ſed etiam interdum literis mandare, ſi qua à nobis in eis meditandis inuenta ſunt, ſimulq́; commentis priſcorum
C philoſophorum obſcurioribus lucem ac ſplendorem quendam ſcriptis noſtris afferre, ac ſparſa colligere in vnum: hac etenim ratione, noſtra opera, quod præſtantiſsimos auctores diligēter feciſſe conſtat, philoſophiæ myſteria magis obuia fiunt iis, quos nimius labor & longior deterret ab excellētium alioqui monumentorum lectione. Quamobrem decreui, mi Matthæe, ne ab inſtituto meo recederem, nunc, cum aliquot horas vacem à negotijs reipublicæ ſingulis quibuſque diebus, omne illud tempus impendere in conſcribenda ea philoſophiæ naturalis parte, quæ verſatur circa elementa, ex quibus mundus hic conſtat, eorumq́ue mixtionem, ex qua tam magnam rerum varietatem cernimus effectam eſſe: ac demum de ijs agere, quæ mixtionem elementorum plerunque conſequuntur, vt tandem ora-

A tio

tio noſtra conſiſtat citra formas metallorum & lapidum, ac ſimilares par- E
tes corporum viuentium, quæ propinquiſsimæ ſunt mixtioni elemento-
rum: quæ phyſicæ philoſophiæ pars etſi continet principia & radices to-
tius ſcientiæ, quæ circa ſpecies & naturas proprias mixtorum omnium ver-
ſatur, maximeq́ue facit ad omnem medicæ diſciplinæ notionem, parum
culta ferè ab omnibus eſt, qui phyſicen profitentur, quod ſæpe mecum es
queſtus. Hæc pars igitur ſi noſtra opera in vnum colligatur, dilucideq́ue
tractetur, arbitror non incaſſum has nobis horas abituras, neque operis hu-
iuſce noſtri pœnitere nos poſſe. Verum, vt omiſſa longiori præfatione ad
rem deueniam, illud tantum lectorem admonitum eſſe volo, nos huic opu-
ſculo nullum eloquentiæ fucum aut verborum ornatum eſſe adhibituros,
ſed ſatis nos facturos putare, ſi res alioqui difficiles atque obſcuræ ſuapte F
natura tractentur à nobis ea dicendi forma, eoq́ue orationis genere, vt in-
telligi dilucidè queant. Vt autem in hoc à nobis opere inſtituto progre-
diamur ea ratione & via, quæ ſcientiæ cuiuis tradendæ maximè conueni-
re ſolet, incipiemus ab expoſitione definitionis elementi. Omnis namque
cuiuſque rei doctrina primum tradere debet quidnam illud ſit, de quo ipſi
eſt agendum: ac deinde proprias ſubiecti affectiones, partes demum ac pro-
prietates partium, vt Ariſtoteles dicit in poſterioribus. Elementum verò id
eſſe, ex quo fiat aliquid, cui inſit, & ſit indiuiſibile ſecundum ſpeciem, Ari-
ſtoteles idem auctor eſt in quinto libro Primæ philoſophiæ. Namque ſi ex
eo aliquid non fiat, nullius vtique rei elementum eſſe poterit. Omne ete-
nim elementum pertinet ad genus cauſæ materialis, materia verò omnis G
ineſt in re cuius eſt materia. Nam id ex quo fit aliquid cum tamen rei effe-
ctæ non inſit, ſed deperit, habet rationem & modum priuationis, non au-
tem materiæ, & ad priuationem pertinet, quam diſtingui definitione & na-
tura à materia, in primo Phyſicorum euidentibus rationibus probatum eſt.
Simulq́ue eo in loco edocemur materiam à priuatione differre, quòd ma-
teria remanet poſt rem factam, priuatio verò minime. Ineſt ergo elemen-
tum, quod ad genus materiæ pertinet, in ea re cuius eſt elementum. Ve-
rum quoniam materia prima, quæ nullam ſuapte natura formam propriam
habet, elementum dici non conſueuit, (omne enim elementum aliquid actu
eſt) neque etiam materiæ ſecundæ illæ, quæ in priora corpora reſoluuntur,
& ex prioribus corporibus conſtituta ſunt, elementa iure dici queunt, ſed H
tantum prima corpora, ex quibus aliqua conſtant, hoc vindicare ſibi vi-
dentur, vt elementa ſint: iccirco additum eſt, in ea, quam attulimus, ele-
menti definitione, quòd eſt indiuiſibile ſecundum ſpeciem. Materia prima
etenim, quæ non habet ſpeciem vllam, dici non poteſt indiuiſibilis ſecun-
dum ſpeciem, neque etiam aliæ materiæ poſteriores poſt prima corpora
indiuiſibiles ſunt ſecundum ſpeciem, cum in priora corpora reſolui queant.
Eadem ratione nullum corpus diſsimilarium partium poterit dici elemen-
tum, quoniam eo priores ſunt partes illæ ſimilares, ex quibus eſt conſti-
tutum: quo fit vt non ſit indiuiſibile ſecundum ſpeciem. Conſimili pror-
ſus ratione orationis, quæ voce pronunciatur, elementa ſunt literæ. Ex lite-

A ris nanque fit oratio, quæ in ea inſunt, ſpeciemque aliquam ſecundum ſe habent literæ omnes, neque in priores voces reſoluuntur. Dictiones verò ac ſyllabæ, quamuis ex eis etiam oratio conſtituta ſit, ac in oratione in ſint, elementa tamen dici minime poſſunt, quia in literas priores reſoluuntur. Verum quoniam elementa corpora quædam ſunt prima, ex quibus aliud quippiam corpus conſtituitur, conſtitui verò quippiam ex alijs poteſt vel nullo modo immutatis, aut alteratis inuicem ac permutatis: iccirco, vt dilucidior ſit tractatio noſtra, ac ordine apto procedat, priora elementa appellabimus elemēta compoſitionis, ſicut lateres domus, aut grana acerui. Alia dicemus elementa mixtionis, vt in oxymelle acetum & mel. Ex his, quæ

B à nobis dicta ſunt, cuiuis compertum eſſe poteſt, elementa ſimplicia corpora eſſe. Sed quoniam eo tantum modo ſimplicia ſunt elementa, quòd non ſunt mixta ex prioribus corporibus, non tamen ſimplicia ſunt ea ratione, vt non cōpoſita ſint ex materia & forma, quemadmodū infrà euidentiſsima ratione probabimus. Antiquorum philoſophorum multi, quibus nondum erat com. perta huiuſmodi compoſitio ex actu ſcilicet & materia, cum perſpicerent ea, quæ appellare conſueuimus elementa, non omnino ſimplicia eſſe, exiſtimauere illa eſſe compoſita ex prioribus quibuſdam corporibus. Plato verò in Timæo (ſi ea quæ in eo opere literis mandauit ſunt potius ad eius dogmata referenda, quàm ad Pythagoricorum diſciplinam) putauit elementa hæc eſſe compoſita ex ſuperficiebus. Quam eius viri ſententiam Ariſtoteles multis

C in locis confutare conatur. Anaxagoras (vt ab eo ordiamur) cum exiſtimaſſet corpora ſimilarium partium eſſe primam omnium rerum materiam, videretque ex his corporibus, quæ nos elementa vocare coſueuimus, omnia generari, exiſtimauit in hiſce elementis præcipuè eſſe omnium ſimilares partes, & quaſi rerum omnium ſemina, ex quibus itidem omnes res generari poſſent & oriri. Qua de re minimè omnium huiuſmodi corpora, ignis ſcilicet, aer, aqua, & terra appellationem elementi mereri poſſent: ſi ea, quam ſupra attulimus, eſt elementi natura ac definitio. Verùm Anaxagoræ ſententia certiſsimis argumentis in primo Phyſicorum ab Ariſtotele confutata fuit: ideo, ne ineptus iure haberi queam, nihil mihi amplius dicēdum eſſe duxi de huius philoſophi dogmate. Democritus verò, quem ſequutus eſt

D Epicurus, dixit omnium rerum materiam eſſe corpora indiuiſibilia, quæ Atoma appellauit, figuris diſtincta inuicem. Ex his Atomis conſtituta eſſe voluit elementa hæc omnia: ex quibus ſequitur, vt etiam ſententia Democriti corpora hæc, quæ diximus, ex quibus hic mundus conſtat, vere elementa dici non poſsint: quoniam conſtant ex corporibus prioribus, quibus proculdubio conuenit definitio elementi ſuperius à nobis expoſita. Democriti hæc poſitio ab Ariſtotele multis rationibus euidentibusque argumentis confutata in tertio libro de Cœlo, vt alios locos omittam, tandem loco cedere coacta eſt. Nobis ergo erit etiam abſtinendum ab huius philoſophi dogmate confutando, ne videamur officere velle Ariſtotelis gloriæ, ſi noūa argūmenta excogitare forte vellemus, aut lectorem tædio af-

ficere,& acta agere,ſi repeteremus hoc in loco Ariſtotelis argumēta cōtra De E
mocritum. Platonis uero ſententia in Timæo,ſiue ea Platonis ſit,ſiue Pythagoricorū,ea eſt, ut uelit prima principia conſtituentia elementa eſſe,duo genera triangulorum, iſoſcelem ſcilicet triangulum, & ſcalenum. Nam cùm cenſerent Pythagorici corpora ex ſuperficiebus conſtituta eſſe,prima corpora utique ex primis conſtare ſuperficiebus cenſebant neceſſario ſequi. Primæ uerò ſuperficies ſeu figuræ planæ ſpecies ſunt trianguli: prætereo circulum, qui rectis corporibus, cuiuſmodi ſunt elementa, accommodari non poteſt. Elementa ergo conſtituta eſſe ex triangulis neceſſario ſequi putabant. At in triangulorum ſpeciebus eas rebantur eſſe priores, quæ angulum rectum haberent: rectus namque angulus natura prior eſt acuto, & obtuſo angulo, ut F
ex eorum definitione liquidò patet.Nec nō etiam,quoniam rectus unius naturam refert, cum uariari non queat, ſed ſemper ſibi ſit par, omneſque recti anguli inter ſe æquales ſint. At acutus obtuſuſque angulus magis ac magis, minuſque etiam ac minus acutus obtuſuſque fieri poteſt.Neque ſibi ſunt pares obtuſi omnes acutique anguli.Quamobrem præcipuè elegit Plato triangulos rectangulos, iſoſcelem ſcilicet, & ſcalenum, prætermiſſo æquilatero, in quo nullus rectus angulus eſſe poteſt. Verùm quoniam iſoſceles,qui rectangulus eſt,unius tātum eſt modi, (nam rectum unum angulum habet, duos uerò ſemirectos,neq; unquam ab eo mēſu deduci poſſunt iſoſcelis anguli)ideo nihil amplius fuit in iſoſcele quærendum.At ſcalenus,etiam ſi ſemper angulum unum rectum haberet,quod tamen minimè perpetuum eſt,infinitis utique modis duos,qui ſuperſunt,uarios ac diuerſos habere poteſt. Iccirco conſtituenda fuit certa ſcaleni ratio ac ſpecies, quæ elementis conſtituendis accommodanda eſſet. Sed, cum proportio anguli recti ad ſemirectum alterutrum in iſoſcele triangulo ſit proportio prima in numeris dupla inquā, quæ ſcilicet eſt duorum ad unum; neque hæc proportio in ſcaleno triangulo inueniri queat, quamuis rectum unum angulum habeat: duo etenim, qui ſuperſunt,inæquales inter ſe ſunt:ideo poſt iſoſcelem,in quo eſt dupla proportio,duorum inquam ad unum; præcipuam habuit Plato eam ſcaleni ſpeciē, in qua angulus unus eſſet rectus; inter omnes autem angulos eſſet proportio,quæ in numeris ſequitur proportionē duplam, eam ſcilicet, quæ eſt triū, duorum,ac unius inter ſe, in qua duorum ad unum proportio dupla eſt, at H
trium ad duo, ſeſquialtera: trium autem ad unum tripla.Elegit igitur Plato illud ſcaleni genus, quod rectum unum angulum haberet; eamque inter latera proportionem,ut maximum latus ſit in potentia ad proximum, in proportione ſeſquialtera; ad tertium uerò omnium minimum latus, medium ſit in potentia in proportione dupla.Et(ut more Ptolemæi loquamur, & à lateribus ueniamus ad angulos eos deſcriptos in circulo;quibus ea latera contrapoſita ſunt à quibus ſumitur laterum potentia,) erit in hoc ſcaleni genere, quod ſelegimus, unus angulus rectus, centum ſcilicet & octoginta graduum: alter uerò huic proximus continebit duas tertias partes recti anguli, ac propterea erit centum & uiginti graduum:tertius autem angulus, qui reli

quus

A quus eſt, neceſſe eſt vt tertiæ partis vnius recti ſit, quæ ſupereſt ad perficien-
dos duos angulos rectos: quibus ſunt æquales tres anguli cuiuſcunque trian-
guli; quo fit vt tertius hic angulus ſit graduum ſexaginta. Erunt ergo in hiſce
gradibus & angulis eæ proportiones, quas diximus, ſeſquialtera ſcilicet, triũ
videlicet ad duo, inter centum & octoginta, & centum & viginti. Dupla ve-
rò, duorum inquam ad vnum, inter centum & viginti, & ſexaginta. Atque tri
pla, trium inquam ad vnum, inter centum & octoginta, & ſexaginta. Ex qui-
bus efficitur vt eadem etiam ſit potentia laterum, quæ opponuntur angulis
illis. Ab angulis nanque hæc ſumitur potentia laterum illis oppoſitorum.
Hanc rationem, ut arbitror, Plato in Timæo innuit, quamuis ipſam ſubti-
B cuerit, maioriſque negotij eſſe dixerit, quam ut ibi explicari potuerit; cui.ſ.
Deus elegerit illud ſcaleni genus; quod poſtea diuerſa quadam ratione expo
nit. Inquit enim in eo ſcaleno unum latus eſſe in potentia triplum ad mi-
nus. Et aliquanto infra inquit, in eo hypotenuſam eſſe longitudine duplam
ad minorem lineam. Hoc autem eſt in eo ſcaleni genere, cuius meminimus,
in quo ordine quodam eſt proportio trium, duorum & unius. Nam hypo-
tenuſa eſt uerbi gratia ſex cubitorum, minima linea trium erit, ut oſtendam.
Quadratum hypotenuſæ erit triginta ſex. minoris uerò lineæ quadratũ erit
nouem: quæ ſi demantur à triginta ſex, relinquentur uiginti ſeptem, quod
erit quadratum tertiæ lineæ; quæ ſimul cum minori continet angulum re-
ctum: uiginti ſeptem uerò ſunt tripla ad nouem. Hoc patet, quoniam in
C triangulo rectangulo quadratum hypotenuſæ eſt æquale duobus quadratis
ſimul ſumptis duarum linearum continentium angulum rectum. Quod au-
tem hypotenuſa ſit dupla longitudine minoris lineæ, oſtenditur: nam ſi ſca-
leno circumſcribatur circulus, utique hypotenuſa erit diameter, centum nã
quam & viginti graduum: minor linea quæ eſt chorda ſexaginta graduum;
eſt latus hexagoni deſcripti in eodem circulo. Erit igitur ſemidiameter ſexa-
ginta ſcilicet graduum; ut oſtenſum eſt in Geometria. Erit igitur hypote-
nuſa dupla longitudine minoris lineæ. Huius generis ergo ſi ſex trianguli
ſcaleni æquales inter ſe in unum coniungantur, ita, quòd anguli qui ſunt cen
tum & uiginti graduum, in eodem puncto uelut centro conueniant, ex duo-
bus uerò angulis ſexaginta graduum inuicem compactis efficiatur unus an-
D gulus centum & uiginti, ac recti duo in medio laterum coniuncti ex duobus
lateribus ſcalenorum, unum tantum efficiant latus: ex ſex ſcalenis hoc mo-
do coniunctis efficietur triangulus unus æquilaterus. Hæ igitur duæ trian-
gulorum ſpecies, æquilaterus ſcilicet, qui ex ſex ſcalenis conſtitutus eſt, &
iſoſceles rectangulus (alij etenim modi iſoſcelis indefiniti ſunt & natura po-
ſteriores rectangulo) omnium figurarum rectilinearum uidentur primi &
perfectiſsimi. Quamobrem Plato ſeu Pythagorici poſuerunt duos hos trian-
gulorum modos principia eſſe quatuor elementorum, ex quibus mundus
hic conſtat, hoc inquam pacto: nam quatuor trianguli iſoſceles ſi in unum
compingantur, ita quòd recti anguli in centro coëant, utique quadratum ef-
ficient, vt quiuis per ſe facilè intelligere poteſt: ſex verò quadrata corpus cu-

bum efficiunt, nullaque alia figura ſolida ex quadratis componi poteſt. Cor- E
pus autem cubicum Plato terræ attribuit, vtpote quæ ſtabilis ſit, neque ob
ſuum pondus facilè dimoueri poſſit. Neque præterea ex iſoſcele triangu-
lo, ſeu ex quadratis ſuperficiebus aliud corpus effici poteſt præter cubicum.
At trianguli æquilateri, qui modus reliquus eſt, & tres in vnum compacti
ſolidum angulum efficiunt: quibus ſi quartus addatur, pyramis oritur æqui-
latera, quæ cum acutiſsima omnium figurarum ſolidarum ſit, igni adſcri-
bebatur à Platone. Item quatuor trianguli coniuncti, inuicemque compli-
cati conſtituunt angulum ſolidum; quorum octo efficiunt figuram ſolidam
octahedram, ſeu octo baſium: hanc Plato aëri adſcripſit. Demum quin-
que trianguli æquilateri inuicem annecti queunt, conſtituuntque ſolidum F
angulum: ex quibus ſi compleatur corpus vt Stereometræ oſtendunt, effi-
citur corpus viginti baſium. hoc aquæ Plato impoſuit, vtpote quæ ſit aëre
craſsior. Ex pluribus autem triangulis, quàm quinque in vnum compa-
ctis, effici angulus ſolidus præterea nequit. Ideoque dicebat nullum aliud
corpus ſimplex inueniri, præter ea quatuor, quæ ſenſibus etiam expoſita ſunt
noſtris. Sed quoniam præter has quatuor ſolidas figuras regulares, quin-
ta etiam conſtitui poteſt ex pentagonis, quorum tria in vnum compacta
angulum ſolidum faciunt, ſicque duodecim figuram complent duode-
cim baſium, vt omnino corpora, quæ natura conſtant, reſponderent ma-
thematicis, quæ Pythagorici principia eſſe naturalium cenſebant, vniuer-
ſo hanc duodecim baſium figuram adſcripſere. Ex quo facilè conijci poteſt, G
hanc Pythagoricorum fuiſſe ſententiam, non Platonis: quoniam Plato in
eodem opere attribuit vniuerſo ſeu cœlo figuram circularem & ſphæricam:
cum de conſtitutione animæ vniuerſi verba facit. At quoniam principia
trium elementorum, ignis ſcilicet, aquæ, & aëris ſunt trianguli ſcaleni, terræ
verò iſoſceles ſeu æquicrures trianguli: iccirco ſequitur quòd tria priora ele-
menta inuicem tranſmutari queunt; terra verò, quæ ex eiſdem principis non
conſtat, minimè poſſit in alia elementa tranſmutari: quod etiam Ariſtote-
les in hac poſitione reprehendit. Hæc de elementis Platonis ſeu Pythago-
ricorum ſententia, quam latius explicari operæpretium eſſe duximus, quo-
niam in Timæo paucis obſcureque traditur, ab Ariſtotele verò vix tangitur;
euidentiſsimis argumentis refelli poteſt. Nam præter quàm quòd natura H
conſtantium corporum mathematica principia facit, primis ſcientiarum
mathematicarum principijs contradicit. Nam ſuppoſitio eſt in Geometria,
lineam diuidi in infinitum, ac propterea non conſtitui ex punctis: item ſu-
perficiem diuidi in infinitum, corpora quoque pari ratione ſemper diuidi,
atque diuiſiones nullibi ſiſtere. Quamobrem ſequitur neque ſuperficiem
conſtare ex lineis, neque corpora confici atque compingi ex planis figuris,
quæ ſunt in ſuperficie, eamque ambiunt. Præterea nutritio, auctio, gene-
ratio, mixtorum corporum præcipuè fieri ſolet ex terra, quam propterea
matrem omnium appellauere priſci omnes; non ergo terræ conuenit in
alia minime mutabilem eſſe. Ad hæc commentitium ac figmentum
procul-

A proculdubio videtur, figuram duodecim baſium attribuere vniuerſo, quòd ſphæricum eſſe oſtenditur certisſimis rationibus. Amplius tum hæc Pythagoricorum ſententia, tum Democriti poſitio de atomis, vnica ratione euidenter refellitur:Ea,quæ pati & immutari nequeunt à ſui natura, ſunt elemẽta compoſitionis tantum, nequeunt tamen eſſe elementa mixtionis; neque ex illis quippiam conſtitui poteſt, quod ſit aliud præter ea, aliamq́ue ab illis naturam, & qualitatem habeat; quæ actu non ſit in elementis componentibus: vt ratione & inductione cuiuis compertum eſſe poteſt. Si ergo atomi, hiq́ue trianguli Pythagorici ſunt immutabiles, neque aliquid pati poſſunt; vtique mixtio vlla fieri nequit:mixtumq́ue nullum erit:ſed tantum compo-
B ſitio quædam, & congeries atomorum corporum ſeu triangulorum. Nam illud,cuius quæcunque pars eſt à quauis pasſione immunis,vtique totũ quoque omnis eſt pasſionis expers.Verùm & ab Ariſtotele in tertio de cœlo,& à Galeno in libro de elementrs multis rationibus horum ſententiæ ſunt confutatæ:ideo nobis hæc dixiſſe ſufficiat. Igitur quoniam elementa neque conſtant ex atomis,neque ex triangulis, id nobis diſcutiendum reſtat,an ſint omnino incompoſita, an potius aliquam habeant compoſitionem. Aliquibus videri poſſet, quoniam hæc prima ſunt corpora, aliorumq́ue omnium elementa, ac propterea in priora quæpiam corpora reſolui nequeunt, ea vtique incompoſita eſſe. Attamen,quemadmodum non grauatè concedendum eſt, prima hæc elementa non eſſe compoſita compoſitione mixtionis, quia ſim-
C plicia ſunt ac immixta;neque etiam ea compoſitione,qua confecta ſunt corpora disſimilarium partium:ita fatendum eſt ea compoſita eſſe ex materia & forma ſubſtantiali, per quam ſunt, & à qua nomen habent & definitionem, necnon etiam quam ſequuntur qualitates vnicuique illorum propriæ. Nec tamen propterea verendum eſt, ne potius materia & forma ſint elementa, quàm hæc, quæ ex his conſtituta ſunt,corpora:quoniam neq̃ue materia corpus eſt, neque ſpeciem habet; neque forma corpus eſt, neque ſpeciem habet per ſe. Horum igitur vtrunque principium eſt elementorum ſimplicium,nõ autem elementum. Nec difficile eſt ratione probare corpora prima, ſimplicia elementa inquam, ex forma & materia conſtare. Nam omne, quod eſt actu, uel eſt actus per ſe exiſtens, uel habet actum, per quem exiſtit: nullum
D autem corpus eſſe poteſt actus per ſe exiſtens: nam actus per ſe exiſtens eſt forma abſtracta & ſeparata à materia: neceſſe eſt ergo vt elementa, quæ ſunt corpora per ſe exiſtentia,habeant actum,per quem ſint.Erunt ergo compoſita ex materia & actu ſeu forma ſubſtantiali, per quam ſunt. Huic addamus quòd elementa ſint corpora compoſita, non tamen immortalia, quæ.ſ.non ſint obnoxia generationi & corruptioni; ſed generari & corrumpi queant. Hoc etiam ratione probatur. Nam elementa ſecundum naturam mouentur motu recto, recti uerò motus inuicem contrarij ſunt: erunt ergo elementa inter ſe contraria: at ſubſtantia omnis habens contrarium, corruptibilis eſt: erunt igitur elementa corruptibilia corpora. Neque tamen propterea quiſpiam ſuſpicetur poni à nobis ſubſtantiæ aliquid contrarium eſſe per ſe & ſe-

cundum ſubſtantiam. Verùm hæc elementorum cõtrarietas eſt in qualitatibus eorum propriis, ſine quibus eſſe non poſſunt. Præterea, ſi elementa eſſent incorruptibilia, vtique ex his mixtũ corpus fieri non poſſet, quod aliam quandam naturam haberet, præter eas, quæ actu ſunt in elementis. Quamobrem proculdubio in eas recideremus anguſtias, à quibus ſeſe explicare nõ poſſe Democritum & Pythagoricos ſuprà oſtendimus: qui conſtituunt elementa ex atomis & triangulis immutabilibus. Sequitur ergo ex his, quòd elementa viciſſim inter ſe generantur & corrumpuntur. Materiam ergo primam communem inter ſe habent atque eandem: differunt autem forma & ſpecie: nec non etiam qualitatibus illis quæ ſunt diſpoſitiones propriæ ac ferè veluti proprietates elementorum cuiuſque. Verùm quoniam elementa mixtorum omnium corporũ materia ſunt; neceſſe eſt vt ſubſtantialium formarum omnium elementares formæ imperfectiſsimæ ſint, ac maximè propinquæ naturæ materiæ & accidentium. Hæc de elementis in vniuerſum dicta ſint ſatis. Cæterùm quoniam elementa hæc, de quibus tractare inſtituimus, & elementa ſunt vniuerſi, quod ex ipſis conſtat; & etiam elementa ſunt mixtorum corporum; vtraque ratione de his à nobis agendum eſt. Prius autem tractabimus de elementis, tanquam de partibus, ex quibus conſtitutum eſt vniuerſum; deinde perſcrutabimur omnia ea, quæ pertinent ad elementa ea ratione, qua ſunt materia mixtorum corporum; tractaturi demum de iis, quæ mixtiones elementorum conſequuntur; vt tamen ſiſtamus citra formas & naturas proprias metallorum, & lapidum, ac etiam ſimiliarium omnium partium, ex quibus conſtant animata corpora. Sed antequam quippiam aliud dicam; illud nobis ſumendum ex prima philoſophia, atque ex prioribus tractatibus ſcientiæ naturalis: Inferiora hæc elementa, vniuerſumque hunc inferiorem mundum ob imperfectionem, quam habet, (plurimũ nanque diſtat à primo principio) eſſe omni mutationi obnoxium, multumque multitudinis ac inordinationis in ſe habere; quia plurimum recedit ab vno: quod eſt ſtatus omnis ac ordinis principium atque origo. Quo fit vt multa contingant in elementis à caſu, & præter ordinem naturalium agentium, quæ non poſſunt verè referri ad aliam cauſam, præterquam ad priuationem & non ens: in quo eſt abyſſus illa multitudinis & inordinationis, vt in compendio primæ philoſophiæ, quod ſcripſimus, ſatis luculenter à nobis eſt expoſitum è ſententia Platonis in ſophiſta. Nullus ergo mirari debet, ſi in plurimis elementorum mixtionibus, quas natura inchoat, non tamen abſoluit; quin diuerſa alia via, vel rurſus diſſoluuntur, vel in monſtra quædam deſinunt, aut in alias mixtiones recedunt longè diuerſas à prioribus. Vtendum nobis eſt hac cauſa, priuationis inquam ſeu imperfectionis & non entis, à qua eſt omne ens per accidens, omniſque fortuna & caſus: quam diuinatores ignorãtes putant ſe ex cœleſti corpore poſſe adferre omnium effectuum, qui hic producuntur, cauſas & rationes. Hanc non entis cauſam etiam Ariſtoteles in primo Phyſicorum libro dicit eſſe rerum natura conſtantium cauſam, quæ generationi & corruptioni ſunt obnoxia, per accidens tamen: licet

E F G H

A à poſterioribus Peripateticis in reddendis cauſis effectuum, qui fiunt inter-
dum ob hanc cauſam, omnino fuerit omiſſa. Vnde etiam nonnulli eorum
coacti ſint fateri, omnia euenire ex neceſſitate propter cœleſtes ac ſuperio-
res cauſas neceſſarias. Inde nata eſt Aſtrologia hæc diuinatrix, cæteræque hu
iuſmodi inanes artes. Alterum, quod velim lectores attentè animaduertere,
id eſt, quod Ariſtoteles dicit in Meteoris, hæc elementa inferioremque mun
dum ſeſe habere veluti materiam, corpora verò cœleſtia ac ſuperiores men-
tes eſſe cauſam efficientem, quæ. ſ. imprimant motum ſuo lumine, & tempo
re illo, qui aſſecla eſt luminis, diuerſo quodam à calore elementari & igneo;
quem iure appellare poſſumus teporem æthereum. Hunc Platonici & anti-
B quiores philoſophi putauerunt eſſe corpus quoddam æthereum tenuiſſi-
mum omnia penetrans: quod etiam magnum naturæ ſeminarium nonnul-
li eorum vocare conſueuerunt apud Ariſtotelem: quoniam corpus nullum,
quamuis tenuiſſimum, quin etiam mathematicum, aliud corpus penetrare
poteſt: vtique nullum tale eſt corpus permeans inferiora hæc elementa: ſed
cœleſte corpus æthereum eſt, ab elementis ſeparatum: cuius naturalis mo-
tus eſt circularis: ab hoc tamen corpore in elementa profluit lumen, motus,
& hic quem diximus tepor æthereus, non corpus; ſed ætherea qualitas, quæ
omnia penetrat & permeat elementa. huius teporis meminit in libris de ge
neratione animalium, quem dicit ibidem non eſſe calorem ignis, ſed propor
tionatum elemento ſtellarum. Cum ergo elementa ſint materia, quæ for-
C matur à corporibus cœleſtibus, eorumque mentibus, nulli eſt ambigendum,
quin multa fiant in elementis, quorum cauſam referre non poſſumus in na-
turas formáſue elementorum proprias: ſed referatur omnis eorum cauſa
neceſſe eſt in cœleſtia corpora; quorum vim & actionem elemēta recipiunt,
hancque eis legem optimus naturæ inſtitutor impoſuit, vt cœlis pareant, ac
eorum veluti dicto inſeruiant. Hæc rectè animaduerſa fuiſſe operæpretium
eſt, antequam ad tractationem de elementis deueniremus. In qua is à nobis
ordo ſeruabitur, vt prius de eis agamus, quatenus ſunt elementa vniuerſa; ex
quibus mundus hic inferior conſtet: poſtmodum de mixtionibus, eorum-
que naturis dicendum erit, prout ſcilicet elementa mixtionis ſunt. Nulluſ-
que mirari debet, ſi ea diximus eſſe vniuerſi elementa; quoniam mundum
D componunt & conſtituunt, nulla tamen ſui mixtione. Nam pari ratione dici
mus literas eſſe vocum elementa, quia voces componunt, nulla tamen mix-
tione, ſed tantum compoſitione quadam non diſſimili; quin potius eadem
propemodum ratione Ariſtoteles vſus in primo Meteororum appellauit
corpus cœleſte elementum: inquit enim, lato primo elemento circulariter,
quod propinquum eſt inferioris mundi motum diſgregatum accēditur. Ele-
menta igitur hæc vniuerſi ſunt, quoniam componunt & conſtituunt vni-
uerſum: verùm hoc tantum modo vniuerſum componunt; quoniam in pro-
prijs locis natura ſui quieſcunt, & ad locos illos natura etiam mouentur. ſic
partes animalis conſtituunt animal: quoniam quæque in ſuis collocatæ ſunt
locis, à quibus ſi receſſerint vſpiam, confeſtim animal ægrè ſe habet, dolo-
remque

temq́ue ſentit: qui ſedatur cum rurſus fuerint reſtitutæ poſitioni illi, quæ E
naturæ earum conueniat. Ex his illud perſpicuum eſt tractatui, qui eſt de elementis prout vniuerſum conſtituunt, maximè conuenire; vt primum paucis ea percurramus, quæ ſpectant ad motum & quietem elementorum: ex quibus inueſtigabimus an ex motu quieteq́ue elementorum, eorum numerus à nobis inueſtigari queat, qui præcipuè accõmodandus ſit ad congruam vniuerſi conſtitutionem. tum demum paucis perſtringemus ea ferè omnia, quæ ſingulis eorum conueniunt, prout ſunt partes vniuerſi: quod congreſſu ſuo conſtituunt. Elementa ſimplicia corpora eſſe, ſupra ſatis perſpicuè, vt reor, oſtenſum eſt; corpori autem ſimplici ſecundum naturam couenit motus
ſimplex. Genera verò ſimplicium motuum, ſi Ariſtotelem ſequimur in pri- F
mo libro de Cœlo, ſumuntur à generibus figurarum ſimplicium; quæ duo ſunt, recta inquam & circularis. Sed, ne ratio hæc calumniam patiatur, quod ſ. videamut ex principijs geometricis in philoſophia naturali concluſionem quampiam demonſtrare; hocq́ue pacto de genere deſcẽdere ad aliud genus; addamus rationi Ariſtotelis id quod ſenſus experitur. Nam pet ſe quiuis intueri poteſt obiectam oculis ſpeciem vniuerſi, ac deptehendere in cœleſtibus corporibus motum circularem: in elementis uerò reliquis, ac mixtis pro elementi alicuius in quouis mixto excellentia, motum tectum, uel ad ſuperiores mundi partes cœliq́ue circunferentiam, uel ad centrum infirmumq́ue locum uniuerſi. Genera igitur ſimplicium motuum duo ſunt: re-
ctus.ſ.& circularis. Motus circularis natura conuenit corpori cœleſti, quod G
neque graue eſt, neque leue, nulliq́ue generationi aut paſsioni obnoxium abſque labore ullo ſuapte natura perpetua circulatione circumagitur, de quo nihil à nobis dicendum eſſe inſtituimus. Superior nanq; mundus diuino illo corpore plenus eſt. noſtrum autem inſtitutum eſt agere de elemẽtis, ex quibus conſtat inferior hic mundus. Motus ſimplex rectus, duplex eſt: à medio unus, alter ad medium. Natura igitur quoduis elementum uel mouetur ad medium; ad quod cum peruenerit, quieſcit; aut contra natura recedit à medio, ad ſupernasq́ue euolat ſedes. Motus huiuſce recti quodnam principium ſit, iure ambigere quiſpiam poteſt: an.ſ. elemento intrinſecum, an potius extrinſecum quodpiam. Nam in octauo lib. Phyſicorum Ariſtoteles uidetur
connumerare elementa ac omnia grauia & leuia inter ea, quæ mouentur ab H
alio: ex ſe etenim moueri, uidetur ſolum animalibus poſſe attribui, quæ etiã ex ſe quieſcere queant. Præterea ea, quæ ex ſe mouentur, diuiduntur in partẽ per ſe mouentem, & partem per ſe motam; quod nec elementis, nec denique ulli corpori graui leui ue conuenire poteſt. Nam neque ex ſe quieſcunt cum eis libuerit: immò mouentur motu continuo, niſi quid obſtiterit, quouſque peruenerint ad proprium naturalemq́ue locum. neque diuidũtur, ut animalia in partem per ſe mouentem, & partem per ſe motam: conſtant enim ex forma imperfectiſsima, & materia prima tantum, quæ eſt ens in pura potentia. Non ergo mouentur elementa ex ſe: qua de re efficitur, ut ab alio moueantur; niſi uelis ea immobilia efficere. Contra hæc eſſe uidentur, quoniam

elemen-

A elementa mouentur motu naturali, immò motus eorũ ſimplex eſt: quia forma ſimplex eſt principium motus ſimplicis: illud autem principium motus, quod eſt natura; eſt principium eius in quo eſt, vt dicit Ariſtoteles in ſecundo Phyſicorum. Non ergo elementa videntur moueri ab extrinſeco & ab alio, ſed à principio quod intra ea ſit. Præterea mouens proximum, & motum ſunt ſimul, vt oſtenditur à philoſopho in ſeptimo Phyſicorum: cum autem grauia deorſum ferantur, & ſurſum leuia; nullum extinſecum deprehendi poteſt, nec etiam fingi, quod ea moueat: non ergo mouentur à principio vllo quod ſit extra ipſa. Hanc quæſtionem non eſt admodum difficile ſoluere; ſi attentè diſpiciamus ea, quæ dicuntur ab Ariſtotele in octauo Phyſicorum, & in quarto libro de Cœlo. Nam illud maximè verum eſt:
B Elementa grauia & leuia naturali motu non moueri ab vllo, quod extra ipſa ſit, quodq; ſit efficiens proximum illorum motus: immò mouentur à propria forma, propriaque leuitate ſeu grauitate, tanquam à principio proximo motus; quæ in maiori mole maior eſt & efficacius mouet, id eſt velocius. Hoc verò eſt adeo perſpicuum, vt ſenſui etiam ſit exploratum: quamuis nulla ratione comprobaretur. Mouentur igitur elementa à principio intrinſeco: non tamen propterea mouentur ex ſe, vt animalia; ſed ea de cauſa mouentur ab alio, quoniam proximum principium motus eſt inclinatio ad locum, ad quem vnaquæque res mouetur: inclinatio verò in elementis propria eorum grauitas ſeu leuitas eſt; qua deorſum ſurſumve tendunt. in animalibus verò propria inclinatio eſt appetitus ſiue rationa-
C lis, ſiue ſenſitiuus; vt oſtendit Ariſtoteles in tertio de anima. Appetitus autem quicunque animalis ſequitur apprehenſionem ſiue boni ſiue mali: at apprehenſio omnis eſt propria & intrinſeca animalis operatio; ideo animal rationale ex ſe mouetur, quia ſibi ipſum eſt cauſa illius inclinationis, appetitus inquam quo mouetur. Sed in elementis nihil eſt quod queat eſſe cauſa grauitatis leuitatiſve, quarum nixu mouentur: verum generans elementum tribuit ei ſimul cum forma inclinationem hanc, quam habet ad proprium naturalemque locum: ideo non mouentur ex ſe elementa vt animalia; ſed ab alio, à generante inquam; à quo ineſt eis propria naturaliſque inclinatio ad locum proprium; ad quem ſemper tendunt, & ſi à re quapiam detineantur ne eò ferantur, ſemper premunt, & rem illam vrgent,
D quæ obſtiterit; vtpotè quæ propria inclinatione ſemper ad proprium locum tendant. Igitur non ex ſe mouentur, ſed à generante: habent tamen nihilominus principium proximum motus intra ſe, inclinationem videlicet illam, cuius nixu feruntur ad ſuum quæque locum. Hac de principio motus elementorum quæſtione ſoluta. ruſus alia ſuboritur quæſtio: An ſcilicet grauitas hæc vel leuitas, qua elementa feruntur ſurſum deorſumue veluti à principio intrinſeco, ſint formæ quædam, quæ ſint ſubſtantiæ, quibusque natura & ſpecies elementorum conſtituantur: an potius ſint accidentia quædam, quæ formas & naturas elementorum conſequantur. Nonnulli, qui Auerroi primas partes attribuunt in philoſophia naturali, ex quibuſdam locis, quos in eius auctoris monumentis annotarunt, pronuntiauere ex Auerrois

rois ſententia grauitatem & leuitatem formas eſſe pertinentes ad ſubſtan- E
tiam & elementorum ſpeciem conſtituentes, quod etiam ratione adſtruere
conati ſunt. Nam natura eſt principium motus eius, in quo eſt. cũ verò gra-
uitas & leuitas ſint principia motus naturalis intrinſeca elemẽtis, erunt igi-
tur eorum natura, ſed non materia, vt perſpicuum eſt. Nam in materia ele-
menta conueniunt, (vna etenim omnium eſt) at in grauitate & leuitate diffe
runt: ergo erunt natura, quæ eſt forma. Cæterum quamuis hæc doctiſsimo-
rum philoſophorum ſententia ſit, nobis tamen videtur non ſatis conuenire
ijs, quæ Ariſt. tradidit, & ratio ſuadet. Etenim nulla ſubſtantia eſt per ſe ſenſi-
bilis, quod Ariſtoteles inquit in ſecundo libro de anima. Senſus nanque cir-
cà cortices ſubſtantiarum verſantur, id eſt, circa accidentia: ſola verò mens
ad nucleum, id eſt ad ſubſtantiam penetrat; ſed grauitas & leuitas per ſe à ſen F
ſu comprehenduntur, vt quiuis experitur ac ſentit; nec minus comprehen-
duntur à brutis animalibus quàm ab homine: quin muli quidam & cameli
ferè omnes, qui impedimenta ac merces gerunt, cum ſentiunt ſibi plus iu-
ſto oneris impoſitum fuiſſe, excutere conantur clitellas, ac onus impoſi-
tum, calcibusque & vniuerſo geſtu corporis ſignificant ſe iniquo pondere
premi. Per ſe ergo ſenſu percipiuntur tum grauitas tum leuitas. igitur ſub-
ſtantiæ non ſunt, ſed accidentia. Præterea Ariſtoteles in ſecundo libro de
partibus animalium conuenerat accidentia elementorum, ac poſt calidita-
tem & frigiditatem mentionem facit de grauitate & leuitate. accidentia er-
go, non ſubſtantiæ ſunt grauitas & leuitas. Neque difficilis admodum ſolu-
tio rationum, quæ adductæ ſunt. Nam natura præterquam quòd eſt princi- G
pium eius in quo eſt, & intrinſecum; eſt principium primum; vt in eius de-
finitione dicitur; cui coniunctum eſt inſtrumentum proprium, id eſt acci-
dens proprium, quo natura agit. Grauitas ergo & leuitas, quia non ſunt pri-
ma principia, non ſunt naturæ. verùm quoniam conſequuntur naturam, iu-
re dici poſſunt ineſſe ſecundum naturam elementis; quemadmodum etiam
motus, qui ex eis principijs conſequuntur, ſecundum naturam inſunt ele-
mentis. ignis enim ſecũdum naturam leuis eſt, itemque ſecundum naturam
ſurſum euolat. E contrariò terra grauis ſecundum naturam, itemque pari
modo ad centrum tendit. Neque etiam loci de Auerroe adducti multum me
mouent, vt credam Auerroem ita ſenſiſſe. etenim ſæpenumero cum naturæ
rerum proprijs nominibus careant, vtimur in eis explicandis vocabulis ac- H
cidentium, quæ notiora nobis ſunt, & ſenſui magis familiaria; à quibus ori-
tur cognitio intellectus. Hæc ſatis ſunt dicta de principio motus intrinſe-
co, grauium & leuium elemẽtorum. Nunc paucis ea quæſtio eſt à nobis per-
tractanda; an ſcilicet elementa in motu naturali, quo feruntur, per ſe indi-
geant medio, & quonam pacto moueantur. Ariſt. in quarto Phyſicorum, vbi
agit de vacuo, inquit, quòd in ſpatio vacuo grauia & leuia mouerentur in
tempore indiuiſibili, id eſt in inſtanti & momento, quod impoſsibile eſt.
Ergo ad motum grauium & leuium per ſe requiritur medium: in vacuo
etiam ſpatio moueri non poſſent. Nam qualis eſt proportio ſubtilitatis,
aut ſpiſsitudinis medij ad medium, talis eſt ratio etiam quòd æquè graue,

eadem

A eadem figura magnitudineq́ue præditum velocius ſeu tardius moueatur,alia
re item æquè graui eiuſdemq́ue figuræ & magnitudinis. Pleni verò ſpatij ad
uacuum nulla eſt proportio; ſicuti lineæ ad punctum. In nulla igitur tēporis
parte mouebitur æquè graue in ſpatio vacuo; ſed in eo tempore, quod ita ſe
habet ad tempus; ſicuti punctū ad lineam:quo efficitur vt in inſtanti mouea-
tur:hoc autem fieri nequit,quia omnis motus eſt in tempore quopiam, vt in
ſexto libro eiuſdem operis certisſimis rationibus oſtenditur. Hæc Ariſtote-
lis ratio ab Auen Pace viro doctisſimo habita eſt veluti ſophiſtica: inquit
enim,quòd ſicuti in motoribus corporum cœleſtium,vbi nullū eſt medium,
nihilq́ue quod eorū motum impediat,velocitas motus ſequitur motoris ex-
B cellentiam & virtutem:ita etiam in grauibus & leuibus corporibus excellen
tiam grauitatis ſequitur velox deſcenſus, leuitatis præſtantiam velox aſcen-
ſus. Igitur per ſe grauius uelocius deſcendet eo, quod eſt minus graue: æquè
uerò grauia,æquè ueló citer.Per accidens tamen in motu grauium & leuium
contingit aliud impedimentum ex medio allatum; quod cum ægrè patiatur
ſe diuidi,(unumquodque etenim ſicut natura appetit eſſe,ita appetit unitatē,
quæ in diuiſione conſtat)reſiſtit proculdubio medium & impedit motū tum
grauium corporum,tum etiam leuium:ex quo contingit motum fieri tardio
rē.non tamen propterea ſequitur,ſi fiat medium,quod prius erat ſpisſius,lon
gè ſubtilius, creſcere etiā motus uelocitatē, in ea proportione, qua medium
fuerit factū ſubtilius;ſed ſequitur in ea proportione decreſcere tarditatē,quæ
C per accidens addita fuerat ex medij denſitate, naturali motui:qui ſequitur nà
turam illius corporis grauis: ſicut ſi pedali lineæ addatur itē quantitas peda-
lis extranea, bipedalis tota efficitur: à qua ſi auferatur dimidium lineæ addi-
tæ, remaneatq́ue dimidium tantum prioris lineæ additæ, quæ ſubdupla eſt
eius pedalis lineæ, quæ adiuncta fuerat; non tamen proportio totius prioris
lineæ bipedalis inquā ad totā, quæ remanet, pedalē.ſ.cum dimidia, erit pro-
portio dupla. Ariſtotelis igitur rationē inefficacem eſſe putauit Auen Paces,
quin potius fallacem & ſophiſticā. Beatus Thomas vir item doctisſimus &
nunquā ſatis laudatus,exiſtimauit rationem illā fuiſſe factā ad hominē, & ex
principijs priſcorum philoſophorū procedere;qui adeo addicti erant uacuo,
ut abſq; uacuo exiſtimarent nullius rei motū fieri poſſe.Quod ex præclarisſi-
D mo poëmate Lucretij, qui Epicuri & Democriti ſententiā de uacuo conatur
adſtruere,quiuis facilè perſpicere poteſt.Dicit ergo beatus Thomas in uacuo
motū in inſtanti & momento minimè fieri poſſe; ſed omnem motum in ua-
cuo etiā ſpatio futurum in tempore.Nā fieri nō poteſt,ut in eodem temporis
momento corpus quodpiā ſit in duobus locis, quorum alter diſtet ab altero.
Igitur ſi gleba quæpiā terræ quieuerit in loco quopiā, à quo incipiat ſpatium
uacuum; utique dat ultimum inſtans huiuſce quietis, ut in ſexto libro Phyſi-
corū oſtenſum eſt.Quòd ſi gleba hæc moueatur & perueniat ad locum illum,
ubi uacuum eſſe deſinit;dabitur etiā primum inſtans,in quo incipit eſſe in lo
co eo,qui terminus eſt,ad quē motu peruenit.motus nanque omnis datur ul
timū,in quo mobile mutatum eſt. vel ergo hæc inſtantia momentaq́ue tēpo
ris re idē ſunt,cogitationeq́ue tātum diſtinguuntur:uel re diuerſa erunt mo-

menta. Si dicas quòd re idem ſint, & cogitatione ſolũ differant, efficitur pro- E
culdubio, ut in eodem momento temporis gleba hæc ſit in duobus locis di-
ſtantibus, quo nihil magis eſt impoſsibile. ſin uerò eadẽ momenta non ſint,
ut neceſſe eſt fateri, interq́ue duo quæuis momenta, quãuis proxima, tempus
medium ſit, (nã neque linea ex punctis, neque tempus ex momentis confici
poteſt) in eo igitur temporis ſpatio motus per vacuum erit. Ariſtotelis ergo
ratio (inquit Thomas) iis nititur, quæ ab aduerſario poſita ſunt: ic circoq́ue
contra eum efficax eſt. ſed ad motum grauium & leuium medium non eſt
per ſe neceſſarium, quia in ſpatio etiam vacuo moueri poſſent. Auerrois verò
in quarto Phyſicorum, qui maximè excelluit ingenio, vſusq́ue eſt incredibili
perſpicacia in eruendis Ariſtotelis ſententiis, inquit, rationem Ariſtotelis eſ- F
ſe efficaciſsimã, & medium ſpatium adeo eſſe neceſſarium in motu grauium
& leuium, ut ſine medio moueri nullo modo poſsint. quæ res vt melius intel
ligatur, pauca quædã præſabimur. Ex definitione motus quiuis facilè intueri
poteſt, (vt alias rationes omittã) quemlibet motum eſſe continuum: motus
etenim eſt actus entis in potentia, quatenus eſt in potentia. Si ergo per motũ
mobile eſt in potentia ad vlteriorem actũ, perfectũ inquam, neceſſe eſt vt mo
tu ipſo mobile tendat ad ulteriorem actũ, neque vllo pacto ſiſtat. Continuus
ergo motus omnis eſt, nullusq́ue motus eſt indiuiſibilis, & in momento tem
poris factus. Nõ poteſt autem eſſe in motu cõtinuatio hæc ex ſola virtute mo
uentis, niſi fuerit etiã reſiſtentia aliqua, quam virtus mouentis ſuperet. Itaq;
ſecundum eam proportionem, qua virtus mouentis ſuperat reſiſtentiam, mo G
tus quoque uelox eſt: atque in his motibus, in quibus proportio maior eſt, eſt
maior celeritas: ubi minor proportio, tarditas maior eſt. Vbi autem virtus
mouentis non ſuperat reſiſtentiam, aut nõ ſecundum certum & à natura cõ-
ſtitutum exceſſum ſuperat, nullus efficitur motus. de qua re in ſeptimo Phyſi
corum lib. ab Ariſto. luculentiſsimè eſt tractatum. Ex quibus ſequitur propo
ſitionem ſumptam ab Auen Pace minimè ueram eſſe: velocitatem. ſ. motus
ſequi tantum uirtutem mouentis, nulla facta de reſiſtentia mentione. Nõ ta-
men propterea quiſpiam putet reſiſtentiã eſſe nõ poſſe, niſi ubi vis inferatur,
& fiat motus, cõtra inclinationẽ rei mobilis. Nã interdum reſiſtẽtia eſt cũ vi;
quandoq; autẽ poteſt eſſe reſiſtentia ſine vlla vi. Si. n. mobile à natura ita ſit fa
ctum, ut in motũ quempiã inclinetur; in ipſo autẽ nõ ſit principium actiuum H
motus, ſed paſsiuum tantũ; vtique abſque mouẽte nõ mouebitur, quãuis ſua-
pte natura tẽdat in eũ motũ. Sicuti autẽ à natura in eũ motũ inclinatũ eſt mo
bile, vt ſ. à mouente naturaliter moueatur eo motu, & nõ alio: ita etiã à natu-
ra, quẽ habet, effectũ eſt, ut ab vllo mouente moueri nequeat; niſi quod certo
exceſſu exceſſerit uirtutẽ mobilis, & actum, quẽ mobile habet; eoq́ue exceſſu
certa quadam uelocitate moueat, ampliori uerò exceſſu celerius quoque mo
ueat. Mobile ergo, quod certã naturã habet, quamuis ea natura inclinetur ad
motũ quẽpiã, reſiſtit tamẽ mouenti per eãdẽ naturã & actũ ſine vlla vi; ne ue
locius tardiúſve moueatur, quàm deceat exceſſum eũ, quo exceditur à uirtute
mouentis. Neceſſe eſt ergo in omni motu eſſe reſiſtentiã. aliter nanque cõti-
nuus motus eſſe non poſſet; reſiſtentia tamen eſſe poteſt ſine vi vlla. Quo fit

A ut in corporibus cœleſtibus,cum actum quendam habeant certamq́ue naturam, qua ad certum motum inclinantur, uelocitas motus ſequatur proportionem exceſſus virtutis mouentis;quo ſuperat naturam & perfectionē propriam mobilis; licet ibi nulla ſit vis,omniaq; fiant ſecundum naturam. Ideo Ariſtoteles in ſecūdo libro de cœlo inquit: Si ſtella adderetur cuipiam orbi, aut orbis ille ab eo motore non moueretur, aut tardius moueretur. Nam ex perfectione ſtellæ additæ nō amplius motor eo exceſſu ſuperaret mobile;ſed minori. At in elementis;quæ ſunt cōpoſita ex duobus tantum principiis ſimplicisſimis,forma.ſ.ſimplici & materia prima, quæ eſt ens in pura potentia; neque determinata eſt à quapiam natura,vtique principium actiuum motus
B eorum forma eſt,& grauitas ſeu leuitas.Materia verò,quæ principium pasſiuum eſt,nullum habet actum,nullamq́; naturam:Ideoq; ex ea,reſiſtentia nulla ſumi poteſt,ſiue cum vi,ſiue ſine vi,reſiſtentiam velis.Nam vis eſſe nequit, ubi nulla eſt natura,nullus actus;cōtra cuius nixum vis fiat.Nulla item eſt ad motum quempiam determinatum & certum inclinatio;ubi non eſt determinata natura, ac certus quiſpiam actus. Ergo in motu naturali elementorum, ſi principia tantum intueamur,ex quibus elementa conſtant,nullam inuenie mus reſiſtentiam;quæ tamen neceſſaria eſt in quouis motu,niſi fuerit motus indiuiſibilis:quod eſſe non poſſe,ſuprà oſtendimus ex definitione motus.Cogimur ergo inuenire reſiſtentiam ī medio,quod vi diuiditur ac diſpellitur ex impresſione elementi. Iccirco Ariſto. uerisſima ratione uſus eſt in quarto
C Phyſicorum, uelocitatemq́; motus elementi tantum ſumpſit ex ſpisſitudine ac raritate medij; neq; illa addita eſt naturali uelocitati, ut dicit Auen Paces vir alioqui doctisſimus. quia ſi demas mediū,nulla eſt uelocitas motus,quin potius nulla continuitas, cum nulla ibi ſit reſiſtentia. Quod uerò acutisſimè inquit beatus Thomas, non diffitemur,imposſibile eſſe uacuum quodpiā ſpatium eſſe in rerum natura. Quod ſi quis eſſe poſuerit,nihil eſſe abſurdi videri debet;ſi poſitioni imposſibili addideris ueras propoſitiones ſequi poſſe contradictoria. Ex poſitione igitur vacui,ſequitur ī eo vacuo ſpatio fieri motum nō poſſe,niſi indiuiſibilem;quoniam in inani nulla eſt reſiſtentia.Itē ſequitur motum eſſe in tēpore;quia ſit per ſpatiū extenſum,& quantū, & à loco ī locū alium.Per ſe ergo mediū requiritur ad motum elemētorū:quod ni ſit,vtique
D moueri non poſſunt.Quā de re quidā philoſophi noſtra tēpeſtate illuſtres dixere elemēta per accidens moueri, quoniā mouētur ad motū alterius, medij ſcilicet. Nos uerò dicimus elementa nō ſimpliciter moueri per accidens,ſed per ſe moueri: quodā tamen modo cōmodè poſſe dici elementa moueri per accidens.Illud nanque propriè & ſimpliciter mouetur per accidens,quod ita mouetur & fertur,ſicut is qui in curru vehitur aut in naui.In quinto Phyſicorum cōmodè de hoc agitur. Si ergo elementa ſimpliciter mouerentur per accidens; nimirum oportet elementa per ſe neq; ſurſum ferri, neq; deorſum: verùm inhærere alicui quod per ſe moueretur illis motibus. Conſtat tamen elementa non ita moueri,ſed ipſa ſuo nixu tendunt deorſum ſurſumve. Neque fingere eſt quodpiam aliud,in quo hæreant: quod eis motibus per ſe mo

 ueatur.

neatur.aliquo tamen modo per accidens elementa mouentur,quoniam propterea mouentur,quoniam medium diſrumpitur & diuiditur ex illorum nixu:& quo citius medium ſectum fuerit,eo celerius mouentur;neque aliunde reſiſtentiam habent, præterquam ex medio. Hac ergo ratione non iniuria concedere poſſumus elementa naturali motu moueri per accidens. Diſcuſſa hac quæſtione, alia ſuboritur: Cur ſcilicet elementa grauia leuiaque omnia, quæ mouentur, prout natura fert elementi,quod in eis præ cæteris dominatur, citius & celerius ſemper moueantur, quouſque eò peruenerint quo tendunt. Huius rei cauſam nonnulli adſcribunt impetui. Inquiunt enim maiori ſemper impetu hæc omnia ferri, ideoque etiam celerius moueri. Sed cum eos magis vrges,interrogaſque quidnam ſit hic impetus?quæ qualitas?vnde ueniat in elementa? vel tacent,vel confingunt commenta quædam,quæ non ſatis intelligi queunt,nedum ſunt.Nõnulli alterari atque affici elementa putant à proprio naturalique loco:quæ quo magis eò appropinquant,eo magis afficiuntur:vnumquodque etenim magis afficit propinquam rem, quàm diſtantem. Cæterum, ſi ab his quæras, cur nam, ſi idem lapis ſeu eadem terræ gleba delata fuerit deorſum, ſpatioque quinque paſsiuum tantum deſcenderit, eademque iterum ſublata è ſolo, in quod decidit, idem ſolum repetat vnius tantum paſſus ſpatio delata,poſtrema inquam parte prioris ſpatij quinque paſſuum;longè celerius per eum paſſum poſtremum priori motu deſcenderit, quàm poſteriori hoc; cum tamen à centro eodem interuallo diſtet & hoc poſteriore motu,& priore, cum ferebatur per poſtremum hunc paſſum, quintum inquam:nimirum ſilent,neq; aliquid habent, quo poſitionem cauſamque ſuam tueantur. Ideo dicimus nos huiuſce rei plures cauſas eſſe, quæ (vt reor)in vnum conueniunt, faciuntque motum velociorem ad finem vſque. Primo nanque,ut in octauo Phyſicorum Ariſt.dicit,vbi tractat de motu eorum, quæ proiecta per ſe mouentur, inquiritque à quonam moueantur, poſtquam liquerint proijcientem hominem,ſeu machinam:animaduertendum eſt eam eſſe naturam aeris & aquæ, ut in propria naturaliq; ſui ipſorum ſphæra, ſi à quopiam impellantur quoquo verſus ſuo nixu poſt impulſum eum primum aliquo ſpatio feruntur,ac aliquantiſper motũ citatiorem faciunt: deinde paulatim motum ſiſtunt; donec planè conquieſcant. huic addas, quoniam vacuum ſpatium eſſe quodpiam natura maximè abhorret, ne mundi vnitas tollatur. Iccirco cum in aqua uel in aere quippiam mouetur, ſimul ad illius terga cõcurrunt partes proximæ aeris vel aquæ, quæ prius pulſæ proprio deinde nixu pellunt, & ultra promouent. hæ uerò, quo plures fuerint maioriq; nixu pulſæ,eo citius & vehementius concurrentes ad terga mobilis illius,illud impellunt ac mouent.Cũ ergo gleba terræ deorſum deſcenderit,vtique aerem ſecat,& deorſum pellit, partes uerò aeris diuulſæ concurrunt ad terga glebæ, eamq; vicisſim deorſum pellunt: quo fit, ut naturali nixui etiam hic addatur,ac propterea velocius gleba moueatur; quæ item velocius mota maiore nixu aerem pellit,& ſecat; vehemẽtius diuulſi aeris partes cõcurrentes ad terga, & plures quàm priores & velocius motæ magis adhuc

&

A & magis glebam impellunt:quo fit ut citius gleba deſcendat,pariq́ue ratione ſemper citius; quouſq; ad ſolum peruenerit,in quo quieſcit.Hæc cauſa veriſſima eſt, ut quiuis facilè intelligere poteſt,cur grauia & leuia, quanto magis acceſſerint ad ſuum quæque locum, tanto moueantur celerius. Præter hanc eſt & alia cauſa. Nã res mota in aëre,præterquàm quòd aërem ſecat,impellit etiam deorſum inferiorem aëris partem,antequã deſcendens amplius ipſam quoq; ſecuerit. Nulli autem dubium eſt,quin medius aër,ſi in cõtrariam partem moueatur,magis obſiſtat ei,quod contra eius impetum mouetur, quàm ſi quieuerit:item ſi quieſcat,magis reſiſtit deſcendenti glebæ,quàm ſi in eandem partẽ moueatur, ad quã fertur elementum ſeu gleba, quæ deorſum per B eum aërem fertur.Quin etenim perſpicuum eſt,quòd quãto celerius aër fertur in eandem partem,tãto minus obſiſtit. Cum ergo terræ gleba ad partem illam aëris,quam iam vi,nixuq; ſuo deorſum impulit;certiſſimum eſt,quòd ob minorem obſiſtentiam velocius deſcendet:quamobrem magis propellet proximam aëris partem,ad quam cum deuenerit,ob minorem eius reſiſtentiã adhuc velocius mouebitur quàm prius. Itaq; hac ratione ſemper motus fiet uelocior, quouſq; peruenerit ad locum eum, in quo ſecundum naturam quieſcit.Duæ hæ rationes mihi uidentur ueriſſimè adduci poſſe,Cur ſcilicet grauium & leuium corporum naturalis motus ſemper fiat uelocior,quouſq; ad finem peruenerit.Nonnulli præterea addunt hanc quoq; rationem tertiã: Inquiunt etenim, Cum natura omnis ab intelligentia dirigatur; nihil abſur C dum eſſe, ſi in operationibus naturalium agentium interdum perſpiciamus aliqua rationis veſtigia: hinc eſſe, (vt alia innumera omittam, quæ omnibus obuia ſunt,in generatione animalium & plantarum,earumq; operationibus atq; accidentibus)quòd uidemus aquam calefactam citius ab aëre frigido frigefieri & coagulari, quàm frigidam: quoniam ſcilicet magis imprimit frigiditas in contrarium,quàm in ſimile.Sic fiunt antiperiſtaſes, compluraq; huius generis mira. Hac ergo de cauſa euenire dicunt,quòd res grauis ſeu leuis quanto diutius mota fuerit ſecundum naturam, locoq́ue natura ſibi debito propinqua fuerit; tanto magis niti & premere,nulla tamen propterea addita qualitate aut pondere, ſed eodem naturali pondere magis ac vehementius niti, quanto longiori ſpatio delata fuerit, & fini propinquior. Hanc cauſam D neque improbandam neque approbandam mihi ſumo. Sed cum duæ ſuprà expoſitæ optime mihi ſatiſfacere uideantur, ac ſine ope intelligentiæ ac rationis cuiuſpiam,ex accidẽtibus eorum motuum, cauſam adferre, ſatis mihi ſint duæ priores cauſæ.Poſtquam à nobis ferè omnia expoſita ad motum rectum & ſimplicem elementorum, inueſtigemus quotnam ſint elementa, ex quibus conſtituitur uniuerſum,præter primum corpus æthereum, quod mouetur motu circulari,ſempiterno atque perpetuo.Plato in Timæo,mundum hunc corporeum quidem,maximè tamen pulchrũ,inquit factum fuiſſe à primo rerum omnium opifice: quamobrem & tactu & oculis comprehenſibilẽ eſſe effectũ:nihil autem oculis percipi poſſe abſque luce, neque tactui obſiſtere,& palpabile eſſe poſſe abſq; terra: ex terra ergo mundum conſtare & igne.

Nam lucem ab igne prodire, immò quandam ignis ſpeciē eſſe putauit Plato. E
Duo ergo hæc corpora extrema ſunt, ex quibus conſtat uniuerſum. Verum
extrema indigent medio, quo veluti vinculo & nodo fiant unum, & inuicem
coniungantur. Medium uerò illud maximè eſt ſecundum naturam; quod e-
tiam maximè unum eſt cum vtroque extremo. Tale autem medium reperi-
tur in proportione geometrica. Nā in ea proportione medium alterutri ex-
tremorum collatum ſtatim refert naturā alterius extremi; ut puta, duo, qua-
tuor, octo. nam octo ad quatuor duplam habet proportionem: item quatuor
ad duo, duplam. Contrà, duo ad quatuor collata, ſubduplam: quatuor item ad
octo, pari modo ſubduplum eſt. Huiuſmodi ergo medio contraria ſeu extre-
ma maximè efficiuntur unum. Ignis igitur & terræ mundi elemēta extrema F
huius rationis medio cōiungi opus eſt; ſi mundus maximè vnus effici debet.
Verùm, ut à geometris demonſtratur, inter duas ſuperficies planas vnum tā-
tum mediū in hac geometrica proportione inueniri poteſt: at in corporibus
ſolidis hoc fieri nequit, vnico medio corpore: quod ita ſe habeat ad extrema
corpora, quemadmodum ſupra diximus quatuor ſe habere ad duo atque ad
octo. Sed duo corpora oportet eſſe media, quibus extrema vniantur hac pro-
portione geometrica. Hoc Euclides euidentiſſimè demonſtrat. Igitur in mū
di conſtitutione ignis & terra, ſi coniungi optima ratione debeant, duobus
indigent corporibus medijs. Merito ergo ab optimo & ſapientiſſimo rerum
opifice aër & aqua collocata fuerunt inter ignem & terram. Mundus igitur
ſumma ratione ex quatuor his elementis conſtat, igne, aëre, aqua, & terra. G
Hæc Plato in Timæo. Nobis uerò neque illud in præſentia diſcutiendum du
cimus, an ſcilicet lux abſque igne eſſe queat: nihilque tactu percipi ſine terra.
Itemque an corpus æthereum cœlorum inquam ſit igneum, ut ſenſiſſe etiam
hoc in loco uidetur Plato. Id tantum dicemus; hanc Platonis rationem de
mediis elementis inter ignem & terram, nō eſſe ſumptam ex principiis pro-
priis: quæ per ſe conueniant corporibus naturalibus; ſed ſumptam fuiſſe à
qualitatibus mathematicis. Itaque de genere in genus aliud proceſſiſſe uide-
tur Plato. Cæterum quoniam conſimili argumentationis genere uidetur A-
riſt. vſus fuiſſe in primo de cœlo in oſtendendis generibus motuum ſimpli-
cium: Rationem etenim ſumit à figuris geometricis, ut ſuperius adnotaui-
mus: quoniam tamen ea ratione ſequebatur id, quod ſenſu conſpicimus, ue- H
rum eſſe: duos ſcilicet eſſe motus ſimplicium corporum & ſimplices, re-
ctum inquam & circularem: ſic etiā concedamus Platoni rationē ſumptam à
geometris de duobus elementis medijs: quandoquidem conſtat, ſenſuq; de-
prehenditur, duo eſſe elementa media inter ignem & terram, aërem ſcilicet
atque aquam. Nos uerò in oſtendendo elementorum numero vtimur ratio-
ne Phyſica, ſumpta à natura motus recti: Duo ſunt genera motus recti; ad
medium uidelicet alter, & alter à medio. Nam ſphærica figura duos hoſce
veluti terminos habet, centrum inquam & circunferentiam. Corpus ergo
vnum eſt ſimplex, quod etiam appellamus elementum, quod ad medium fer
tur, alterum à medio ad circunferentiam tendit. Prius omnino & ſimpli-

citer

A citer graue eſt, poſterius omnino & ſimpliciter leue, terra ſcilicet & ignis. Ve
rùm quoniam natura, quantum fieri potuit, conata eſt etiam in diuerſis &
contrarijs generibus referre vnitatem, miroque artificio omnia ita inuicem
colligauit, ut poſtremum ſuperioris generis maximè propinquum ſit ſupre-
mo generis inferioris: vt hac ratione vniuerſa entia indiuiſa inter ſe quo-
dammodo eſſent, & vnam ſpeciem vniuerſi facerent. Neceſſe ergo fuit ad
mundi vnius conſtitutionem, vt hæc duo extrema elementa, graue inquam
ſimpliciter, & leue ſimpliciter medio quodam vincirentur. huiuſmodi uerò
medium unum tantum eſſe non potuit. Nam locus vnius corporis medij,
qui ei natura deberetur, nimirum medius eſſet inter centrum & circunfe-
B rentiam æque inter ea extrema medius. Hoc ergo medium corpus abſolutè
dici non poſſet, quod natura tenderet ad medium; neque natura recederet à
medio: ſed vterque horum motuum pari & æqua ratione ei corpori conue-
niret, & ab eodem negari poſſet. Nam cum natura moueretur ad locum hunc
medium æquo diſtantem interuallo ab illorum vtroque, circunferentia ſci-
licet & centro; vtique locus ille non magis pertineret ad medium, quàm ad
circunferentiam attineret. Motus ergo huius corporis ſimplicis recti ad
neutram ſpeciem motus recti referri poſſet; ac propterea uerè ac propriè mo
tus rectus nequiret eſſe. Omnis nanque motus rectus uel eſt ad medium uel
à medio: neque dici poſſet abſolutè aut graue aut leue. Quamobrem effici-
tur, ſi recti motus naturam ſeruare voluerimus in quolibet ſimplici corpo-
C re recto; ut unum tantum medium eſſe nequeat inter ignem & terram.
Erunt ergo duo media, quorum vtrunque graue eſt & leue: vtrunque & à
medio, & ad medium mouetur: abſolutè tamen alterum eorum leue eſt, &
ſecundum quid graue: Item abſolutè mouetur à medio; & ſecundum quid
ad medium tendit. Alterum uerò abſolutè eſt graue, & ſecundum quid leue:
Item abſolutè mouetur ad medium, & ſecundum quid mouetur à medio:
quod in uno tantum medio inter extrema dici non poteſt; vt modò oſtendi-
mus. Duo igitur neceſſe eſt eſſe media elementa; ſi natura definitioue mo-
tus ſimplicis recti eſt accommodanda medijs elementis. Quintum uerò ele-
mentum inter quatuor hæc medium eſſe nequit eadem de cauſa, qua unum
tantum tertium diximus eſſe non poſſe. Nam quinto huic medio motus re-
D ctus nullus accommodari poſſet, neque abſolutè graue eſſet, neque abſolu-
tè leue; ſi grauitas & leuitas in eo eſſent pares. Plura uerò quàm quinque
ſi quis fingere uellet: iam ſenſu ipſo conuinceretur longè falli, & tota (vt
aiunt) errare uia. Quatuor igitur elementa hunc vniuerſum componunt:
Ignis, Aêr, Aqua, & Terra: ex quibus ſigillatim nonnulla percurremus in-
fra. Attamen primo huic volumini modum ſtatuemus, ſi ſuperiùs conſtitu-
tis de motu grauium & leuium addiderimus id, quod Ariſtot. dicit in quar-
to libro de cœlo: Terræ ſcilicet, quoniam omnino grauis eſt, nullibi leui-
tatem conuenire: Ignem uerò, quoniam leuis eſt, nullibi grauem eſſe: Aêri
verò & Aquæ elementis medijs utrunque accommodari: nam alicubi gra-
ues ſunt, alicubi leues. Aqua etenim in ignis loco & aêris, grauis eſt: in ter-

ræ,leuis. Aêr in terra,& aqua leuis,in igne grauis:Præterea tum aqua,tum aêr E
in proprijs naturalibusq́ue locis alio quodammodo ſunt & graues & leues:
magis tamen vterque grauis, quàm leuis:quod quamuis vtrique conueniat,
magis tamen conuenit aquæ,quàm aêri:ſunt inquam graues & leues in locis
proprijs alia quadam ratione,quàm extra locos proprios. Nã extra proprios
locos tum aqua tum aer conſtituti violenter quieſcunt,& ab eis recedere ni-
tuntur,ad naturalesq́ue locos tendere. At in locis proprijs eorum vtrunque
corporum ſecundum naturam quieſcit,indeq́ue moueri non appetit. Verùm
ſi impellantur tam aqua quàm aer in proprijs conſtituti locis, ſuo nixu mouē
tur quoquo uerſus; in latus ſcilicet, ſurſumq́ue & deorſum:facilius tamen &
pronius deorſum feruntur, quàm ſurſum. Ideo hac ratione in locis proprijs F
& graues ſunt & leues, magis tamen graues quàm leues. Quòd ſi etiam par-
tem aquæ ſeu terræ ſummoueris contingentem corpus aereum; aer facile in
eum locum deſcendit: facilius adhuc & pronius deſcendit aqua, ſi terra ſub-
tracta fuerit. Contrà,ſi aer ſuperior aquam pertingens receſſerit,ſublatusq́ue
fuerit; difficilè magnaq́ue vi aqua ſurſum euehitur. Parem rationem credi-
bile eſt,ſi ignis aere ſuperior ipſumq́ue tangens remoueretur,futuram in ae-
ris aſcenſu; licet minore fortaſſe vi aer in locum ignis ſuccederet,quàm aqua
in locum aeris. Sicuti econtra aqua procliuior eſt ad deſcendendum quàm
aer. Huiuſce rei Auerrois præclariſſimus auctor duas cauſas adfert. Cum
mixta omnia generentur in mundi imo; ex elementis uerò mixta conſtituan
tur; rectè à natura factum eſſe in elementis, quæ non ſunt omnino leuia, ſed G
aliquam grauitatem habent, vt proniora ſint ad deſcendendum ad locum
medium, quàm ad recedendum ab eodem loco medio. Hæc ratio ſumitur à
cauſa ea, quæ finis eſt. Aliam præterea addit, inquitq́ue:humiditatem magis
affinem eſſe grauitati quàm leuitati. Res nanque omnes factas humidio-
res, pariter fieri grauiores. Cum ergo tum aer, tum aqua humidisſima ſint
corpora; hinc eſſe quòd proniora ſunt ad grauitatis nixum, quàm ad eum;
qui eſt leuitatis. Præter hanc,quam attulimus,rationem, quòd elemēta qua-
tuor ſint, ignis ſcilicet,aer, aqua, & terra, Ariſt. in primo Meteororum aliam
adducit ſumptam ab analogia, & proportione, quæ inter elementa eſſe de-
bet quo ad materiam. Nam elementa contraria ſunt: quamobrem, ſi eorum
quodpiam fuerit maius iuſto, nimirum actione & vi ſua corrumpet & de- H
ſtruet elementa ipſi contraria: ideo eam oportet eſſe inter ea corpora analo-
giam, ut æqua ſit in omnibus materiæ portio; quamuis rarioribus denſio-
ribusve dimenſionibus,vel compacta in unum,uel expanſa & reſoluta, prout
cuiuſque eorum natura exigit. Quo fieri vt præter aquam & terram ſenſi-
bus manifeſta, id quod reliquum eſt ſpatium infra cœlum uno tantum cor-
pore plenum eſſe non poſſit; ſed duo ſint oportet. Planius ac diffuſius
quiſq̄ue hæc legere poterit apud Ariſt. in Meteor. Quamobrem nobis ſatis
ſit hanc poſtremam innuiſſe rationem. Quæ uerò de ſingulis elementis di-
cenda ſunt, in ſequens volumen differantur.

DE ELEMENTIS

LIBER SECVNDVS.

A CVM ita natura comparatum ſit, ac certiſſima ratio nobis perſuadeat, vnumquodque, quod ab aliqua cauſa in lucem prodit, quantum fieri poteſt pro naturæ ſuæ captu, referre imaginem ac ſpeciem illius cauſæ, à qua effectum fuerit: mundusque hic vniuerſus eſſe & naturam quam habet, acceperit, ſemperque accipiat à primo rerum principio; quod maximè omnium vnum eſſe eſt demonſtratum in prima philoſophia: iccirco maximè quoque vnus eſt mundus. Quamuisque multa & innumera ferè intra ſe contineat, ea tamen ita inuicem coniuncta ſunt, ac
B ſuperioribus ea,quæ deinceps ſunt,adeo cohærent; vt quiuis,qui aciem mentis paulum intenderit, perſpiciat, facileque deprehendat auctoris vnitatem mira hac partium coniunctione luculentiſſimè vniuerſum pro ſui natura referre,ac mirificè æmulari. Ideo cum poſt corpus æthereum diuinum, & immortale primo loco collocatus ſit ignis (vt in priori libro oſtendimus), maximè elementorũ omnium, quantũ mortalis natura imitari potuit immortalem, propinquus eſt ignis cœleſti & æthereo corpori. Nam & naturali motu ignis ad cœlum tendit,tanquam ad proprium locum,naturaq́; ſibi debitum; à quo præcipuè foueatur & conſeruetur. obtinet etiam qualitatem & virtutem degenerantem quidem ab ætheris qualitate, & diuino eo tepôre æthereo; ei tamen propinquam, caliditatem.ſ.ſummam, quam etiam calor ille
C æthereus ac lumen cœleſte generat, ſi fuerit paulò intenſius. Caliditas hæc ignea qualitatum omnium primarum maximè actiua eſt:hac item mater rerum omnium natura utitur, vt præcipuo inſtrumento in generatione & conſeruatione mixtorum omnium;eorum præcipuè,quæ animata ſunt,aliisque perfectiora:de qua infrà plurima dicenda ſuperſunt;quæ hoc in loco omittimus. Ignis item purus hic & elementaris maximam inter res mortales omnes obtinet raritatem; & propterea minimum materiei habet; vtpote qui præcipuè accedat ad naturam formæ; ac ueluti abſolutus ſit à craſſitie materiæ:ſuapte etiã natura,non aliunde lucet,lumenq́; naturale habet non aliunde mutuatum: quãuis non adeo magnum, ut aliis quoq; rebus,corporibusq́; propinquis ualeat lumen impartiri; ſi in propria naturalique raritate perſtiterit.

terit. Verùm cum primum fuerit adſcitus ad materiam denſiorem, quæ tamen non ſit omnino opaca, ſed lumini peruia, confeſtim lumen emittit. Calore igitur & lumine ac raritate ſubſtantiæ, proindeque paucitate materiæ, formæque præſtantia, actionis quoque vi, ad generationem mixtorum omnium proculdubio ignis ſummopere æmulatur præſtantiam cœleſtis corporis. Ideoque, quemadmodum uniuerſa hæc elementorum ſphæra ſe habet veluti quædam materiei maſſa & moles, quam corpus cœleſte effingit & format: ita cætera tria elementa, ſi igni comparentur, habent ſe tanquam materia: ignis verò forma eorum eſt & figulus, qui ex illis mixta omnia efficiat. Verùm hæc à nobis inferius aptiori loco diffuſius differentur; cum de mixtione elementorum uerba faciemus. Præterea ignis magnitudine ſua, qua in immenſum diffunditur, imitatur corpora cœleſtia. Nam cum elementa proportionem hanc inter ſe habeant, ut æqua ſit materia omnium, eamque proportionem habeat elementum uniuerſum ignis ad terræ elementum, quam habet ad certam quandam glebam terræ ignis ille, qui ex ea generari poteſt; nimirum omnibus perſpicuum eſt, uel ex nimia ligni parte, quod terra longè eſt rarius, tam magnam ignis copiam generari, vt, ſi perdurare tota ea vis ignis poſſet, ſimulque conſpici, incredibilis quædam moles diffuſa eſſe uideretur; quæ ex puſillo ligni ſtipite prodijſſet. Hac ergo ratione perſpicuum eſſe reor, ſphæricam ignis eximiæ magnitudinis eſſe. Præterea ex aſtrologorum rationibus, qui metiuntur quantum luna à nobis diſtet, quæ infima omnium ſyderum eſt, facile cuiuis compertum erit ſphæram ignis maximam eſſe oportere. Amplius ex cœli motu & uertigine idem proculdubio perſuaderi poteſt. Nam motus diſgregatione calorem facit, ac nimium calefaciendo, ignem: vt ſenſus teſtatur. Cum igitur cœli vertigo ferè pertingat etiam ad vniuerſum aërem, qui eſt ſupra altisſimos montes conſtitutus; nulli vtique dubium eſſe debet, quin maxima pars illius totius corporis circumacti motu rapidisſimo diſgregata accendatur, & ignis fiat, ſeu in natura ignis conſeruetur. Elementum ergo ignis longè ſuperat magnitudine alia elementa omnia: ideoq; hac quoque ratione naturam cœleſtis corporis imitatur. Ad hæc ignis elementum particeps quodammodo eſt motus circularis, qui proprius cœlorum eſt. De quo paulò latius eſt à nobis differendum. Sphæra ignis uniuerſa circumagitur, motuque in circulum ſemper uertitur: huius motus tamen cauſa non eſt à natura, formave huius elementi: neque hic motus uerè circularis eſt & ſimplex, ut aliquibus uideri poteſt. Nam vnius corporis ſimplicis unus tantum motus ſimplex naturalis eſt; ignis corpus eſſe ſimplex conſtat, naturaque ferri à medio ſurſum verſus: non ergo poteſt motu circulari moueri ſecundum naturam: neque etiam motu circulari ſimplici poteſt uiolenter moueri. Nam motus uiolentus eſt naturali contrarius, motui autem circulari nullus motus ſimplex contrarius eſſe poteſt. Vni etenim unum tantum contrarium eſt: at motui naturali, qui eſt à medio ſurſum uerſus, quem diximus natura conuenire igni, contrarius eſt motus ſimplex rectus, qui eſt ad medium. Motus igitur circularis ſimplex neque ſecundum

natu-

A ram neque contra naturam igni, alteríve corpori ſimplici attribui poteſt, præterquam corpori cœleſti: cuius naturalis eſt motus. Igitur motus, quo circumagitur elementum ignis, non eſt motus ſimplex, neque proprio nomine atque appellatione circularis appellari poteſt: ſed uertiginis motus eſt quidam & circularis ſeu circumactionis, compoſitus ex pulſu & tractu: quo fit ut eo motu tota ignis ſphæra non moueatur uniformi, eademq́ue uelocitate & paſſu; ſed quædam ignei elementi partes uelocius, nõnullæ lentius uertiginem illam conſequantur; aliæ inuicem impingantur & conglobentur; contra aliæ diſſoluantur. Quamuis autem minimè concedamus motum hunc non ſimplicem, quo ignis circumagitur, eſſe naturalem igni; quia
B corpus ſimplex natura motu ſimplici mouetur, non autem motu compoſito: non tamen motus is uiolentus eſt. Nihil etenim uiolentum poteſt perpetuò perſeuerare: perpetua tamen uertigine elementum ignis circumagitur: erit igitur motus hic igni neque contra naturam eius, neque ſecundum naturam; ſed, ut ita dicam, eſt præter naturam, necnon etiam præter uiolentiam. Cauſa uerò efficiens huiuſce motus, nulli dubium quin ſit corpus cœleſte circulariter motum. Quo pacto autem cœlum mouere queat ignis ſphæram, cum ſimpliciſsimo circulari motu moueatur, neque unquam magis uergat in quampiam partem, quàm in aliam; itemq́ue habeat ſuperficiem concauam læuiſsimam, in qua nulla eſt ruga; nihil eſt quod emineat, aut intrò recedat; dubitare aliquis meritò poſſet. Verùm,
C ſi rectè attendamus ea, quæ loco naturali conueniunt, non difficile erit nobis hanc quæſtionem diſſoluere. Locus naturalis cum contineat locatum, ſe habet ad corpus contentum, ut forma ad materiam, ſeu ut totum ad partem. Mirum ergo nulli eſſe debet, ſi nulla vi, ex connexione tamen, quæ eſt inter ignem & cœli concauum, locum inquam naturalem ignis, cœlum in gyrum moueat ignem, corpus ſibi proximum. Ab extrinſeco igitur principio eſt hic motus, à cœlo inquam: quod ſecum ducit ignem coniunctum. Poſſemus huic non ægrè addere aliam cauſam, qualitatem ſcilicet cœleſtem illam, qua omnia elementa fouentur, & mixta corpora generantur: quæ cum è cœlo fluat continenter, ab eoq́ue conſeruetur; ut in lumine conſpicimus: nimirum incredibile ne-
D quaquam eſt, ſi, circumacto cœlo, ac propterea circumacta qualitate hac, ab ea ignis moueatur in gyrum. Nam in motu quoque aquei elementi & maris oceani, ut infrà docebimus; nulla alia cauſa afferri poteſt, præter huiuſmodi qualitatem: cuius vi omnia elementa imitantur motum cœli circularem, præter naturam tamen cuiuſque eorum, nec minus præter uiolentiam vllam: terram excipio, & eam elementorum portionem, quæ continetur intra terræ receſſus. Nam terra, tum quoniam gerit vicem centri, quod in motu ſphæræ eſt immobile; tum etiam ſuo pondere & conſtipatione, motui cuius inepta eſt, ſi in proprio naturaliq́ue loco conſtiterit: ſola ergo non afficitur terra cœlorum motu; cum illis, quæ intra eius receſſus continentur, & intercipiuntur, ab eius partibus eminentiſsimis, ſummis ſcilicet montibus. Motu hoc circulari difformi & inæqua-

inæquali ſphæra ignis circumacta neceſſe eſt interdum partes eius conglo- E
bari & conſtipari : quod cum accidit, confeſtim ſplendorem emittunt, & il-
luſtres fiunt, quod prius pro ſumma ignei corporis raritate facere non pote-
rant; ſicq́ue imitantur ſpeciem flammæ. Verùm cum corpus igneum natura
tendat in ſuam raritatem, calorq́ue conſtipatus reſoluat & rareſaciat; rurſus
diſſoluuntur partes illæ, & flammæ ſpecies euaneſcit. Quinetiam motus &
vertigo cœli, cuius vi conſtipatæ ſunt, eas demum eadem vi diſſoluit & ra-
refacit: accidit interdum tamen vt exhalatio ſicca à terra reſoluta, cum ad re-
gionem ignis aſcenderit, ſphæræ motu inflammetur; ignisq́ue ab eius extre-
mo ad finem vſque breui percurrat, hocq́ue modo fiunt ſtellæ currentes. Ex-
primitur etiam quandoque ex conſtipatione ſuperioris aêris, ſeu vaporis fri F
gidi exhalatio ea arida terram verſus, quæ motu accenſa ſpeciem ſtellæ ca-
dentis nobis refert. Verùm cum in ſphæra ignis ſacta fuerit ea conſtipatio
partium, (vt oratio redeat vnde digreſſa eſt) quæ tam magna multaq́ue ſit, ut
non ſacilè diſſoluatur : exaltatioq́ue item à terra reſoluta ſomentum illi præ
ſtet: tunc fit cometa, cæteraq́ue illius generis. Cometæ duæ ſunt ſpecies. Al-
tera eorum, quæ conſiſtunt in parte huius elementi ignei, de quo agimus, in-
feriori. hi cometæ per ſe apparent nulli errantium fixarumve ſtellarum con-
iuncti, ac quamuis circulari motu moueantur, deficiunt tamen à motu cœli,
ſemperq́ue retrocedere uidentur. Immò obſeruaui ego proximis annis hu-
ius generis cometam, qui quouis veſperi uidebatur magis acceſſiſſe ad po-
lum ſeptentrionem verſus. Cuius rei cauſa in promptu eſt (vt reor ego) Nam G
ueriſimile eſt cum ignis ſphæra circumagatur à cœli vertigine, difformi ta-
men motu, inferiorem eius partem tardius moueri quàm ſuperiorem. Ne-
que etiam mirum eſt, ſi à vertigine maxima æquinoctialis circuli, cœliq́ue
medij propellantur eius partes ſeptentrionem verſus, ubi uertigo eſt minor.
Altera autem cometarum ſpecies fit, ſi conſtipatio partium ignis illa, quam
diximus, facta fuerit in ſuperiori parte elementi ignei, cœloq́ue propinquio-
ri, ubi commodè lumen cuiuſpiam ſtellæ fixæ, errantisve in ea ueluti in ſpe-
culo, quod figuram quidem non referat, ſed ſolum lumen, reflectatur : qua
flexione luminis radius in ſeipſum redeat, ac uiſibilis fiat. tunc etenim uide-
tur ſtellæ erranti ſeu mobili addita cauda, ſiue crinis adiunctus : quomodò
fiunt cometæ alterius ordinis; conſequiturq́ue cometa motum ſtellæ, aut H
adeo parum deficit, ut ſenſu, niſi poſt certum temporis ſpatium, deprehen-
di non queat. Huiuſce rei ratio illa eſt, quoniam conſtipata ea pars ignea
ſita eſt in ſuprema regione ignei elementi, quæ cœlo propinqua omnes a-
lias cognatas partes celeritate ſuperat. Poteſt attamen interdum accidere, ut
priori deſtituta & reſoluta, alia pars ſtellam uerſus conſtipetur, ſicq́ue no-
bis eandem ſpeciem referat : quamuis alia, non autem eadem uerè exiſtat.
Eiuſdem modi exiſtimauit Ariſtot. eſſe uiam lacteam : ſed, quoniam eius
uiæ ſpecies perpetua eſt, & immutabilis, poſteriores Peripatetici com-
plures eo in loco præceptorem minimè ſequuti ſunt. Mirum namque
& incredibile uiſum eſt eis conſiſtentiam corporis ignei in uia illa ſem-
per eodem modo perſeuerare, neque in parte illa unquam immutari.

Ideo

A Ideo hi omnes in eam ſententiam deducti ſunt, vt putarent viam lacteam accidens quoddam eſſe corporis ætherei ob multitudinem innumeram ſtellarum ibidem exiſtentium; quæ adeo ſunt minutæ, ut earum corpora à nobis ſigillatim perſpici nequeant: ſimul tamen conſpiciantur confuſa omnia earum lumina, quæ nobis referunt candorem illum. fortaſſe etiam denſiores ibi partes ſunt cœli, in quibus lumen earum ſtellarum refractum fulgeat, ut in lunam à ſole deductum lumen. Præterea ipſæ quoque cœli partes denſiores, ſuapte natura ſplendidiores ſunt, ideoque non tantùm fulgent alieno lumine, verùm etiam per ſe ſplendent. Sed de his ſatis, ne egrediamur inſtitutum à nobis opus de elementis. His quæ hactenus diximus de ignis elemen-
B to ſi hoc vnum additum fuerit, ſatis hoc loco dictum fuiſſe de igne, ut elementum eſt uniuerſum conſtituens, videri poterit. Simplex ſcilicet & purum huius elementi corpus inueniri tantum iuxta orbes æthereos. Nam qua parte aerem attingit, in dubium uerti non debet, quin ignis impurus ſit. ſicuti etiam cætera omnia elementa apud nos impura ſunt, vt infrà dicemus: niſi fortaſſe ea pars terræ ſit pura, quæ iuxta centrum ſita in ſe compacta vim actionemque aliorum elementorum non admittit. Efficaci ratione cuiuis facile hoc perſuaderi poteſt. Nam cum elementa viciſsim aduerſa & contraria ſint, naturaque contrarium omne agat in rem contrariam, quæ non magis ab eo diſtat, quàm ut eò vis eius poſsit pertingere: vtique aer, qui maximè humidus eſt, proculdubio ſui humiditate afficiet proximum
C ignem; qui propterea grauior factus ad frigidiorem locum deſcendens magis ac magis graueſcens cum grauioribus aeris partibus cum vapore mixtis in centrum hoc delatus mixtarum rerum generationem facit. Is namque, qui apud nos eſt ignis, omnis impurus exiſtit, alienæque materiæ immixtus, ſiue fumus accenſus flammam effecerit, aut carbo huiuſmodique alia incenſa fuerint. Sed inferius longè plura de his. Hoc ergo elementum igneum purum eſt quà pertinet ad aerem: contrà verò quà corpus cœleſte attingit, veriſimile eſt purum, ſimplexque eſſe. Nam ibi nihil contrarium eſt igni, quod ipſum afficere queat: immò in loco naturali eſt ſitus, & eo, qui maximè aptus ſit fouere igneum corpus, tum lumine & qualitate à ſe dimiſſa, tepôre inquam æthereo, tum motu celerrimo & vertigine rapidisſima.
D Quòd ſi quæris, an partes illæ ignis puræ perpetuò immortales perſeuerent: aut ſi mortales ſint, quònam pacto corrumpantur, cum nullum ibi contrarium exiſtat, à quo corrumpi queant: Reſpondemus, quòd vertigo illa, qua circunducitur ignis, difformis eſt: ac propterea partes ignis fluctuant, ex quo fiat ut deorſum pellantur partes ignis illæ etiam, quæ corpus æthereum contingunt, quæ tandem trudantur aerem verſus: à quo affectæ deſcendant, deorſumque ad terram ferantur: ſicque corrumpantur & intereant. Hæc de ignis elemento, prout vniuerſum conſtituit, ſatis ſint dicta. Poſt corpus igneum aeris elementum nobis occurrit: quod ſuprà diximus non omnino leue eſſe, ſed ſecundum quid graue. Nam aer in ignis ſphæra deſcendit: in proprio etiam naturalique loco ſi impellatur,

pronius deorſum fertur, quàm ſurſum. Elementum hoc aeris poſitum E
ſitumque eſt inter ignem, aquam, & terram, nulla ſui parte (vt reor ego) ſimplex & purum, ſed vel aliena qualitate affectum, vel alienis corporibus immixtum. Regio namque ea aeris, quæ igni proxima eſt, ab igne ſemper afficitur, vicisſimque ignem afficit, ut ſuprà diximus; quamobrem ſiccior eſt iuſto. itemque à cœli vertigine diſgregata, etiam fortaſſe iuſto eſt rarior. At pars ea aeris, quæ terram & aquam contingit, à frigidisſimis elementis præter naturam afficitur eximia frigiditate, adeo vt frigidisſima eſſe ſentiatur: vbi radij ſolis incipiunt in immenſum diffundi, nec ſic in vnum coguntur, ut calorem efficiant. Præterea cum ſyderum omnium ſolisque radij cogantur & coeant in centro, reflectanturque à terræ ſpisſitudine, mi- F
rificè afficiunt aerem. Item cum vi radiorum & tepôris cœleſtis, tum ex terra perpetuò reſoluatur exhalatio quædam arida, tum ex aqua & terræ locis uliginoſis & paluſtribus aqueus uapor, qui ferè eſt aqua, uicisſimque mixta hæc in aerem diffundantur; proculdubio continenter & ex omni parte aliena hæc corpora immixta ſunt aeri. Quamobrem reor ego his rationibus ſatis efficaciter oſtenſum eſſe uniuerſum, impurum eſſe, ac fortaſſe nullam eius partem ſupereſſe, quæ non ſit alienis corporibus immixta, aut aliena qualitate affecta. Idem ſenſus teſtatur: nam & ea quæ in aere apparent, ut iris, area, uirgæ; & ea, quæ deſcendunt in terras, grandines inquam, pruinæ, pluuiæ, rores, uentorum quoque impetus, nubes, tonitrua, flumina, currentes ſtellæ ſereno cœlo, certisſima argumenta ſunt ma- G
gnæ alienorum corporum copiæ aeri immixtorum. ſimplicem uerò aerem ſi ratione & mente diſpiciamus, (quandoquidem ſenſibus ſimplex offerri non poteſt) corpus quoddam calidum erit, præcipueque humidum, igne denſius, ſed longè rarius aqua & etiam uapore aqueo: quod neque ita efficax eſt in agendo, ſicut ignis. humiditate etenim calor obtunditur: neque ita obuium pasſioni, ut ignis; utpote quod magis contumax de materia, & crasſius ſit quàm ignis. Hoc è duobus medijs elementis prius eſt; quo ignis aquæ & terræ coniungitur. Nam calidum eſt, ac propterea igni cognatum: item humidum eſt, ac ideo cum aqua conuenit: necnon cum terra etiam quandam habet affinitatem, quamuis terra arida ſit, & aer
humidus; quoniam humiditas magis eſt affinis frigiditati, quàm calori, H
quem hebetat: qua de re ob humiditatem aer quodammodo conuenit cum terra, quæ eſt frigida. Huiuſce corporis accidentia, quæ quotidie ferè ſeſe nobis offerunt, paucis perſtringemus. Horum quædam viſuntur tantum & apparent, nullibi uerò in aere conſtant. Nonnulla autem verè in aere conſiſtunt, ac in eo efficiuntur. Prioris generis ſunt Iris, area, ſoles gemini, ac terni interdum, virgæque. Omnium horum vna quædam genere eſt cauſa, reflexio inquam radiorum ſolis ac interdum lunæ, itemque aliorum ſyderum inſigniorum, rarius tamen. Nam cum circa lumen ac nonnunquam circa ſolem; quamuis id raro de ſole contingat; conſtiterit caliginoſus aer exhalationi vaporique immixtus, adeoque ex mi-

nutis

A nutis corporibus compactus, ut eorum ſingula efficiantur veluti ſpecula; quæ colorem tantum ſyderis referant, circa quod ſiunt; figuram uerò nequeant referre ob exiguitatem: tunc circa id ſydus area conſpicitur: cuius figuræ ratio in Meteoris ab Ariſtotele ex propoſitionibus mathematicis eſt explicata. Quòd ſi quando ita fuerit compactus aer exhalatiove, vt interius ualde opaca ſit, exterius uerò diaphana & læuis, adeoque ſimul coacta, ut non plura ſpecula efficiantur, ſed unum tantum: nimirum ſpeculum illud & colorem & figuram ſyderis refert. ea propter inſpiciuntur quandoque plures ſoles, gemini inquam, ternive: quod ſæpenumero habitum fuiſſe in prodigijs hiſtorici referunt. Nubes uerò B plena rore poſt imbrem plerunque ſoli obiecta irim facit in ſemicirculi ſpeciem: figuræ ratio ex geometricis poſitionibus fusè oſtenditur, ut ab Ariſtotele in Meteoris. Virgæ ſunt veluti imperfectæ Irides. Hæc, atque huius generis, ſi qua alia ſunt, ſpeciem tantum quandam oculis obijciunt: nullibi tamen conſiſtunt. Ea uerò, quæ præterquam quòd nobis apparent, conſtant etiam in ſuperiori quidem aeris parte, ſunt ſtellæ currentes: quæ tunc fiunt, cum exhalatio ſicca vſtioni apta eò peruenit, & à vertigine inceneditur. interdum quoque hæ currentes ſtellæ fiunt in parte aeris inferiore; cum exhalatio arida incluſa vapori frigido in inferiorem locum exprimitur, ob id quòd vapor in ſuperiori ſui parte conſtringitur, ſicque infra ſe exprimit exhalationem, quam conti- C net. expreſſa hæc, ſi vehementiori motu feratur, ignem concipit, ſtellæque cadentis ſpeciem refert. At nubes denſa valdeque opaca poſita ſecus lucidiorem nubem lumini peruiam, imaginem quandam nobis refert hiatus & ſpecus. Nam ut oſtendunt perſpectiui, quanto quæque res longius ſita eſt, tanto magis nigricat & ad opacitatem tendit. Etenim, cum viſus deficere incipit, cuiuſque rei color videtur vergere ad opacitatem & tenebras. Quo fit vt vicisſim contrà rem commeare viſus ac imaginatio iudicet: vt ſcilicet res, quarum ſpecies nigrior ſit, longius ſitæ ſint, interiusque recedant. Quod pictores imitati ludificant oculos ſpectantium, hoc in picturis artificio vtentes, à perſpectiuis mutuato. Hiatus ergo ac foueæ, quamuis non ſunt in aere, vt viſus eſſe putat: eſſe ta- D men uidentur, propter eam quam diximus cauſam. conſtat tamen in aere nubes illa opaca, quæ ſpeciem hiatus refert. Itaque ſtellæ currentes & hiatus hi, quamuis conſiſtant in aere; attamen maximè cognata ſunt his, quæ ſuprà diximus apparere tantum, & non conſiſtere: quoniam non ſecundum eam ſpeciem conſiſtunt, quam referunt. Ea uerò quæ uerè conſiſtunt in aere, neque oculos deludunt, ſunt nubes, pluuiæ, grandines, rores, nix, pruina, fulmina, ventrorum impetus, nonnullaque alia huiuſce generis. horum omnium cauſa eſt exhalatio duplex: altera ſicca, altera humida. prior è terra, poſterior ab aqua, aqueiſque locis reſoluitur vi ſolis & ſyderum. quæ quamuis ſemper mixtæ inuicem ſint; nihilominus abſolutè trahuntur ad genus illud, quod in eis magis fuerat

abundans. Vapor cum in ſuperiorem aeris partem peruenerit,interdum deſtitutus ab eo calore, à quo ſurſum tractus,& vi fuerat rarefactus,iterum ſenſim concreſcit,deſcenditque minutisſimis guttulis coactus in rorem. Interdum uerò ab aeris frigiditate cogitur primò in nubem, deinde in aquam; coactisque inuicem minimis guttulis iam maiores factæ deferuntur in terram, pluuiamque efficiunt. Quòd ſi fuerit adeo magna frigiditas in unum coacta ex calore aeris circunſiſtente; ut antequam aqua deorſum cadat,in glaciem concreſcat; grandines fiunt. Sin uerò ex nimia aeris frigiditate non in unum coacta locum tantum, ſed ubique per aerem ſparſa,ſiccitateque frigori adiuncta vapor antequam cogatur in aquam, inſpiſſetur & concreſcat; fiunt niues & pruinæ: quæ inter ſe eam habent proportionem, quam rores ad pluuias: ut ſcilicet pruina tori, nix pluuiæ reſpondeat. In aere hæc ſolent effici à vapore,qui ſemper vi ſolis & ſyderum à terra aquaque reſoluitur:rurſusque immutatus in ea, quæ dicta ſunt, defertur in terram & aquam. Quam vaporis circuitionem Homerus (ſi Ariſtoteli credimus) expresſit fluuio illo Oceano, quem poſuit terram circunfluere. Exhalatio uerò ſicca è terra reſoluta cum occurrerit vaporibus exhalationibusque frigefactis, quæ deorſum ad terram ſenſim ſemper feruntur; eis immixta, cum neque ab illis deprimi queat deorſum, neque attollere ſurſum verſus eas posſit, vi percita ex inſito ſibi contrario nixu in tranſuerſum fertur. Inde euenit,vt maximus fiat ventorum impetus: cum magna extiterit in aere exhalationis vaporumque, quos diximus, copia. At lenes auræ excitantur, cum minor huiuſce generis rerum vis copiaque in aere fuerit. Item ſi nubibus vaporibuſque incluſa fuerit exhalatio hæc arida, & vi coactis ſupernè nubibus detruſa fuerit terram verſus, Ecnephiæ fiunt, venti inquam flantes è nubibus, & procellæ. Sin autem non ſatis in unum coacta, ſed diſperſa per nubes erupe-rit; accenditur, atque efficit fulgura & tonitrua. At in unum conſtipata, uaporique frigido implicita, magnaque vi exploſa fit fulmen: cuius non unum tantum genus eſt, ut in Meteoris oſtenſum eſt. Nobis hæc recenſuiſſe ſufficiat in enumeratione accidentium aeris; quatenus elementum quoddam eſt uniuerſum conſtituens. infrà uerò,cum de mixtione elementorum diſſeremus,longè ſubtilius inueſtigabimus cauſas accidentium horum omnium. Sequitur aerem aqua:de qua paucis ea quoque dicenda ſunt à nobis, quæ faciunt ad hanc tractationem. Aquæ elementum infra aerem poſitum centrum verſus licet nonnullam habeat leuitatem,quia terræ ſuperſtat;abſolutè tamen eſt grauis; ea propè ratione, qua ſupra diximus aerem abſolutè leuem eſſe: ſed, ut reor ego, etiam magis aqua grauis eſt, quàm aer leuis: quoniam aer in propria ſphæra grauitatem illam habet, de qua ſuprà meminimus; ex qua nonnihil demitur de eius leuitate. Aqua uerò maiorem habet in propria ſphæra eam grauitatem, quàm aer: quæ, ſicuti officit leuitati aeris, ita uidetur addere ad grauitatem aquæ. Quamobrem iure vnuſquiſque pronunciare poteſt, aquam eſſe magis grauem, quàm aer ſit leuis. Item aqua natura frigidisſima eſt, &

maxi-

A maximè humida. Verũ ratio cuiuis facilè perſuadet nullibi inueniri aquã purã; ſicuti neque aerem purũ. Nã ab aere ſemper aqua afficitur; magisq; & adhuc magis à terra, cui implicata eſt, & ueluti in globum cõpacta. Exhalationes itẽ vi ſyderũ è terra reſolutæ, aquæ immiſcentur: adhæc pluuiæ, uenti, rores, huiuſmodiq; generis cætera, quæ ab aere in mare decidunt, proculdubio aquã inficiunt, ac (ut ita dicã) impurant. His ego ducor, ut rear aquã purã nullibi locorum eſſe: rationi ſenſus conſonat. Etenim aquã omnem ſapore quodã affectam eſſe guſtu deprehendimus; at ſapor omnis admixtione quadã terreſtris partis cum humido aqueo efficitur, ut infrà docebimus. Maria omnia ſalſa eſſe quis ambigat? Lacus quidem, itemque fontes & ſalſi & amari è terra B ſcatent. Nonnulli ſaporem aluminis, alij bituminis referunt. Dulces quoque aquæ, quamuis intenſiorem ſaporẽ non habent vllum; occultum tamen ipſæ quoque proculdubio ſaporẽ gratumque habent. Ex his facilè ſibi quiſq; perſuadere poteſt, aquam omnem impuram eſſe; ac nuſquam locorum fortaſſe aquam puram inueniri. niſi fortè quiſpiam uelit minimas quaſdam aquæ puræ particulas, ac per ſe inſenſibiles immixtas eſſe mari, lacubus, ac fluminibus: cui neque pertinaciter repugnare uolumus, neque leuiter aſſentiri. Sint aut eſſe poſſint: dummodo minimæ ſint & inſenſibiles exiſtant. Aquæ elementum uerum, eiusque locum proprium Plato uoluit tartarum eſſe intra viſcera terræ ſitum; à quo ueluti aquarum omnium fonte & maria, & lacus, fontesque ueluti per fiſtulas quaſdam erumpant. Aegyptij Chaldæique forſi- C tan idem ſenſere, adeo ut nonnulli Moſi etiam hanc ſententiam adſcribant; cum in Geneſi diluuium factum temporibus Noẽ deſcribens, mentionem facit de magna abyſſo. Contrà, Ariſtoteles ſenſit maria eſſe aqueum elementum, ibidemque exiſtere aquæ locum natura debitum. fontiumque origines & fluminum in aliam cauſam refert: cui ratio & ſenſus magis adſtipulantur. Nam ſi locus aquæ naturalis eſſet tartarus intra viſcera terræ locus, ſeu potius iuxta centrum ſitus: nimirum ſecundum naturam aqua eſſet grauior terra; quoniam locus aquæ naturalis eſt infra terram iuxta centrum ſitus. Non tamen diffitendum eſt intra terram hanc, quam colimus, eſſe maximas ſpecus aqua & aere plenas: cuius rei certisſimum argumentũ ſunt terræ motus, qui quandoque totas prouincias ſimul cum altisſimis montibus qua- D tiunt: vnde & terras ſubſidere, ac mergi inſulas, alias emergere & naſci è mari uiſum ſit. Quemadmodum igitur negamus tartarum illum Platonis; ſic concedimus intra terram eſſe aquarum copiam magnam in ſpeculis ingentibus contentam: ſub quibus deinde terra in ſe ſtipata ad centrum uſque: in quo natura terra quieſcit. Præterea terræ, quam incolimus, magna aquæ copia eſt immixta: ex qua fit ut terra plantis omnibus & animalibus quibuſcunque pabulum, nutrimentumque præbeat. Si etiam terram foderis, niſi ſolum admodum ſit aridum ac ſterile; continuò in foueam, quam feceris, confluent aquæ, quæ prius terræ immixtæ quieſcebant, deinde in inferiorem locum defluunt. Quinimò nonnullis in locis quantamcunque aquæ copiam è puteo, quem foderis, exhaurias, confeſtim tantumdem

è terra circunfluens aquæ copiam reſarcit. Necnon aeri terræ proximo magna vis aquæ eſt immixta: vtpote qui plenus eſt vaporibus. Vapor autem nihil aliud eſt, quàm aquæ diſgregatio, ſeu potius aqua rarefacta. Quapropter, ut ſuprà adnotauimus, Homerus cecinit fluuium quendam Oceanum uniuerſam terram circunfluere. hæc aquæ copia terræ, aërique immixta dulcis eſt in morem fluminum, non ſalſa. Ideo Philo vir doctisſimus in libello, quem compoſuit de factione mundi, inquit Moſem in Geneſi, cum ait, in medio paradiſi eſſe fontem, ex quo emanant flumina, quæ irigant uniuerſam faciem terræ, nihil aliud innuiſſe, præterquam hanc dulcium aquarum copiam, quæ & alia eſt à mari ſalſo; quod Deus à terra diſiunxerat; & terræ uniuerſa eſt immixta, & è fontibus defluens in flumina irrigat uniuerſam faciem terræ, ac terram efficit aptam mixtioni, ac propterea generationi mixtorum omnium ualde commodam, & ferendo pabulo animalium plantarumque idoneam. Marium omnium Oceanus, qui extra columnas Herculeas diffunditur, terramque ambit, longè maximus eſt. Poſt eum eſt mare Mediterraneum intra terras receptum, quod per fretum Herculeum cum Oceano coniungitur. Horum vtrumque magnos efficit ſinus: qua terra recedens curuatur, & mari aditum præſtat. Caſpium vnum mare uidetur, & omni ex parte terra circuncludi. Nonnulli tamen probatisſimi auctores geographi hoc quoque mare ſinum quendam fecere Oceani: quod etiam Ariſt. in opuſculo de mundo ad Alexandrum ſentire uidetur: in Meteoris tamen ſecus dicit. Horum marium nomina, ſitus, magnitudines, cæteraque eius generis ſcrutari potius pertinet ad Coſmographiam, ſeu Chorographiã; quàm ad hoc à nobis inſtitutum opus de elementis. Sic de fluminibus ac de lacubus tractatio alterius operis eſt. Illud tantum huic noſtro negotio uidetur reliquum eſſe: ut pauca quædam perſtringamus de motibus, qui in mari eſſe deprehenduntur. Nam flumina quis neſciat è ſuperiori loco ſecundum naturam defluere in inferiorem? In mari Oceano, quod extra columnas Herculeas latè eſt fuſum, ambitque uniuerſam terram continentem, duo viſuntur motus: quorum alter non eſt admodum conſpicuus, proculdubio tamen dignoſcitur in eo mari eſſe. Aqua in Oceano mouetur continenti ac perpetuo lapſu ab oriente in occidens. Motum hunc naturæ, qui Oceanum nauigant, certisſimè deprehendunt. Nam ſi ſoluerint à Nerito Hiſpaniæ promontorio, & vela fecerint Britanniam uerſus ad orientem ſolem, longè tardius procedunt, quàm ſi ex Britannia nauigauerint in Hiſpaniam ad occidentem ſolem: quod aſſerunt accidere ob aquarum curſum ad occaſum ſolis. illi quoque qui ab Hiſpania nauigant ad eas inſulas, terramque continentem, quas noſtris temporibus Columbus Genuenſis inuenit ad occidentem ſolem, vigintiquatuor diebus circiter iter perficiunt: quòd ſi inde reuerti in Hiſpaniam uelint, ob aquarum nixum in contrariam partem, tribus totis menſibus, quatuorve vix perficiunt inſtitutum iter. Idem animaduertunt quotannis Luſitani; qui circunflectentes Africæ oram; promontoriumque cui bonæ Spei nomen indiderunt; tendunt in Indiam ad orientem ſolem.

A De his audiui ego, cum eſſem in Hiſpania, ac legatione fungerer apud Caro-
lum quintum Cæſarem,ni ſecundos ventos vehementius ſpirantes habeant,
ſuperare ſe non poſſe promontorium illud, ac rectà in Indiam tendere, ob
maris motum occaſum uerſus. Vnus hic eſt Oceani motus. Alter quotidia-
nus æſtus, quo ſex horis mare mirificè extollitur & diffunditur; rurſus ſex
horis retrocedit & deprimitur. Hic æſtus adeo magnus eſt in Oceàno, ut,
qui ipſi non inſpexerint, ægrè credant aliis narrantibus. Vidi ego in Belgica,
quæ nunc Flandria nuncupatur, flumina creſcente maris æſtu retrofluere;
eorumq́ue refluxum percipi in locis etiam à mari ualde diſtantibus. In Bri-
tannia vidi Tamisſim fluuium ingentem Londini, quod à mari diſtat quin-
B quaginta ferè millibus paſſuum, ſurſum ad fontes refluere curſu præcipiti;
ſexq́ue horarum ſpatio intumeſcere tribus pènè paſſibus:tam magnus eſt im
petus æſtuantis maris, quod actum & pulſum vi æſtus ad terras diffunditur.
In mari Oceano duo hi deprehenduntur aquæ motus. In mari Mediterra-
neo item duo uiſuntur motus. Nam & æſtus conſpicitur immutari ſingulis
quibuſque ſex horis, quod nos quotidie Venetijs conſpicimus; multisq́ue
aliis in locis maris accolæ idem experiuntur. Verum in hoc mari Mediterra-
neo hic æſtus exiguus eſt, ſi Oceani æſtui conferatur: Ita tamen certus eſt ſi-
cut ille. Attamen non vbique locorum deprehenditur hic æſtus in pelago
Mediterraneo. Nam Tyrrheni maris accolæ Ligures,Galli,qui Prouinciam,
Narbonēſemve Galliam incolunt,& oram Hiſpaniæ, quæ hoc mari alluitur,
C nullum prorſus ſentiunt æſtum. Id ego,cum eſſem Barchinonæ,diligentisſi-
me quæſiui ab incolis:necnon cum iter facerem per Narbonenſem Galliam,
diligenter percunctatus ſum Gallos maris accolas; qui omnes conſtantisſi-
mè aſſerebant illis in locis nullum percipi maris æſtum. Præter hunc æſtum
in mari Mediterraneo alium motum obſeruamus. Nam in ſinu hoc noſtrò
Adriatico ſiquis legerit oram Dalmatiæ, Hiſtriæ, Illyridisq́ue totius, ſentiet
maris motum perpetuum eſſe uerſus occidentem ſolem: ac deinde in inti-
mo hoc receſſu, vbi Venetiæ ſunt ſitæ, flecti ad meridiem verſus Flaminiam
indeq́ue flecti Apuliam verſus ad orientem ſolem. Is maris motus iuxta lit-
tora à ſolertibus nautis vbique ferè deprehenditur in mari hoc Mediterra-
neo:quo uideri poteſt mare hoc veluti in gyrum moueri. Nam ab Helleſpon
D to occidentem verſus flectitur, ac perpetuò eius curſus tenore circuit uni-
uerſam oram continentis ad columnas vſque Herculeas: inde verò per oras
Africæ, Aegypti, Syriæ flectitur ad ſolis ortum. Horum motuum eas cauſas
afferemus, quæ nobis videbuntur magis veriſimiles eſſe: vno in loco fatebi-
mur ingenuè, nullam ad hanc diem cauſam ueriſimilem deprehendi à nobis
potuiſſe: ideo perſpicaciores excitabimus: nobis dubitaſſe ſatis erit. Eius mo
tus, qui in Oceano conſpicitur perpetuus eſſe ad occidentem ſolem, nullam
aliam eſſe poſſe cauſam exiſtimamus præter motum diurnum cœlorum, cu-
ius vi ſphæræ etiam ignis aerisq́ue bona pars circunducitur. Fieri etenim nō
poteſt vt naturaliter aqua hoc motu moueatur. Nam vnius corporis ſimpli-
cis vnus tantum eſt motus ſimplex ſecundum naturam. Motus hic ergo à

motore extrinſeco eſt.Nullum tamen conſpicimus corpus quod aquam con E
tingat & vi circunducat. Illud ergo reſtat, ut moueatur Oceanus hoc motu
vi qualitatis in eum defluentis ab extrinſeco quopiam corpore: Hanc autem
uerisimile eſt nullam aliam eſſe poſſe, præter cœleſtem illam qualitatem de-
fluentem in omnia elementa: de qua ſtatim in exordio huius opuſculi feci-
mus mentionem; quæ in modum luminis dependet conſeruaturque à cœ-
lo. Ideoque circunuoluto cœleſti corpore, ipſa quoque (vt ita dicam) circun
uoluitur; ſecumque ignis ſphæram, aerisque magnam partem & Oceanum
circunducit. Quamuis etiam, ut ſuprà dixi, ignis, continuusque illi aer, quo-
niam cœlum contingit, à cœlo queat ipſo moueri & circumuolui: hæc (vt
reor) cauſa eſt motus illius perpetui maris Oceani occidentem verſus. Ean- F
dem puto cauſam eſſe eius motus, qui in mari Mediterraneo deprehenditur
iuxta terrarum oras, quas alluit, quo (vt paùlo ante diximus) verſus fretum
Gaditanum per littora Europæ mouetur, rurſusque redit verſus orientem
ſolem per oras Africæ atque Aſiæ. Nam quoniam concluſum inter has ter-
ras pelagus perpetuo tenore moueri non poteſt ab oriente in occaſum, ob-
ſtant etenim littora continentis: ea ratione, qua poteſt, imitatur motum cir-
cularem: Ideoque in gyrum voluitur, & noſtra littora uniuerſa luſtrat. Alter
motus reliquus eſt, quem maris æſtum nuncupamus, quemque in noſtra hac
patria quotidie experimur: in Oceano uerò mari eſt maximus. Hunc maris
motum, ut ex æſtus nomine atque etymologia antiquiores ſenſiſſe credibi-
le eſt, nihil aliud eſſe, præterquàm rarefactionem quandam & tumefactio- G
nem maris, auſim aſſerere. ob eam cauſam creſcente æſtu mare vndique ter-
ram petit, & circunquaque ſupra littus effunditur: rurſus decreſcente æſtu
intra ſe cogitur, & vndique à terra recedit: quod fit condenſatione quadam.
hoc ita ſe habere ſenſu ferè percipi facilè poteſt. Etenim nullus, quamuis fin
gere vellet, proferre poſſet vnde tam repente adeo magna aquæ aduentitiæ
copia erumperet in mare, ex qua mare tumeſceret: aut rurſum, quonam ſe re
ciperet decreſcente æſtu, cum mare ſe contrahit. Hoc ergo conſtituto, æ-
ſtum ſcilicet maris nihil aliud eſſe, niſi tumefactionem quandam, vicisſim-
que conſtipationem aquei elementi; reſtat ut inueſtigemus à quonam fiat vi
cisſim huiuſmodi rarefactio & condenſatio. Nullus ſanæ mentis in dubium
uertere poteſt, quin rarefactio tumefactioque omnis fiat vi caloris; quo defi- H
ciente ceſſet; vicisſimque efficiatur conſtipatio vi frigiditatis ſeu inſitæ, ſeu
aduentitiæ. Id nobis quotidie intueri licet in aheno feruenti ad ignem, rur-
ſusque reſidente imminuto ablatove igne. Igitur ui cuiuſdam caloris fiunt
maris æſtus. Atqui experimento euidenter comprehendimus vim hanc ca-
loris, qua mare tumeſcit, pendere à luna: cujus tepôr præcipuè uidetur hu-
mori accommodatus eſſe, & cuiuſcunque rei humorem afficere. Si ergo cœ-
lum diuiſerimus in quatuor partes æquales, duobus maximis circulis, meri-
diano ſcilicet, & horizonte recto; qui à polis ſecet meridianum ad angulos
rectos ſphærales: in æquinoctiali autē Circulo ſecet horizontem obliquum
cuiuſuis regionis, nam æſtus maris non fiunt ubique locorum eodem tem-

poris

A poris momento, ſed pro modo meridiani circuli & illius recti horizontis, de quo meminimus, cuiuſque regionis. ita igitur ſecto cœlo, cum luna à puncto horizontis recti, quem conſtituimus, ad meridianum mouetur ſupra horizontem; tumeſcit aqua & diffunditur. Cum autem à meridiano tendit ad alteram aduerſamque partem horizontis recti ad occaſum; refluit mare, aquaque decreſcit. Rurſus cum ab eo horizontis recti puncto, quod eſt in occaſu, mouetur infra terram ſub pedibus ad oppoſitam meridiani partem, punctum inquam noctis mediæ: iterum tumeſcit aqua, æſtuſque creſcit. A puncto rurſus mediæ noctis recedente luna ad punctum horizontis recti in oriente ſitum, à quo moueri cœperat; defluit aqua, æſtuſque imminuitur. Hoc

B ſemper ferè modo deprehendes aquam moueri, ſi attentè animaduerteris, ſequique lunæ periodos; niſi quando ſolis motus obſtiterit, ut paulò poſt dicam. Vi ergo temporis lunæ accommodati aqueis omnibus fiunt maris æſtus. Quo verò pacto id fiat, perſcrutandum reſtat. Non admodum arduum eſt cauſam inuenire, cur mota luna & aſcendente ab oriente in meridiem, aqua tumeſcat: rurſumque decreſcat, luna deſcendente à meridie in occaſum. nam lumen teporque ille cœleſtis à luna defluens luminis comes, quanto magis acceſſerit ad lineam perpendicularem & ad angulos rectos; tanto maiorem vim habet & magis calefacit. Contra uerò cum à perpendiculari linea & ab angulo recto receſſerit, angulumque obtuſiorem effecerit, tanto minoris eſt vis. Hoc in ſolis radijs experimur, & apud perſpectiuos compertiſſimum eſt.

C ob hanc cauſam aſcendente luna ab oriente in meridiem, accedenteque eius lumine ab obtuſo ad angulum rectiorem, aqua tumeſcit: recedente autem à meridie occaſum verſus, ab angulo recto ad obtuſum, defluit & decreſcit. At reddere cauſam, cur accedente luna ab occaſu ad noctis medium, aqua tumeſcat; rurſus decreſcat recedente luna à noctis medio, orientem uerſus infra horizontem; id uerò difficillimum eſt. Mihi hac in re ualde obſcura ſatis erit, ſi referam quæ legi apud probatos auctores: lectores iudicabunt rectène an perperam dicantur. Nonnulli dicunt partem cœli oppoſitam radijs lunaribus ab eis affici & mutuare eandem propè vim, quam ipſi habeant: ideoque cum occidente luna pars cœli oppoſita oriatur, & feratur ab oriente ad meridianum circulum, aquam tumeſcere, quaſi per reflexionem quandam

D dam lunaris luminis ab ea cœli parte centrum uerſus. Sic recedente luna à mediæ noctis puncto, in circulo meridiano infra horizontem, partem cœli oppoſitam moueri à puncto meridiei occidentem uerſus; idcirco aquam decreſcere. Quamobrem tunc etiam maris æſtus à luna pendet: nõ tamen quatenus fertur ſub horizonte circulo: ſed quatenus eius lumen reflectitur à parte cœli lunæ oppoſita terram mareque uerſus. Contra hanc quam adduximus, cauſam ambigere quiſpiam meritò poſſet: quoniam cum luna longè ſit minor, quàm terra; umbra terræ prodiens à radijs & lumine lunæ, quanto magis à terra receſſerit, tanto etiam magis creſcit, neque unquam minui poteſt: quo fiat ut lunæ radij nunquam pertingere queant partem cœli lunæ oppoſitam: ideoque ab ea parte reflecti non poſſunt terram mareque uerſus.

Obie-

Obiectioni huic nonnulli reſpondent, inquiuntque: Cum terra, ſi cœlo con- E
feratur, obtineat vicem puncti; eius umbra, quamuis magna, exiguam admo
dum cœli partem offuſcare poteſt; ac propterea à propinquis partibus fieri
reflexionem, quam diximus. Lumen etenim ad omne punctum diffunditur.
Illud quoque attentè conſiderandum eſt: Cùm cœleſte corpus diaphanum
ſit & perſpicuum, ægrè ab eo lumen reflecti poſſe. præterea mirum eſt cur
non oculis diſpiciamus in obſcuriſsimis noctibus uel exiguam quandã ima-
ginem reflexionis huius. Qua de re dicere cogemur non lumen, ſed aliam
quandam qualitatem reflecti; cuius vi fiat maris æſtus. Nobis in hac parte ſa-
tis fuerit dubitaſſe: cum ad hanc diem nullam cauſam inuenerimus, neque
acceperimus ab alijs proditam, quæ animum noſtrum impleat. Illud etiam F
ad hanc diem ignoramus; cur ſcilicet in mari Tyrrheno, neque apud Ligu-
res, neque apud Gallos Narbonenſis prouinciæ incolas, atque apud Barchi-
none in Celtiberia, ut alios omittam, nullus vnquam maris æſtus ſentiatur;
cum tamen & in mari Oceano maximi fiant æſtus, & in nonnullis locis ma-
ris Mediterranei, ut in ſinu Adriatico, euidentes ſint. Verùm, (ut negotium
totum hoc de maris æſtu expediamus) duo recenſenda reſtant, quæ digna
notatu eſſe ſciam. Aeſtum maris pendere à luna omnibus propemodum cõ-
pertum eſt. Cæterum nonnihil etiam ſol facit ad concitandum maris hunc
æſtum: quod ſingulis quibuſque menſibus obſeruamus in quadratis lunæ.
Nam cum poſt plenilunium nonaginta gradibus ad ſolem luna acceſſerit;
neceſſe eſt eodem temporis veſtigio lunam ab orientis puncto in horizonte, G
eo recto quem conſtituimus, aſcendere ad meridianum; ſolemque à puncto
mediæ noctis uerſus orientem deſcendere, ut ita dicam; ſicque deinceps ea-
dem propè ratione poſt lunæ coitum, cum luna ab oriente eodem puncto
aſcendit ad meridianum circulum, ſol à meridiano deſcendit uerſus occa-
ſum. quo tempore, his inquam ſingulis menſibus, exploratum Venetis om-
nibus eſt, uel nullos fieri æſtus, uel incertos quoſdam. Ex quo quiuis facilè
conijcere poteſt, ſolem etiam nonnihil operari ad cõcitandum & ſedandum
maris æſtum. Aliud ſcitu dignum reor eſſe, æſtum maris incipere ab eius fun
do, ac ſubinde ferri uerſus ſuperficiem. Hanc rem ego facili coniectura de-
prehendi ex noſtris nautis, & ijs qui obſeruant oſtium portus noſtri; vbi ædi-
ficatæ ſunt duæ turres illæ, quas duo Caſtella uocamus. obſeruant hi quoti- H
die, cum æſtu mare intumeſcit, influitque per illud oſtium in hæc noſtra æ-
ſtuaria, poſt ſex circiter horas adhuc aqua maris in noſtra æſtuaria influen-
te, qui motus eſt creſcentis æſtus, aquam tamen iuxta turrium muros demit-
ti, ac iam per ſemipedem ferè aut paulominus aquam decreuiſſe, antequam
incipiat refluere, ac in mare ex æſtuarijs retrocedere. Cum ergo ſimul decre-
ſcat, & ſuperior maris pars oculis ſubiecta influat, nulli dubium eſſe po-
teſt, quin principium receſſus & conſtipationis aquæ ſit in fundo. Hactenus
dixiſſe nobis ſufficiat de elemento aquæ. Nam cur aqua ſemper ex Boſpho-
ro & Helleſponto defluat, nunquam refluat: omnes ſciunt fieri ex copia flu-
uiorum, qui in pontum influunt. Nunc ad terram poſtremam omnium de-
ſcendamus.

A ſcendamus. Terra infimo mundi loco in centro inquam ſita grauisſima eſt;
in qua nullum ſit leuitatis veſtigium. Sicca quoque eſt & frigida, maxime-
que omnium conſtipata & denſa. ſicuti enim raritas ignis maxima eſt om-
nium; ita terræ denſitas eſt ſumma. Item natura eſt neque lucida neque dia-
phana, ſed maximè omnium opaca & imperuia lumini: necnon maximè om
nium eſt inepta ad motum lationemque omnem. Vnde ſemper immobi-
lis perſeuerat. Terram puram, neque aliena qualitate affectam, neque im-
mixtam alienis corporibus inueniri poſſe iuxta mundi centrum, ſicut ignem
purum iuxta cœli concauum, facilè nobis perſuadere poſſumus. Nam cum
pars ea terræ nullum corpus contrarium attingat, à quo affici queat, cuique
B poſſit immiſceri, & ibi maximè ſit conſtipata & imperuia; non eſt mirum,
ſi diuturno tempore ibidem pura & intacta perſeuerat. ſemper enim rem cor-
ruptibilem immortalem perſeuerare impoſſibile eſt. Propterea credendum
eſt maxima vi terræmotuum, huiusque generis accidentium, ut omittam
cœleſtes radios & vim cœleſtis qualitatis, interdum fieri, ut alieni corporis
vis ad centrum uſque perducatur; à qua partes illæ afficiantur, affectæque &
è loco moueantur, alijs ſuccedentibus; & demum corrumpantur. Verùm
poſt ingentia temporum interualla hæc fieri cenſendum eſt. Terra igitur
iuxta centrum conſtipata pura eſt, ideoque proportione quadam reſpondet
igni; grauisſimum ſcilicet leuisſimo. Supra has terræ partes, quæ centro pro-
pinquæ ſunt, quicquid reliquum eſt terræ, plurimum aquæ admixtum ha-
C bet, nonnihilque aeris. Nam & maria intra terræ oras continentur; & ſub
terra maximæ ſunt ſpecus longè lateque diffuſæ, aqua & aere plenæ; adeo ut
maxima terræ pars ſupra aquas emineat. Quod ab optimo ſapientisſimoque
rerum omnium opifice factum eſſe iure quilibet exiſtimare poteſt, ob ſalu-
tem animalium omnium perfectorum; quæ ob ſpirandi neceſſitatem, natu-
ræque eorum qualitatem, neque uiuere, neque ali, neque generari poſſent.
Etenim quamuis, ſi per ſe naturam ſpectes elemẽtorum grauium & leuium,
terra omnis vndiq; aquis obruta circunfuſaq; eſſe deberet: ſicuti omni ex par
te aer aquas ambit, aeremq; ignis, itemq; igneum elementum corpus æthe-
reum: Nihilominus ratione finis ad conſeruationẽ ſcilicet animalium perfe
ctorum, factum eſt à natura, præter horum corporum nixum, ut terræ hæc ſu
D perficies emineat. Quemadmodum in paruo mundo, animali inquam, mul-
ta conſiſtunt præter naturam materiæ, ratione finis. Vt ſinciput os durisſi-
mum & maximè terreum, ac propterea graue, poſitum in ſuprema parte ho-
minis. Cæterùm præter hanc rationem à fine ſumptam, alia etiam (vt reor)
non incommodè adduci poteſt. Etenim cùm ſolis, Lunæ, cæterorumque om
nium ſyderum radij, quin potiùs vniuerſi cœli lumina in unum cogantur in
hoc mundi centro, ubi terram aqua attingit; nimirum neceſſum eſt vi calo-
ris ſyderum fieri quandam terræ & aquæ mixtionem, ac quadam terrei ele-
menti fermentatione exteriorem hanc terræ partem rareſcere & intumeſce-
re: quod quotidie fieri cernimus in panis confectione a piſtoribus fermento
appoſito. Quin omnis ratio colendorum agrorum ad hoc præcipuè ſpectat;

ut

vt arationibus, ſtercorationibus, paſtinationibusq̃ue terra fermentet, ra- E
ramq̃ue efficiat, ac peruiam aeri, aquæ, radijs ſolaribus, alijsq̃ue huinſmodi:
vt horum omnium mixtione & opera ali, generariq̃ue ualeant fruges & plan
tæ. Igitur vi caloris ſyderum tumefacta terra aquæ immixta, aqueoq̃ue humo
re & terreis partibus in vapores & exhalatioues reſolutis impulſa eſt vndi-
que ſuperficies terræ in exteriorem partem, adeo vt in plurimis locis aquæ
emineat, & ingentes ſpecus intra ſe habeat, aqua & aere plenas. Itaque ratio-
ni finis accommodata fuit natura & ſitus cauſarum agentium, quod ſemper
natura ſagacisſimè facit. Nullus nanq; mihi perſuaſerit quorundam ſenten-
tiam; qũi aquæ marisq̃ue ſuperficiem eſſe terra eminentiorem, viq̃ue quadá
diuina cõtineri aquas ne terram vndique obruant. Nam & ſuadet ratio, nihil F
violentum eſſe poſſe perpetuum: & ſenſus teſtatur, cum vndique flumina de-
fluant in mare, proculdubio mare depresſius eſſe ſuperficie hac terræ, quam
colimus. His ergo de cauſis terra mari eminet; & ſi alia quadam ratione dici
poſſet aquam circunquaque terram ambire. Nam cum aer hic, quem coli-
mus, omni ex parte ſemper innumeris vaporibus plenus ſit; vapor verò ſit
aquæ diſgregatio: nimirum hoc pacto hæc quoq; terræ ſuperficies, quam ma
ria non tegunt, ambitur aquis, id eſt, vaporibus qui ſunt aqua diſgregata & ra
rior effecta. Ex hoc facilè etiam diluere ualemus aliam quæſtionem. Cum
enim ea debeat eſſe inter elementa proportio, ũt æqualia ſint ſecundum ma-
teriam, aqua autem ſit longè rarior terra; vtique elementum aqueum longè
maius eſſe debet terra. Attamen cum noſtris temporibus ex Hiſpanorum na G
uigationibus compertum ſit vndequaque à terra Oceanum ambiri; liquidò
apparet terram non ſolùm non eſſe aqua minorem in ea, quam diximus, pro-
portione; ſed ſortaſſe maiorem: quo fit, ut rectè dixerimus in mari minimè
contineri omnem aquarum copiam; ſed infra terram in maximis illis ſpe-
cubus maximam vim aquæ contineri. Item uniuerſam hanc, quam inco-
limus, terram, quæ tot fontibus, tot fluminibus rigatur, quæ vbique ueſti-
tur herbis & plantis, aqua plenam eſſe veluti ſpongiam quandam: Præte-
rea uniuerſus hic aer plenus vaporibus eſt, unde Homerus cecinit (vt bis
ſuperius diximus) fluuium Oceanum vndique terram circunfluere. Pro-
pterea facilè uobis perſuadere poſſumus, ſi omnis hæc aquæ copia in unum
colligeretur, aquam longè maiorem terra futuram eſſe; pulchreq̃ue ſerua- H
ri eam proportionem inter hæc duo elementa, qua mundus perdurare queat.
Terra hæc omnis, quæ diuina prouideutia ac coitione ſyderum in hoc cen-
tro ſuper aquas eminet, eſt inſtar animalis conſtituta, ut mater omnium
mixtorum, ac præcipuè uiuentium, eſſe queat. Nam & dulci aqua plena
eſt, ut animal ſanguine: qui ut per venas diductus totum corpus alit, ita
aqueus humor per fontes, per flumina, terræq̃ue fiſtulas ac meatus mini-
mos uniuerſam hanc terram rigat & alit. Et quemadmodum animalis cor-
pus vbique fouetur ſpiritu; ſic hæc terra plurimum intra ſe continet æthe-
rei vaporis, & igneæ exhalationis; quibus immixta & generare & nutri-
mentum præſtare omnibus poteſt. Aer quippe ſponte ſubit meatus terræ,

cum

A cùm ei aditus patet. Nam, ut ſuprà oſtendimus, aër facilè trahitur inferius: natura enim pronior eſt ad grauitatem, quàm ad leuitatem. Itemque ignea pars vapori immixta deorſum in terram fertur. necnon vi ſolis & ſyderum è terra generatur exhalatio ignea. Quinetiam in ſubterraneis ſpecubus flantes venti vehementiori motu accenduntur, flammasque concipiunt, quæ à pluribus terræ locis erumpunt; ut ex Aetna Siciliæ monte, & ex inſulis Aeolijs. hinc fontes calidi ſcaturiunt è terra, quorum aqua iter facit per loca ignita, terramque ſulphuream. Habet etiam uniuerſa hæc terra habitabilis oſſa ſua in vicem animalis; quibus ſubſtentata non facilè dehiſcit: Montes ſcilicet ferè continuos; qui (vt arbitror) mira quadam B naturæ prouidentia & arte effecti ſunt, tum ut ſubſtentent terram, tum ut ex eis profluant flumina, quæ maximam utilitatem præſtant omnibus, quæ ex terra oriuntur & aluntur, uſibusque humanis plurimum inſeruiunt. Cauſas uerò & materiam, ex quibus montes conſtituti ſunt, non quæremus longius. Etenim fingamus uel nunc primũ ortum eſſe inferiorem hunc mundum, uel illius partem aliquam. Nam quamuis Peripateticorum ſententia mundus perpetuus eſt; eius tamen partes vicisſim oriuntur & occidunt. Eleuetur ergo ea, quam diximus, ratione vi ſyderum caloriſque concepti pars terræ aliqua, ſeu tota hæc habitabilis terra, ex aquiſque prodeat: nulli dubium eſſe debet, quin inæquali ſuperficie tota prodeat. Etenim vniformis hæc ſpecies cœleſtibus conuenit non terC reſtribus; in quibus multum eſt priuationis & multitudinis. In ſuperficie ergo inæquali nonnullæ partes depresſiores erunt, aliæ eminentiores: quod ita eſſe experientia deprehendunt, qui terram peruagantur. Nam præter valles & colles, acliuia & decliuia ſola, vnaquæque continens terra inter duo maria ſita medio ſui plurimum adſurgit, ſenſim uerò vtrinque uerſus maria demittitur. Hoc ego animaduerti ita eſſe & in Germania, & in Hiſpania. Nam Venetijs profectus, cùm à mari hoc noſtro Adriatico iter facerem in Germaniam, vtique ſenſu percepi ex modo itinerum uſque ad eam planitiem, in qua ſita eſt Auguſta Vindelicorum, terram acliuem eſſe: Inde profectus Belgicam verſus animaduerti ſenſim terram demitti, humilioremque fieri ad Oceanum vſque. Idem obſeruaui in HiD ſpania, cùm ex Toleto ciuitate in medio continentis illius ſita Venetias redirem defunctus legatione pro noſtra Republica apud Cæſarem. nam deprehendi in medio continentem illam eminentiorem eſſe, quàm campi ſint Cathelaunici & Barchinon ciuitas. Cùm ergo ita res ſe habeat, illæ terræ partes, quæ alijs eminentiores prodiere, aqua vdæ, ac intra ſe concipientes terreſtris exhalationis copiam vi caloris concoctæ tandem actione ac vi frigidi aeris concreſcent in lapidem & ſaxa: ut nunc omittam cœleſtem vim, quæ prima effectrix eſt omnium mixtorum corporum, commodeque dici poſſet eſſe ſimilis caloris animæ nutritiuæ; qui cibi partem conuertit in oſſa, partem in carnem, in neruos, cartilaginesque partem: ut ex omnibus ſui partibus integrum animal conſtet. Huius ergo generis

cauſæ ſunt montium effectrices: qui paulatim minuuntur vi imbrium & uentorũ; vicisſimque appoſitione materiæ, quæ apta eſt in ſaxa conuerti, augentur: ut in lapidicinis compluribus eſt obſeruatum. nam & in fontibus lacubusque nonnullis, & in certis terræ locis comperimus hanc vim eſſe ad generandos lapides. Hactenus de montibus. Verùm ſicuti vi caloris terra fermentatur, montesque & inſulæ oriuntur impulſu eiuſdem impetus: ſic contrà aliquibus in locis terra concuſſa diſrumpitur, ac repente prouinciæ interdum non exiguæ, vrbesque cum populis demerguntur. De Athalanta inſula vaſtæ magnitudinis refert Plato in Critia; quòd concuſſa maximo terræ motu obruta eſt, ac forſan mari Atlantico nomen dedit. Inſulas quoque nonnullas ſubitò è mari natas prodijſſe memoriæ proditum eſt; contráque vicisſim alias ſubmerſas. quam ob cauſam nihil perpetuum in terra perſeuerat; ſed omnia commutantur: ut omittam diluuia, conflagrationesque prouinciarum, ſeu vi imbrium ignisve ex oris ſupernis demisſi, ob quempiam tumultum & vim in eis regionibus ignem deorſum impellentes; ſeu etiam igne è terra prodeunte, aut aquarum copia impetu quodam è mari delata in terram, ſiue fluminibus creſcentibus obſtructis eorum oſtijs, aut terra diſrupta aquam eructante. Sicuti hac tempeſtate apud Valentiam accidiſſe accepimus, dum eſſemus in Hiſpania. Nam improuiſa quadam & occulta vi cœlo ſereno confeſtim nullis ſentientibus maxima aquarum copia, quæ ingentes fluuios ſuperaret, è continenti delata eam vrbem verſus: niſi clauſis portis & obicibus oppoſitis iter in mare diuertiſſet, magnam ciuitati calamitatem intuliſſet. Nullusque vnquam comprehendere ualuit vnde nam tam magna aquarum vis eruperit. Nos credimus, alijque plurimi rerum naturæ periti, eam aquarum vim erupiſſe è quopiam ſpecu ſubterraneo terra dehiſcente, ac confeſtim poſt eam vim, qua & terra hiatum fecit, & aqua erupit, iterum reſtituta in eandem ſpeciem. Hæc de terra in vniuerſum ſint dicta. De habitabili nunc pauca quædam addemus, quæ pertinent ad climata habitationi commoda incommodave. Ariſtoteles antiquioresque auctores omnes cenſuere, totam eam terræ zonam, quæ ſubiecta eſt polo, eique propinquat, inhabitabilem eſſe ob nimium frigus, geluque continuum: quoniam maximè omnium à ſole diſtat, radijſque adeo obliquis ſol eam attingit, ut nihil ferè virium habeant ad generandum faciendumve calorem. Contrà arbitrati ſunt uniuerſam eam terræ zonam, quæ ſubiacet æquinoctiali circulo, & à tropicis includitur, torridam eſſe, & ob nimios æſtus inhabitabilem: quoniam ſol directis aut parum obliquis radijs uniuerſam eam partem illuſtrat. Inter has mediam temperatam, & habitationi idoneam poſuere zonam, noſtram, inquam habitabilem. Rationi hac in re ſenſus atteſtari uidebatur. Nam ſi iter feceris Septentrionem verſus, ſemper adibis regiones magis ac ſubinde magis frigidas, quanto magis ad Septentrionem acceſſeris: adeo ut poſtremæ illa tempeſtate cognitæ triginta, & ſeptem gradibus diſtantes à polo vix habitari conſpicerentur ob frigoris intemperiem. Sic contrà, ſi æquinoctialem

A noctialem verſus proficiſceris,ſemper occurrent tibi regiones magis ac magis calidæ,tantoq́ue feruentiores,quanto magis acceſſeris ad tropicum Cancri, iuxta quem in Africa comperies Aethiopas & Troglodytas habitare ſub terra in foſſas & cauernas, ob nimios æſtus. Quo argumento ſibi facilè perſuaſerunt ultra hos terminos eſſe terræ zonas inhabitabiles, ob nimium frigus alteram, alteram uerò ob ingentes feruores. Pari ratione verſus polum antarcticum poſuere inhabitabilem regionem ob ingentes algores; ac deinceps temperatam zonam pertinentem ferè ad tropicum vſque Capricorni. In noſtra autem habitabili zona Ariſtoteles exiſtimauit quartum Clima eſſe omnium temperatisſimum,ſub quo eſt magna Græciæ pars. Hæc antiquio-
B rum ſententia fuit. Auicennas vir ſummus hac in parte ab Ariſtotele diſſentit: exiſtimauit enim ad feruorem & æſtum regionis non tantùm facere directionem radiorum ſolis, quantùm nimiam moram ſolis. Quamobrem cùm circa tropicos ſol diutius moretur propter obliquitatem & flexum zodiaci; in æquinoctiali uerò circulo vix (vt ita dicam) momento temporis perſeueret, ſed confeſtim ulterius progrediatur: exiſtimauit Auicenna ſub æquinoctiali circulo eſſe habitationem non inhabitabilem, propter nimium calorem: quin potius omnium temperatisſimã, & maximè idoneam hominum habitationi, ob eam cauſam quòd ibi eſt perpetuũ æquinoctium. Hanc Auicennæ poſitionem Auerrois eius viri laudis æmulus, acerrimusq́ue inſectator, plurimis rationibus conatur euertere in ea paraphraſi, quam edidit in
C Metheora Ariſtotelis. Inquit enim: Cum nullus diffiteri queat, quin directio radiorum ſolis calorem maximũ faciat; itemq́; ſenſu & experimento cōpertum ſit poſt ſolſtitium plurimis diebus maiores fieri æſtus, quàm in ipſo ſolſtitio, eo quòd aer iam concepto in ſe calore citius & vehementius inflammatur à ſole etiam magis diſtante, quàm in ſolſtitio. His ita conſtitutis putauit Auerrois liquidò patere poſſe, ſub æquinoctiali circulo eſſe æſtus intolerabiles. Nam ſol in æquinoctijs perpendiculares radios iacit, ac propterea magnos calores cit: deinde iam ferueſactus aer, quamuis ſol per viginti quatuor ferè gradus recedat, & non amplius maiores æſtus concipit. Poſt quos nō ſubit autumnus & hyems, ut apud nos; ſed iterum ſol incipit accedere ad eorũ verticem, quamobrem augetur potius æſtus, quàm imminuatur; donec
D iterum radij redeant ad perpendicularem lineam: quem continuum modum motus cùm ſemper ſol ſeruet, nimirum ſequitur ſub æquinoctiali circulo eſſe æſtuantem regionem. Hæc Auerrois. Hanc quæſtionem, quæ multis iam annis uerſata eſt inter maximos philoſophos, noſtris temporibus experientia diſſoluit. Nam ex hac noua Hiſpanorum ac præcipuè Luſitanorum nauigatione compertum eſſe ſub circulo æquinoctiali & inter tropicos habitationem eſſe, innumerasq́ue gentes ea loca incolere ſubfuſcas, non omninò atras ut Aethiopes ſunt. Quin ſub eo circulo, ſub quo in Africa inueniuntur Aethiopes, nuſquam locorum ſub eodem circulo Aethiopes omnino inuenti ſunt. Ergo ſub æquinoctiali circulo eſt habitatio, quod nemo negare poteſt. Non tamen temperatisſima omnium,

ut putauit Auicenna: quod ex colore atque ex operationibus earum gentiũ, quæ incolæ ſunt eorum locorum, facilè conijci poteſt. Nã & imbelles ſunt, & timidi, neque ingenij dotibus cum Græcis conferendi; qui incolunt quartum clima. Sub tropicis uerò ſunt regiones feruentiores, quàm ſub æquinoctiali, non tamen inhabitabiles, præter ſolitudines Africæ arena plenas; in quibus (ne vacuæ omnino ſint) incolunt Aethiopes & Troglodytæ. Ex his ſenſu atque experientia compertis poſſumus commodè rationem reddere, cur ſub æquinoctiali ſit habitatio; cùm tamen ſolis radij ita perpendiculares ſint bis ſingulis quibuſque annis. Etenim hoc incommodum ex perpendicularibus radijs illatum illis regionibus reſarciunt, nulla ferè mora ſolis in circulo æquinoctiali, directus enim ibi zodiacus eſt, non flexus vt in tropicis: F
Item noctes cõtinuis temporibus horarum duodecim; ac poſtremo receſſus ſolis ab eorũ horizonte qui præceps deſcendit, ac rectà fertur ſub pedes eorum populorum. Contrà ſub tropicis iuxtaque tropicos mora ſolis ob flexum zodiaci longiores dies æſtiui, nec tam magnus deſcenſus ſolis ſub horizonte faciunt æſtatem feruentiorem, quàm ſub æquinoctiali. De Aethiopibus verò cur in Africa tantum inueniantur & nuſquam alibi, illud puto eſſe in cauſa, quòd præcipuum reor eſſe ad cõmoditatem, incommoditatemque regionum omnium: qualitas ſcilicet & conditio ſubiectæ telluris; an ſcilicet ſit plana, uel frequens montibus: an rigetur fluminibus, an contrà arida ſit: an ſaxea, an arenoſa uel pinguis ſoli. Etenim omnia hæc ſummopere faciunt ad regionis temperiem intemperiemve. Illud quoque nõ omittendum, quibuſnam ventorum flatibus ſit expoſita, vnde ferantur venti, quibus perflatur: G
an ſcilicet à locis vliginoſis, an à feruentibus uel à frigidis. Hæc vſqueadeo immutant totam rationem habitationum, vt interdum comperias propinquas inter ſe terras ſub eadem plaga cœli ſitas, quarum altera calida ſit, altera frigida: ſalubris una, altera morboſa. ob hanc cauſam fit (vt reor ego) vt in Lybia, ubi maxima eſt planities arenoſa, nulli uerò fontes, ea loca maximum concipiant à ſole calorem, vicisſimque aerem calefaciant: vnde immutetur complexio hominum eas regiones incolentium, efficianturq; Aethiopes. In alijs uerò locis tropico ſubiectis, aut vicinis, irriguis fontibus, montibus frequentibus, & ſolo vliginoſo, id non item fiat; ibiq; naſcantur homines fuſci, non tamen Aethiopes. Mirum namque quantum in generatione rerum omnium faciant materia, cæteræque cauſæ proximæ, quæ ſunt ſub cœlo. Quamobrem plerunque euenit, ut qui ex cauſis tantùm cœleſtibus rationes harum rerum mortalium contemplari uoluerit, nõ habita ratione materiæ, cæterarumq; cauſarũ mortaliũ, quæ ſæpenumero euariãt, facilè labatur, plurimumque erret. Sicuti ergo cauſa cœleſtis nõ eſt omittẽda, ita nõ ſunt negligendæ aliæ cauſæ, & qualitates materiæ ſubiectæ in rationibus rerũ mortalium contemplandis. qui contẽplandi modus, cùm ab Aſtrologia diuinatrice omnino dimittatur; liquidò patet uniuerſam eam artem ueracem eſſe non poſſe. De quatuor igitur elemẽtis, quatenus ex eis mũdus hic inferior cõſtituitur, ſatis dictũ eſſe reor, pro modo huius opuſculi, quod inſtituimus; ideo finẽ faciam. H

DE

DE ELEMENTIS.

LIBER TERTIVS.

B EA ratione à ſapientisſimo optimoque rerum omnium prin
cipio ſub æthereo globo mundus hic inferior eſt conſti-
tutus; ut elementa, quæ illum componerent, ea tem-
peratura inuicem commiſceri valerent, vt ex eis omnia
corpora mixta generari poſſent. Ideo ſtatim in exordio
huius operis propoſuimus nonnulla eſſe elementa com-
poſitionis, vt ſunt literæ dictionum orationumque elementa: alia verò eſſe
elementa mixtionis, vt acetum & mel elementa ſunt oxymellis. Vtriuſque
generis elementa ſunt hæc mundum conſtituentia corpora, de quibus tracta
C re inſtituimus. Poſtquam ergo de eis egimus, prout cõponunt & conſtituunt
hoc vniuerſum: reliquus nobis tractatus eſt de hiſce elementis, quatenus
ſunt principia conſtituentia cuiuſque generis mixta. Aggrediamur ergo,
primumque dicamus, Elementum vnum tantum eſſe, ex quo mixta omnia
corpora generentur, impoſſibile eſſe, ratione euidentisſima demonſtrari.
Nam ſi vnum tantum eſſet elementum, inueniri non poſſet corpus ei con-
trarium: nullum nanque aliud corpus eſſe præter hoc ſimplex elementum
fingere poſſemus; quod ei eſſet contrarium: neque etiam in elemento ipſo
contrarium quippiam eſſe poteſt. Etenim (vt in libro primo oſtendimus)
elementum corpus ſimplex eſt & vniforme: nihil igitur vni illi elemento
eſſet contrarium: quare neque alterari, neque aliqua in parte immutari poſ-
D ſet. Ex quibus ſequitur nullum poſſe effici ex eo mixtum corpus: quin po-
tius ſequitur omnia eſſe vnum; quemadmodum Meliſſus dicere conſueue-
rat; quamuis multa & innumera eſſe uiderentur. Cùm ergo vnum elemen-
tum eſſe non poſſit, plura ſunt ergo elementa. Quot autem ſint, Ariſtoteles
in ſecundo libro de generatione acutisſima ſimul verisſimaque ratione inue
ſtigat. Etenim elementa ob eam cauſam conficiunt mixta omnia, quoniam
inuicẽ immutãtur & alterantur. Omnis autẽ alteratio pendet ex qualitatibus
primis ſibi inuicẽ cõtrarijs. Nã ſecundæ qualitates pendent à primis, ſicuti à
principijs. Primæ qualitates ſunt tactu perceptibiles, maximèq; omniũ acti-
uæ. Huius generis qualitates quatuor ſunt: caliditas ſcilicet, frigiditas, humi-
ditas, & ſiccitas. cũ igitur ſit impoſſibile aliquod corpus inueniri, in quo vna

tantum ſit harum qualitas, opus eſt ad omnes mixtiones faciēdas quodlibet E
horum elementorum à quolibet pati & immutari poſſe. Senſus item hoc at-
teſtatur. Nunquam etenim viſum eſt corpus calidum, nullo tamen pacto hu-
midum ſiccumve: aut frigidum, neque humidum neque aridum. Sic de ſic-
citate & humiditate ſenſu comprehendes; neutram earum diſiunctam eſſe à
caliditate frigiditateve. Ex coniunctionibus harum qualitatum primarum
& ſimplicium inueniri commodè poteſt numerus elementorum compo-
nentium mixta corpora omnia. Hæ verò quatuor qualitates ſex coniunctio-
nibus cogitatione inuicem componi poſſunt; quarum duas impoſſibile eſt
eſſe in rerū natura. quî enim fieri poteſt ut ſumma caliditas ſit cum ſumma
frigiditate? aut ſumma humiditas cum ſumma ſiccitate? nequeunt enim con F
traria ſimul eſſe in eodem ſubiecto corpore. Quòd ſi has qualitates ſumpſe-
ris non ſummas, vt. ſ. vnum idemque corpus & caliditatis partem & frigidi-
tatis portionem obtineat: iam corpus illud non amplius ſimplex, ſed mix-
tum eſt. in corpore namque ſimplici, ſimplices & puras qualitates eſſe opor-
tet, non immixtas & impuras. Reſtant ergo quatuor copulationes, caliditatis
inquam & humiditatis; item caliditatis & ſiccitatis; frigiditatis & humidi-
tatis; item frigiditatis & ſiccitatis. Quatuor ergo elementa erunt. Hoc, quod
ratio perſuadet, ſenſus teſtatur. Nam ignis, aer, aqua, & terra, quæ communi
omnium conſenſu ſunt elementa mixtorū omnium, hiſce qualitatibus affe-
cta ſunt, in hunc modum coniunctis. Ignis namque calidiſsimus eſt & ſicciſ-
ſimus. Aer item calidiſsimus & maximè humidus. Aqua frigidiſsima eſt, G
ſummeque humida. Terra ſua natura frigidiſsima eſt & ſicciſsima. Verùm
antequam accedamus ad tractationem mixtionis horum elementorū; ut re-
cto ordine perſcrutatio diſciplinaque noſtra procedat; quædam prius in vni-
uerſum de elementis, & qualitatibus his primis dicemus; quæ ad tractatio-
nem hanc plurimum faciunt: ſigillatim deinde de natura harum primarum
qualitatum, necnon ſigillatim de quatuor elementis ea dicemus, quæ ſi quis
ignoret, mixtionis rationē probè intelligere nō poterit. Primum ergo quod
de qualitatibus primis venire in dubium poteſt, illud eſt: An ſcilicet quali-
tates hæ primæ ſint elementorum ſubſtantiæ & naturæ & formæ, per quas
elementa ſint; vt Alexander Aphrodiſeus illuſtris auctor in ſcholis Peripate-
ticorum opinatus eſt. Paucis huic quæſtioni reſpondemus, qualitates has H
primas, ſubſtantiales formas & naturas elementorum eſſe non poſſe. Nam
nulla ſubſtantia eſt ſenſibilis per ſe, vt dicit Philoſophus in ſecundo de Ani-
ma. Nulli autem dubium eſt, quin hæ primæ qualitates ſint perceptibiles
tactui & ſenſibiles: ſubſtantiæ ergo eſſe nequeunt. Item cùm vnumquodque
elementum ſimplex duas habeat qualitates, (vt diximus) vel ergo vna tan-
tùm earum erit forma ſubſtantialis, & altera qualitas & accidens; aut
vtraque erit elementi forma. Si unam tantùm dixeris eſſe formam, &
alteram accidens: ſtatim apparet figmentum id eſſe. Cur etenim eadem
ratione altera quoque non erit qualitas? Item cùm quatuor ſint ele-
menta, neceſſe erit vnumquodque eorum vnam ſibi qualitatem vin-

dicare,

A dicare, vt ſubſtantiam & naturam: at quî fieri poteſt? vt, verbi gratia, ſiccitas ſit natura terræ eiuſque ſubſtantia, eadem tamen ſiccitas pura & immixta in igne ſit accidens: ſic caliditas in igne ſubſtantia, in aere qualitas. Amplius, ſi ex terra generetur ignis, frigiditas tantùm pellitur, ſiccitas remanet: forma ergo terræ ſubſtantialis remanebit. Quo pacto terra ignis eſſe poterit? Quòd ſi dixeris vtramque qualitatem eſſe elementi ſubſtantiam, nimirum vnamquanque formam & actum ſuum eſſe conſequitur: vtranque igitur harum qualitatum ſuum eſſe ſubſtantiale conſequetur. At cùm eſſe & vnum dicant eandem naturam, vnumquodque elementum erit non vna, ſed duæ ſubſtantiæ: vnaque & eadem materiæ portio erit, atque exiſtet per duo B eſſe: quod omnium maximè eſt impoſſibile, iureque equidem ineptus haberi poſſem, ſi vellem in hoc oſtendendo diutius immorari. Vnumquodque igitur elementum corpus eſt ſimplex, compoſitum ex materia ſimplici & forma maximè ſimplici; habetque ſuam grauitatem & leuitatem; quibus mouetur ad locum natura ſibi debitum, & in eo quieſcit: habet item duas qualitates primas; quarum vi agit & patitur, generatur, corrumpitur, & mixtionem facit mixtorum omnium. hoc in loco illud non eſt prætereundum, qualitates has primas eſſe in elementis ſimplicibus intenſiſſimas, & ſecundum omnem earum latitudinem, non tamen ſecundum omnem agendi vim. Etenim ſi in elemento quopiam aliqua earum remiſſa eſſet, uel ergo hoc contingeret ob mixtionem qualitatis contrariæ, vel abſque vlla contra- C rij mixtione. Sicuti contingit in lumine, quod remiſſius eſt interdum, nullum tamen contrarium habet. Si prius dixeris; ſtatim ſequitur corpus illud ſimplex non eſſe: non enim in puro ſimplici elemento quæpiam mixtio eſſe poteſt. Si ſecundum dixeris; id contingit primo abſurdum, quòd in qualitatibus primis habentibus contrarium ponitur remiſſio abſque mixtione contrarij, quod etiam in ſecundis Ariſt. negat: inquit enim in Topicorum libro tertio: Albius eſt id, quod eſt nigro impermixtius. Et Galenus in libro complexionum in compluribus locis. Deinde, ſi verbi gratia ignis propinquet aeri, vtique cùm caliditas ignis ſit ſumma, aeris uerò remiſſa, ignis aerem calefaciet in momento temporis. Nam ubi non eſt contrarietas, nequit eſſe reſiſtentia: & ubi non eſt reſiſtentia, non poteſt eſſe motus continuus, D & quantus: ut ſuprà diximus, dum loqueremur de motu elementorum in uacuo. Calefactio autem omnis, alteratio eſt. Nam in tertia ſpecie qualitatis eſt motus alterationis: alteratio ergo quæpiam erit in momento temporis. Amplius, calefactus aer ab igne ad ſummum vſque gradum erit'ne purus aer, an impurus? Impurus dici non poteſt, nulla etenim in eo eſt qualitatum mixtio. Purus ergo aer erit ſummè calidus. Amplius, ſi ex aere & terra corrupta humiditate aeris, & terræ frigiditate, fiat ignis, ut dixit philoſophus in ſecundo lib. de generatione, & corruptione; erit'ne caliditas ea ſumma? diffiteri non potes; quoniam eſt ignea: at ea erat in aere corrupto. in aere igitur eſt ſumma caliditas. Quòd ſi quæris, cur aer non ita calefaciat vt ignis: Dicimus hoc fieri ob humiditatem adiunctam, quæ caliditatem obtundit,

& ſiccitatem igneam, quæ calorem acuit. Sed de hoc latius infrà. Cæterùm, quoniam mixta corpora fiunt ex elementis, in quibus oſtendimus eſſe ſubſtantiales formas; & præterea qualitates primas præter grauitatem & leuitatem: confeſtim quæſtio inſurgit, An ſcilicet, cùm ex elementis mixtione quapiam fuerit corpus mixtum generatum, formæ ſubſtantiales elementorum, & qualitates primæ remaneant in eo mixto corpore, an potius tum formæ, tum qualitates primæ corrumpantur. Ac demum quo nam pacto ſint in mixto? Auicenna vir ſummus, ut Auerrois refert in libro tertio de cœlo, quoniam elementa ſunt mixtorum materia, arbitratus eſt in mixto corpore elementa eſſe in actu perfecto, quantum attinet ad formas ſubſtantiales: neque in formis illis fieri mixtionem; ſed elementa inuicem miſceri ob primas qualitates, illiſque mutua actione redactis ad temperaturam; quæ complexioni cuiuſdam corporis mixti conueniat, generari mixtum illud corpus. Hæc viri alioqui magni poſitio euidentiſsima ratione confutatur. Nam ſi in actu perfecto formæ ſubſtantiales elementorum remanent in mixto corpore, vtique fieri non poſſet, ut in eo mixto alia eſſet forma ſubſtantiæ præter illas. Quicquid enim aduenit enti & ſubſtantiæ in actu per ſe exiſtenti, accidens eſt, non ſubſtantia. Niſi vellemus concedere unum, idemque corpus habere duplex eſſe; ac propterea non eſſe unum. Itaque ſequitur ex poſitione Auicennæ, mixta corpora omnia non eſſe una, niſi ob complexionem & ſecundum accidens; abſolutè uerò & ſimpliciter vnumquodque mixtum eſſe plures ſubſtantias; non autem unam. Quamobrem beatus Thomas vir doctiſsimus, omneſque ferè Latini ſenſerunt in mixtis corporibus non remanere formas elementorum in actu; ſed tantùm in potentia & virtute (vt ſic dicam.) Eſt ergo horum ſententia, in vno quoque mixto corpore, terra eſt aqua, itemque aer & ignis; non tamen actu. Nam in mixto nullius elementorum eſt forma & ſubſtantia, ſed potentia & virtute: quoniam forma cuiuſque mixti, pro eius temperie continet vim & perfectionem omnium elementorum. Hæc ſententia licet non poſſit improbari ratione ita euidenti, quemadmodum Auicennæ poſitio: non tamen omnino ſatiſfacit rationi mixtionis, & definitioni elementi; quam in fronte huius opuſculi poſuimus. Etenim ea, ex quibus componitur mixtum, materia quædam ſunt mixti illius corporis. Materia verò differt à contrario & à priuatione; quia materia remanet poſt generationem factam: contrarium uerò & priuatio non remanent. Qui ergo dicit, quòd formæ & ſubſtantiæ elementorũ ſecundum ſuum eſſe omnino non remanent, ſed omnino pereunt, videtur auferre rationem & naturam miſcibilium; ac potius facere miſcibilia contraria quædam; ex quibus mixtum generetur, quàm vllam materiam mixtorum. Præterea elementum id eſſe diximus, ex quo fit aliquid, cùm inſit. Quo igitur pacto elementum erit, ſi omnino ſecundum ſui eſſe nõ inſit? Amplius, mixtum omne diſſolui poteſt in elementa, ex quibus eſt mixtum: atqui quomodo diſſolui in ea poterit, ſi in ipſo omnino non ſint? eaque mutatio ſi fiat, diſſolutio appellari non poterit: ſed mixti corruptio, & elementorum generatio. Iccirco

reor

A reor ego. Auerrois de hac re ſententiam magis ueriſimilem eſſe, rationiq́ue magis conſentaneam. Inquit is auctor in tertio libro de cœlo, Formas elementorum eſſe formarum omnium ſubſtantialium imperfectiſsimas: ideoq́ue plurimum recedere à natura ſubſtantiæ, & accedere ad naturam accidentium: ex quo fieri, ut more accidentium frangi, imminui, & remitti queant; rurſusq́ue ſi contingat, intendi & fieri perfectiores. Sicuti conſpicimus calidum intenſius & remisſius; item frigidũ magis minuſve fieri. Cùm ergo more accidentium posſint formæ elementorũ frangi, & minui; vtique, quamuis deſtituantur per certam imminutionem qualitatum ab eſſe ſubſtantiali, remanent tamen formæ illæ in quopiam actu. nam cùm ab eſſe ſubſtan-
B tiali receſſerint, iam fiunt ita imperfectæ, ut amplius præſtare nõ queant materiæ, in qua ſunt, eſſe ſubſtantiale. Itaque ſi, verbi gratia, ignis immutatus ſit adeo, ut formam eius ſubſtantialem, eſſe ſubſtantiale deſtituat, geret forma ignis imminuta vicem accidentis; ſicq́ue igne corrupto mixtum generabitur; quod tamen iure poterat dici igneum, ſeu ignitum ob formam ignis ipſi inexiſtentem, imperfectam tamen & refractam. Quæ tamen non in eam ſententiam accipi uolumus, ut ſcilicet fateamur dari certum quendam gradum, quo minimo conſiſtant elementa; ſub minori uerò conſtare non queant. Nam rei & ſubſtantiæ per ſe exiſtentis daretur ultimum inſtans, in quo eſt: quod tamen falſum eſſe Ariſtoteles oſtendit in octauo Phyſicorum. ſed in bonum ſenſim capias uelim noſtra hæc dicta, quiſquis legeris ea. Imminu-
C tio uerò & infractio hæc elementorum ſeu formarum elementarium multis innumeriſq́ue modis fieri poteſt. Nam tum fit immutatione vtriuſque qualitatis, tum tantum alterius. quinetiam rarefactione & condenſatione, diuiſione nimia, cæteriſq́ue huius generis immutationibus compluribus. Cùm ergo mutua actione pasſioneq́ue elementa ſic inuicem fracta fuerint, & impurata; vt nullum eorum proprium eſſe, per quod eſt, conſeruare queat: tunc vi caloris proprij & cœleſtis qualitatis (vt infrà dicam) conflatur forma media mixti corporis, generaturq́ue mixtum: in quo ſunt elementa in actu, non perfecto, ut poſuit Auicenna; nec non corrupto, vt Latini ferè omnes Peripatetici ſenſerunt; ſed refracto, adeo vt illæ formæ vicem potius habeant accidentium quàm ſubſtantiarum. Nec illud ab hac ſententia dedu-
D cere nos debet, quòd ſubſtantia magis & minus non recipit, (vt in prædicamentis dicit Philoſophus) nam elementa in genere ſubſtantiæ imperfectiſsima ſunt, accedunt'que ad naturam accidentium: inde fit, vt vtriuſque naturæ proprietatem referant. Nam quoniam elementorum formæ ſubſtãtiæ ſunt; hoc habent quòd ſecundum certum & cõſtitutum, quendam earum gradum dent eſſe ſimpliciter & ſubſtantiale materiæ, in qua ſunt; conſtituunt'que indiuiduum per ſe exiſtens in determinata ſubſtantiæ ſpecie. isq́ue gradus ſummus eſt & indiuiſibilis, non recipiens magis minuſve. fieri nanque nullo modo poteſt, ut rectè inquit Diuus Thomas, ut ſpecies vlla ſeu differentia ſpecifica prædicetur ſecundum magis & minus de indiuiduis ſubiectis: quod proculdubio contingeret, ſi forma illa, per quam materia & ſubiectum

in ſpe-

in ſpecie & natura cõſtituitur, reciperet magis min'uſve. Nam ſi forma ignis, E
quatenus ignem conſtituit, reciperet magis & minus; aliquis ignis eſſet ma-
gis ignis, alter uerò minus ignis. ideoq́ue differentia ſubſtantialis non eſſet
ſicuti vnitas & ſpecies, vt numeri: quod tamen Ariſtoteles docet in octauo
lib. Methaphyſices. Natura enim vniuſcuiuſque rei in indiuiſibili differen-
tia conſiſtit. Ens etenim & unum dicunt eandem naturam. Sunt ergo formæ
elementorum ſubſtantiæ ſecundum gradum illum indiuiſibilem; in quo cõ-
ſtitutæ dant eſſe ſubſtantiale, & indiuiduum ſubſtantiale ſuæ ſpeciei conſti-
tuunt. Cùm uerò ab eo indiuiſibili receſſerint per alterationem qualitatum;
quia modum qualitatum habent, & naturam accidentium referunt; non pe-
nitus intereunt more ſubſtantiarum perfectarum; ſed remanent, ut acciden- F
tia quædam materiam diſponentia ad receptionem formæ mixti perfectio-
ris elementorum natura. Et hoc pacto vt elementa mixtum conſtituunt: prio
ri modo ſunt ſubſtantiæ, ex quibus corruptis generatur corpus mixtum. Il-
lud uerò, quod penè omnes Auerroi adſcribunt, ac ferè ab eo auctore ex-
primitur in tertio lib. de cœlo, qualitates ſcilicet primas eſſe proprias ele-
mentorum affectiones; ita quòd ad inductionem qualitatis pariter induci-
tur forma elementi; itemq́ue ad remiſſionem remittatur, pariq́ue paſſu pro-
cedant formæ & qualitates hæ primæ: mihi non placet. Nam cùm vnaquæ-
que qualitas prima duobus elementis conueniat; vtique neutrius erit pro-
pria paſſio: ſi proprium accipiatur in quarto ſignificato; quod ſcilicet omni,
ſoli, & ſemper conuenit: ſed erit proprium ſuperioris cuiuſdam generis in- G
nominati. At cùm genus non ſit præter generis ſpecies: vtique innominata
natura generis induci non poteſt, niſi inducta forma alterius elementorum
uel utriuſque. Si utriuſque dixeris, certè impoſſibile eſt ſimul duas ſubſtan-
tias eadem ſimpliciq́ue alteratione in eadem ſubiecta materia generari: Si
uerò alteram tantùm dicas, vtra tandem hæc erit? Etenim ea qualitas non
minus huic, quàm alteri conuenit. Quòd ſi dixeris illius elementi formam
induci, quod tunc agit ea qualitate: vt puta ſi caliditate agat ignis, induci ſub-
inde formam ignis; ſin aer agat, aeris formam: nimirum hoc dici non poteſt.
Nam interdum ex duobus extremis elemẽtis tertium medium generatur: ut
Ariſt. dicit in ſecundo lib. de generatione; vt puta ſi aqua humiditate ſupera-
uerit ſiccitatem ignis; contrà ſi ignis caliditate ſuperauerit aquæ frigiditatẽ: H
vtique fiet aer; non autem aqua aut ignis. Quo pacto igitur dici poteſt calefa-
ctione ignis inductam eſſe formã ignis; & humectatione aquæ inductam eſſe
formam aquæ: ſi perfecta abſolutaq́ue alteratione neutrum ſit generatũ, ſed
tertium elemẽtum medium, aer ſcilicet. Ex his efficitur, ſi aqua pura calefiat
ab igne, caliditatẽ in ea recipi, diminuiq́ue frigiditatem ad certum vſque gra
dum: ſub quo ſtare non poteſt forma aquæ; ad quem cùm peruenerit altera-
tio, uel fieri ignem, ſicq́ue nihil prioris formæ remanere. Etenim nullum ele
mentum poteſt eſſe, ut elementũ in altero elemento: omnia nanque eiuſdem
ordinis ſunt ſimplicia, non mixta; uel fieri mixtum quoddam tertium, in
quo remanet forma aquæ in gradu remiſſo, qui uariat pro natura mixti, vt ac-

cidens

A cidens quoddam in ea aquæ portione, & tunc immiſceri cum aliorum formis elementorum: non enim ſubſtantiæ amplius ſunt; adeo ut in portione aquæ recipiatur forma ignis, vicisſimque in portione ignis forma aquæ: ſicque fieri mixtionem elementorum non tantùm ſecundum qualitates; ſed etiam ſecundum ſubſtantias. Itaque in primo illo momento in quo incipit eſſe mixtum, incipiunt etiam eſſe formæ elementorum, refractæ tamen pro natura mixti in vnaquaque mixti portione: ita tamen, vt vnaquæque in ſuæ materiæ portione longè magis inhæreat rei, in qua fixa ſit, quàm in portionibus comparium elementorum. Quo fit, ut in diſſolutionem mixti longè facilius unaquæque portio elementi ad naturam priſtinam reuertatur, quàm

B ad alienam, alterius uidelicet elementi. Poſtquam ſatis dictum puto de propoſita quæſtione, quo'nam pacto ſcilicet elementa ſint in mixto corpore, quod ex eis generatur: pauca perſtringenda ſunt de qualitatibus primis; ex quibus conflatur complexio; ſecunda ſcilicet quædam qualitas primis proxima. De primis qualitatibus id primum inquiri debet, quod proximum atque affine eſt ei; quod iam peregimus de elementis. An ſcilicet, cùm ex quatuor primis efficiatur complexio, ſecunda inquam qualitas conflata ex mixtione primarum, remaneant qualitates primæ, an potius corrumpantur: & ſi remaneant, qu'onam pacto remaneant. Puto enim nullum ambigere qualitates primas poſt conflatam complexionem remanere aliquo pacto, nec omnino intercidere. Nam experimur mixta corpora; quorum vnumquodque

C ſuam habet complexionem; calefacere, frigefacere, humectare, & exiccare pro cuiuſque natura. hæ autem actiones fieri non poſſent, niſi in eis eſſet uis caloris cæterarumque primarum qualitatum. non ergo intercidunt. Verùm nonnulli arbitrantur remanere quidem in complexione qualitates primas, non tamen actu, ſed virtute, ita ſcilicet, vt conflata complexione confeſtim corrumpantur qualitates omnes primæ; ſolaque complexio remaneat; in qua vis ſit omnium qualitatum illarum: itaque complexionis vi mixta corpora agere actiones omnes primarum qualitatum. Horum poſitio, meo iudicio, & experimento ſenſus, & rationi contradicit. Etenim ſenſus nullus circa proprium ſenſibile decipitur; ſi & medium & organum ſenſus ſecundum naturam ſe habeant. Cùm ergo ſenſu tactus, ſi mixta corpora tetigerimus,

D percipiamus qualitates illas primas; calorem inquam & frigus, humorem & ſiccitatem: uelle contrarium adſtruere, aſſerereque nullam ibi actu eſſe harum qualitatum, ſed uirtute tantùm: eſt experimento ſenſuique contradicere. Ratio etiam idem nobis ſuadet. Nam qualitates primæ ſunt ueluti elementa quædam complexionis; ex illis etenim conflatur complexio, ſicuti mixtum ex elementis. Ineſſe ergo actu oportet in complexione qualitates primas. Amplius, diſpoſitiones, quæ faciunt materiam quamque propriam eſſe formæ cuiuslibet mixti, ſaltem in prima mixtione elementorum, ſunt qualitates primæ ad certum gradum, modumque redactæ. Diſpoſitio uerò, quæ facit materiam propriam cuiuſpiam formæ, non corrumpitur, eſſeve deſinit adueniente forma; immò remanet & ab ea conſeruatur forma in illa

mate-

materiæ portione:ita ut illa diſpoſitione recedēte pereat forma. Igitur in pri E
ma elementorum mixtione adueniente forma mixti remanent primæ qua-
litates : quamobrem remanebunt etiam cum complexione propria illi mix-
to.Parique ratione in aliis mixtis ſecundis tertijſve remanebunt.Dicendum
ergo nobis eſt ſub complexione qualibet remanere actu qualitates primas,
refractas tamen inuicemque mixtas ea temperatura, quæ complexioni con-
ueniat. His expoſitis nunc à nobis ſigillatim agendum eſt primum de qua-
tuor primis qualitatibus, deinde de quatuor elementis: eaque de ipſis pau-
cis exponenda, quæ faciunt ad inſtitutum mixtionum negotium. Nam ſi
naturæ eorum omnium diligenter recteque fuerint à nobis inueſtigatæ; ma-
gna nobis ſundamenta iacta erunt ad ſuperſtruendam omnem tractationem F
de mixtione.Exordium ſumam à caliditate;quæ omnibus iure eſt præferen-
da:quoniam longè præſtantior eſt cæteris omnibus. Caliditas omnium pri-
marum qualitatum præſtantisſima quodam modo æmulatur excellentiam
cœleſtis qualitatis. Nam & maximè actiua eſt, omnium quoque mixtorum
generatrix: vtpote quæ primum ſit proximumque inſtrumentum cœleſtis
uirtutis, & qualitatis: omnia etiam,quæ mixta ſunt, diſſoluit:adeoque cæte-
ris primis qualitatibus præſtat,vt,ſi conferantur caliditati,omnes habeant vi
cem materiæ & patientis; calor uerò ſit ut efficiens cauſa, & ut forma. Vt
autem in ſumma concludam: Natura caliditatis hæc eſt; ad agendum, om-
nium eſt efficacisſima & potentisſima:contrà ad reſiſtendum, omnium ma-
ximè infirma,& imbecillis. vim caliditatis in agēdo præter rationem, quam G
tetigimus, ex ipſius perfectione & cognatione quadam ad cœleſtem vim,
ſenſu & experimento quilibet facilè experitur. Si conferatur ergo caliditas
frigiditati, cæteris omnibus partibus, virtus caloris in agēdo lōgè longèque
maior eſt,quàm uirtus in agendo frigiditatis.Itē uirtus actiua caliditatis ſupe
rat nō tantùm uirtutē in agendo frigiditatis, ſed etiam in reſiſtendo. quo fit,
ut caliditas ut quatuor,& ut tria (ſumendo gradus latitudinis harum qualita
tum,non gradus uirtutis,ſeu in agendo,ſeu reſiſtendo) aget & ſuperabit frigi
ditatem ut quatuor; immò fortaſſe etiam frigiditatē ut quinque. Quoniā uir
tus actiua caliditatis ſuperat uirtutē reſiſtendi frigiditatis etiā maioris lati-
tudinis, quo ad intentionem qualitatis inquam; non autem actionis, ſiue (ut
ita dicam) actiuitatis.Hi nanque gradus differunt inter ſe:ut infrà oſtendam. H
Caliditas, quæ tam magnæ uirtutis eſt in agendo, minimè tamen omnium
reſiſtit corrumpenti. hoc tum rationibus, tum experimento probatur. Et-
enim quiuis experitur,ſi fuerit uis frigiditatis ſuperans caliditatem; dicto ci-
tius rem calidam frigeſieri, confeſtimque caliditatem corrumpi. non item
hoc uidebit in frigiditate, aliave qualiate. Mira etiam ratione hoc natura ef-
ficit. Nam cùm proportio par debeat eſſe in elementis, ſi elementum ignis,
in quo præcipuè uiget calor,in reſiſtendo non deficeret tantum, quantum ſu
perat cætera in agendo; proculdubio omnia iam conflagraſſent ui ignis ab-
ſumpta. Item cùm reſiſtentia ſit ex forma,quatenus eſt in materia; ſicuti a-
ctio pendet à forma, prout eſt à materia abſoluta; cùm caliditas ſua natura

parum

A parũm habeat materiei,ab eaq́ue multum ſit abſoluta;iccirco meritò in agendo efficaciſsima eſt,in reſiſtendo verò parum potens.Nã eius materia vtpote pauca & diſgregata,habensq́ue formã abſolutiorem,materialem tamen:citò vincitur ab agente alio, ſicq́ue facilè exuit caliditatẽ. Itẽ calor, ſi frigori conferatur, habet rationẽ naturæ, vitæ, & habitus:frigiditas verò, priuationis & interitus:quod clarius patebit,cũ loquemur de mixtione. Si uerò conferatur caliditas humiditati,& ſiccitati; actiua eſt caliditas,& forma; duo hæc paſsiua & materia. Caloris etenim eſt componere & congregare homogenea per concoctionem, aliena uerò ſeparare. Hæc de calore in uniuerſum dicta ſint; quæ,cũ de mixtione tractabimus,magis illuſtrabuntur. Sequitur calorem frigiditas:quæ item actiua eſt qualitas,habetq́ue ſuã vim in agendo; itemq́ue in reſiſtendo, longè tamen diuerſam ab vtraque vi iſtiuſmodi vi caliditatis. Nã quamuis frigiditas magnam habeat in agendo efficaciam,minimè tamen cõferenda eſt cum vi caliditatis.in reſiſtendo uerò contrà longè ſuperat reſiſtentiam caliditatis.ſicq́ue natura proportione quadam compenſat ac librat vim: vtriuſque qualitatis:quæ cùm ſint inter ſe contrariæ; alteraque alterius interitum machinetur; hac moderatione librantur,ut perpetuò perſeueret. Cæterùm cùm eam, quam diximus,in agendo vim habeat frigiditas; longè tamen diuerſa eſt caloris frigoriſq́ue actio. Nam calor veluti inſtrumentum eſt primum & per ſe totius naturæ cœleſtiſque qualitatis ; quo congregantur homogenea ad generationẽ conſeruationemq́ue mixtorũ omnium. Frigiditas

C contrà cùm ſit veluti priuatio,habet etiã in agẽdo vim priuatiuam.Nã frigus congregat tam homogenea,quàm heterogenea,conſtipatq́ue omnia & vnũquodq́ue reddit ſuapte natura immobile ac veluti mortuum, ut ita dicam. Etenim ſicuti motus indicium eſt vitæ,ita immobilitas mortis & interitus. Qua de cauſa ſuprà diximus calorem collatũ frigori habere rationẽ naturæ & uitæ: frigus uerò interitus. Per accidens tamen frigoris actiua vis facit ad operationem naturæ. Etenim cùm calor non quilibet, ſed temperatus varia, pro rerum naturis,tẽperatione fiat naturalis & accõmodus omnibus mixtorum generibus, (quod latius infrà explicabitur)huiuſmodi tẽperatio nullius alterius ui fieri poteſt,præterquã frigiditatis.Ea nanque ſola calorem refrangit & temperat. Item facta mixtione ex concoctione caloris naturalis, maſſa

D tota ui frigoris conſtipatur & cogitur,ſicq́ue perficitur & diutius perſeuerat. Sæpenumero etiam ui frigoris circunquaque obſiſtentis per antiperiſtaſim calor cogitur in unum, multaque generat & concoquit. qua de cauſa rigore hyemis & niuium terra melius fermentatur coacto intra ſe calore; & frugum radices augentur, roburq́ue capiunt; vberibus inde ſegetibus frumenta proueniunt. Inſuper alia quoque ratione frigus operatur ad rerum conſeruationem : quoniam ui frigoris arcetur calor extraneus , à quo eſt corruptio putrefactioq́ue mixtorum omnium. Multis ergo modis, per accidens tamen & ſecunda quadam actione frigiditas plurimum facit ad naturæ actiones. Quamobrem merito dicere ualemus frigiditatem quoque quodammodo eſſe inſtrumentum naturæ non primum & per ſe, ut eſt calor;

ſed ſecundum & per accidens. Poſt frigus humiditas ſequitur & ſiccitas, E
par alterum primarum qualitatum: quæ ſunt inuicem contrariæ, ut caliditas & frigiditas. vis humiditatis in agendo longè inferior eſt vi frigiditatis, & maximè vi caliditatis: in reſiſtendo tamen ſuperat vim utriuſque: adeo, ut nonnulli exiſtiment, ſi in quopiam corpore fuerit humiditas coniuncta calori aut frigori; ſi qua ab eo corpore humida fiant, non ab humiditate fieri eam actionem, ſed à frigoris caloriſque vi ob adiunctam ſibi humiditatem. Ariſtoteleſque in exordio ſtatim quarti Meteor. ſi verba tantùm ſpectentur, videtur hoc dicere; ſimilique ratione produnt de exiccatione. Verùm cùm ratio & ſenſus conuincant nos, ut fateamur, ſi fuerint duo corpora uiciſſim æqualia in calido & frigido, quorum alterum ſit longè humidius F
altero, & maius molle; proculdubio humectari ſiccius ab humidiori. Contrarium nanque omne in contrarium agit, ſi potentius fuerit. Ariſtotelis uerò dicta in eam ſententiam ſunt accipienda, ut calor exiccet per reſolutionem & euaporationem partis aqueæ humidæ factam vi caloris. pariique ratione humefaciat per colliquationem partis aqueæ coagulatæ prius. ſic frigus quoque exiccat & humectat, non quòd humiditatem per ſe aut ſiccitatem generet: ſed quòd uel uaporem in aquam cogit, aut calorem fugat & exprimit, quem propria humiditas veluti formam materia conſequitur, pariterque euaporat. Sic ergo calor & frigus humefaciunt & exiccant: per ſe autem humiditas humidum facit, & ſiccitas ſiccum. vis ergo humiditatis in agendo non eſt admodum magna. in reſiſtendo contrà humidi- G
tas vim magnam habet: qua ratione quodammodo rependitur debilitati infirmitatique eius in agendo. humiditas uerò collata caliditati eam vim habet, ut obtundat calorem, ſicuti contrà ſiccitas acuit. Qua de re aer quamuis nihil habeat frigiditatis (corpus nanque ſimplex eſt,) ac propterea nequeat vi frigiditatis calor in eo remitti; ob humiditatem tamen ſibi propriam longè obtuſiorem calorem habet, quàm ignis. obtundit igitur calorem humiditas. attamen (ut infrà dicemus) propria materia caloris, qua nutritur & ſeruatur, eſt humidum. Inde euenit, ut natura calor vim habeat trahendi ad ſe humidum: uiciſſimque humidum uim habeat non attrahendi, ſed conſequendi calidum: inter ſe nanque ſe habent calidum & humidum, ut perfectio & perfectibile. frigori collata humiditas non eo pa- H
cto eam obtundit, quo calorem; ſed quoniam craſſiorem reddit frigiditatē, ac propterea parū idoneam penetrationi. Iccirco non per ſe, ſed per accidens frigiditatem obtundit humiditas: ſiccitatem uerò humiditas formabilem facit, ut infrà dicā. Per humiditatem nanque corpora omnia facilè terminātur termino alieno, proprio verò minimè. hæc de humore. Sequitur ſiccitas: quæ minimā omnium vim habet in agendo, maximā omnium in reſiſtendo. Qua ratione ut in alijs, ita in ſicco fit cōpēſatio quædam uirium. utrumq; experimento facilè cōprehenditur. Nā ſi ſiccam rem quampiam, ut lignū, marmor, pumicem, proximā feceris rei humidæ; vtiq; humiditas longè citius afficiet lignū aut pumicē, quàm patiatur ab eorū ſiccitate. facilius tamen humidum
illud

A illud corpus areſcet, quàm ſiccum vertatur in aqueum. hæ ſunt ſiccitatis vires. Ideoq́ue ſiccum definiunt eſſe illud, quod terminatur proprio termino, difficilè uerò alieno termino definitur. verùm quidam hoc in loco dubitationem adferunt. Nam ignis ſiccisſimus eſt, tamen formatur & terminatur facilè termino alieno, continentis inquam. Nonnulli ſummi viri quæſtionem hanc ita ſoluunt: inquiuntq́ue propterea ſiccũ ignis & terræ non terminari termino alieno: humidũ verò aquæ, & aeris facilè terminari poſſe: quoniã ignis licet posſit denſari, rarefieri tamen amplius nequit. maxima etenim raritas omnium corporum, eſt raritas ignis. item terra quamuis posſit fieri rarior, fieri tamen denſior nequit: denſisſima nanque omnium eſt. Contrà

B humiditas aquæ & aeris poſſunt deduci in vtram partem uolueris; uel ſcilicet ad maiorem raritatem, uel ad maioritatem denſitatem: Ideoq́ue terminabilis eſt alieno termino. Hanc ego ſolutionem non improbo: verùm, quoniam, ſi rectè diligenterq́ue res diſpiciatur; proculdubio uidebimus non in eam ſententiam definitiones illas humidi & ſicci adductas eſſe: ſed proculdubio referri ad formationem & terminationem, quæ fit à continente. ideo id addam: Siccitati ſuapte natura & per ſe conuenire, ut conſtipet corpus illud; in quo primò per ſe eſt: indeq́ue effici, ut terminari nequeat, & definiri termino alieno: ſed ut proprium terminum ſuamq́ue finitionem obtineat, alienam reſpuat. Sicubi uerò ſit ſiccitas, non primo, ſed per ſequelam quandam, vbi id quod primò ineſt illi corpori, obſtiterit conſtipationi ſicci-

C tatis; nil mirum ſi corpus id alieno termino terminabile eſt. Quamobrem cùm ſiccitas per ſe inſit terræ; vtique terram conſtipat; quæ cùm à frigiditate adiuncta non diſgregetur, in ea remanet id quod eſt ſiccitatis. Ideoq́ue non terminabilis aut finibilis eſt terra termino alieno: in igne uerò ſiccitas eſt ſecundario quaſi aſſecla caloris. Etenim ignis primo & per ſe calidisſimus eſt; at ſiccitas calorem acuit: ideo oportuit ignem eſſe ſiccum; non tamen à ſiccitate conſtipatur: immò ob caliditatem ſummam omnium corporum rarisſimum eſt corpus igneum, ob quam cauſam bene terminabile eſt termino alieno. Dicendum eſt igitur ad propoſitam quæſtionem: Siccitatem per ſe facere conſtipationem, & per conſtipationem efficere corpus, cui ineſt, interminabile: vbi ergo prohibetur conſtipationem facere, ut in igne; in

D quo calor eiùs qualitas maximè naturalis obſtat, facere nequit corpus illud interminabile. Collata calori ſiccitas mirificè, quin potius omnium maximè calorem acuit. Eſt etiam ſiccitas admixta humiditati caloris ignei pabulum, ut infrà dicam. frigiditatem autem ſiccitas nõ obtundit: quòd ſi fecerit, eam magis penetrantem acuit. humiditatẽ uerò ſuapte natura fluidam continet, & in vnũ cogit. Hæc de ſicco. Illud uerò in uniuerſum admonendus eſt mihi lector. Corpus dici alio calidius frigidius've, aut humidius ſiccius've, nõ ſimplici quadam, ſed multiplici ratione. Nã interdum dicimus calidius, id quod eſt affectum maiori caloris gradu. Interdum calidius dicitur eſſe aliquod, quod quamuis maiorem non habeat caliditatis gradum, habet tamen ſecundum quandam extenſionẽ plus caloris: nam quoniam denſius eſt, plus obti-

net materiei:ideoque plus etiam formæ, quæ eſt in ea materia,obtinet ſecun E
dum extenſionem quandam huius qualitatis. Aliquando calidius propterea
dicimus, quia magis calefacit, quoniam ſiccius:ſiccitas nanque caloré acuit.
Præterea calidius dicitur id,quod intra ſe, poroſque ſuos plus continet cor-
poris calidi : licet ſortaſſe remisſius caleat. Inſuper calidius id dicitur, quod
facilius poteſt calefieri. Amplius, nõnulla ſunt calida,quæ ſenſu percipimus
frigere:tamen ſi manducentur, intra nos calorem cõcipiunt; eumque interdum maximũ,noſque mirificè calefaciunt.Infrà tangam huiuſce rei cauſam.
Totidem modis frigidum frigidiu'ſve,humidũ humidiu'ſve,ſiccũ ſicciu'ſve
dici ſolere omnibus perſpicuum eſt. Poſtquàm ſatis accuratè à nobis expo-
ſita eſt natura quatuor qualitatum primarum; agendum eſt ſigillatim de F
quatuor elementis, prout ſunt elementa mixtionis: primumque ab igne
exordium ſumemus. Ignis (vt ſuprà dixi) natura calidisſimus eſt, ac pro-
pterea ſiccisſimus, omni prorſus humiditate carens,quæ calorem obtundit.
Item habet corpus omnium rarisſimum; ac propterea parum materiæ con-
tinet: habet etiam in ſe lumen; quamuis ſimplex puruſque ignis non ſplen-
deat, ullum've lumen emittat ob maximam ſui raritatem. Hæc natura puri
ignis,quẽ in propria ſphæra iuxta orbem lunæ credimus exiſtere. alibi ignis,
quem ſentimus, impurus eſt aliis corporibus immixtus, & alienis qualitati-
bus affectus: eſt tamen ignis, quia habet formam & naturam ignis. Ex pro-
prietatibus ignis, quas modò recenſuimus,iure ea ſequi videntur, quæ ſenſu
experimur ineſſe igni. Primùm quòd ignis omnium ſit elementorũ maximè G
efficax ad agendum:obtinet enim, maximeque naturæ ſuæ propinquã habet
caliditatem; cuius in agendo efficaciam ſuprà expoſui:eamque habet adiun-
ctam ſiccitati; quæ veluti cos quædam eſt calorem acuens. Sequitur item
ignem minimæ reſiſtentiæ eſſe,tum ob naturam caliditatis:cuius vim in reſi
ſtendo ſuprà diximus eſſe omnium minimam; tum ob maximam raritatem
paucitatemque materiæ. Nam forma materialis omnis ſuſtinetur à materia,
neque reſiſtit corrumpenti;niſi quatenus materia ei ſubiecta non vincitur ab
alienis ſubſtantijs. Paucisſima uerò materia & rarisſima, quæ ob raritatem
ſuam diſperſa eſt; ac totam ſe exponit viribus agentis omnibus; quod non fa
ceret,ſi in ſe conſtipata eſſet,& collecta:facilè uincitur & corrumpitur vi cor
poris alieni. Non ergo mirum alicui uideri debet,ſi ignis præ alijs elementis H
omnibus ſit iniuriæ & corruptioni expoſitus.Leuisſimus etiam eſt & rarisſi-
mus:qua de cauſa contineri non poteſt,ne euolet ad ſuperas oras. Ex omni-
bus his facilè illud ſequitur,quod ita eſſe experiẽtia nos docet, ignem.ſ.apud
nos exiſtentẽ, præterquam quòd eſt impurus, nõ poſſe tamen per ſe manere,
diutiuſque conſtare; ſicuti conſtat terræ gleba, aquæ ſitula, aeriſque portio
quædam; ſed confeſtim euolare; ideoque ſtatim corrumpi & intercidere: ac
propterea fieri ut ignis indigeat continuo nutrimento, ex quo posſit con-
tinuatò tempore generari, atque fluere, veluti ex quodam fonte, ex quo in
ſublime, ut fluuius quidam, feratur, pauloque pòſt intercidat ab aere alii'ſve
corporibus alienis corruptus ob ſui tenuitatem, atque in reſiſtendo im-

becil-

A becillitatem. Proximum ignis alimentum eſt vapor aereus, præſertim ſi immixtus fuerit terreſtri ſiccitati, ſeu terreæ exhalationi. Vi ergo ignis à cõbuſtibili corpore reſoluitur vapor iſtiuſmodi; qui ſtatim correptus ab igne flamma efficitur: hæc ab eo fonte, ubi vapor ille reſoluitur, fluit continuato lapſu, ad ſupernaque euolat, ac confeſtim intercidit. Ignem hunc impurum hoc pacto tantùm apud nos exiſtere; neque alibi purum ignẽ inueniri atque conſiſtentem præterquam in propria ſphæra impoſsibile eſt. Quamobrem cùm ignis adeo ſit expoſitus corruptioni & iniuriæ, natura omnium parens ſolertisſima plures modos viasque adinuenit, quibus ignis generari poteſt. Nam & ab igne ignis generatur, & ab radiis ſolis coeuntibus in vnum, vt fieri
B videmus à ſpeculis concauis; à quibus radij reflexi in unum punctum coeuntes ignem generant; resque in eo puncto poſitas inflammant. Item rarefactione & diſgregatione aeris; ſiue motu quopiam, ſiue contritione quadam corporum ſolidorum rareſcat; confeſtim generatur ignis: quæ ratione certa accidunt. Nam lumen qualitas cœleſtis proxima eſt calori: ideoque caliditatem generat. Ad caliditatem autem intenſiorem ſequitur forma ignis, ſicuti ad propinquisſimam diſpoſitionem. Item rarefactionem ſequitur caliditas: ſeſe etenim vicisſim comitantur raritas & caliditas. Quare ſicuti ad caliditatem illico ſequitur rarefactio; ita contrà ad rarefactionem ſequitur caliditas: eam ignis conſequitur. His ergo tribus modis ignis apud nos generatur; qui ſtatim generatus perit, niſi habeat nutrimentum; ex quo ſemper
C nouus ignis prodeat, affectus tamen qualitate illius nutrimenti, id eſt, vaporis aut exhalationis: ex qua fit, illique ſemper immixtus fluit. Hinc fit ut apud nos ſint uariæ ignis ſpecies, tum colore & aſpectu, tum viribus diuerſæ. Hinc fit etiam, ut magnus ignis paruum extinguat aut imminuat: quam ob cauſam ligna incenſa lucernæque ardentes æſtate & ſub ſole poſitæ diutius durent, quàm per hyemem, & in vmbra. hinc fit, vt interdum aqua ignem non extinguat, quem tamen extinguit oleum alioqui idoneum ut accendatur & inflammetur. aliquando acetum id faciat, quod aqua nequit. hinc fit, ut ſub cinere conſeruentur prunæ, quæ rebus aliis obrutæ extinguuntur: aeri uerò expoſitæ penitus conſumantur & redigantur in cineres. hinc metalla liquefiunt interdum ab igne exiguo, quæ à feruentisſima aqua liqueſcere
D minimè poſſunt. Hinc eſt quòd calore leuiore ſolis offuſcantur corpora, quæ tamen ignis non offuſcat. Inde fit ut cadauer totum vi ignis non queat abſumi & in cineres reſolui, quin aliquid reliquum ſit; incluſum tamen ſepulchro confecto ex lapide ſarcophago breui temporis ſpatio totum in cineres redigatur. Horum omnium cauſæ petendæ ſunt ex his, quæ diximus de noſtrate igne. Nam cùm alimento continuo egeat ignis, & fontem habeat à quo profluat: nil mirum ſi magnus ignis vi ſua arrepto & conſumpto fomento exigui ignis, ipſum extinguat. Item cùm exiguus ignis fonticulus ſit corpus quoddam immixtum vapori & exhalationi, totus fit veluti pabulum maioris ignis, ideoque ab eo conſumitur & euaneſcit. Eadem proportione cùm per æſtatem & ſub ſole vis ignis ob eam (quam diximus) cau-

ſam flacceſcat, nil mirum ſi minus conſumit & vrit. ignis quoque ſuapte na- E
tura lucidus magis minus've immixtus atro fumo diuerſas refert coloris ſpe
cies. Viribus quoque diuerſæ ſunt ignis ſpecies pro ſubiecti uarietate & ma-
teriæ. Plurimum nanque refert, an inflammata ignitaque materia denſa ſit
an rara; ſiccior an humidior; an poros latos habeat multoſque, an arctos &
paucos. Quòd aqua quandoque ignem non extinguat, oleum uerò extin-
guat, in cauſa eſt, quòd aqua, quia fluida eſt, interdum non attingit ignis fon-
ticulum, ſed præterlabitur: aut ſi attigerit, citô defluit: oleum uerò lentius &
tenacius non ita labitur, ſed obturat ignis fonticulum, adeo vt profluere
ignis non poſſit; conſumptoque exiguo illo nutrimento cōfeſtim flacceſcat,
& extinguatur. Acetum autem tum ob frigiditatem, tum quia partes ali- F
quas acutas habet, præcipuè ſi fuerit mixtum oleo, cuius lentore detineatur,
potius eſt aqua in extinguendo ignem. Prunæ uerò cinere tectæ conſeruan-
tur, quoniam cinis rarus eſt, adeo vt per intermedios cineres efflare queat
vapor fumusque igneus prunarum: qui, cùm craſſo denſoque corpore te-
ctæ fuerint prunæ, coactus in unum, abſumpto momento ferè temporis ali-
mento proximo, ſeipſum conficit & interimit, ſicque extinguitur. Aer etiam
frigidus ad contectas cinere prunas penetrare non poteſt, atque ignem ex-
tinguere: necnon prohibet nimius defluxus vaporis igniti à cineribus. quas
ob cauſas prunæ cinere contectæ conſeruantur. Metalla liqueſcunt ab igne,
non autem ab aqua etiam feruentiſſima; quoniam aquea ſunt: ægrè igitur
ab aqua patiuntur. Præterea partes aquæ calidæ craſſiores ſubire nequeunt G
poros metallorum arctiores, ita ut totam maſſam ſubeant ac ita diſſoluant.
Ignis uerò ſiccior, & magis agit in contrariam materiam, & etiam per poros
vndique penetrat maſſam metalli; eoque pacto facilè diſſoluit. Vnde calor
quoque ſolis, ſeu aer à ſole calefactus ſubit tenuiſſimos cutis poros; reſolu-
toque vapore, cuteque exiccata fuſcos reddit. Ignis uerò, qui eſt in craſſiori
materia, offuſcare non poteſt. Conſimilis propè eſt caloris vis in lapide ſar-
cophago, quo cadauera tota reſoluuntur in cineres. Varia ergo eſt vis ignis,
diuerſæque ſpecies ob diuerſam materiam, in qua eſt. Sed ut tandem re-
deam unde diuerti: Ignis collatus cæteris elementis mixtionis ſe habet ut a-
gens & ut forma; cætera uerò ut materia & ut patiens. Nam proprium ignis,
quia calidiſſimus eſt, eſt componere & congregare homogenea, alienaque H
ab eis ſeparare. Hoc autem pacto neceſſe eſt, ut fiat mixtorum corporum ge-
neratio; ut ſcilicet vi agentis ea in unum componantur, quæ naturæ mixti
conueniant; aliena uerò abijciantur & ſecludantur. eſt etiam (vt dixi) veluti
forma aliorum elementorum miſcibilium. nam vi caloris ſeu ignis conti-
nentur in unum, ea quæ ſunt inuicem compoſita, & commixta; ut inferius
lucidius explicabitur. Aer ignem ſequitur, qui medius eſt inter elementa
duo, quæ præcipuè pertinent ad materiam mixtorum corporum, & ignem
qui eſt veluti eorum forma. etenim aer ſui humiditate interdum temperat
ſiccitatem ignis, interdum longè etiam imminuit. Nam quorundam mixto-
rum generatio, itemque digeſtio quædam & concoctio fit à calore ſicco per

A modum cuiuſdam aſſationis. Quædam uerò fit à calore humido, per mo-
dum cuiuſdam elixationis. Aer igitur humiditate ſibi inſita temperare ignis
ſiccitatem poteſt; ſicque ad formam pertinet: ad materiam item non minus
aer pertinet, quàm ad formam, immò fortaſſe longè magis. Nam quoniam
ignis fomento indiget, ut ſuprà dixi: terra autem & aqua, cùm ſint maximè
frigida, proculdubio præcipuè ſunt igni contraria: quamobrem niſi prius
molliantur, ignis partem propinquam extinguent, non nutrient: indigent
ergo alterius corporis ope, ut igni præſtare fomentum poſſint. Id uerò aer
commodiſſimè facit. nam innata caliditate temperat utriuſque illorum fri-
giditatem; adeò ut terra aquaque aeri immixtæ compoſitæque pabulum
B ſuppeditent igni, quo foueatur & conſeruetur: tenuitate etiam aeris maſſæ
aquæ & terræ compacta fermentatur adeò, ut vis ignis totam queat permea-
re & concoquere: Aqua uerò & terra ſunt materia mixtorum omnium cor-
porum perfectorum; eorum inquam, quæ habent formam mixti corporis:
per quam in propria ſpecie conſtituantur. Etenim ſine magna terræ copia
nullum corpus conſtans eſſe poſſet; ſed difflueret, paſſimque in minutiſſi-
mas partes deduceretur ob vim eorum, quibus occurreret: nullum item ter-
minum ſeu finitionem propriam haberet. At terræ partes ſine aqua inuicem
hærere minimè poſſent; ſicuti farinæ ramenta ſine aqua nequeunt inter ſe
hærere. ad compactionem ergo mixti opus eſt aqua & terra. Amplius, aer
terræ per ſe miſceri minimè poſſet, niſi aqua quaſi medio quodam & velu-
C ti internuntio conueniret cum terra: per ſe autem neque etiam fingi poſſet,
qua ratione aer terræ miſceri ualeret. Amplius, prætérquàm quòd corpus
ex aqua & aere compactum ſine terra nequiret per ſe conſtare: duo ea ele-
menta cùm ſint maximè humida, non præſtarent pabulum igni conueniens,
quo ali poſſet. ſicuti ergo caliditate aeris temperatur aquæ & terræ frigidi-
tas; ita ſiccitate terræ temperatur aquæ & aeris humiditas: hocque pacto pa-
ratur fomentum igni, quo ali poſſit & ſuſtentari. Rationi experientia con-
cordat. Nam ea mixta corpora, quæ ſunt aerea & terrea, ſunt etiam aptiſſima
vſtioni, facillimeque comburi poſſunt. Hæc tetigiſſe de elementis pro mo-
do huius libelli ſatis ſit, prout apta ſunt mixtioni, & mixtionis elementa ap-
pellari queunt. Nunc ad diſſerendum de mixtione accedamus. Mixta ex ele-
D mentis duplicia ſunt. Quædam enim ſunt imperfecta, nonnulla uerò perfe-
cta ſunt. Item perfecta mixta duplicia: etenim nonnulla prima ſtatim com-
poſitione componuntur ex elementis, aliqua uerò ſecunda, tertia've, immò
quarta & pluribus compoſitionibus ex elementis conſtituuntur. Mixta im-
perfecta ea appello, quæ non habent aliam ſubſtantialem formam, per quam
ſint, præter elementorum ipſorum formas: huiuſmodi uerò imperfecta mix-
ta duobus modis fiunt, duplicisque generis ſunt. Nam illorũ quædam unius
tantùm elementi formam habent, aliorum uerò elementorum qualitate &
affectionibus impurata ſunt & affecta: nihil uerò, aut admodum exiguum
aliorum elementorum in eis eſt immixtum: ſicuti aqua maris ſalſa, item ni-
ues, rores, pluuiæ. Nonnulla uerò imperfecta mixta ex pluribus elementis

conſtant in unum coactis: non tamen formam aliam ſubſtantialem mixti E
habent: ſed ſunt veluti quædam congeries elementorum inuicem compa-
ctorum inpuratorumq́ue. Prior mixtionis modus conſimilis eſt illi mixtio-
ni, de qua Ariſtoteles mentionem facit in primo libro de generatione & cor-
ruptione. inquit enim in mixtione corporum interdum unum eorum tan-
tum conſeruari, alterum uerò euaneſcere: ſed tantùm affectionem quandam
& qualitatem eius remanere; qua prius illud, quod conſtat & conſeruatur, fit
affectum. Sicuti ex duobus metallis interdum mixtio quædam fieri ſolet,
qua unum euaneſcit; alterum uerò remanet calore prioris intinctum. Non
diſſimili ratione mare ſalſum eſt, ob mixtionem partis terreſtris aduſtæ, quæ
tamen potius aquam inficit, quàm iuſta mixtione cum aqua miſceatur. Sic F
ſunt pluuiæ aqua quædam infecta & impura. Alterius generis mixta imper-
fecta ob mixtionem aliorum elementorum non tantùm ſuam ſpeciem reti-
nentia inficiuntur: verumetiam cum alijs compacta quoddam tertium effi-
cere uidentur: licet reuera ibi non fit niſi quædam elementorum congeries
inuicem compactorum. Huius generis (vt puto) ſunt grandines, niues,
pruinæ. mixtaq́ue huius generis fiunt plerumque vi frigoris: nam proprium
frigoris eſt congregare heterogenea; contrà caloris natura eſt heterogenea
diſiungere & ſeparare. Poſt mixta imperfecta ſequuntur mixta perfecta;
in quibus propter mixtionem, variamq́ue inter ſe mixtorum elementorum
alterationem refractis elementorum formis, ac propterea ſecundum eſſe
ſubſtantiale corruptis emergit forma mixti media: qua tota illa maſſa vnum G
fit quoddam præter elementa: ſicq́ue ſecundum ſubſtantiam etiam elemen-
ta miſcentur, ita tamen, vt cuiuſque forma magis infixa ſit in ſua priori ma-
teria, quàm in aduentitia. Ideoq́ue facilius ad priſtinam naturam elemen-
ti commutatur, quàm ad alteram. In mixtis hiſce perfectis cùm elemen-
ta coæquata eſſe oporteat; maximaq́ue ſit vis ignea, omniumq́ue præcipua;
portio ignis mole alijs eſt minor; eadem propè ratione portio aeris non eſt
mole admodum magna. huic adde, quòd conſtare non poſſent, ſed ſtatim di-
laberentur: ſi mole, aer & ignis, terram aquamq́ue ſuperarent. Terra etiam
in mixtis omnibus, quæ conſtantia ſunt non fluida, ſuperat aquam mole:
quamobrem Ariſtoteles dicit in ſecundo libro de generatione, omnia mix-
ta ſupra terram conſiſtentia eſſe terrea mole. ſ. & magnitudine partis terre- H
ſtris ex qua conſtant. Nonnulla etiam aquea ſunt, (vt reor ego) ea inquam
quæ fluida ſunt, vt lac, ſanguis, huiuſmodiq́ue alia, in his præſertim anima-
libus; quorum ſanguis fibras non habet. Verùm pro diuerſa natura mixto-
rum corporum diuerſæ ſunt etiam elementorum portiones, tum mole, tum
mixtione, & temperatura; necnon etiam raritate & denſitate, alijsq́ue huiuſ-
modi. Quo fit ut formæ elementorum corrumpi queant, non uno tantum
modo alterationis, ut ſit neceſſe unum tantum modum mixtorum fieri: ſed
longè diuerſis, ut pro alterationum diuerſitate, mixtura ſeu complexione &
nexu elementorum inuicem, item mole & modo ſubſtantiæ fiant mixto-
rum diuerſa genera. Horum ratione expoſita accedamus ad rationem ex-

plican-

A plicandam, qua & generentur mixta omnia perfecta, & corrumpantur. Su-
perius, cùm exponeremus vim qualitatum omnium primarum, diximus ca-
lorem & frigus qualitates eſſe actiuas: contrà uerò humiditatem & ſiccita-
tem, paſſiuas: non tamen ea de cauſa, quòd hæ duæ poſteriores non agerent,
ſiue quòd priores duæ non paterentur; ſed quoniam in generatione mixto-
rum corporum, eorumque mixtione duæ poſteriores qualitates, humi-
dum. ſ. & ſiccum, ſeu (vt rectius dicamus) corpora hiſce duabus qualitatibus
affecta ex natura & vi harum duarum qualitatum inuicem componerentur
& miſcerentur. Contrà uerò vi caliditatis ac frigiditatis fieret eorum inui-
cem mixtio & coniunctio: quod patêre liquidò poteſt, ex harum qualitatum
B definitionibus. Nam calor eſt, cuius vi congregantur homogenea: frigus,
cuius vi congregantur tum homogenea tum heterogenea: humidum uerò
quòd facilè terminabile eſt termino alieno: contrà ſiccum id eſt, quod diffi-
cile termino alieno definitur; ſuo uerò facilè. Cæterùm à qualitatibus ad ele-
menta deueniamus; in quibus hæ vigent qualitates, & quorum eſt mixtio.
Cùm terra, aqua, aer, ignis inuicem miſcentur, ex hiſque mixta corpora gene
rantur; mixtionem eam primo & per ſe fieri non poſſe, niſi vi corporis cali-
di, ignis inquam. ſi prima fiat elementorum mixtio, ſeu corporis ignei: ſi ſe-
cunda, tertia've, aut aliæ deinceps fiant; & ratio & experientia nobis perſua-
dent. Nam ſi debeat fieri mixtio accommoda naturæ cuiuſpiam mixti, neceſ-
ſe eſt vt ea inuicem componantur, quæ conueniunt naturæ illius mixti cor-
C poris: aliena uerò ſeparentur. At hoc caloris proprium eſt, congregat etenim
calor homogenea, aliena ſeparat: frigus uerò omnia indiſcretè conſtipat, &
in unum aceruum cogit. Qua de re conſtat frigus ineptiſſimum eſſe, vt pri-
mo ac per ſe eius vi fiat mixtio, generatioque mixtorum corporum. Præte-
rea commodè mixtio fieri nequit; niſi miſcibilia corpora diuidantur in mi-
nutiſſimas partes; ac deinde inuicem partibus illis minutiſſimis uniantur,
ſeparatis paulatim alienis; & mixtioni illi ineptis. id uerò fieri non poteſt,
niſi per concoctionem quandam: omnis autem concoctio eſt à calore, & à
corpore calido. Item actio uera & generatio uera, quæ eſt ad formam, debet
primo & per ſe attribui illi qualitati, quæ ſe habet ut habitus & forma: ei ue-
rò, quæ ſe habet ut priuatio, attribui non poteſt niſi per accidens, & ſecunda
D quadam intentione. ſed caliditas ſi conferatur frigiditati, ſe habet ut habitus
& perfectio; frigiditas uerò ut priuatio. igitur per ſe & primo frigiditati ad-
ſcribi nequit mixtorum corporum generatio. Item ſuprà diximus primum
inſtrumentum & natura proximum cœleſti tepôri, in quo eſt magnum om-
nium ſeminariom, ut Platonici dicunt, eſſe caliditatem. experientia ratio-
nibus hiſce atteſtatur. Nam quotcunque mixtorum generationes fieri ſenſu
perſpicimus; eas omnes uidemus fieri per concoctionem quandam vi calo-
ris. quin omnes mixtiones, quæ artificijs quibuſdam fiunt, (quæ ſunt quam-
plurimæ) calore adhibito, & per concoctionem quandam fieri experimur.
Neque vllus artifex, ſeu pharmacorum & eſculentorum, poculentorumque
confector, ſeu metallorum compoſitor quippiam mixtionis attentaret, ex

qua

qua noua complexio nouaq́ue maſſa fieret, ſi adimeres eis vſum ignis. Vi E
igitur caloris primo & per ſe fiunt generationes mixtorum omnium. nihil-
ominus ſecunda quadam intentione etiam frigori attribui poteſt mixtorum
generatio. Nam præterquam quòd calor nòn efficitur proprius & natura-
lis,(vt infrà dicemus)niſi temperamento quodam certo;quod efficitur mix-
tione frigoris, ut infrà dicam: in concoctione mixtioneq́ue ipſa neceſſe eſt
ſæpenumero id fieri à natura; quod fieri conſpicimus à fabris ferrarijs, qui
ferro, ex quo enſem aut haſtæ cuſpidem efficere uolunt, certum tempera-
mentum adhibeant:quamuis per ſe primo utantur vi ignis; tamen certis in-
teruallis id ferrum quod voluunt in fornace forcipe,& malleis tundont;aqua
frigida intingunt. ſic natura frigefactione interdum præparat materiam; F
quæ,niſi id fieret,inepta eſſet illi temperamento,mixtioniq́ue illi, quam vult
efficere: idq́ue ſæpenumero facere more fabri veriſimile eſt. Amplius, poſt
concoctionem & mixtionem perfectam,totam eam maſſam frigiditate con-
ſtipat & cogit, cum id exegerit illius mixti natura; vt in metallis factum eſſe
conſpicimus. Generatio ergo mixtorum omnium calori per ſe primo eſt
attribuenda & igni; qui fons eſt caloris cuiuſcunque:itemq́ue aeri ut efficien
tibus:terræ uerò & aquæ, ut materiæ. Verùm cùm calor ſit cauſa generatio-
nis mixtorum, quæri poteſt, quænam ſit cauſa corruptionis horum mixto-
rum,quæ caloris vi generantur. Poſſetq́ue alicui uideri frigori attribuendam
eſſe corruptionis cauſam. Nam contrariorum contrariæ uidentur eſſe cau-
ſæ. Contrà uerò eſſe uidetur efficax ratio. Nam ſicuti generatio mixtorum G
fit per compoſitionem quandam; ita corruptio fit per reſolutionem & ſepa-
rationem corporum componentium mixtum: at frigus ſemper congregat
& conſtipat omnia, tum homogenea tum heterogenea: igitur per ſe à frigo-
re reſolutio & ſeparatio eſſe nequit. Quamobrem neque etiam mixtorum
corruptio attribui poteſt frigori primo & per ſe. Verùm frigus primo & per
ſe ſi caloris actionem impediat nimia ſui vi immixti cuiuſpiam factione;
generationem ſuccedere non ſinet.hoc pacto impedit etiam frigus digeſtio-
nem ſeu concoctionem caloris, & indigeſtionem cruditatemq́ue facit. Cui
igitur primo & per ſe attribuenda erit mixti corporis diſſolutio & corru-
ptio? Perſpectum eſt cuique acutius inueſtiganti nulli attribui poſſe diſſo-
lutionem præterquam calori. A calore ergo mixta generantur, & compo- H
nuntur. item à calore mixta diſſoluuntur, & corrũpuntur. at quî fieri poteſt,
ut ab eadem cauſa prodeant effectus contrarij per ſe primo? Nimirum mini-
mè omnium. ex hiſce efficitur, alium eſſe calorem à quo eſt generatio; item
alium eum, à quo eſt corruptio & diſſolutio mixti corporis. priorem dici-
mus naturalem & proprium: poſteriorem alienum & extraneum. Fiunt au-
tem hi calores, ſeu hæc corpora calida diuerſa ob mixtionem frigiditatis,ſeu
humiditatis,ſiccitatis've, aut ob maiorem minorem've illius calidi copiam,
quàm par ſit: ſeu denſatione, aut rarefactione nimia. Sicuti ergo certa qua-
dam temperie calor corpus've calidum ſit naturale (nunc etenim in hoc ſen
ſu vtimur caloris nomine) ita diuerſa temperatura ſit calor extraneus &
alienus.

A alienus. Duoque hi calores inter ſe pugnant; alterq; ab altero diſſoluitur, reſoluto ſeu extra naturæ limites affecto naturali calore, à calore extraneo mixtum corrumpitur. Nam forma mixti primo ineſt calori naturali, ac per eum continet reliqua elementa omnia inuicem mixta. Euaneſcente forma, reſolutoque calore humidum aqueum aereumque ſimul euaporant: eſt enim caloris fomentum & materia. Terrea pars demum diſpergitur & diſſoluitur in cineres. Calor autem extraneus calorem naturalem corrumpit ſeu reſoluit duobus modis: per putrefactionem videlicet mixti, aut per exuſtionem. Putrefactio corruptio eſt caloris naturalis à calore extraneo in humido. Neceſſe eſt ergo ut in putrefactione poſt immutationem caloris naturalis humi

B dum remaneat aliquantiſper, neque ſtatim reſoluatur. At in exuſtione ſimul cum calore naturali reſoluitur humidum & euaneſcit. Quamobrem plerunque putrefactio fit à calore extraneo humido non admodum vehementi. At exuſtio contrà fit vi caloris ſicci vehementis. Quo fit, ut, quoniam natura ſenſim res mixtas infirmat, & ad interitum ducit, nihilque violenter agit; ut corruptio naturalis cuiuſque mixti fiat putrefactione quadam. Quod etiam perſpicuè oſtendunt & ſenectus animalium, & exiccatio plantarum. Nam harum vtraque via eſt quædam ad putrefactionem. Qua de re facilè conijci poteſt naturam ducere res mixtas ad interitum per putrefactionem. Satis expoſitum ſit hactenus de calore extraneo: redeamus ad calorem naturalem; vi cuius ſuprà oſtendimus mixta corpora generari. Dubitare

C quiſpiam poteſt non immeritò, cùm calor naturalis ſit pars corporis mixti, quin potius cùm forma mixti primò inſit calori naturali, ac per eum contineat reliqua elementa; prima & præcipua pars eſt mixti: agens uerò & materia id numero eſſe nequeant; nihil enim ſeipſum format & efficit: quo ergo pacto dici potuit mixta generari à calore naturali? Vt hanc quæſtionē diluamus, illud eſt animaduertendum; non omnino disſimilem eſſe generationem corporum mixtorum à generatione animalium plantarumque; quamuis in plurimis disſideant. Nam ſicut in generatione animalium eſt quædam certa materia, in qua inducitur anima, quæ primo inexiſtit, participaturque à calido naturali, ſibique proprio, ac per eum membra format: ita in generatione mixti corporis eſt forma, quæ inducitur in ſua materia, & primò ineſt

D in calido naturali. Item quemadmodum in generatione animalis præter calidum, in quo eſt anima, exiſtit etiam ſemen; in quo eſt vis generandi animal à parente deducta: Ita in generatione mixtorum omnium eſt qualitas cœleſtis; in qua veluti in quodam magno ſeminario eſt vis generatiua mixtorum omniūm deducta à corpore cœleſti & à mētibus illis cœlorum motricibus. Hac vi veluti quadam arte à ſuprema illa arte deriuata, & diſpenſantur elemēta in mixtorum generatione, & forma mixti inducitur. Etenim ſi hoc pacto nobis fingamus mixta generari; non arbitror longè nos à veritate aberrare. Coeunt in unum elementa in mixtis; quæ prima mixtione ex elementis fiunt; vique hac cœleſti, pro qualitate materiæ & loci partes maiores, minoreſve, denſiores, rarioreſve, uaria etiam alteratione impuratæ in unū coeunt, inui-

inuicemque alterantur, & componuntur: Ita tamen ut uis ignea eiuſque elementi pars ſit veluti organum primum cœleſtis qualitatis: Sicque cùm omnia uiciſſim omnia uicerint, uictaque ſint, iam concocta & in unum mixta vi cœleſtis qualitatis, & complexio & forma mixti inducitur: quæ primo recepta in calido proprio, ſeu in parte ignea deriuatur ad alia elementa. Hoc pacto vi caloris naturalis fit mixtio & concoctio; & in calore naturali forma mixti recipitur à cœleſti qualitate omnium effectrice. Si uerò mixtum fiat ab elementis non prima mixtione; ſed ſecunda, aut tertia quarta've compoſitione; idem propemodum dicendum eſt. nam vicem ignis obtinebit corpus igneum, quod propriam complexionem habebit accommodã mixto corpori generando; vicem terræ & aquæ corpus mixtum craſſius, ſic uicem aeris item corpus mixtum aereum. viciſſim igitur agent, patienturque hæc corpora; fietque ex illis mixtum tertium vi qualitatis cœleſtis, corruptis prioribus formis mixtorum, non refractis; eo quòd imperfectiora illa, prioraque mixta non ſunt elementa aut materia poſterioris: ſed quoniam hoc vtitur ordine, huncque ſemper ſeruat tenorem natura, ut ab extremo ſenſim producat res omnes ad extremum aliud; non ſtatim & repente: inde effectum eſt, ut in generatione animalium, eorumque nutritione, non continuò ex elementis, aut ex inanimis etiam animal perfectum generet: uerùm multa media poſuit imperfecta; in quibus tamen non ſiſtit, ſed per ea animal perfectum facit. Etenim in libris de generatione animalium Ariſt. dicit, quod animal prius uiuit uita plantæ, forma ſcilicet quadam imperfecta; in qua non ſiſtit natura, uim tamen habet ea forma uegetandi; deinde ea exuta uiuit uita animalis; in qua prior forma eſt uirtute & potentia; tandem uiuit uita bouis, aut aſini, ad perfectumque peruenit & in ea natura ſiſtit. Sic in corrumpendo animal non confeſtim reſoluit illud in elementa; ſed ſenſim agit per formam cadaueris, cæteraſque nobis non notas. In nutritione autem utitur natura mixtis aliis perfectis, ut fructibus, frugibus, animalibuſque ad animalium alimentum. Non diſſimili ratione exiſtimandum eſt naturam operari in mixtorum corporum perfectorum generatione; licet media, per quæ natura procedit in his, obſcuriora ſint, quàm à nobis ſciri aut dici potuerũt. Attamen in metallorum generatione nullus ambigit, quin omnia fiant ex argento uiuo & ſulphure. hoc igitur pacto mixta fiunt à proprio naturalique calore. Si quis uerò uellet aſſerere, quòd præter corpus illud calidum, quod remanet in mixto corpore, poſtquam generatum eſt mixtum; aliqua etiam eius portio, qua ut agente inſtrumentoque proprio uſa eſt cœleſtis qualitas, remaneret; neque mixtionem ingrederetur, & poſtea euaneſceret, uel aliud quippiam ex eo fieret à natura: ut de ſpiritu & calore exiſtente in ſemine maris Ariſtoteles dicit, poſtquam eius vi generatus eſt fœtus: ut reor, neque euidenti argumento improbari poſſet, neque ipſe poſitionem ſuam poſſet adſtruere efficaci ratione.

DE . .

DE ELEMENTIS.

LIBER QVARTVS.

B SATIS à nobis expoſita fuiſſe videri poteſt ratio mixtionis;
& generatio mixtorum omnium vniuerſali quadam do-
ctrina. Id etenim inſtituti noſtri fuit; quemadmodum in
exordio ſtatim diximus; tractationem.ſ.nos facturos de ele
mentis,& de elementorum mixtionibus in vniuerſum. ita
oratio noſtra ſibi conſtiterit citra formas metallorum & la
pidum proprias; itemq́ue citra naturas proprias partium ſimilarium,ex qui-
bus conſtant animalia & plantæ. Verùm quoniam generatio mixtorum fit vi
caloris naturalis;corruptio contrarij caloris extranei: Itemq́ue mixta omnia
C perfecta fiunt ex aqua & terra,tanquam ex materia;quorum alterum eſt ſicciſ
ſimum,alterum humidum ualde & fluidum:nimirum tractatio hæc imperfe
cta uideri haberiq́ue iure poſſet, niſi à nobis exponerentur tum actiones calo
ris naturalis ſigillatim, tum accidentia illa,quæ per ſe conſequuntur mixtio-
nem:quorum quædam tangibilia ſunt,& ad paſſionem impaſſibilitatemq́ue
mixtorum referuntur: alia ad actionem in ſenſus alios præter tactum accom
modantur. Nam qualitates primæ,illæq́ue,quæ eas ſequuntur; quibus mixta
ſunt affecta; ſunt tactiles qualitates,vt ſapor,odor,color;quibus præponenda
eſt complexio; quoniam mixtioni propinquiſſima eſt, ſtatimq́ue ex qualita-
tibus primis conflatur, earumq́ue vim maximè obtinet. Nemo ignorat ope-
rationes caloris naturalis proprias eſſe,cõcoctionem ſeu digeſtionem,matu-
D rationem,elixationem,& aſſationem,non quidem illas tantùm,quæ fiunt ar-
te,ſed eis cõſimiles à natura factas.Concoctio ſeu digeſtio,ut Latini auctores
dicunt,eſt perfectio à proprio,naturaliq́; calido ex oppoſitis paſſiuis,quæ de-
finitio adaptari poteſt ad terminum concoctionis: tunc enim perfectio ineſt
paſſiuis elementis, ſeu mixtis vicem elemẽtorum præſtantibus, cum fuerint
cõcocta vi caloris naturalis. Poteſt etiã hæc definitio referri ad motũ ipſum,
quo fit concoctio & digeſtio; ad quem ſi referatur, dicenda eſt eſſe perfectio;
quoniam eſt uia ad perfectionem. Motus nanq; eſt eiuſdem ſpeciei, cuius eſt
ipſius terminus. Quamuis autem & humidum & ſiccum concurrant ut mate
ria ad concoctionem: propior tamen materia concoctionis eſt humidum,
quàm ſiccum. Illud etenim,quod interminatum erat,concoctione termina-

tur,& eo veluti medio ſiccum molleſcit,ſicque inuicem miſcentur. Matura- E
tio propriè eſt digeſtio alimenti in fructibus.Etenim tunc fructus maturi di-
cuntur & ſunt, cùm in fructu alimentum concoctum eſt. Per metaphoram
uerò quandam multa etiam alia matura dicuntur per concoctionem quan-
dam:quorum nonnulla eſui,potui alia,expulſioni alia apta fiunt:tuncque di-
cuntur digeſta & matura. Animaduertendum hoc in loco eſt omnem dige-
ſtionem, itemque maturationem per ſe fieri à calore: à frigore uerò fieri per
accidens tantum. Item notandum eſt per ſe id, quod digeſtum primo & ma-
turatum eſt, craſsius fieri per digeſtionem. horum vtriuſque ratio ſatis eui-
dens eſt, & in promptu. Nam maturatio digeſtio quædam eſt; omnis autem
digeſtio eſt concoctio, ſeu per concoctionem fit; quæ proculdubio per ſe eſt F
à calore. Item digeſtio perfectio quædam eſt; calor uerò per ſe principium
eſt perfectionis & generationis: ſicuti contrà frigiditas eſt per ſe principium
interitus:per accidens autem frigiditas facit ad digeſtionem.Tum quoniam
digeſtio fit à calido naturali, quod definitione quadam & remisſione fit na-
turale: remisſio uerò caliditatis per frigiditatem fit. Item frigore in unum
cogitur calor, & fit ualidior per antiperiſtaſim. Præterea ſæpenumero acci-
dit, ut maſſa mixtorum non ſit apta certi generis concoctioni,niſi prius paſſa
fuerit à frigido: idque à natura ſæpe fieri ſuprà diximus more fabrorum, qui
ferrum cudunt & temperant. Accidit etiam in multis mixtis, ut poſt com-
pletam digeſtionem à calido, frigiditate afficiantur pro cuiuſque natura, &
ob eam cauſam frigidiora apparent poſt digeſtionem. vt lac, quod fit per di- G
geſtionem ſanguinis, eſt tamen frigidius ſanguine. Quamuis alia etiam ra-
tione contingere poſſet, ut poſt digeſtionem à calido factam, ea tamen res
digeſtione perfecta frigidior euaderet; per ablationem inquam partis cali-
dioris. Nam vi caloris naturalis & proprii ſicuti in unum conflantur homo-
genea,id eſt apta naturæ illius generis mixti; ita extranea ſeparantur & amo-
uentur. Itaque partibus calidioribūs amotis, quæ extabant in materia ge-
nerationis mixti frigidioris naturæ, id quod remanet,quamuis calore ſit con
coctum non frigore,frigidius tamen erit ſua ipſius materia, ex qua cōfectum
eſt. Ex his ſatis perſpicuè reor apparere digeſtionem maturationemque om-
nē per ſe primo fieri à calido;non autē à frigido niſi per accidens. Quòd uerò
omne id,quod primò digeſtionē maturationem've recipit,fiat craſsius,euidē H
ti ratione oſtēditur. Nā id,quod primo recipit digeſtionē,eſt humidū; eoque
veluti medio ſiccū terreſtre molleſcit,& fit mixtioni idoneū:humidum verò
propterea cōcoctionē & maturationē recipit,eo quòd vi caloris miſcetur ter
reo.Quare ſequitur id,quod primo maturatur & digeritur,humidū.ſ.propter
admixtionem terreſtris partis, neceſſe eſſe ut efficiatur craſsius. Quòd ſi qua
mixta poſt digeſtionē ſubtiliora facta eſſe uideātur;hoc vtiq; nō fit diuerſa ra
tione ab ea, quā ſupra expoſui, per amotionē.ſ.partiū terreſtriū ei mixtionis
digeſtionis've generi non accōmodatarū.Poſt expoſitam digeſtionem & ma
turationē accedamus ad alias caloris naturalis operationes; quæ diuerſæ ſunt
ob naturam pasſiuæ qualitatis coniunctæ calori naturali, à quo digeſtio fit.

Nam

A Nam talis ille calor vel eſt humiditati coniunctus, aut ſiccitati. Si humiditati
coniunctus eſt calor ille; ſic ab eo fit digeſtio per modũ elixationis. Sin uerò
cõiunctus fuerit ſiccitati, fit digeſtio per modũ aſſationis. hæ uerò plurimo-
rum diuerſorumque generum ſunt pro intenſiori aut remiſſiori humiditate
ſiccitate've. Quæ omnia natura tẽperat inſita diuina arte, quã intellectus hu-
manus ad vnguẽ attingere nequit: ſed generali quadã notione mira hæc natu
ræ opera ſcrutatur & cognoſcit. Sicuti uerò à frigiditate impedita digeſtio-
ne indigeſtio fit: Ita impedita maturatione ſequitur cruditas dicta in fructi-
bus propriè, in aliis ſecũda quadã ſignificatione. Impedita uerò elixatione &
imperfecta, ſequitur diſpoſitio quã Græci & Ariſtoteles, inquinationem ap-
B pellant; cùm.ſ. à caliditate humida in re elixãda motus humor aqueus inter-
minatus adhuc & imperfectus ſe ipſe cogit, ſimulque poros conſtringit; in
quibus inhibitus & coactus eſt; ſicque elixandæ res fiunt duriores, quàm fue
rint antequã elixari inciperent. Aſſationẽ imperfectã ſequitur diſpoſitio, quã
latino vocabulo neſcirem ego explicare, Græci appellant στάτευσιν. Hæ actiones
ſunt caloris naturalis. Caloris uerò extranei operationes ſingulæ à nobis non
ita perfectè cognoſcuntur; quoniam pertinet ad corruptionem & interitum.
Sed genere quodam duplices ſunt, putrefactio inquam & exuſtio. De quibus
ſatis ſint ea, quæ ſuperiore libro ſunt expoſita. Nunc tẽpus eſt, ut paucis per-
curramus differentias, quibus corpora mixta homogenea humida ſicca've
differunt inter ſe. Primumque exordiemur ab his qualitatibus, quas paſſiuis
C affines coniunctasque cõſueuimus appellare ob id, quod per eas corpora ho-
mogenea apta uel inepta ſunt aliquo paſſionis genere affici. Accedemus dein
de ad complexionem & qualitates eas; quibus agunt, paſſionemque ſenſibus
ingerunt. Sumemus autem exordium à coagulatione & liquefactione, à qui-
bus etiam Ariſtoteles in quarto Meteororum orditur: quoniam corpora om
nia tam dura quàm mollia conſtant, & conflata ſunt quadam coagulatione.
Coagulatio omnis fit exſiccatione quadam: ſicuti contrà liquefactio efficitur
per humectationem. Quoniam ſicci eſt terminari definirique: ſicuti contrà
humidi eſt diffluere & proprio termino non contineri. Neceſſe igitur eſt, ut
id, à quo res coagulatur, ſiccitatem faciat. Siccitas uerò duobus modis in ali-
quo effici poteſt: ut ſcilicet alteratione quadam noua inducta ſiccitate, uel
D per ablationem partium humidarum: quæ ſcilicet aut lateant compreſſæ &
contentæ à terreſtribus partibus ſiccioribus, aut euolent reſolutæ in vapo-
rem, ſicque euaneſcant. Non diſſimili ratione neceſſe eſt, ut id, à quo res
quæpiam liquefit, humiditatem efficiat. Pluribus item modis humiditas in
re quapiam poteſt effici: aut enim alteratione fit, qua ea res exuat ſiccitatem
priorem, & induat humiditatem nouam; aut reſolutione quadam partium
aquearum, quæ compreſſæ conſtipatæque prius erant; uel coactione va-
poris in aqueam naturam; ſiue per ſubingreſſum in poros partium aquea-
rum, diſſolutioneque terreſtrium prius in unum coactarum. His expoſi-
tis dicendum coagulationem interdum fieri à calido per ſe, ſi calidum illud
fuerit etiam ſiccum, tum inducendo nouam ſiccitatem, quatenus eſt ſiccum,

tum componendo partes aqueas aereas've, & humidas cum terreſtribus ſic- E
cis, necnon reſoluendo partes aqueas in vaporem, qui euolet & euaneſcat. Hoc pacto calidũ coagulationem facit per ſe. Interdum calidum etiã per accidens efficit coagulationem; cùm per antiperiſtaſim cogit in unum frigidum; quemadmodum in grandinis generatione contingit. Frigidum autem coagulationem per ſe facit exiccando, ſi fuerit coniunctum ſiccitati, item condenſando partes aqueas in vnumque cogendo cum partibus terreſtribus, à quibus fortius condenſatæ etiam continentur, maioremque ſoliditatem accipiunt. Per accidens uerò frigidum etiã coagulat exprimendo partes calidas ſubtiliores immixtas humido; cum quibus humidum quoque implicitum euaneſcit. Item per accidens coagulationem facit frigidum, ſi vi caloris hu- F
midum reſoluatur, qui in unum cogitur, circunſtante & conſtipante frigido. Cæterum ea coagulatio, quæ fit mixtione quadam cõplexioni cuipiam apta partium terreſtrium cũ aqueis & aquearum reſolutione, frigido per ſe attribui non poteſt. hæc etenim per concoctionem fit; quæ eſt à calido per ſe, non autẽ à frigido, ut ſuprà diximus. Ideo Ariſtoteles in quarto Meteororum, in quo primo agit de coagulatione; quæ ſequitur mixtionem, quæ duræ res molleſque fiunt, nõ facit mentionem de ea coagulatione, quæ fit per ſe à frigido; ſed meminit de ea tantum, quæ fit à calido per ſe, à frigido uerò per accidens. Ea uerò coagulatio, quæ fit per ſe à frigido, conuenit mixtis illis imperfectis, quæ non ſunt unum per formã quandam ſubſtantialem tertiam cõflatam ex elementorum mixtione, ſicut grando, nix, pruina, cæteraque huiuſmodi. Ea G
nanque per ſe fiunt à frigido, non tantùm quia calidũ exprimat, ſimulque humidum; ſed quoniã vi ſua humidũ aqueum ſeu vaporem condenſat, & in vnũ cogit, parteſque terreſtriores congregat; quæ tenacius ſolidiuſque detinent partes aqueas aut vaporibus cõſtipatas. De huiuſmodi coagulatione inferius Ariſtoteles dicit, quòd fit per remotionem calidi, non autem humidi; de quo non meminit. Nã frigidum ideo coagulat, quia frigefaciendo cõdenſat, & cõſtipat humidum aqueum uel vaporoſum; frigiditas uerò, quæ coagulationẽ facit, quãdoque extrinſeca eſt ab illo mixto corpore, quod coagulatur & præter illius naturam; quandoque ſecundũ naturã & intrinſeca. Præter naturam eſt in mixtis imperfectis illis, de quibus ſuprà fecimus mentionẽ. In metallis uerò & lapidibus eſt intrinſeca & naturæ eorum propria. Quo fit, ut glacies, H
grãdo, nix liquefactæ permaneant fluidæ. Metalla uerò liquefacta ignis vi, cũ primum vis illa ignea ceſſauerit, cõfeſtim nulla vi frigiditatis extrinſecæ, ſed proprio intrinſecoq; nixu coguntur & dureſcunt. Qualis uerò & cuiuſmodi ſit hæc vis latitans, infrà dicemus, cũ tractabimus de cõplexionibus. Hæc de coagulatione ſint ſatis. Coagulata uerò liquefiunt per ſe à calido; quoniã calidum partes in unũ coactas à frigido rarefacit & diſgregat, ſimulque diſiungit partes terreſtres, quæ vi frigoris arctius cõtinebant partes aqueas. Necnõ calidum etiã per accidens liquefacit, quando ſcilicet reſoluit partes aqueas in vaporẽ, ſimulq; in unũ cogit partes frigidas per antiperiſtaſim, quarũ vi vapor ille diſgregatus in aquam cogitur vi frigiditatis in unũ coactæ. A frigido uerò

A rò per ſe liqueſieri dici poſſunt, impropriè tamen: vapor enim in aquam cogitur à frigore, ſicque condenſando & coagulando frigidum liqueſacit. Item à frigido humido liqueſcunt ſal, nitrum, eiusque generis cætera: quoniam humidum aqueum frigidum eorum poros ſubit, ſicque diſcindit partes terreſtres exiccatas & in unum coactas vi caloris. Per accidẽs uerò à frigido quædam liqueſcnnt; quoniam à frigido expellitur calidum, cuius vi fit craſsitudo in aliquo corpore, & impinguatio quædam ut ſperma, quod à frigido liqueſcit euaneſcente & euaporato calido, cuius vi craſsius effectum erat. Nonnulla uerò corpora ſunt, quæ nequeunt coagulari neque à calido neque à frigido: ab vtroque tamen craſſeſcunt. Quædam uerò neque coagulari neque B craſſeſcere poſſunt; ſed ſemper fluida perſeuerant. Ea, quæ aeris plurimum habent, habentque etiam lentorem, craſſeſcunt à calido & à frigido, à neutro dureſcunt, ut oleum. In quo multum eſt aeris, ideoque aquæ ſupernatat, craſſeſcit interdum aliquatenus à calido, quoniam partes nonnullæ aqueæ vi caloris reſoluuntur; cogi tamen & dureſcere non poteſt, quia non habet multum terræ, ſed plurimum aeris, quo præcipuè natura olei conſtat. à frigido uerò non pureſcit; quoniam aeris vis ſuperat, qui ob frigus craſſeſcit, ut in niue & in pruina conſpicitur: nõ autem dureſcit, ut grando, quæ ex aqua efficitur. itaque conſpicimus oleum frigore coactum habere quandam ſpeciem niuis viridis. Nonnulla etiam quamuis non ſint aerea, quia tamen ualde tenacia & glutinoſa ſunt, nequeunt dureſcere, ſed craſſeſcunt, vt mel; eo quòd neque caC liditas eique iuncta humiditas exprimi poteſt vi frigoris propter tenacitatẽ & lentorem; neque etiam vi caloris partes aqueæ reſolui queunt ob tenacitatem. Poſtremo loco nonnulla ſunt corpora fluida, quæ neque caloris neque frigoris vi dureſcunt, craſsiora've fiunt, ut acetum: in quo quamuis paucisſimæ ſint partes terreſtres, itemque calor ille, à quo acutum ſaporem habet, adeo implicitus eſt, per totumque diffuſus, vt vi frigoris exprimi non posſit. Ideoque continet partes aqueas, ne denſentur à frigore, & ob paucitatem partium terreſtrium contineri nón poſſunt partes aqueæ, ne diffluant. Quapropter neque etiam à calido dureſcere craſſeſcere've poteſt acetum ob exiguitatem partis terreſtris. Nam quæ coagulantur à calido, neceſſe eſt, ut habeant terræ plurimum, quod conſtare posſit parte aquea ob calorem reſoluta. PræD ter hæc, quæ hactenus à nobis expoſita ſunt, quædam inueniuntur coagulata, quæ prius à frigido coacta ſunt, deinde à calido perfectam capiunt duritiem & compactionem, ut fictilia omnia. Nonnulla contrà prius compinguntur in unum à calido; demum poſt actionem & concoctionem calidi perfectam coagulationem capiunt à frigido. huiuſmodi à natura ſunt metalla & lapides; quorum duritiei extremam manum imponit frigidum; licet eorum mixtio & coactio facta prius fuerit à calido. Ex his, quæ hactenus à nobis ſunt expoſita, facilè intelligi poteſt, quænam mixta potius ſint terrea, quæ itém potius aquea, item quæ potius aerea. Coagulationem, liquefactionem, craſſationemque mixtorum corporum ſequuntur plurimæ aliæ diſpoſitiones; quibus apta uel inepta ſunt mixta corpora certis quibuſdam

 pasſioni-

paſsionibus. Quædam etenim dura corpora molliri poſſunt & inflecti, quæ- E
dam minimè. Ea inquam, in quibus humor aqueus propter coagulationem
non ita reſolutus eſt atque euanuit, quin tantùm eius reliquum ſit, & in to-
ta ea maſſa diſperſum, ut vi ignis diſſolui nequeat; & ſi ob paucitatem mul-
tasque partes terreas, quibus eſt implicatum, nequeat fluere. hæc vtique igne
molleſcunt, ut ferrum, & cornu: quamuis ferrum violentiori igne adhibito
liqueſcat. Item nonnulla mixta aqua aſperſa madeſcunt, ut lana & huius
generis alia; liqueſcere tamen non poſſunt. Quædam contra in aqua poſi-
ta liqueſcunt; ægrè tamen madeſcunt, ut nitrum, ſal. Nonnulla in aqua &
madeſcunt & liqueſcunt, ut later nondum in fornace coctus, ſimiliaque ter-
rea mixta. Ea, quorum partes terreæ glutino tenaci inuicem compactæ ſunt, F
poros tamen habent maiores, aquæ globulis, in aqua poſita madeſcunt; non
autem poſſunt liqueſcere. Contrà quorum partes terreæ lentore glutinoque
carent, poros tamen habent neque ita exiguos, ut ſint aquæ imperuij, neque
adeo magnos, ut ſine iniuria & ſciſsione aqua per eos meare poſſit: in aqua
poſita non madeſcunt, ſed ſoluta ab aqua liqueſcunt. Terrea uerò, quia glu-
tinum habent, & poros latos, madeſcere poſſunt, ut lateres incocti. rurſus
quia compacta ſunt glutino non admodum tenaci, alijsque minores po-
ros habent, quos ſubiens aqua diuellit, liqueſcunt & ſoluuntur ab aqua.
nonnulla flexibilia ſunt; contrà aliqua flecti nequeunt. Flexibilia ob hu-
miditatem flecti queunt, ut iunci, virgæque virides. inflexibilia non poſſunt
flecti ob ſiccitatem. Nam humidum eſt terminabile termino alieno; ſic- G
cum contrà: neutra tamen horum igne molleſcere poſſunt ut ferrum: quia
in lignis terra & aer ſuperant humorem aqueum, non ſuperinfuſum dico,
ſed intrinſecum; ex quo compoſitum eſt lignum. Nonnulla frangibilia ſunt
in partes magnas, nonnulla comminui facilè queunt in partes exiguas & mi-
nutas. Item quædam ſcindi poſſunt, necnon etiam frangi, ut ligna: lapides
uerò frangi queunt, non autem ſcindi. Omnis huius generis accidentium
cauſa eſt in poris, eorumque ſitu; item in modo, quo partes terræ inuicem
cohærent. Nam quorum pori in longum ſunt protracti, parteſque terreæ
glutino aqueo tenaci per longum inuicem compactæ, ſcindi poſſunt, non
item frangi. Quòd ſi humoris glutinoſi pars reſoluta ſit ob nimiam ſiccita-
tem; pori noui fiunt etiam in latitudine; ſicque frangibilia fiunt. Lapidum H
uerò pori, ubi rari ſunt & in omnem partem diffuſi, faciunt lapides frangibi-
les: ubi uerò crebri & frequentes, comminuibiles lapides efficiunt, non ſciſ-
ſibiles autem, quia non certo ordine in longitudinem protracti ſunt: neque
etiam, ut diximus, in lapidibus partes terreæ cohærent tenaci glutino aqueo,
ut in lignis. Pari ratione, atque ex eadem cauſa quædam ſunt malleabilia, ut
plumbum, ferrum, & pleraque omnia metalla: quædam minimè. Quod con-
tingit ex humiditate aquea, cõſtipata tamen à frigiditate intrinſeca; in qua eſt
lentor & glutinum. Illa uerò, quæ ſunt terrea, aut aquea abſque lẽtore, malleo
extendi non poſſunt. Quòd ſi cum humido aqueo glutinoſo fuerit etiam ad-
mixtũ aeris, quantũ ſit ſatis, minuſque terræ habeant; fiunt corpora, quæ etiã

mani-

A manibus fingi poſſunt in diuerſas formas, quas retinent, ut cera huiuſque generis alia: hæc poros habent intraneos, intra quos partes compreſſæ recipere ſe queunt & contineri. Item præter has qualitates, & huiuſmodi alias, nonnulla mixta accendi & inflammari non poſſunt; licet ferueant, ut omnia aquea: quædam contrà inflammantur, ſed flammam non emittunt, carboneſque ex eis fiunt. huius ordinis ſunt ea, in quibus plurimum eſt terræ, & nonnihil craſsioris aeris; poroſque habent, quos ignis ſubire poteſt. Illa uerò, in quibus plurimum eſt aeris terræ admixtum & aquæ modicæ, inflammantur & flammam emittunt. Nonnulla quoque per ſe ægrè inflammantur: coniuncta uerò ligno arido, aut lino confeſtim flammam concipiunt &
B emittunt: in hiſce aereo humido admixtus eſt aqueus pluſquam modicus parumque terrei: iccirco per ſe ob humiditatem nimiam inflammantur ægrè; adiuncta uerò ſiccæ rei citò flammam concipiunt, eo quòd ignis ſuapte natura ſiccus eſt. Ideo cum multa humiditate, quamuis aerea ſit, parum eſt ſicci; ægrè prodit flamma. hæc ſuperius latius à nobis expoſita ſunt, cùm de mixtione terrei elementi loqueremur. Item ad ignem nonnulla appoſita vaporem emittunt, aliqua fumum, ſuffitum alia, nonnulla nidorem, alia fuliginem. Vaporem aquea; fumum & ſuffitum quæ aerea ſunt; nidorem vnctuoſa ut oleum; fuliginem ea quæ cum aere lentoreque pluſquam modicum terreſtris partis habent. Hæ ferè ſunt qualitates, ſeu diſpoſitiones mixtorum corporum; quibus pro materiæ & agentis qualitate inuicem differunt, apta-
C que uel inepta ſunt ad patiendum. Ex quibus facilè dignoſci poteſt & materia & efficiens eorum, ac propterea qualis nam ſit eorum cuiuſque complexio. Quam partem Ariſt. in quarto Meteo. præclarè complexus eſt. Ego paulò infrà pauca quædam perſtringam. Accedo nunc ad complexionem, eiuſque genera: paucisque hanc rem omnem perſtringam: quandoquidem accuratè lateque de complexionibus tractauit Galen. opere ad eam rem induſtriè confecto, & de complexionibus inſcripto. Complexio ſecunda qualitas eſt conflata ex mixtionibus primarum qualitatum, qua mixtum corpus agit certa actione, & patitur certa paſsione. Nam, cùm temperamento primarum qualitatum fiat complexio, nonnullæ uerò actiuæ ſint ut caliditas & frigiditas; duæ quæ ſuperſunt paſsiuæ, humiditas ſcilicet & ſiccitas: neceſſe
D eſt, ut harum omnium natura reluceat in complexione, quæ ex ipſis conflatur. Per complexionem ergo mixtum corpus & certa actione aget pro cuiuſque temperamento, & certa item paſsione patietur. Complexionum genera Galenus nouem poſuit: quorum unumquodque latiſsimum eſt, innumeroſque gradus ſub ſe continet. Prima omnium eſt temperata, quæ duobus modis poteſt intelligi: aut ſcilicet complexio, in qua qualitates primæ quatuor coæquatæ inuicem ſunt, adeo ut ne puncto quidem aliqua earum alias excedat, ſed poſita ſit in medio. Alio modo dicimus complexionem temperatam & æquam eam, quæ operationi maximè omnium ſit accommodata, & præcipuè cuique generi conueniat, ſicuti ſolemus dicere quippiam æquum eſſe ſecundum proportionem & æqualitatem geometricam,

in qua conſtituta eſt iuſtitia diſtributiua; ut in quinto lib. Ethico. Ariſt. tra- E
dit. Sic ergo dicimus complexionem temperatam & æquam, quæ operatio-
ni cuiuſque ſpeciei conueniat. Prior illa complexio temperata una eſt tan-
tum; quia conſiſtit in medio rerum, id eſt, qualitatum; quod unum eſt tan-
tùm. Poſterior hæc temperata eſt multiplex, pro natura ſcilicet quarumcun-
que rerum. Prior illa, ſi ita medium affectat, ut contrariæ qualitates ita libra-
tæ ſint, & elementa contraria, quòd unum in aliud compar non habeat pro-
portionem maioris inæqualitatis minoris've: nimirum huiuſmodi tempe-
rata complexio in rerum natura inueniri nequit. Nam complexio conflatur
ex mutua actione qualitatum contrariarum: hîc uerò ita libratæ ponuntur,
ut una in alteram comparem agere nequeat. Item ſi caliditas frigiditatem F
longè ſuperat in agendo, in reſiſtendo verò magnopere ſuperatur, vtique non
poſſunt ita inter ſe coæquari, & librari, ut neutra in alteram agat. Quòd ſi hu-
iuſmodi æqualitas attendatur penes quantitatem & molem elementorum,
ex quibus mixtum componitur; ſic etiam complexio temperata effici non
poteſt. Nam cùm elementa actiua, ignis videlicet, aerque, maiorem vim ha-
beant quàm paſsiua: neceſſe eſt, ut mole paſsiua ſuperent actiua; ideo mate-
ria mixtorum corporum ſunt aqua & terra, & maior terræ copia exiſtit in ple
riſque omnibus quàm aquæ. mole igitur terra & aqua longè ſuperant ignem
& aerem. Amplius, cùm omnia mixta conſtantiam quandam habeant, im-
poſsibile eſt conſtantiam hanc fieri; niſi terra & aqua aerem ignemque in eis
ſuperauerint. Nullo ergo pacto in rerum natura inueniri poteſt huius gene- G
ris temperata & librata complexio. Proximam tamen huic complexioni
temperatæ, in qua ſcilicet virtute & gradu qualitates primæ maximè ſint co-
æquatæ, arbitratur Galenus eſſe hominis complexionem: quod efficaci (vt
reor) argumento adſtruit. Inquit enim: Cum ſenſus tactus non percipiat qua-
litates tangibiles, niſi excedant gradu & intenſione qualitates, ex quibus con
ſtat & confectum eſt organum tactus; oportet enim recipiens carere ea na-
tura, quam recepturum eſt. Iccirco neceſſe eſt tanto præſtantiorem eſſe ta-
ctum; quanto magis receſſerit à qualitatibus extremis, & redactus ad me-
dium ſit: ſed homo præſtantiſsimum omnium tactum habet, vnde eſt etiam
prudentiſsimum animalium: Igitur neceſſe eſt, ut eius complexio ſit pro-
pinqua complexioni illi mediæ, in qua libratæ ſint & coæquatæ qualitates H
eo, quo diximus, modo. Quod ſi ſecus eſſet, (vt nonnulli perhibent) & rece-
deret humana complexio plurimum à medio verſus calidum & humidum;
frigidiora animalia, & ſicciora homine, quæ plurima ſunt, excederent etiam
hominem tactus perfectione. Verùm de hominis complexione magis pro-
priè diſſerere ad hoc negocium inſtitutumque noſtrum non pertinet. ſequa-
mur ergo in hac parte Galenum, conſtituamusque complexionem hominis
maximè accedere ad temperiem, in hocque ſuperare omnia mixta corpora:
Hocque menſu quodam lato amploque dicamus. Quoniam in hominis com
plexione magna eſt latitudo, adeo ut hominum aliqui dicantur complexio-
nis temperatæ, qui ſunt admodum rari: reliqui uerò homines ſint comple-

A xionum recedentium à temperie verſus aliquod extremum, magnopereque inter ſe diſcrepant. Sed nos craſsiori minerua ponemus humanam complexionem eſſe maximè temperatam: aliorum uerò corporum mixtorum intemperatam eſſe. Intemperatarum genera à Galeno ponuntur eſſe octo in homine: parique ratione à nobis poni poſſunt octo genera complexionum intemperatarum, quæ mixtis corporibus præter hominem conueniunt. cuius ſpeciei ſolum temperatam complexionem adſcripſimus: quamuis vniuſcuiuſque ſpeciei mixtorum corporum complexio temperata ſit, & æqua operationi, quam natura habet. Octo genera intemperatæ complexionis hæc ſunt, calida inquam tantùm, aut tantùm frigida: humida quoque tantùm,
B aut ſicca tantùm, hæ quatuor unica tantùm qualitate recedunt à temperamento. Aliæ quatuor in utraque qualitate intemperiem habent. Quædam enim eſt calida & humida, alia calida & ſicca: Item aliqua frigida & humida, alia frigida & ſicca. Quæ ſi colligantur, octo erunt intemperatæ complexionis genera. Inueniri autem poſſe complexiones intemperatas, propterea quòd vnica tantùm qualitate excedunt temperamentum, facilè probatur. Nam ſi calidum inueniri poteſt cum ſummè humido, itemque cum ſummè ſicco, cur ergo ſi fuerit æqualitas inter ſiccum & humidum, calidum exuperare & excedere temperamentum non poteſt? Conſimilis eſt ratio de frigido: item de humido & ſicco, comparatis calido & frigido. Auerrois tamen in opere, quod pulcherrimum fecit de medicina, conatur
C Galenum refellere; quod libenter facit cùm poteſt: diligentemque operam præſtat, ut demonſtret Galenum eraſſe. Inquit igitur Auerrois in eo opere quatuor tantùm eſſe genera complexionum intemperatarum; eá ſcilicet in quibus exceſſus eſt in duabus qualitatibus. Nam inquit, Cùm humidum & ſiccum ſint materia calidi & frigidi, (vt nos etiam ſuprà oſtendimus) impoſsibile eſſe inueniri formam ſine materia propria: quare neceſſe eſſe ſi calidum excedat, pariter excedere temperiem, aut humidum aut ſiccum: parique ratione ſi humidum aut ſiccum excedit, excedere calidum aut frigidum. Hæc Auerrois ratio ſi referatur ad gradum caliditatis, ſeu frigiditatis; quomodo Galenus poſuit exceſſum in complexionibus inæqualibus; omnino inefficax eſt. Verùm ſi referatur ad gradum actionis, eiuſque vim, effi-
D caciam habet. Nam ſi poſuerimus dno mixta eſſe; in quibus caliditatis & frigiditatis gradus idem ſit, item idem ſit gradus humiditatis & ſiccitatis: deinde alterum eorum efficiatur ſiccius: proculdubio gradus caliditatis idem erit poſt exiccationem; qui & antea: attamen vis agendi maior erit in exiccato, quàm in altero mixto, quod mutatum non eſt; ac etiam maior quàm erat in eodem mixto, antequam eſſet exiccatum. Sin uerò contrà efficiatur humidius, cùm humiditas obtundat actionem caloris, minus erit efficax in actione, quàm alterum mixtū; ac etiam quàm eſſet, antequam fuiſſet factum humidius. non ergo, quantùm ad vim actionis pertinet, gradumque ſimul, fieri poteſt, ut ſit æqualitas in calido & frigido, ſit autem exceſſus in ſicco aut humido; quia ſemper ſiccius calidum erit acutius, calidum humidius erit

 obtu-

obtuſius. Sic etiam ſiccitas calori adiuncta efficacior eſt in agendo; quia ca- E
lidum reſoluit humidum aqueum; ideoq́ue maior apparet exiccationis vis
in calido; quàm in frigido. contrà frigidum cogit vaporem in aquam, ſi fue-
rit humidum; ideoq́ue humiditas videtur maioris efficaciæ in humefacien-
do coniuncta frigori, quàm calori. Nam &ſi calor liquefaciat coagulata; per
accidens humectat; ſed per ſe exiccat: quia reſoluit tandem liquefactum hu-
morem aqueum & exiccat. Hanc arbitror ego fuiſſe Auerrois rationem,
eiusq́ue ſententiam; quæ non diſcrepat à dogmate Galeni, quod confutat.
Nam Galenus non loquitur de qualitate efficaciæ actionis; ſed de æqualitate
graduum & latitudinis qualitatum. Quo ad gradus ergo octo ſunt genera
complexionum intemperatarum, quorum vnumquodq́ue in rerum mixta- F
rum natura ampliſsimũ eſt, multasq́ue ac ferè innumeras ſub ſe ſpecies con-
tinet. Ex accidentibus tamen & differentijs mixtorum corporum, quas ſu-
prà memorauimus, materia cognita, itemq́ue agente; facilè etiam formula
quadam tenui dignoſcere poterimus complexionem corporum homoge-
neorum. Nam cùm eorum materia ſint terra & aqua, ac in nonnullis aer; ca-
lor uerò & frigus coagulantia: nonnulla autem liquida ſint & fluànt, fluida
aquea ſunt ob materiam, ideoq́ue frigida & humida: ſed ſi immixtum aerem
habeant, aut vaporem igneum, calida erunt ob vim caliditatis. Quo inter-
dum exhalante & euaneſcente cùm à propria natura receſſerint, remanent
frigida. Itemq́ue ob eandem cauſam, licet fluant, vim tamen habent exiccan-
di ob partes terreſtres aduſtas in fluore illo incluſas. Coagulata terrea, ſi à G
calido ſint coagulata, calida ſunt ob calorem impreſſum ab actione calidi,
& ob reſolutionem aquei frigidi. itemq́ue ſicca ſunt tum ratione materiæ
terreſtris, tum ratione agentis calidi. Sin autem à frigido coagulata ſint, fri-
gida ſunt actuq́ue ſicca: ſed virtute etiam erunt ſicca, ſi coagulata ſunt à fri-
gore; poſtquam mixta fuerint & compacta in unum à calido, ut ſaxa, mar-
mora, cæteraq́ue huiuſmodi. Glacies uerò & metalla actu ſicca ſunt ob coa-
gulationem, virtute tamen ſunt humida: quoniam priora abſceſſu caloris &
humoris, qui partim à calore reſolutus eſt, & reliquus omnis ferè vi frigoris
ſimul cum calore expreſſus eſt, ob terream naturam, quæ remanet, ſicca ſunt:
poſteriora uerò, quoniam aqueam naturam retinent compreſſam à frigido,
necnon contentã à terreo, quod in eis eſt, potentia ſunt humida, licet tactu & H
actu ſicca ſint & appareant. Hæc pauca de his libaſſe ſit ſatis noſtro operi:
alij latius de hiſce ediſſerunt. Sed ambigere aliquis poteſt in mixtis illis quæ
ſunt ualde frigida, quo nam pacto à calore confecta eſſe queant, ab eoq́ue con
tineri. Etenim ſuprà diximus mixta omnia generari, conſeruariq́ue à pro-
prio naturaliq́ue cuiuſq́ue rei calido. Item ambigi dubitariq́ue poteſt, qua vi
fieri queat, ut pleraq́ue mixta huiuſmodi ſint, vt neque calida neque frigi-
da admodum uideantur; appoſita tamen corpori aut intro ſuſcepta, non-
nulla ſummopere calefaciant; alia contrà frigefaciant; exiccent alia; aliaq́ue
humectent. Si rectè memoria repetantur ea, quæ à nobis de natura caloris
ſupra expoſita ſunt, itemq́ue de natura cœleſtis qualitatis; quam etiam ma-

gnum

A gnum ſeminarium appellauimus ſecuti Platonicos: non ita tamen, ut ponamus ſeminarium hoc eſſe corpus æthereum omnia permeans: ſed accidens qualitatemque à corpore cœleſti defluentem, omniaque penetrantem. Iacta videbuntur fundamenta eſſe ſolutionis prioris quæſtionis. Diximus etenim caloris eam eſſe vim in agendo; vt etiam ſi fuerit minoris latitudinis quo ad gradus; tantæ tamen eſt efficaciæ & vis, ut ſuperet frigus maioris gradus non tantùm quo ad efficaciam agendi, verumetiam quo ad vim reſiſtendi ipſius frigoris. Item diximus præter vim calefactionis, quæ eſt in calore, ineſſe etiã in calore vim cogendi homogenea: ideoque vi caloris naturalis fieri concoctionem & mixtionem. Item diximus in mixtorum generatione calorem
B naturalem eſſe organum cœleſtis qualitatis, in qua eſt ſeminarium mixtorum omnium. Itaque ex his non eſt difficilè ſoluere priorem quæſtionem. Nam illorum mixtorum complexio licet ſit frigidá ob maiorem latitudinem gradus frigiditatis, quàm caliditatis; tamen minor calor potuit vi agendi ſuperare & actionem, & reſiſtentiam frigoris: ſed multò magis potuit facere mixtionem & congregare homogenea, id eſt, conuenientia illius mixti naturæ & ſpeciei. Idque amplius potuit ob uirtutem cœleſtis qualitatis, cuius calor naturalis eſt organum. his addas id, quod eſt potiſsimum in mixtis frigidis: quòd poſt mixtionem factam à calore compacta ſunt & coagulata à frigido: cuius vi expreſſa eſt magna pars illius caloris, qui mixtionem fecerat; eoque exiguo, qui reliquus eſt craſſo & terreo mixtio continetur. Secun-
C dam uerò quæſtionem difficilius eſt ſoluere. Nam ſi nihil agit præter eum gradum, quem habet: omne etenim agens agit quatenus eſt actio, & ex non ente nihil fit; item ſi forma non agit in ſubiectum, in quo eſt, ipſum alterando; quia idem non agit in ſeipſum, neque ſimile in ſimile, ut oſtendit Ariſt. in primo lib. de generatione; difficillimum eſt inuenire qua'nam ratione hæc mixta calefaciant, frigefaciant've longè magis quàm ipſa illis qualitatibus ſint affecta. Dicam ego quid ſentiam; alij perſpicaciores fortaſſe quippiam aliud inuenient. Cùm mixtio elementorum fit; quamuis per contrarias alterationes formæ elementorum corrumpantur ſecundum eſſe ſubſtantiale, & remaneant in eſſe refracto; non tamen putandum eſt qualitatem elementi propriam vniformi ratione, eodemque gradu remitti in tota ea portione
D materiæ; in qua eſt forma illius elementi; ſed diuerſa difformique ratione; adeo ut in aliqua particula inſenſibili portionis illius remaneat qualitas elementi propria ſecundum gradum ualde intenſum: cui proxima particula eamque circunſiſtens remiſsiori gradu, intenſo tamen eſt affecta; ſicque deinceps. Ex quibus efficitur, quòd in aliquibus mixtis eſſe queant particulæ calidiſsimæ, in aliis frigidiſsimæ, diſiunctæ tamen, intraque alias cõtentæ, adeo ut ſenſu percipi nequeant. Vi tamen caloris, aut etiam frigoris per antiperiſtaſim illæ, quæ ſunt ſolutiores, poſſunt in unum cogi: nam calidi eſt congregare homogenea. ideoque in unum coactæ aut calefaciunt vehementer, aut frigefaciunt ſummopere. Hinc eſt, quòd nonnulla tactu non percipiantur eſſe calida, aut frigida; cùm tamen in ea calor naturalis egerit, ſiue appo-

ſita

ſita ſint corpori, ſeu intra corpus ſuſcepta, coactæ in unũ vi caloris particulæ E
illæ frigidisſimæ aut calidisſimæ vehementisſimos æſtus aut rigores faciant,
& ſæpenumero interficiãt. Nam ſi nihil agit præter gradum proprium, pro-
culdubio à calore naturali remisſiori generari non potuit vehementioris ma
iorisq́ue gradus caliditas; longeq́ue minus frigiditas per ſe à calido generari
poteſt. Neque etiam à forma mixti aut elementi poteſt proprium ſubiectum
& materia, in qua ſunt formæ illæ, alterari; ſicq́ue fieri vehementior calidi-
tas frigiditas've in ipſis. Dicemus igitur propterea fieri vehementiorem;
quia particulæ illæ vi caloris in vnum coguntur, actionemq́ue faciunt; quam
facere ſeparatæ, exiguæ, aliisq́ue abruptæ non poterant. Huius rei exemplum
in promptu eſt. Calx ſi tangatur, videtur eſſe frigida, nihilq́ue vehementio- F
ris caloris in calce ſentitur; quòd ſi fuerit aſperſa aqua frigida, per antiperi-
ſtaſim à frigido particulæ calidæ & igneæ diſperſæ prius & inſenſibiles in
unum coguntur. Nam ſolutiores aliquanto ſunt, quàm in aliis mixtis eiuſ-
dem ordinis, & vehementem calorem faciunt. Quo fit, ut calx vetuſtior fue-
rit, aut non habuerit maiores glebas, ſed comminuta ſit, aut non caleſiat, aut
non ita vehementer, ut calx recens non comminuta. quoniam in comminu-
ta plurimæ partes igneæ exhalarunt, in veteri extinctæ ſunt ob temporis diu-
turnitatem. Id ergo, quod ſenſu fieri uidemus in calce, cur ratio nobis non
perſuadeat fieri etiam in mixtis aliis vi caloris naturalis in unum cogentis
homogenea? Alia etiam cauſa adduci poteſt, ſi vellemus aſcendere ſupra
qualitates primas & complexionem; ad potentias uidelicet naturales & G
proprias cuiuſque corporis mixti, quæ ſunt ſecundæ ſpeciei in coordina-
tione qualitatis; & ſequuntur formas proprias mixtorum. Hæ etenim na-
turales potentiæ vim habent maximam etiam agendi ea, quæ inferiores qua-
litates agere poſſunt. Quid enim mirum eſt, ſi inferioris virtus continea-
tur in ſuperiori & excellentiori? Dicemus ergo, quòd mixta illa per natura-
les potentias ſeu proprietates agunt, cum calorem, ſeu rigorem: multaq́ue
alia præter hæc, de quibus medici tractant. Non autem aptæ ſunt co-
gere huiuſmodi effectus, niſi excitatæ fuerint à calore anima-
lis: qui ſimilis eſt æthereo tepôri; à quo vires omnium
excitantur & promouentur ad ſuas quæque actio-
nes. Hæc de complexionibus hactenus
dicta ſint inſtituto operi ſatis.

DE ELEMENTIS.

LIBER QVINTVS.

B PERVENIMVS iam ad poſtremam partem ſuſcepti à nobis operis: In qua reliquum eſt, ut tractemus de ſaporibus, odoribus,& coloribus:hæc etenim accidentia complexionem conſequuntur, proximeque ad mixtionem accedunt. Verùm primum ordiemur à ſaporibus: nam ſapor maximè affinis eſt qualitatibus tangibilibus, ſicuti etiam guſtus tactui. Etenim (vt dicam inferius) odoris generatio ſaporẽ ſequitur:nec diſpari ratione odorandi vis guſtũ. Saporis naturã nulli ſimpliciũ elementorũ conuenire,tum per ſe manifeſtũ eſt,tum ratione ita eſſe probatur. Nam ſa
C por ſequitur nutrimentum;nihil autem nutriri ali've poteſt ſimplici elemento. ſicuti enim mixtum eſt corpus animatum, quod alitur: ita etiam oportet alimentum mixtum corpus eſſe:à ſimili namque vnumquodque nutritur. Sapor ergo nequit accidens eſſe ſimplicis elementi.ſaporis naturã Democritus accõmodauit figuris; & pro diuerſitate figurarum uoluit eſſe diuerſas ſaporũ ſpecies: ſed Democriti placita de figuris multis in locis ab Ariſtotele ſunt cõfutata.Quantũ uerò ad ſaporis naturã attinet,pauca hæc ſufficient.figura ſenſibile cõmune eſt,quod per ſe percipitur ab vnoquoque ſenſu; ſed præſertim à viſu & tactu. Sapor uerò eſt ſenſibile proprium ſenſus guſtus;neque ab vllo ſenſu per ſe percipi poteſt. item figuræ nihil eſt contrarium; infinitæque enumerari figuræ poſſunt. At ſaporis ſpecies finitæ,inter ſeque cõtrariæ ſunt. dul
D cis etenim ſapor contrarius eſt amaro. reijciendæ ergo ſunt Democriti figuræ. Empedocles verò,qui poſuit quatuor elementa eſſe omnium rerũ principia ſimul cum lite & amicitia, uoluit ſapores non fieri mixtione & alteratione mutua elementorum:ſed præexiſtere in terra,in qua putauit eſſe omnium ſaporum ſemina: ex qua deriuarentur in plantas fructuſque, indeque in animalia, quæ natis è terra nutriuntur. Cæterum poſitio Empedoclis quoque de principijs rerum confutata eſt alijs in locis philoſophiæ naturalis: hoc uerò, quod de ſaporibus,eorumque generatione dicit,experimento deprehenditur falſum eſſe.Nam ſi ſapores generarentur,ut Empedocles dicit,nouus ſapor fieri non poſſet, niſi noua pars terreſtris accederet: neque etiam prior ſapor poſſet abijci, niſi quæpiam pars terreſtris recederet. at contrà fieri

A ſentiuntur ex coniunctione ad ſenſum guſtus viſus've: quorum dogma per-
bellè deridet Plato in Theæteto; Ariſtoteles etiam in nonnullis locis. Poſt-
quàm conſtitutum eſt quid ſit ſapor, accedemus ad explicanda enumeran-
daque præcipua ſaporum genera; quorum vnumquodque ampliſſimum
eſt, innumeraſque ferè ſub ſe differentias continet. Saporis genera ſunt
ſeptem, octo've; dulce, pingue, acidum, auſterum, acerbum, acutum, ſalſum,
& amarum. E quibus quoniam dulce & pingue propinqua ualde ſunt, uno
tantùm genere contineri perhibentur; quamuis reuera duo ſint genera.
Hæc ſaporum genera nonnulli ita diſtinxere; ut eorum quædam pertinere
dicant ad ſpeciem; alia ad priuationem quandam & naturæ ſpeciei'que de-
B fectum. Dulcis ſapor (inquiunt) pinguis, huiuſque generis alij ad ſpeciem
pertinent: Acidus, amarus, ſalſus ad priuationem. cæterùm cùm multa in-
ueniantur, in plantis præſertim earumque fructibus, quæ cùm ad perfectio-
nem ſpeciemque ſuam perfectam peruenerint, huiuſmodi ſapores habent;
quinimò indigeſta & imperfecta cùm fuerint, quadam veluti dulcedine ſunt
affecta; deinde ampliori digeſtione perueniant ad amarum, auſterum, a-
cidum've ſaporem: proculdubio non eſt ita abſolutè pronunciandum ſapo-
rum hæc genera pertinere ad priuationem & naturæ defectum. Quam-
uis ut in pluribus res ita ſe habeat, quòd dulcis pinguiſque ſapor digeſtio-
ne fiant & perfectione conſiſtant. Verùm, ut expoſitione noſtra tota hæc
res fiat illuſtrior, altius ordiamur. Dicamus igitur in uniuerſum tres eſſe
C ſaporis ordines. quidam enim veluti priuationes & corruptiones naturæ
ſunt: alij contrà ſunt veluti exordia quædam naturæ ſaporum; in quibus
natura non ſiſtit, ſed ab eis ad perfectionem progreditur. Nonnulli uerò
ſapores perfecti ſunt, in quibus natura ſiſtit. Primi duo ordines ſaporum
ſcilicet crudorum & putreſcentium conſimiles ſunt formis illis mixtorum
imperfectis: per quas medias natura progeditur ad generationem perfecto-
rum mixtorum: itemque ab ſpecie perfectioneque mixtorum regreditur
per diſſolutionem ad elemẽta. Hi ſapores quoniam nutritioni inutiles ſunt,
neque per ſe, primaque intentione à natura effecti, innominati ſunt, nobiſ-
que ferè incogniti: quamuis eorum nonnulli ferè conſimiles ſint ſpecie-
bus ſaporum; quos inueniri etiam in mixtis perfectis; fieri'que per perfe-
D ctam mixtorum concoctionem ſuprà expoſuimus. Omiſſis ergo duobus
illis ordinibus, qui incerti incogniti'que ſunt, nec à natura intenti per ſe; tra-
ctabimus de his ſeptem generibus pauca quædam. qua in parte lectorem
admonitum eſſe volo, ſæpenumero contingere & in mixtorum ſubſtantia-
lium perfectorum generatione, & in ſaporibus, odoribus, coloribus, omni-
nibusque tandem, quæ progreſſione quadam natura perficit, ex priua-
tionis & non entis natura, ut ita dicam, in rebus his inferioribus immix-
ta, ut ad perfectionem non ueniant: immò in contrarium mutentur, aut
etiam diſſoluantur. ludit etenim in mortalibus rebus caſus & fortuna, mul-
taque per accidens fiunt ob priuationes, & non entis naturam hiſce in-
ferioribus immixtam. Sed reuertamur ad ſaporis naturas explicandas.

Summa ergo ſaporum genera ſunt dulce, pingue ſeu vnctuoſum, acutum, E
amarum, ſalſum, acidum, auſterum, acerbum uel acre. Hæc genera ſeptem
ſunt, ſi pingue cum dulci coniunxeris; nam admodum affinia genera ſunt,
& utraque alimento aptiſſima. Quidam his generibus addiderunt ſaporem
vinoſum & inſipidum. attamen vinoſus ſapor plerumque pertinet ad ali-
quod generum ſuperius expoſitorum. nam dulcis eſt, uel acris, uel auſte-
rus. Etenim ſi hoc pacto per ſingula diſtinguenda genera ſaporum eſſent;
pari ratione in medium adduci poſſet lacteus ſapor, qui tamen uel dulcis
uel pinguis eſt. Noſtri uerò inſtituti eſt referre tantùm ſumma & ampliſ-
ſima ſaporum genera. Inſipidus autem ſapor non eſt; ſed veluti ſaporis pri-
uatio, quæ guſtu percipitur, ſicuti viſu percipiuntur lumen & tenebræ. Dul- F
cis ſapor (vt ab eo ordiamur) fit ex admixtione partis terreſtris cum aqueo,
concoctione & percolatione facta à calore paulo plus quàm mediocri. Ideo
homini, cuius complexio propinqua eſt medio, dulcia ſunt calida. Non ta-
men propterea quiſpiam exiſtimet, ſi res quæpiam uideatur affecta ſapore
dulci, confeſtim totam eam rem eſſe calidam. Nam fieri poteſt, ut quam-
uis nonnullæ partes ſint calidæ, illæ inquam in quibus dulcis ſapor apparet;
plurimæ aliæ ſint ſapore carentes ualde frigidæ. non enim neceſſe eſt quod-
libet mixtum corpus ſaporem habere: ideoque uniuerſam eam rem eſſe
non calidam, ſed frigidam: quamuis paucas quaſdam particulas habeat
dulces ac propterea temperatè calidas. Sapor vnctuoſus ſeu pinguis plus
aeris obtinet quàm ignis, caloreque obtuſiore, id eſt, magis aereo conſiſtit, G
quàm dulcis ſapor. Eſt etiam plerumque dilutior quàm dulcis ob eam cau-
ſam, quòd maiorem habeat aquæ copiam: affinis tamen eſt dulci ſapori. Sa-
por acutus fit à calido ſicco ſubtili, & parum continet humidi aquei; qua-
re vergit ad calidam & ſiccam complexionem: & per ſe eſt calidior dulci ſa-
pore. Nil tamen obſtat, quin per accidens aliquod dulcis ſaporis ſit cali-
dius alia quapiam re ſaporis acuti ratione ſuperius expoſita. Salſus ſapor fit
à calido ſicco non admodum ſubtili: ſed terreſtre illud, quo pars aquea per-
colatur, eſt aduſtum, partimque in eo ſupereſt aquei humoris. Tale quip-
piam eſt illud, in quo primo eſt ſapor ſalſus: verum ab exiguo huiuſmodi
poteſt infici magna aquæ copia, totaque ſalſa fieri ex admixtione exiguæ por-
tionis ſalſæ: Salſa ergo, in quibus primo ineſt ſalſedo, ſunt ſicca & calida; H
non tamen habent calorem adeo tenuem, ut aromata quæ ſunt ſaporis acu-
ti. Amarus ſapor per ſe ſiccior eſt ſalſo, magiſque terreſtris. ſiccitas illa
amari ſaporis interdum eſt à frigido, ſed plerumque eſt à calido. Quo fit,
ut pleraque amara ſint calida: nonnulla uerò contrà ſint ualde frigida, ut
oppium, quod amarum eſt, adeo tamen eſt frigidum, ut reſolutionem
membrorum faciat, & nimia frigiditate interficiat. Quòd ſi quæras quodnam
amarum fiat à calido, & quodnam à frigido: Mihi hac in parte Auer-
rois ſententia vehementer probatur. inquit enim eam amaritudinem fie-
ri à frigido, quæ rudimentum quoddam eſt aliorum ſaporum: quod con-
ſpicimus in fructibus plantarum, qui principiò ſunt amari ſiccique ualde

&

A & frigidi, vtpote qui ſint imperfectiſſimi; poſtea humore & ſicco adueniente fiunt acerbi, ac deinde auſteri & dulces: horum amaritudo nimirum, ut conſtat, eſt à frigido. Si uerò amaritudo ſit alicuius naturæ perfectio non rudimentum, ut in abſinthio, in aloê, in multis alijs: vtique in pleriſque omnibus amaritudo illa eſt à calido; & huiuſmodi omnia ferè ſunt calida; niſi habuerint partes alias frigidiores inſipidas, ex quarum vi contingat rem totam eſſe amaram & frigidam. Horum vterque, amarus inquam & ſalſus ſapor, eo quòd ſunt ualde ſicci, plurimumque terræ habent, ineptiſſimi omnium ſunt nutrimento: vtpote qui minimè omnium ſuperari & immutari poſſint: iccirco reijciuntur à calido naturali, & ſubſi-
B dent in excrementis, nec alimento immiſcentur, vtpote quos natura aſpernetur & reijciat. Nec etiam ea, quæ in mari naſcuntur & degunt, nutriuntur ſalſo per ſe, ſed pro alimento attrahunt dulcem humorem, qui ſalſo eſt immixtus. ac propterea fit, ut nulla arbor planta'ue alia fructum efficiat ſaporis ſalſi: quamuis nonnullæ plantæ attrahant cum alimento quippiam etiam ſalſi; non quo alantur, ſed quo corticem aſpergant, vt cicer; ſic enim à putrefactione ſeruatur: aut quo humiditatem ſuperfluam & nimiam conſumant, ut braſsica, cui ob eam cauſam prodeſt ſalſedo: proptereaque fiunt mitioris ſaporis à ſalſedine, quæ, cùm conſumpſerit nimiam humiditatem quæ non poterat à calore naturali bene concoqui, reliquum humidi reddit concoctioni idoneum: ideoque mitioris ſaporis fit. Sal uerò aſper-
C gitur radicibus palmarum, (vt inquit Theophraſtus) non ut ſale alantur palmæ, ſed ut ſalis vi meatus aperiantur, quibus facilius queant humorem attrahere, necnon ut vi ſalis extimulata vis attractiua efficacior fiat ad alimentum attrahendum. Satis de ſalſo. Sapor acidus fit à calore diminuto, id eſt, qui non plenè concoxit & miſcuit humidum aqueum cum terreſtri ſicco; uel qui propterea diminutus eſt, quòd ex mixto illo corpore arido exhalauit pars calida purior, ſeu mitior, aere inquam. Hoc ſaporis genus propinquum eſt dulci ſapori, & ei præcipuè dulci, qui vinoſus eſt: quo fit ut intueamur in vuis, & moris, cæteriſque vinoſis fructibus, quòd cùm fiunt maturi, poſtquam deſierunt eſſe acerbi, neque adhuc ſunt dulces, acidi ſaporis eſſe ob imperfectionem caloris & digeſtionis. Item ſi
D vi quadam calor aereus exhalet, fiunt acidi. Sic ex vino fit acetum. Acidus ergo ſapor frigidus eſt; quamuis contineat aliquas partes calidas aduſtiores, & terreſtriores; ac propterea earum vi abſtergat, mordicet, conſumat, exiccet. Auſterus & acerbus ſapor frigidi ſunt, magiſque acerbus auſtero. Inſipidus autem propriè non eſt ſapor; ſed ſaporis priuatio. non tamen ita ut omne inſipidum omni prorſus ſapore careat: ſed quòd plurima ſint parum admodum ſapida, ut vix ſentiantur. Inſipida ferè omnia ſunt aquea & dilutiora. Ea nanque natura eſt aquæ, vt per ſe careat ſapore omni; ſuſceptiua tamen ſit, veluti prima ſaporũ materies, cuiuſcunque ſaporis generis. Hactenus ſatis ſit explicatum de ſaporum generibus, quantum conueniet huic noſtro operi inſtituto. Duæ tantùm ſuperſunt quæſtiones ſoluendæ. Prior

de ſaporum contrarietate; an ſcilicet maximè contrarij ſapores ſint dulcis & amarus, an potius acutus & acerbus. Altera quæſtio eſt, an ſapores medij componantur ex ſaporibus extremis contrarijs, veluti ex quibuſdam principijs & elementis ſaporum. Galenus putauit ſapores maximè contrarios eſſe acutum & acerbum; quoniam acutus omnium calidisſimus eſt, acerbus contrà omnium frigidisſimus. Sed quoniam contrarietas in quouis genere ſumenda eſt ab ea diſtantia maxima quæ per ſe pertinet ad illud genus: non autem ab ea diſtantia maxima, quæ pertinet ad illud genus per accidens: ideo contrarietas in ſaporibus non eſt ſumenda à diſtantia in qualitatibus primis; quæ ſunt tactiles; non autem guſtu per ſe perceptibiles: ſed ſumenda eſt ab affectu guſtus. Cùm ergo cuilibet compertum ſit guſtus affectum à dulci ſapore inditum guſtui maximè diſtare ab affectu guſtui indito ab amaro; ideo pronunciandum eſt dulcem ſaporem maximè contrarium eſſe amaro, non autem acerbum acuto. quamuis ratione ſumpta à calido & frigido, vt cenſuit Galenus, magis inter ſe diſtent acutus & acerbus, quàm dulcis & amarus. Quantum uerò attinet ad alteram quæſtionem, in decimo libro primæ philoſophiæ oſtenſum eſt, in vnoquoque genere maximam quandam diſtantiam eſſe ſecundum habitum & priuationem, non quidem abſolutè ſumptam, ſed in eo genere determinatam: cùm autem cuiuſque diſtãtiæ duo tantùm eſſe extrema posſint; ideo in vnoquoque genere duæ ſunt differentiæ contrariæ: quarum altera ad habitum pertinet, altera veluti priuatio eſt quædam. In eo tamen genere, à quibus duæ conſtituuntur ſpecies, quæ ſimplicisſimæ omnium ſunt in extremis illius generis conſtitutæ. cæteræ differentiæ contrahentes genus, quamuis oppoſitæ ſint & quodammodo contrariæ, non tamen maximè contrariæ ſunt; quoniam non maximè diſtant. Ideoque ſpecies ab eis conſtitutæ non cenſentur eſſe adeo ſimplices, ut priores. Sed quoniam medium comparatum extremis rationem habet vtriuſque extremi; iccircò ſpecies illæ mediæ dici conſueuere eſſe compoſitæ ex extremis ſimplicibus; non tamen propterea neceſſe eſt, ut ſit in eis uera compoſitio tanquam mixti ex elementis, aut complexionis ex qualitatibus primis. Vt autem ueniamus ad diſſoluendam quæſtionem de ſaporibus propoſitam: Dulce & amarum contrariæ ſunt ſaporis ſpecies, ac propterea maximè ſimplices omnium. reliquæ uerò mediæ ſpecies ſunt veluti ex his compoſitæ: quoniam habent in ſui natura quandam vtriuſque participationem. Non tamen ex dulci & amaro, tanquam ex elementis, aliæ ſaporum ſpecies componuntur. Quod euidenti ratione confirmo. Nam ſi auſterus acutus'ue ſapor componerentur ex dulci & amaro, veluti ex elementis; vtique oporteret ſemper antequam ſapores illi medij à natura efficerentur, præextitiſſe ſapores extremos, inuicemque commixtos fuiſſe, ex ijſque non corruptis, ſed imminutis & refractis factos fuiſſe ſapores eos medios. id tamen non fieri à natura in ſaporum generatione euidenter deprehendimus. quin potius contrà præexiſtere uidemus in fructibus ſaporem acerbum auſterum've, ex quibus proceſſu digeſtionis & perfectionis fit ſapor dulcis. Artificio tamen noſtro

A ſtro miſceri queunt præexiſtentes à natura facti ſapores; itaque arte noſtra ex cis fieri plurimos medios, quos natura plerunque non facit. Huius generis quamplurimos ars coquinaria humanæ gulæ deſeruiens adinuenit. Hactenus de ſaporibus dixiſſe ſit ſatis. Poſt ſapores ſequuntur odores; qui adeo natura ſaporibus coniuncti ſunt ab eiſque pendent, ut in re inſipida nullus odor ineſſe poſſit. Quo efficitur, ut nullum elementorum ſimplicium odorē habeat, quoniam ſapore caret. Item metalla, quæ ſapore carent, nullum odorem emittunt. Sequitur ergo odor ſaporem; interque accidentia alia omnia poſt ſapores odor maximè pertinet ad nutrimentum, ut paulò infrà dicam. Odoris natura etiam, ſicut ſaporis, non eſt ſine ſiccitate: etenim quāuis non-
B nulla odora humida ſint, ut aqua vaporque humidus: attamen niſi affecta fuerint, alterataque à ſicco, nullum prorſus odorē haberent. Quo fit ut perſpi ciamus dilutiora parum odora exiſtere. Ex his colligi facile poteſt odoris definitio. Eſt igitur odor paſſio & affectio facta à ſicco terreſtri ſapido in humido aeteo aqueo've, quatenus odoris ſuſceptiuum eſt. Ex quo perſpicuum eſt ſicuti natura odoris perfectior eſt quàm ſaporis; neque ita pertinens ad nutri mentum: ita effectiuum odoris eſſe perfectius quàm ſaporis factiuum. ſaporem enim efficit ſiccum tetreſtre tantùm: odorem ſiccum ſapidum: item ma teria ſaporis eſt humidum aqueum tantùm; odoris uerò humidum aqueum aereum've, quatenus ſcilicet odoris eſt ſuſceptiuū. neque odor tamen, neque ſapor fit abſque digeſtione facta à calido: omnium nanque efficiens eſt calor.
C Ideoque odorifera pariter & ſapida modicè aptèque calefacta illuſtriores red dunt & odores & ſapores. Odorum genera & modi tres ſunt eiuſdem ordinis: quem in ſaporibus ſuprà recenſuimus. Nam quidam odores ſunt veluti inchoationes & rudimenta naturæ; per quæ natura tanquam per media deducit inodora ad perfectos odores. Nonnulli ſunt tanquam priuationes, ut putrefactorum odores tetri. Horum medij perfecti ſunt; in quibus natura ſiſtit concoctione & digeſtione perfecta. horum ſpecies innominatæ fetè ſunt, parumque homini notæ: quoniam hunc ſenſum odoris ualde imperfectum homo habet. Sed ad ſpecies odorum explicandas plerunque vtimur ſaporum vocabulis: dicimus enim odorem ſuauem ſeu dulcem; item acutum odorem, grauem've, aut lenem. Interdum commiſcemus vocabula, vt
D dicamus quempiam odorem ſuauem quidem eſſe, ſed grauem: ſicuti nonnulla dulcia ſunt, quæ habent neſcio quid amaritudinis. In ſumma uerò duo odoris genera eſſe ponimus; quorum alterum per ſe ſequitur alimentum, ideoque nobis per ſe non affert voluptatem triſtitiam've, ſed tantùm per accidens. Nam fameſcentibus nidor carnium gratiſsimus eſt: plenis uerò & ſaturis ingratus & nauſeam faciens. Hoc vnum eſt odoris genus quod brutæ animantes exquiſitiſsimè ſentiunt; omneſque huius generis modos ſagaciter dignoſcunt: nos non item. Aliud eſt odorum genus, quod per ſe alimentum non ſequitur; licet non ſit abſque ſapore. nullus etenim eſt odor rei inſipidæ. Huiuſmodi ſunt florum, coronariorumque odores. hoc odoris genus ſoli homines uidentur ſentire; cætera uerò animalia nullum habe-

re ſenſum huius generis odorum Ariſtoteles putauit: vtpote quæ ventri de- E
dita ſenſum non habeant eorum, quæ per ſe non faciant ad alimentum.
quòd ſi quæ uidentur duci odoribus, ut canes venatici, qui in pratis floren-
tibus non ſentiunt odorem leporum: quædam item odorem ſulphuris æ-
greſerunt intereuntq́ue; id per accidens fieri Ariſtoteles idem auctor eſt.
Nam aſpectus florum canes oblectat, ideoq́ue diuertuntur ab ſenſu odoris.
Grauitas etiam, quæ ſulphuris odorem comitatur, malè afficit ac interimit
nonnulla animalia; ſicuti carbonum fumus homines ſtrangulat, & interfi-
cit. hæc Ariſtoteles. Verùm ſi ea, quæ de pardali referuntur, uera ſunt, quòd
ſcilicet odore ſui alijs animalibus ſuauiſſimo alliciat ad ſe cætera animalia;
quibus veſcatur; nimirum neceſſe eſt fateri à brutis animalibus ſentiri quo- F
que hoc odorum genus. Amplius ratione etiam idem poſſumus nobis fa-
cilè perſuadere. Nam cùm potentia olfactus eiuſdem ſit naturæ in anima-
libus, quæ eam habent; potentiæ uerò diſtinguantur per actus, & actus per
obiecta: impoſſibile ferè uidetur, quòd bruta, quæ olfactum habent lon-
gè præſtantiorem homine; obiectum uerò olfactus ſit odor; non perci-
piant hanc odoris ſpeciem; quæ ſub obiecto illius potentiæ, quam habent,
continetur. Quamobrem fortaſſe dicendum Theophraſtum melius ex-
preſſiſſe Ariſtotelis præceptoris ſententiam, reiq́ue naturam. inquit enim
is auctor in ſexto libro de cauſis plantarum, animalia bruta non duci ab
hoc odoris genere; ſicuti etiam à venuſtate colorum non ducuntur; quam-
uis eos colores perſpiciant: neque pulchras formas mirantur, cùm tamen G
eas viſu percipiant. Nec mirum. Nam cùm natura effinxiſſet animalia bru-
ta ventri Veneriq́ue dedita, ea omnia; quæ ſenſu percipiunt, nec tamen fa-
ciunt ad gulæ illecebras Veneream'ue voluptatem, ne animaduertunt qui-
dem, ſed percepta prætereunt, & quaſi præteruolant. Hoc ergo genus
odorum ſi animalia bruta percipiunt, (vt ratio nobis perſuadet) non tamen
hiſce odoribus tanguntur, vllo've pacto afficiuntur: quoniam gulæ non in-
ſeruiunt, adeo ut ab eis non ſentiri dici poſſint. Homini uerò mirificè con-
ferunt ad ſanitatem, temperant enim nimiam cerebri frigiditatem & humi-
ditatem. Vt autem redeamus ad naturã odoris: Odor fit à ſicco ſapido perco-
lato per humidum aqueum aereum've, ut eſt odoris ſuſceptiuum aut odori
peruium, vi caloris. Ex his perſpicuum eſſe reor, odorẽ eſſe non poſſe ſine vlla H
humiditate, neque etiam ſine ſiccitate, ſicuti ſapor. verùm odor magis attinet
ad ſiccitatem quàm ſapor. Item materia & ſubiectũ odoris proprium eſt lon-
gè ſubtilius, quam ſaporis materia. Nam huius, ſaporis ſcilicet, ſubiectum eſt
humidum aqueum: illius, odoris inquam, eſt aqueum aereum've; ſeu mediũ
quoddam inter aquam & aerem, aqua ſubtilius, aere craſſius, ut inquit Plato
in Timæo. Duo uerò hæc odorum genera, de quibus meminimus, ita ſe ha-
bent, ut odores illi, qui per ſe conſequuntur eſculenta & poculenta, plerique
omnes magis ſint aquei, eorumq́ue materia ſit craſſior, accedens ſcilicet ad
naturam aquei elementi. Alterius uerò generis odores, florum inquam, ra-
dicum, corticum, lachrymarum, & huius ordinis alij, magis aerei ſint, ſub-
tilioremq́ue

A tilioremque materiam habent, & plerunque ſicciorem. hinc fit, ut hoc odorum genus conſequatur potius ſapores amaros, ſtypticos, acutos, auſteroſque, quàm dulces aut pingues. Nam ſapores illi ſunt magis ſicci, ſubtilioremque exhalationem emittunt. Inde eſt, quòd nullum ferè animal bene olet hoc odoris genere, præter Pardalim ſeu Pantheram; ſi uera ſunt, quæ de eo animali feruntur. Contrà arbores, plantæ, radices, flores, rami, lachrymæque plãtarum multarum optimè olent; ſicciores enim ſunt: animalia uerò humidiora magiſque aquea. Inde etiam eſt, quòd multi flores ſi atterantur, odorem emittunt: contrà multa non olent, ſi atterantur. Quædam inſuper torreantur, neceſſe eſt. Item quædam remotiora ſuauius olent: admo
B ta propè, grauius. In locis item ſiccis & calidis odorata naſcuntur. Necnon ſi cæpæ & allia ſerantur iuxta odoras plantas & coronaria, ſuauius olere illas plantas agricolæ aſſerut. Horum omnium ea eſt cauſa, quòd odores accidentia ſunt corporis ſiccioris & ſubtilioris; quod tamen humiditate non careat, ſed quod, cùm ſuapte natura ſit humidum, afficiatur vi caloris commiſcentis à ſubſtantia partis terreſtris, ſiccæ & ſapidæ. Inde accidit, quòd flores; in quorum ſuperficie vapor is ſubtilis eſt, non autem interius, bene olent ſtatim: quòd ſi terantur, euaneſcit fumus ille odorus. Is uerò, qui interius latet, vapor, & ex interioribus partibus prodit, nequaquam eſt odorus: ideo ſi terantur non olent, aut grauius olent: alijs contrà, corpus id tenue vapor inquam odorus intraneus eſt, parumque eius exiſtit in ſuperficie;
C quæ terantur opus eſt, ſi excuti debet vapor ille odorus. Quòd ſi compreſſiores poros habeat, valdeque compactum ſit, magis magiſque contritione eget; & in aliquibus non niſi vi ignis reſoluitur & euaporat. Item in aliis, quæ latiores poros habent, ſimul cum puro eo vapore odoro exit terreſtrior fumus parum odorus: ideo cum purus ille vapor ſubtilior longius diffunditur, terreus uerò propius; iccirco remotiora melius olent: purus nanque vapor tantum ſentitur: propius uerò admota halant terreum fumum immixtum vapori odorifero; ideo olent grauius. Eadem de cauſa loca ſicca & calida odoratiores plantas ferunt, quoniam odor à ſiccitate eſt vi caloris percolata. Quidam putant ob eandem cauſam cæpas & allia, ſata iuxta plantas odoras eas efficere odoratiores: quoniam calida ſunt &
D ſicca. Exiccant ergo & calefaciunt propinquum ſolum; ſicque odorem promouent. Aliqui uerò aliam cauſam adferunt; inquiunt enim: Cum vnumquodque à ſimili nutriatur; ideo cùm cæpe & allium grauiter oleant, ab eis trahi vaporem & nutrimentum malè olidum: quo efficiatur, ut plantæ odoræ habeant putrius nutrimentum, ut pote purgatum extracto excremento ab allio, cæpeque malè olentibus. hinc etiam fit, quòd vinum caliditate ſua facilè attrahat, & denſitate contineat & conſeruet vaporem hunc odorum, facileque afficitur odore rerum propinquarum. oleum item denſitate ſua & glutino conſeruat odores. fiunt etiam artificio vnguentariorum olea, referentia odorem quorumcunque florum, aliarumque rerum odoratarum, prius tamen purgant oleum à nimio illo lentore, & glu-

tino

tino pinguique. Etenim ſi ea fuerint in oleo nimia; prohibent oleum affici E
externis odoribus: contumacius nanque eſt ad patiendum, niſi ſit effectum mollius. Iris etiam, ut ferunt, ſi incubuerit ubi eſt aduſta materia, odorem elicit. Eius nanque vapor humidus & roridus affectus ſiccitate aduſtæ materiæ, temperamentum ſortitur quandoque odori commodum. veſtigia etiam leporum, ſi terra fuerit aliqua humiditate affecta, melius odorem continent, & produnt leporem. Aqua inepta eſt ad odores recipiendos extraneos; eo quòd per rariorem ſubſtantiam ſtatim diffluat vapor odorus. Hanc ob rem antiquiores putarunt odorem eſſe exhalationem quandam. Non tamen exhalatio eſt, ſed eſt ſenſibile accidens inhærens exhalationi. Neque neceſſe eſt, ſi odor ſentiri debeat, ut exhalatio tangat odoris ſenſum, F
olfactum inquam, ut arbitrati ſunt antiqui, ſed ſpiritali ſpecie multiplicatur odor à vapore odoro per aerem medium ſeu aquam pro cuiuſcunque odoris vi, ſicque ſenſum afficiunt. Nam olfactus non eſt tactus quidam ut guſtus; ideo medio extrinſeco eget, ut ſentiat, licet non tam magno, ut viſus auditus've. Hoc odoris genus, quod bruta uel non ſentiunt, uel non aduertunt, quodque diximus in ſicciori materia exiſtere, quàm prius, quod ſaporem alimenti ſequitur; ſi non nutrit, ut Pythagorici putarunt, accommodatum tamen eſt ſanitati, bonæque valetudini humani cerebri; vt pote quod aliquanto magis declinat ad frigidum & humidum. Siccitate ergo & caliditate mediocri huius generis odorum temperatur & melius ſe habet. Odorum ſpecies ſingulæ, quia innominatæ & incognitæ nobis G
ſunt, non poſſunt certo numero comprehendi. Id tantùm dixiſſe repetijſſeque nobis ſufficiat, odores illos dilutos, eſſe rudimenta quædam odoris perfecti, ſicut ſapor inſipidus ſaporum aliorum perfectorum rudimentum & materia eſt. Odores uerò putridos & tetros veluti corruptiones quaſdam eſſe; niſi ſi quæ res natura ſuapte putrem odorem habeant, vt cimices. Nec etiam omnia, quæ oriuntur ex putridis rebus, tetrum odorem habent, ut fungi nati è ſtercore, non tamen propterea malè olidi ſunt. Miſcentur arte hominum odores, ut ſapores; plurimique medij humano artificio fiunt ex elementis, id eſt odoribus natura conſtantibus. de his vnguentariorum negocium eſt: ſicuti coqui artifices ſunt condiendorum miſcendorumque ſaporum. Hi uerò odores perfecti, qui natura conſtant, ha- H
bent & ipſi ſpecies contrarias, ut ſapores, mediasque; uerùm nobis ignotæ innominatæque ſunt, eo quòd praue olfaciat homo. iccirco ſatis hucuſque de odoribus dictum uideri debet. Sequitur ut agamus de colore. Coloris natura longius diſtat à qualitatibus primis, quàm ſaporis odoriſque ſpecies. Non enim color per ſe efficitur ex admixtione qualitatum primarum, ut ſapor & odor; ſed ſi fiat ex eorum mixtione color, per accidens non per ſe efficietur. Per ſe uerò coloris natura ſequitur admixtionem luminis in ea natura, quæ eſt luminis receptiua. huiuſmodi uerò natura eſt diaphanum. Itaque color nihil aliud eſt, quàm extremum & terminus diaphani eius, quod eſt lumine affectum. Extremum uerò in diapha-

A no interminato eſſe non poteſt. Quo etenim pacto poterit eſſe quiſpiam terminus interminatæ rei? color autem terminus eſt. diaphani ergo terminati terminus per ſe eſt color. Attamen quamuis diaphanum omne corpus ſit, corporisque terminus ſit ſuperficies: color vtique ſuperficies non erit, ſed eſt in ſuperficie. Aliud enim eſt extremum corporis, quatenus quantum corpus eſt, & aliud extremum corporis diaphani, quatenus diaphanum eſt: extremum tamen diaphanum eſt in ſuperficie corporis. Color igitur eſt in ſuperficie, non autem eſt ſuperficies. Diaphanum uerò nullum terminum habet, niſi quatenus opacum eſt. illud enim diaphanum, quod opacitate omnino caret, ſuapte natura terminum non habet, ſed eſt
B & lumini & viſui peruium. Admixtio igitur luminis cum diaphano corpore ſcilicet luminis receptiuo opacitatem habente in extremo illius corporis colorem efficit. Nam natura diaphani non æquè eſt in corporibus omnibus, quæ ſunt eius naturæ capacia. verùm in quibuſdam perfectius ineſt; in alijs imperfectius. in diaphanis interminatis perfectius, quæ etiam, cùm extremum nullum habeant quo viſus nitatur, colorem ſui natura nullum habent; ſed vndique penitusque ſunt lumine illuſtrata, ut aer perlucidus. Nonnulla, quæ imperfectius ſunt diaphana, ac propterea aliquo pacto opaca, ſi lumine perfundantur, quamuis viſui peruia ſunt, ob opacitatem tamen extremum habent; in quo viſus quoquo modo figi poteſt: videnturque colore aliquo affecta. vitrum, aquarum complures huius ordinis
C ſunt: in quibus deprehenditur aliqua ſpecies coloris. alia uerò diaphana, id eſt, luminis receptiua, & à lumine affecta multam habent opacitatem; ideoque ſunt imperuia viſui, ſtatimque in extrema eorum ſuperficie viſus figitur. hæc tantùm colorata uidentur, & non diaphana. Ex his perſpicuè ſequitur colorem fieri ex admixtione luminis cum opacò: coloremque eſſe, vt Ariſtoteles inquit, extremum diaphani terminati. Quamobrem Auen Pace arbitratus eſt coloris naturam & ſpeciem non differre à natura luminis, ideoque colorem & lumen putauit eſſe eiuſdem ſpeciei; nihilque aliud colorem eſſe, niſi extremum luminis: huic addidit colores in tenebris nihil eſſe actu, ſed tantùm eſſe in potentia, id eſt, inchoatione quadam; quos poſtmodum perficeret præſentia luminis illius, quod expelleret tene-
D bras. Ratione uerò hac dictum fuiſſe Auen Pace veriſimile eſt; quoniam non animaduertit in corporibus coloratis intrinſecus aliquid luminis eſſe. Verùm cenſuit omne extrinſecus accedere à præſentia corporis lucidi. Auerrois in ſecundo libro de anima, acuta ratione refellit hanc ſententiam Auen Paces. Nam inquit, color eſt motiuus diaphani ſecundum actum, id eſt eius diaphani, quod actu eſt diaphanum. Actus autem diaphani lumen eſt. Sequitur ergo quòd diaphanum, quatenus lumen habet, ſit per ſe mobile à calore. Sed omne ſuſceptiuum, receptiuumque per ſe alicuius naturæ, caret natura & ſpecie rei quam recipit. Ergo color, qui per ſe motiuus eſt diaphani, quatenus eſt lumine illuſtratum, non eſt eiuſdem ſpeciei cum lumine. Pulchra ſanè & efficax ratio. Præterea Auen Pace ægrè cauſam

reddere

reddere poſſet, cut eſt quòd magnum lumen offuſcat lumen minus, adeo E
quòd præſente re ualde lucida, vix ægreque percipiamus rem minus lucidam. Inde fit, ut lucernæ lumen vix appareat ſub lumine ſolis: ſtellæ quoque interdiu non uidentur ob eandem cauſam; calorem uerò magnum lumen non offuſcat, ſed illuſtrat & euidentius apparere facit: ſi color nihil aliud eſt, quàm lumen debile in extremo diaphani exiſtens. Coloris ergo natura alia eſt à natura luminis: & licet originem, formamque habeat à lumine, degenerat tamen à luminis ſpecie in ſpeciem lumine inferiorem & imperfectiorem. Sic tepor cœleſtis efficit interdum calorem elementarem, qui eſt infra naturam illius tepôris. in obſcuro autem & in tenebris colores actu ſunt, non potentia; quia res coloratæ componuntur ex elementis, F
in quibus ex ſe natura lumen eſt: ut de igne exploratum eſt omnibus. Quid de aere & de aqua ſtatuendum, infrà dicemus. Color igitur eſt extremum diaphani terminati, non tamen lumen eſt, niſi participatione quadam & deriuatione à lumine: ſed ſpecies & natura quædam eſt degenerans à luminis perfectione. Duplicis uerò generis eſt color. Nam quidam colores ſunt ſecundum apparentiam tantùm, id eſt, qui nobis uideantur ineſſe rebus, non tamen inſint. Nonnulli uerò perfectam ſpeciem habent in rebus; & uerè, non ex oculorum illecebra res affectæ ſunt illis coloribus. Primi generis colores illi ſunt, quibus viſus eluditur. Nam quoniam color eſt extremum diaphani terminati; contingit interdum, ut diaphanum re uera interminatum ſit, ac propterea re nullum terminum habeat; G
ac ideo nullum colorem. color etenim extremum eſt & terminus. Nobis uerò ob accidens aliquod diaphanum illud uidebitur terminum habere, ſeu quòd deficiat viſus, neque ultra certum terminum extendi queat, ſed in eo figatur: ſiue ob aliam quandam cauſam. Tunc vtique nobis apparet in eo diaphano certus quidem color, cæruleus inquam, aut purpureus pro qualitate ſcilicet diaphani; qui tamen re uera non eſt. Nihil enim refert, quantum ad apparentiam pertinet, an ſit in eo diaphano opacitas, ac propterea mixtio luminis cum opaco & terminus diaphani; an re uera non ſit, ſed nobis ob accidens aliquod eſſe uideatur. colores igitur huius ordinis eſſe apparent, cùm tamen non ſint; pendentque ex lumine extrinſecus influente in diaphanum illud, & uariam ſpeciem præbent propinquis re- H
motis've obliquè & rectè ſpectantibus. Ea de cauſa cœlum uidetur cæruleum, itemque colles & montes, ſi diſtent multùm à nobis, præſeferunt colorem cæruleum, interdumque cyaneum. deficiente enim vſu ob ſpatium longinquum aer opacior uidetur; itemque terminum quendam offert, in quo figitur viſus, admixtioque illa luminis cum opaco colorem cæruleum refert, ſeu cyaneum; ſi maior opacitas ineſſe apparebit. Hoc ergo coloris genus ſecundum apparentiam, & phantaſiam quandam eſt, non ſecundum exiſtentiam. Id enim, quod exiſtit, lumen eſt, non color: eluditur tamen ob eas viſus, quas diximus, cauſas, & colorem putat ſe uidere. Nam ſpecies luminis deficiens colorem refert. Quandoque etiam ui-

A detur diaphanum infici alieno colore; cùm ſcilicet illuſtratur lumine, quod refrangitur à re quapiam illuſtri colore colorata. Sic quandoque cubiculum apparet viride aut rubeum, ſi vitrea feneſtra fuerit viridis cærulei've coloris; per quam intra thalamum radij tranſmittuntur. Sic à nobis res citrinæ uidentur, ſi oculus infectus fuerit colore citrino. Aliud coloris eſt genus ſecundum exiſtentiam; quoniam ſcilicet reuera plurima corpora ſui natura ſunt affecta colore quopiam. Nam, cùm componantur ex rebus lumen habentibus, quo tota afficiuntur, proculdubio diaphana ſunt, id eſt ſuſceptiua luminis: ſed cùm ſint imperuia viſui, terminata item ſunt, non autem interminata. Sunt ergo ſuapte natura diaphana terminata; ideo-
B que ſua etiam natura eorum corporum diaphanum terminum habebit. Sed, ut ſuprà definiuimus colorem, nihil aliud eſt color, niſi terminus ſeu extremum diaphani terminati. Erunt ergo natura & ſecundum exiſtentiam huiuſmodi res coloratæ. Species uerò coloris innumeræ ſunt: attamen ad ſeptem quaſdam illuſtriores rediguntur, referunturque omnes: Album ſcilicet Flauumque, Cæruleum, Viride, Purpureum, Puniceum, Croceum Luteum've, Nigrum Fuſcumque. Horum colorum extremæ ſpecies contrariæque ſunt album & nigrum, quibus affines ſunt fuſcum & flauum: Flauum ſcilicet albo, & fuſcum nigro. Album in colorum genere ſe habet ut habitus; nigrum ut priuatio: ideo cùm lumen ſit forma coloris, à quo ſcilicet coloris natura per degenerationem quandam deſcen-
C dat, in albo eſt plurimum luminis, pertinetque album ad lumen: in nigro exiguum luminis eſt, plurimumque opaci; pertinetque nigrum ad tenebras. Qua de re tenebræ vbicunque fuerint, nigricare uidentur. Non tamen propterea putandum eſt nigri coloris naturam eſſe priuationem omnem luminis, tenebraſque ipſas. Nam nullus viſu percipit neque quàm magnæ ſint tenebræ, neque quali figura præditæ ſint. At niger color & quàm magnus ſit, percipitur, & cuius ſit figuræ, quotuſque numero etiam ſit. Ideo ergo viſu percipiuntur tenebræ, quia viſum non mouent, non autem quoniam ſui ſpecie viſum afficiant. Sic ſilentium auditu, & inſipidum guſtu percipitur. At nigrum ſui ſpecie viſum mouet; ideo nigrarum rerum & figura & numerus percipitur viſu. Niger tamen color, quia per-
D tinet ad priuationem, fit veluti per luminis extinctionem quandam in opaco. contrà color albus fit per præſentiam luminis & illuſtrationem opaci. Nigri uerò ſpeciem referunt & tenebræ, quoniam viſum non mouent, & percipiuntur ut priuatio, & res opaca, in quibus lumen offuſcatum eſt, & tenebricoſum effectum ob opacitatem; ac propterea extrinſecum lumen, ab eo ad viſum non reflectitur. Ea etiam, in quibus parum eſt luminis, eiuſque exiguum reflectitur ad viſum, nigricare uidentur, ut vmbræ omnes & vmbroſa loca. in his etenim lumen eſt, ſed exiguum & opacitate obrutum refrangitur ad viſum. Fuſcæ item res eiuſdem ordinis eſſe uidentur. Duo hæc extrema ſunt, & contraria colorum genera; quæ lata amplaque

ſunt pro diuerſo gradu opacitatis luminiſque illius veluti extincti in nigro, E
uel etiam copia & quantitate luminoſi corporis exiſtentis in albo corpore. nanque opacitatis intenſio remiſsio've, eiuſdemque amplitudo aut exiguitas coloris nigri modos euariant. contrà in calore albo copia uel intenſio vigentis luminis, aut coutrà paucitas remiſsio've, ſeu copia paucitaſque opaci lumine illo illuſtrati, uarios longeque diuerſos faciunt albedinis modos. Ariſtoteles in opuſculo de coloribus, quod eius nomini inſcriptum ad nos peruenit, attribuit colorem album aeri, aquæ, itemque terræ: ignem uerò & ſolem flauum facit. Nigrum uerò colorem attribuit aquæ aut aqueo vapori, cùm ſicceſcit, vel vi ignis, uel etiam ſenſim vi ſicci alterantis & exiccantis. Vnde in mutatione quadam aquæ ad ſiccitatem colorem nigrum conſiſtere dicit. hinc fieri prædicat, quòd in puteis parietes, F
qui ſub aqua ſunt, nigredinem contrahunt. Hinc fumus lignorum humidorum ater eſt; carboneſque atri ſunt fumo ſcilicet illo craſsiori & aqueo intincti, Qui, ſi exurantur, conſumpto vapore eo nigro reſoluit in cinerem, redeunt ad albedinem; quamuis cinis aliquid adhuc retineat illius tincturæ, ac propterea ſit pallidus. Quæ ſi omnino vi ignis conſumpta fuerit, ut in calce, tunc conſpicitur purus nitor & candor. Hanc ſummi philoſophi ſententiam ſi improbare auderem, iure haberi poſſem audaciſsimus. Afferam tamen dubitationes eas, quæ me aliquanto acrius vrgent; easque, quas potero, ſoluam; alias uerò peritioribus ſoluendas relinquam. Id, quod primum Ariſtoteles dicit, aerem ſcilicet & aquam eſſe coloris candidi ſui natura; G
non uidetur admodum exploratum eſſe. Nam ſi aer & aqua ſui natura ſunt alba corpora; ergo etiam ſui natura luminoſa ſunt corpora: qui nanque fieri poteſt, ut ſit color quiſpiam, ac præſertim albus, ſine lumine, immò ſine copia luminis? Quòd ſi duo ea elementa ingenitum lumen haberent; nimirum non eſſent diaphana in potentia, alterius ſcilicet indiga luminis; ſed ſui natura eſſent actu diaphana. lumen enim eſt actus diaphani, cui tamen rei ſenſus contradicit. Quilibet enim facilè experitur amotis luminibus cæteriſque rebus lucentibus, aerem ſummopere fieri tenebricoſum: nec minus aquam, nullo prorſus apparente luminis veſtigio. Contrà uerò adſtruere Ariſtotelis ſententiam videtur id, quod experientia nos docet; aerem ſcilicet aut aquam ſeu vaporem aqueum, ſi denſiora facta fuerint, continuò referre colorem candidum, ut perſpicuum eſt in niue & pruina. Quis H
enim diceret niuis pruinæque candorem eſſe à corpore igneo incluſo? cùm nix & pruina cogantur per expreſsionem corporis calidi, in eiſque ſumma ſentiatur eſſe frigiditas? Iccirco quantum pertinet ad hanc quæſtionem, fortaſſe non ineptè dicere poſſemus in aere & aqua quoddam lumen eſſe inchoatum: potiuſque in aere quàm in aqua, vtpote qui magis accedat ad perfectionem ignis quàm aqua: non tamen adeo magnum eſt, ut perfectum ſit lumen, actuſque diaphani eſſe queat; ſed hæc natura in aqua & aere inchoationem tantùm luminis facit, id eſt, diaphaneitatem, ut ita dicam;

A cam; quæ inchoatio quædam eſt perfecti luminis. Etenim actus & poten-
tia pertinet ad idem genus. Cùm ergo aer & aqua diaphana ſint corpora;
natura ſui quandam habent luminis inchoationem; qua caret terra. Hæc
uerò perſpicuitas illorum corporum ab extrinſeca luce perficitur. Sicuti
ergo ignis ob ſui raritatem non lucet, denſatus autem & coactus in unum
lucere incipit, & lumen emittere: ita aer aqueuſque vapor, cùm habeant
inchoationem quandam naturæ luminis, non autem perfectionem aliquam,
ut ignis; cùm rara ſunt, neque lucem emittunt, neque colori peruia ſunt:
in quo deficiunt ab igne, qui ſui natura actu diaphanus eſt. At cùm vtrum-
que eorum corporum, aer inquam & aqua, denſatum fuerit; non equi-
B dem lucet, aut lumen emittit, quod facit ignis: ſed ob perſpicuitatem, id
eſt, naturam luminis inchoatam efficiuntur colorata eo colore, qui ad na-
turam luminis maximè accedit, candore inquam & albedine. Hæc non
incommodè mihi uidentur dici poſſe ſuper hac quæſtione. Altera uerò
mihi longè difficilior uidetur eſſe in eo, quòd Ariſtoteles ſtatuit terram ſui
natura eſſe candidam, & colorem nigrum fieri mutatione aquæ, ſeu va-
poris aquei in ſiccitatem. Nam ſi color ſit ultimum diaphani terminati;
terræ uerò natura maximè remota ſit à perſpicuitate ob ſui opacitatem &
denſitatem; quo'nam pacto poterit terræ naturæ attribui coloris, qui in ſe
omnium maximè lumen contineat, albedo ſcilicet & candor? Item ſub-
oritur alia quæſtio, qua ratione fieri poſſit, ut aqua ſicceſcens efficiatur a-
C tra. Nam ſi terræ natura candida eſt; ignis item flauus, uel lucidus, & ſplen-
dens; in illa mutatione, qua aqua tendit ad naturam terræ, ſiue mutetur vi
ignis, ſiue vi ſicci alterantis aquam, cùm agens omne faciat paſſum ſibi
ſimile; neſcio ego perſpicere à quo'nam fiat nigredo illa, cùm & terra na-
tura ſit candida, & ignis pluſquam candidus; ſplendet enim. equidem in-
genuè fateor quæſtiones has mihi difficillimas uideri, adeo ut in dubium
mihi reuocent non iudicium Ariſtotelis, ſed auctorem operis illius: ne-
ſcioque an falsò nomen Ariſtotelis adſcriptum fuerit. Quare peritiores me
ſoluent has quæſtiones. Ego uerò potius ſentirem, (ſi libera mihi daretur
optio) terram ſui natura eſſe maximè tenebroſam & carentem lumine; ac
propterea nobis referre colorem maximè atrum; qui potius ob lumen ex-
D trinſecum refractum à ſuperficie terræ rationem habet coloris, quàm ex
natura terræ. Ea nanque potius dicenda eſſet tenebricoſa quàm nigra. Ve-
rùm ob id quòd lumen diaphani, in quo terra uidetur, pertingit & quo-
dammodo admiſcetur opacæ illi ſuperficiei: ideo colorem atrum facit. Nec
me moueret ratio de calce & cinere adducta. Nam reor in vtraque pluri-
mum eſſe vis igneæ, ac propterea luminis; quam ob cauſam calx candida
eſt, cinis ſubalbidus, in quo minus ſit ignis quàm in calce. His conſtitu-
tis accedamus ad colores alios, eorumque naturam explicandam. Niger-
rimus ergo eſt color terræ: aqua etiam aqueuſque vapor, ſi ſicceſcat pro-
pinquiorque fiat naturæ terræ, nigreſcit, Eo quòd ſiccitate opacior fiat

aqua: ea tamen nigredo minor eſt, quàm nigredo terrea, quia inibi minor E
quoque opacitas eſt. Albedo uerò propinqua eſt lumini, licet latiſſimè pa-
teat, multoſque ſub ſe modos contineat. quòd ſi maiori fuerit lumine illu-
ſtrata, ferè ſplendet; ſed procuìdubio flaueſcit. Vt igitur ordiamur, colo-
rum mediorum primus cæruleus eſt. Fit hic color ab opaco admodum raro
& diaphano à remiſſiori quodam lumine illuſtrato. Hinc eſt, quòd & cœ-
lum videtur cæruleum & mare. Nam opacum id, ex quo fit cæruleum, pro-
pinquum eſt illi nigro, quod diximus eſſe in vmbra; minus tamen & re-
miſſus. Quòd ſi opacum fuerit denſius priore, magiſque nigreſcat, quem-
admodum aqua cùm ſicceſcit fit nigra, admixtumque fuerit nigro opaco've
illi aqueo lumen mediocre; fit color viridis; cuius plurimi ſunt modi. Ob F
hanc cauſam omnes plantæ ſunt coloris viridis; quoniam nutriuntur hu-
more aqueo radijs ſolis exiccato illiſque admixto. Quòd ſi cæruleus co-
lor fiat magis opacus, aut in quopiam mixto corpore ſit maior opacitas
quàm in cæruleo, lumenque intenſius quàm in cæruleo & viridi, magiſque
denſum fuerit: efficitur color purpureus. Quòd ſi opaco denſiori & terre-
ſtri mixta fuerit magna copia luminis intenſioriſque gradus, fit color pu-
niceus: indicio ſunt carbones, qui nigerrimi ſunt; accenſi tamen efficiun-
tur coloris punicei. Viridis color ſi ſicceſcat vertitur in luteum: inde vide-
mus frumenta, paleas, frondeſque cùm areſcunt flaueſcere, ac fieri colo-
ris lutei: licet nonnulla, in quibus maior eſt humoris copia, antequam
fiant coloris lutei, rubeant. hæc in ſumma eſt horum colorum natura; quo- G
rum quilibet ampliſſimus eſt: multoſque ſub ſe modos continet pro tem-
peratura opaci & luminis; quorum ſingulos enumerare neque eſt inſtituti
noſtri, neque ferè poſſibile. Tum ſciat, ſi quis intuebitur colores plantarum
virides omnes, innumeros tamen colores florum ferè infinitos. Modos
etiam temperamenti in ſingulis, ſolius dei eſt noſſe & facere. Præclarè Pla-
to in Timæo; qui hæc (inquit) facere quærit, ignorat quid interſit inter
deum & hominem. Ille nanque & nouit menſuras omnium & temperat;
rurſuſque facilè diſſoluit: homo neque præſtare hoc poteſt opere ipſo; ne-
que noſſe. Huiuſmodi eſt colorum natura. Verùm non ſemper ſpecies
cuiuſque coloris oculis noſtris offertur talis, qualis ſua natura eſt; ſed lu-
men diaphani, quo medio videntur colores & illuſtrantur, plurimum facit H
ad cuiuſque coloris apparentiam: hinc fit quòd multa, quæ interdiu appa-
rent viridia, noctu cærulei ſeu purpurei coloris eſſe videntur. Item lumen ip-
ſum ſæpenumero afficitur colore diaphani; per quod peruenit ad colorem,
qui uidetur; ſicque color dupliciter inficitur. Nam & qualitate luminis, quo
illuſtratur, afficitur; & aduentitio illo colore, quo lumen affectum eſt. hinc
fit quòd rarò tales nobis appareant colores, quales re uera ſunt. Euenit illud
etiam quandoque, ut in re quapiam multi propinquique ſint pori, qui aliquo
colore tincti infectique ſunt: ideoque tota ea res videatur eſſe illius coloris,
quo tincti ſunt pori; cùm tamen ea res interius natura ſui aliũ colorẽ habeat.
hinc

A hinc eſt quòd uidemus nonnullos lapides atri coloris trahere lineas candidas, eo quod eorum pori tincti ſunt atro colore fumi, à quo concoctus eſt lapis, & poſtea coactione lapidis per minutisſimos illos poros expreſſus: quamobrem ater uidetur eſſe lapis; cùm tamen ſui natura & interius ſit candidus: is color conſpicitur; cum comminutis poris in linea protracta, partes tantùm & ramenta lapidis ſunt. Contrà alia ob tincturam flaui coloris uidentur eſſe: cùm tamen minimæ particulæ, ex quibus conſtituta ſunt, colorem atrum habeant. Non disſimili ratione ea, quæ arte tinguntur, ingrediente ac ſubeunte colore intra poros propinquos adeò & ſic implicitos, ut interualla non perſentiantur, tincturam capiunt; quæ in mul-
B tis adeo eſt tenax, vt dilui non queant. Hæc colorum genera, innumeræque ſpecies artificio à pictoribus temperantur & commiſcentur; interdum alij aliis euidentioribus ſuperponuntur, adeo ut infinitos ferè faciant colorum modos. Natura quoque in animalium villis, in plantis, earumque fructibus & floribus ita commiſcet & digerit, ut omnes præſtantiori ingenio præditos ſumma admiratio capiat oblectatioque non mediocris; cùm ſolertiam naturæ in illis contemplantur: videtur autem natura tum materia uaria, tum digeſtione diuerſa in efficiendis tot coloribus. Sed color villorum in animalibus plerunque ſequitur naturam eorum pellis: nam plerunque fiunt pili intra poros cutis. In fructibus uerò & floribus plantarum multum faciunt ſolis radij, qui admixti coloribus plantarum pro copia &
C qualitate nutrimenti, & natura plantarum pulcherrimos variosque colores effingunt. Hinc eſt quòd plerunque in animalibus colores virides, punicei, lutei, innumerique alij conſpiciuntur; qui pasſim ſunt in folijs, fructibus, & floribus plantarum. Quòd ſi quæ aues, ut pauones, columbæ, galli hiſce coloribus ſunt pictæ, cùm plumæ ex cute exeunt, vtique eis non ſunt infectæ coloribus, ſed poſtea illuſtratæ radijs ſolis & lumine aeris, quem imbibunt, quæ idoneam naturam habent coloribus illis pinguntur. Sed de coloribus plantarum & animalium ſigillatim tractare non eſt inſtituti huius à nobis operis; ſed ad eam philoſophiæ partem pertinet, quæ tractat de animalibus & plantis. Nobis hactenus dixiſſe ſit ſatis; ſicque Deo bene iuuante ad calcem inſtituti à nobis operis peruenimus. Nam &
D de elementis, quatenus mundum conſtituunt, itemque quatenus mixta conficiunt, tractationem peregimus: itemque de eorum mixtione, & qualitatibus mixtionem facientibus: necnon de qualitatibus mixtionem conſequentibus; quibus uel apta uel inepta ſunt mixta ad pasſionem quampiam recipiendam. Adiunximus breuem tractatum de complexionibus, quæ mixtionem ſequuntur, quibus tum agunt, tum etiam patiuntur mixta corpora. Poſtremo tractauimus de ſaporibus, odoribus, & coloribus; quæ communia quædam accidentia ſunt mixtorum ferè omnium: & quibus mixta immutare ſenſus poſſunt; ubi conſtitit presſitque gradum noſtrum hoc opuſculum: quemadmodum in fronte ſtatim lectoribus propoſuerat.

Supra hæc ſunt naturæ & propria accidentia mixtorum corporum homogeneorum; ac deinde natura plantarum & animalium: quorum corpora organica ſunt. Horum formationis & figurationis cauſa ſuperat vires calidi frigidi humidi & ſicci, mixtionemque elementorum: ſed naturæ artifici, uique generatiuæ eſt attribuenda. Hæc omnia contemplatur philoſophia; ex hisque ad vim cœleſtium corporum & mentium illa mouentium; indeque ſubuehitur ad primam rerum omnium cauſam. Quare nunquam ſatis dignè, prout de hominum genere merita eſt, laudari poterit diuina hæc ſcientia; quæ homines euehit ad deorum immortalium commercium quoddam, & ad ſupremi ſummique boni cognitionem. Quod tota natura appetit: cuiusque præſtantiam & excellentiam exprimere, & imitari conatur pro viribus ſibi tributis. Cui ſemper agendæ ſunt gratiæ, & laudes decantandæ pro ineffabili eius bonitate & innumeris bonis naturæ hominum præſtitis. quorum præſtantiſſimum iure exiſtimari debet philoſophia, quæ nos efficit propè diuinos.

FINIS.

GASPARIS CONTARENI
PRIMAE PHILOSOPHIAE COMPENDIVM.

GASPAR CONTARENVS
REVERENDO FRATRI
PAVLO IVSTINIANO
Eremitæ Camaldulenſi S.

REVERENDE *pater. Cùm ſuperioribus menſibus Gaſpar Peruſi-
nus monachus, ac theologus præclarus tuas mihi literas attulit,
ſimul cum epiſtola, quam ſcripſeras ad Marcum Antonium Fla-
minium iuuenem elegantiſſimum, ac noſtri ſtudioſum, tui verò
obſeruantiſſimum: quibus à me petebas, vt compendium illud Pri-
mæ Philoſophiæ, quod compoſueram dum in Hiſpania pro Repub.
noſtra legatione fungerer apud Carolum Cæſarem, tibi tranſcribendum, ac mitten-
dum curarem; adeò eram animo conſternatus ex acerbiſſimo obitu Auguſtini Piſau-
ri, vt mihi vix ſatis ipſe conſtarem. Etenim quidnam magis moleſtum mihi accidere
C potuiſſet: aut quamnam tantam iacturam facerem, vt cum eo infortunio conferri po-
tuerit? Nec mea tantùm cauſa mihi dolendum eo caſu eſſe ſciebam: verùm etiam ami-
corum omnium, ac præcipuè noſtræ ciuitatis. Amiſeram ego amiciſſimum homi-
nem, à quo vehementiſſimè me diligi noueram, cuiusq; multa præclara officia in me
collata plurimùm dignitatem noſtram auxerant: cuius uel conſuetudine ſola & iu-
cunda mihi vita videbatur, & in bonis artibus virtutumq; omnium genere adeò me
proficere ſentiebam; vt cogitationes omnes meæ vniuerſaq; viuendi ratio ex eo homi-
ne penderent: cum quo tum bonarum artium ſtudia, tum ciuiles curæ, ac priuata
negotia, ceſſationesq; mihi communes erant: cuius denique amicitia mihi ipſe fœlix
eſſe videbar. Hæc mihi priuata doloris ratio. at publica quàm ingens, quàm pe-
D nè intolerabilis? Ciuem amiſimus animi adeò excelſi, vt nihil rerum mortalium ad-
miraretur, honores hoſce vulgi, quos tantopere ſuſpicimus, diuitias quas tam magno
ſtudio colimus, magiſtratus quos miſerè ambimus, vitam denique ipſam mortalem de-
ſpiceret, nihiliq; faciendam eſſe exiſtimaret: interdum irridebat, modò miſericor-
dia proſequebatur vulgi ſtudia. Econtra adeò pietatem erga Deum optimum maxi-
mum colebat: adeò patriæ boni ſtudioſus erat; reiq; chriſtianæ, ac religioni tantùm
addictus; honeſtatis verò, quæ virtutis quouis genere continetur, tam magnus ad-
mirator, vt nihil aliud animo verſaret: de nulla alia re libentius audiret, ver-
ba've faceret. Quid dicam de illius hominis modeſtia, quem omnium mode-
ſtiſſimum, hacq; laude præ alijs præcipuè dignum omnes exiſtimabant? Erat in
eo prætereà prudentia ſingularis, comitas verò tam magna, tantaq; affabilitas; vt*

A idem mihi perſuadebat: qui inquit in eo opuſculo, quod præclariſſimum nobis reliquit
de arte poetica, non oportere, ſi quando poeta ſententia quapiam grauiori uti voluerit,
ea in parte adhibere orationis ſplendorem: nam lector facilè abduci poterit à grauitate
ſententiæ illius percipiendæ, ad ſplendorem eum, ornatumq; orationis: quo primo ſtatim
congreſſu delinitus, occupatusq; ad interiorem ſenſum peruenire minimè poterit. Quid
quod parens eloquentiæ Cicero in tertio libro de Finibus perhibet, vbi loci philoſophiæ
abſtruſiores tractantur, conſectari elegantiora vocabula, velleq; ornatè dicere, puerile
quoddam ſtudium eſſe: verùm perſpicuè ac dilucidè dicere, id demum eſſe docti & intel-
ligentis viri. His ergo rationibus adductus neque dum eſſem in Hiſpania, ac inter publi
cas occupationes grauiſſimas, me quandoque conferrem, ad quæ pridem ex philoſophiæ
B fontibus hauſeram, literarum monumentis mandanda, vt animum curis moleſtijsq; hac
ratione leuarem, recrearemq́ue: neque nunc, cùm magis ocioſus eſſem, nunquam mihi
hanc operam adſumendam eſſe decreui, vt opuſculum hoc noſtrum elegantius facerem;
vllum've in eo orationis fucum adhiberem. Verùm in eo tantum elaborandum mihi eſſe
duxi, vt quantum poſſem, ac cõpendij modus pateretur, perſpicuè dicerem de rebus hiſce
eminentiſſimis, & quæ ſuapte natura obſcura nobis ſint, aciemq; mentis facilè effugiant.
Nec ſine magna ratione hanc potiſſimum philoſophiæ partem quamuis altiſſimam ſele-
gimus, ac literis mandandam eſſe cenſuimus. Nam, vt probè noſti, quamuis omnes philo-
ſophiæ partes, ac loci animum hominis mirificè perficiant, cæteriſq; quibuſcunque arti-
bus, ac fortunarum copijs longè antecellant: multis tamen partibus diuina ſcientia, ſeu
primam philoſophiam ſeu ſapientiam appellare malueris, philoſophiæ partibus alijs præ-
C ferenda eſt: ac in eius præcipuè functione hominis felicitas conſtituenda: qua imbutus
diuinam quodammodo vitam æmulari poteſt, atque attingere. Quapropter in nulla phi-
loſophiæ parte explicanda maius ſtudium impendi oportere reor, quàm in hac longè om-
nium præſtantiſſima. At, vt veritatis maiorem rationem habeam, quàm pudoris, nullus
philoſophiæ locus ieiunius ab Ariſtotele tractatus eſt; nullibi plura deſiderantur, quàm
in prima Philoſophia. Nec tamen propterea reprehendendum arbitror totius philoſo-
phiæ parentem, verùm iuſtis de cauſis opinor parciorem eum fuiſſe in hac parte expli-
canda: quas in hoc loco afferre fortaſſe non ſit opus. Ideo cum plurima animaduertiſſem
in Platonis monumentis, antiquiorumq; philoſophorum decretis, quæ huius ſcientiæ eſ-
ſent; nonnullaq; aſſidua cogitatione harum rerum mihi aſſecutus eſſe viderer, quæ alios
fortaſſe præterijſſent, ſtatui me operæpretium facturum ſi vniuerſa, quæ ad hanc ſcien-
D tiam pertinent, ordine quodam ac ſerie diſtribuerem, in vnumq; compendium collige-
rem, vt alij doctiores planiùs explicare, diffuſiusq; tractare poſſent, quæ ego ſuccinctè
tantùm attigiſſem. Dedi igitur operam, vt hoc opuſculo id conficerem. Primùm verò
de præſtantia huius diſciplinæ, deq; auditore eius idoneo mihi dicendum eſſe viſum eſt:
omniaq; explicui, quæ officere poſſint viro ſapientiæ ſtudioſo. Hæc præferenda præmon-
ſtrandaq́ue cenſui; quæ mihi videbantur pertinere ad peritiam huius diſciplinæ, atque
ſcientiam antecedere. In ſecundo verò ac tertio volumine iam ſcientiam aggreſſus de
ente, de vno, item de vero, ac bono, necnon de actu & potentia, ea collegi quæ maximè ad
rem facere exiſtimaui, & quæ difficiliora eſſe arbitratus ſum. In quarto poſtmodum ac-
ceſſi ad primum rerum omnium principium; eaq́ue tantùm de eo attigi, quæ rationis na
turali lumine nobis comperta eſſe poterant, omiſſis illis, quæ à religione hominibusq; di-

uino excellentiori'que numine afflatis tradita per manus accepimus. Etenim conſtan- E
tiſſimè ſtatueram intra rationis limites me contingere, expeririq́; quantum lumen men-
ti noſtra à natura inditum valeret ad cognitionem excipiendam, ſeu potius eruendam
de rebus eminentiſſimis maximeq́; remotis ab omni ſenſuum vi. Digreſſi à prima rerum
cauſa, in quinto volumine generali quadam ratione expoſuimus, quonam pacto omnia
entia à primo principio effluxerint, quo'que modo cauſa prima entium cauſa eſſe exiſti-
manda ſit. Deinde ad intellectus naturam exponendam acceſſimus. In ſexto verò libro
deſcendimus ad animas cœleſtium corporum, ad naturamq́; cœlorum exponendam. Vni-
uerſum demum tractatum de inferioribus entibus ſeptimus liber continet: necnon etiam
quid ſentiendum ſit de naturis, ſeu eſſentijs rerum, quæ ſpeciei generis've appellationem
habent. Ac tandem, ne quid tractationi de entibus, quatenus entia ſunt, deeſſe videri F
poſſet, tetigimus tum entia rationis, tum etiam artis opera, ac figmenta; ut in non ente
poſtremo omnium ac infimo ſermo deſineret. Hæc vniuerſi operis ſeries, in quo pictores
imitati delineatione quadam videmur effinxiſſe formam huius præ excellentiſſimæ
ſcientiæ; quam alij doctiores magisq́; ocioſi perficerent. Quamobrem nihil mihi optatius
accidere potuiſſet; quàm vt tu id à me peteres, quod ego maximè cupiebam. nam cùm re-
cognoſci caſtigariq́; hoc opuſculum noſtrum ſummopere deſiderabam à viro, qui nos
amaret, ſummæq́; eruditionis eſſet; tum magis adhuc atque magis cupiebam aliquem
ſeſe nobis offerre, qui vellet ac præſtare poſſet, ut hæc diſciplina aliarum omnium faci-
lè princeps, quam nos lineamentis quibuſdam complexi ſumus, opera atque induſtria
ſua perfecta in publicum prodiret. Quibus in rebus nullum puto magis votis noſtris ſa-
tisfacere potuiſſe te vno; qui olim à prima iuuentute maxima mihi neceſſitudine con- G
iunctus es: à quo etiam tantum amari me ſentio, quantum nec optare auſim: & qui om-
nium bonarum artium ſis peritiſſimus: ſapientiam verò adeo colas, vt neglectis qui-
buſcumque fortunæ bonis, ac corporis commodis, in eius te arce collocaueris: indeq́; curas
mortalium vanaq; ſtudia deſpicias quotidie, aſſiduisq́; ad Deum optimum precibus, ac
iugi diuinarum rerum meditatione animum puriſſimum habeas, nulli perturbationi
obnoxium, quæ te auocet à ſapientiæ cultu: aut officiat mentis tuæ oculis, ne veritatis
tenues etiam ſemitas inueſtigare valeas, atque deprehendere. Dabis igitur operam
primùm, vt libellum hunc noſtrum recognoſcas, emendes, ac quidnam de eo ſtatuas
me per literas certiorem facias. Deinde, vt vniuerſam hanc ſcientiam omnium
præclariſſimam, quam nos vix attigimus, amplifices, atque compleas; nobis'que
hac retaliatione reſpondeas in officio. quàm maximè etenim cupio hoc officium, H
quantulumcunque ſit, à nobis tibi fœneratum iri. Vale, ac me tui obſeruantiſſi-
mum ama. Venetijs M. D. XXVII. III. Calen. Septemb.

PRIMAE

PRIMAE PHILOSOPHIAE COMPENDIVM.

LIBER PRIMVS.

PRIMA Philoſophia iure merito ſapientiæ ac diuinæ ſcien-
tiæ nomen obtinuit: nam in vnoquoque artis diſciplinæ-
que genere is ſapiens appellari ſolet; qui non partem ali-
quam artis nouerit; ſed vniuerſam eam teneat; cauſaſque
eius generis non ignoret, quod arti illi ſubiectum ſit: ut ſa-
piens medicus ille & eſt, & habetur, non qui genus aliquod
C morbi curare idoneus fuerit; ſed is, qui omnium ægritudinum remedia no-
uerit; earumque cauſas atque accidentia vniuerſa perſpecta habuerit. Eadem
ratione ſapiens pictor omnem picturæ modum ac genus teneat, opus eſt; ſi
verè in pingendo ſapiens exiſtimari velit. Idem in artibus quibuſcunque li-
cet intueri: pari ratione ergo ille etiam non in aliquo genere, ſed abſolutè ſa-
piens eſt habendus; qui non genus aliquod rerum tantùm calleat, eiuſque
cauſas nouerit; ſed totius Entis peritus ſit, ſupremaſque cauſas omnium, ac
prima principia vniuerſitatis rerum, quatenus homini fas fuerit, habeat ex-
plorata. Ac uideri alicui poſſet, hoc præſtare non eſſe vnius cuiuſdam ſcien-
tiæ; ſed plurium, aut potius omnium. Nam vna ſcientia vnius tantùm eſt ge-
neris; a quo, ut philoſophi dicunt, habet vt vna ſit: plura ergo rerum genera,
D quæ in uniuerſo ſunt, non videntur ab una tantùm ſcientia comprehendi poſ-
ſe; verùm id plurimarum artium opus eſſe. Cæterùm nõ difficile fuerit hanc
quæſtionem diſſoluere, de eadem re ſpeculationem ad plures ſcientias per-
tinere poſſe, ſecundum tamen diuerſam rationem, & ex alijs alijſque princi-
pijs: de homine etenim medicus tractat, in quantum eſt ſanitatis atque ægri-
tudinis capax: Item ciuilis philoſophus agit de homine ea ratione, qua ad
virtutem inſtrui poteſt, & ad ciuilem ſocietatem inſtitui. Itaque de Entibus
agere ſecundum propriam quandam rationem diuerſorum generum ad par-
ticulares ſcientias pertinet. verùm tractare de entibus, quatenus entia ſunt,
primaque eorum principia ſpeculari, à quibus eſſe in uniuerſitatem rerum
deducitur, vnius ſcientiæ officium eſt; eius inquam, quam non iniuria ſapien-

tiam dici profitemur: & qua imbutus non certa quapiam diſciplina ſapiens, E
ſed abſolutè ac nullo addito, ſapiens haberi debet. Diuinæ etiam ſcientiæ, ſeu
theologiæ appellationem meritò ſortita eſt. Prima namque philoſophia
præcipuè de Deo agit. Non inficias eo, phyſicen, quæ de natura ſpeculatur,
Deum ac primum principium quodam modo attingere, cùm oſtendit dif-
formes hoſce rerum natura conſtantium motus ad vniformem cœleſtium
corporum circularem motum referri, atque ab eo contineri; eum verò ne-
quaquam eodem ſemper tenore circunduci poſſe, niſi à principio penderet,
quod omnino immobile ſit, nullique mutationi obnoxium; quæ proprietas
Deo optimo maximo præcipuè conuenit; quamuis etiam ſupremæ mentes
in diuini numinis veſtibulo conſtitutæ immunes ſint cuiuſcunque mutatio- F
nis. Compertum ſatis ex his eſſe poteſt, phyſicen veluti per ſomnium attin-
gere primum rerum principium; cùm nihil de eo tradat, niſi quod immobi-
le ſit ac materiæ expers. Hoc verò ſupremis etiam intelligentijs, immò ani-
mabus cœleſtium corporum conuenit. Sed eam principij excellentiam, qua
omnibus Entibus, mobilibus inquam ac mutationis expertibus antecellit,
ac qua omnium Entium cuiuſque modi ſuprema eſt cauſa, is, qui certi cu-
iuſpiam generis peritus fuerit, minimè attingere poteſt; verùm ſi ad tam exi-
miam lucem oculos verterit, cæcutit, ac exigua quædam perſentit totius ex-
cellentiæ ignarus: nec diſsimili ratione vti videtur, ac ſi quis ruſticus, qui
nunquam rure diſceſsiſſet, ex his, quæ ruri aguntur, atque ex ratione, mo-
do've totius illius regionis, regium culmen contemplari velit. Modica cer- G
tè ſunt ſenſibilia omnia, ſi amplitudini totius Entis conferatur. Theologia
ergo propriè ſcientia hæc, de qua agimus, dici debet; cùm præcipuum eius
opus ſit Deum contemplari, & ad ſupremam entium omnium cauſam eue-
hi: quæ, cùm in latibulo arcanoque ſuo lateat, ac ſupra intellectum ſit, vt in-
frà docebimus, ipſa ſe verè nouit atque comprehendit, cæteris omnibus
ignorata. Iccirco huiuſmodi ratione hac præterea Theologia nuncupabi-
tur, quaſi ſcientiam dixeris; quæ uerè Deo conueniat: alijs uerò mentibus,
quæ participes Dei eſſe queunt, inferiori quadam nota. Nobiliſsima quoque
ac maximè certa omnium aliarum diſciplinarum atque artium meritò exi-
ſtimanda eſt. Nulli namque dubium aut incompertum eſſe poteſt, quin con-
templatiuæ diſciplinæ factiuis artibus atque actiuis ſint præferendæ: cùm hæ H
alterius gratia inſtitutæ ſint, finemque opus quodpiam habeant aut actio-
nem; à qua perfectionem ſuam quæque nanciſcitur: contemplatiuæ uerò
diſciplinæ ſui ipſius gratia expetuntur, nulli præterea ſeruiunt. Harum cum
nonnullæ alijs antecellant, quæ ſcilicet circa nobilius genus verſantur, his,
quæ ignobilioribus ſtudent; hæ proculdubio nobiliſsimæ omnium ſunt ha-
bendæ; quæ de rebus maximè eximijs tractant. Quid verò tantopere egre-
gium, ut cum primis entium cauſis conferri poſsit? Quamobrem comper-
tiſsimum cuilibet eſſe debet, primam philoſophiam cæteris omnibus diſci-
plinis longe præſtare; cuius qui compos fuerit, ad diuinam, quantùm homi-
ni licet, ſublimitatem tendit; tantoque magis eam adſequitur, quantò ma-

A gis promouerit atque profecerit in hac diuina ſcientia. Quæ ſuapte natura eſt etiam cæterarum certisſima. Nam rei mutationi obnoxiæ certa notitia minimè eſſe poteſt. Quo enim pacto id certò vnquam ſciueris, quod in dies aut in horas mutatur, aliudque fit? Hoc verò in rebus omnibus licet intueri, quæ natura conſtant, de quibus diſſerunt Phyſici. Mathematicæ autem diſciplinæ, quamuis circa immobilia verſantur, quia magnitudines ac numeros cogitatione à motu mobilitateque ſeparant; nihilominus re mobilis eſt vnaquæque magnitudo. præterea omnis ea cognitio non maximè nititur vi intelligendi: cuius propria perfectio eſt ſcientia; verùm quàm maximè imaginatione, quam ſemper ſibi comitem adſciſcit. Hac qui valet, is profectò
B in eiuſmodi diſciplinis excellit. At prima philoſophia primùm ea contemplatur, quæ penitus immobilia ſunt, & ab omni ſenſu imaginationeque remotisſima: quorum notitiam qui voluerit aliqua in parte attingere, ei certè opus eſt, ut quàm maximam operam det, ne imaginatione nitatur; verùm vt, quantum fieri poteſt, ab imaginatione ſenſuque omni recedat. à quibus ni cauerit, quàm longisſimè à rerum intelligibilium cognitione retrahetur. Quocirca Timæus apud Platonem naturalem philoſophiam ac mathematicas diſciplinas nomine atque appellatione ſcientiæ non dignatur; ſed appellat diſciplinas, quæ opinionem fidem've pariant, non autem certam ſcientiam. Res enim, quæ natura conſtant, ſenſibiles ſunt atque mutabiles. Cæterùm quia ab immutabili principio pendent, aliqua in parte, ſecundum for-
C mam inquam, immutabilitatis participes ſint, atque vnitatis: quam intellectus vi intelligibilis luminis in rebus hiſce deprehendens, licet ſordibus materiæ obrutam, multitudine inquam, mutatione, atque contractione; eruit tamen, atque interna vi rerum ſenſibilium concipit intelligibiles notiones; ſicque ſcientiam earum conſtituit. in qua tamen aliquid ſemper remanet, quod materiam atque mutabilitatē ſapit. At mathematicæ quantitates, quia magis à materia ſunt abſtractæ, ad immobilitatem magis accedunt: qua de cauſa ſunt etiam certiores. Ideò Plato in libris de Repub. appellauit mathematica exempla quædam ac imagines idearum; quæ eius philoſophi ſententia per ſe intelligibiles ſunt: plurimumque hortatur eos, qui in diuinis excellere voluerint, vt ſeſe exerceant in mathematicis diſciplinis; à quibus aſſerit
D facilem aſcenſum eſſe ad diuina. Suapte ergo natura prima philoſophia certitudine longè cæteris diſciplinis antecellit: atque adeò nobilis excellensque eſt, ut eius potisſimum adeptione homines adſpirent ad diuinam quandam ſimilitudinem; quam adepti in Deum quodammodo tranſeant, ac diuina fœlicitate ſint ipſi quoque fœlices. Non tamen quiuis eius ſupremæ ſcientiæ erit auditor idoneus, neque mentis aciem poterit figere in tam immenſa luce; niſi prius cæteris ſcientijs fuerit imbutus atque prauis purgatus affectibus. Nam impuro purum tangere non licet, ut inquit Plato. Qua enim machinatione animus, addictus ſtudio pecuniæ, aut ventoſæ gloriæ, ant obſcœnis voluptatibus ſeruiens, capax erit altisſimarum cauſarum; quæ non tantùm à materia mortalibusque rebus longisſimè diſtant; verùm etiam

quamuis

quamuis purgati animi aciem effugiunt? Is ergo non incaſſum tam ma- E
gnæ prouinciæ ſe accinget, qui ſpretis affectibus atque animi perturbationi-
bus ſuperatis maximè omnium honeſtatem affectat, eiusque præcipuo amo
re detinetur. nec non etiam phyſicæ ſcientiæ peritus ſit, quæ proculdubio
hominum generi, quorum cognitio à ſenſu pendet, ſemitam oſtendit, qua
ad intelligibilia entia mutationisque cuiuſcunque expertia peruenitur. Ma-
thematicæ etiam diſciplinæ mirum in modum faciunt ad hanc, de qua agi-
mus, primam philoſophiam. Nam cùm in eis imago quædam ſit rerum pe-
nitus immobilium, his mens aſſuefacta, vt inquit Plato, facilius ad prima
principia Entium adſcendere poterit. Opus autem eſt, ut is auditor, quem
effingimus, auctoribus non quibuſcunque, ſed quàm lectiſſimis vſus ſit: qui- F
bus nixus paulatim dialecticas rationes à demonſtratiuis deſcernere ſciat;
atque acie mentis, veritatem rerum etiam inter dialecticas rationes perſpi-
ciat; ac tandem id conſecutus ſit, vt ea, quibus prius aſſentiebatur ex aucto-
ritate egregij cuiuſpiam philoſophi, iam per ſe intueri incipiat; ac acie men-
tis roborata, non amplius multum nitatur aliorum ſententiæ, ſed conetur
ſuis, non alienis oculis veritatem rerum perſpicere. Cæterum modeſtè ma-
tureque hoc, quod diximus, præſtandum eſt. Nam ſi inualidis adhuc viribus
id quiſpiam attẽtauerit, proculdubio longè deuius à veritate feretur; ac igno
rantia pro ſcientia imbutus ſibi tantum ſapiens erit. Caueat etiam oportet ab
impedimentis; quæ menti hominum obſiſtere ſolent, ne ad veritatem per-
ueniat, quæ ſuapte natura perſpicua eſt. primum quidem cùm intellectus no- G
ſter in quacumque actione intelligendi indigeat phantaſia, ac in phantaſma-
tibus ſenſibilium rerum, cuiuſque etiam altiſſimæ cauſæ, veritatem contem
pletur; ſæpenumero id euenire conſueuit, vt ea, quæ ſenſibilium ac phantaſ-
matum ſunt, mixta putemus intelligibilibus entibus; eorumque naturam
more ſenſibilium perſcrutemur. inde fit, vt plurimi intelligere non queant
aliqua entia eſſe, quæ nuſquam ſunt; neque in aliquo temporis interuallo
aut momento. Nam cùm phantaſmatibus immixtum ſit tempus, ac locus
ſemper adiunctus, at in illis veluti in ſpeculis intueamur intelligibilia abſtra-
ctaque entia, ægrè diſiungere valemus quod phantaſmatum eſt, à rebus, quas
in eis ſpeculamur: ac ſiquis in ſpeculo viridi ſeu rubeo homines, ædium ædi-
ficia, animantes brutas, cæteraque id genus intueretur, facilè decipi poſſet, H
ac colorem ſpeculi attribueret hiſce rebus, quas in ſpeculo intueretur. Ad-
nitatur ergo philoſophus puræ veritatis contemplator ea, quæ phantaſma-
tum ac ſenſibilium ſunt, ſecernere à natura rerum, quam in eis contempla-
tur. Non minus impedimentum mens ſibi præſtare ſolet in veritate perſpi-
cienda, quàm phantaſia. Nam cùm receptum in recipiente ſit ſecundum mo
dum recipientis: intellectus uerò mediam quandam naturam ſortitus ſit in-
ter intelligibilia ſenſibiliaque entia; is etenim ſuperior eſt. intelligibilibus
uerò longè inferior: iccirco ſæpenumero in vtroque intellectionis genere fal
litur. Nam ſenſibilia putat eſſe ſupra id quod re vera ſunt; intelligibilia uerò
minora facit, ac longè inferiora cenſet, quàm eorum naturæ conueniat. Hinc
de

A de Ideis ſententia ortum duxit. Nam cùm intellectus apprehendat formam rei, quæ à materia contracta eſt, ac propterea ſenſibilis abſque affectibus materiæ, quam facultatem habet tum ex vi interni luminis, intelligibilis inquam, tùm ex natura ſui, eſt nanque ſeparatus à materia: nonnulli exiſtimauêre talem quoque formam eſſe, qualem eam intellectus intelligit: Necnon etiam aſſeruerunt re uera abſtractas eſſe à materia ſenſibili; quia eo modo intellectus eas concipit. Videndum ergo atque diligenter in hiſce ſenſibilibus rebus eſt perſpiciendum rem, quæ intelligitur, extra mentem exiſtere, modum tamen intellectionis pendêre à natura intellectus; in quo res intellecta recipitur, qui ſupra materiam eſt, ſuaque vi ea, quæ re coniuncta ſunt,

B diſcernit, ac ſeparat. nec tamen propterea diſiuncta ſunt re, quia intellectus paratim, ac ut diſiuncta percipit. nec etiam ob eam rem mendacium aut falſitas vlla in ea eſt cognitione, quæ ſimplicium rerum apprehenſio eſt, qua neque ita eſſe, neque non eſſe mens debet, ſed rem tantùm per ſe concipit: non diſſimili ratione, immò multo ad fallaciam procliuiori erramus, cùm ſpeculamur abſtracta entia, quæ ſupra nos ſunt, ac maximè ſi aciem animi conuerterimus ad primam omnium cauſam contemplandam, ut infrà docebimus. Nam cùm intellectus humanus ſit illis longè inferior, ſemper minus de eis concipit, ac imperfectius quàm ſit: deinde cùm à ſenſibilibus cognitionem accipiat, in quibus etiam ſem per verſatur, idem cenſet de intelligibilibus iudicandum, quod in ſenſibilibus expertus eſt. hinc fit, ut concretum

C & abſtractum; indiuiduum, & natura in abſtractis differre uideantur: cùm tamen minimè differant. nec poteſt intelligentiam eorum atque appetitum diſcernere ab ea cognitione & deſiderio, quod ſentit in ſe ipſo eſſe. quamobrem ſummopere cauendum eſt ei, qui legitimè philoſophari uoluerit, ut vllo huiuſce generis offendiculo ſeu obiice diſtineatur, ac propterea longè à veritate perſpicienda diſtrahatur. Is igitur, qui decipulas haſce nouerit, ac purgati animi fuerit, meritò ad diuinam hanc philoſophiam admitti poterit; atque idoneus eius auditor haberi. Nos Deo duce compendium tantæ rei faciendum nobis duximus; ut inter tot negotia Reipublicæ, quibus iam quadriennium occupatiſſimi fuimus, dum legatione hac fungimur apud Carolum quintum Cæſarem, Hiſpaniarumque Regem, aliquando in paren-

D tis noſtræ philoſophiæ delicijs, dum liceat, reſpiremus.

LIBER SECVNDVS.

SCIENTIAM hanc vniuerſalem atque omnia complecten-
tem, quam etiam ſapientiæ nomine honeſtamus, de en-
te agere ac inquirere prima principia, ac primas entium F
cauſas, ſatis pro huius operis compendio à nobis ſuperius
expoſitum eſt. Primum ergo officium eius erit perſcrutari
quonam pacto ens ſe habeat ad ea, quæ habent eſſe. Nam ea
contemplatio, quæ præferri cæteris ſolet, huic negotio minimè conuenit: ut
ſcilicet diffinitio ac ratio Entis primo loco exponatur: Hoc etenim ten-
tandum minimè nobis eſt, cùm ens primum omnium percipiatur ab in-
tellectu; neque aliud quidquam notius inueniri queat, quo ens innote-
ſcat; iccirco ea tractatione omiſſa, primum omnium inueſtigabimus,
quonam modo ens ſe habeat ad entia omnia. Quidam, ut licet intue-
ri apud Platonem in Parmenide, ac itidem in Sophiſte; cùm ſibi per-
ſuaſiſſent eo modo res eſſe atque exiſtere, quo ab intellectu concipiun- G
tur; putauerunt vniuerſalia, præſertim ſpecies ipſas rerum, ſub quibus
multa, quin potius innumera indiuidua continentur, per ſe exiſtere
in rerum vniuerſitate; earumque participatione indiuidua in eis con-
tineri, atque harum appellationem nanciſci. quo effectum eſt, ut cùm
Ens de omnibus prædicetur, pari modo etiam de ente enunciaue-
rint: Ens ſcilicet vnum eſſe; quod de omnibus entibus dicitur; à cu-
ius participatione entia ſunt, & appellationem entis habent. inde pa-
làm aſſeruerunt; quamuis entia ſenſui plura ac infinita ferè uideantur;
vnum tamen tantùm modo Ens eſſe ab intellectu probè intelligi. Ad-
debat præterea rationem Parmenides eiuſmodi: quidquid præter id,
quod verè ens eſſet, poneretur eſſe, proculdubio non eſſe; atque non H
ens nihil eſſe: ex quibus aſſumptionibus effici putabat, ens tantùm
vnum eſſe. Nam ſi plura entia eſſent, iam aliquid haberet eſſe, quod di-
uerſum eſſet, atque alienum ab ente. quapropter efficaciſſimè compro-
batum eſſe dicebat Parmenides huiuſcemodi argumento, entia non eſſe
multa; ſed vnum tantùm ens eſſe. Meliſſus eiuſdem ſententiæ fuit. ve-
rùm quoniam phyſico potius argumento nitebatur, quàm rationibus pri-
mæ philoſophiæ proprijs; iccirco prætereundam duximus hac in parte
eius viri ſententiam. Cæterum, ut ad Parmenidem redeamus, præter quàm
quòd ſenſu perſpicuum cuilibet eſſe poteſt multa entia eſſe, non vnum tan-
tùm; nihilominus agendum quoque ratione eſt. Exploratum eſt omnibus

vnum-

A vnumquodque in quantum eſt, operari: id enim quod ab eſſe deficit, pari-
ter deficit ab operatione; & quatenus deficit ab eſſe, deficit etiam ab actio-
ne. ſi ergo omnium rerum eſſet idem eſſe, quin magis ſi omnia eſſent vnum
ens; omnium ergo eadem eſſet operatio. quod manifeſtè falſum eſſe per-
ſpicitur. Adhæc, quis tam amens vnquam fuerit, ut putaret contraria eſſe
inuicem unum; calidum inquam frigido, aut humidum ſicco, album've ni-
gro? Præterea ubi multitudo non eſt, neque ordo vllus, aut ornatus eſſe
poteſt: nec fingi vnquam poterit, ni multa ſint, alia eſſe quæ pareant, alia
quæ imperent, alia quæ agant & perficiant, alia quæ patiantur & perfician-
tur. Amplius, generatum eſſet idem corrupto: & cùm corruptum rece-
B dat ab eſſe, generatum uerò accedat, & eſſe acquirat; idem ergo ab vno eſſe
recedet & accedet, perdet & acquiret. quibus certè nihil magis abſonum
excogitari poteſt. Rationes uerò Parmenidis ſoluere non admodum diffi-
cile eſt. nam neque uniuerſalia, aut ideæ per ſe ſubſiſtunt à ſingularibus ab-
ſtracta, quamuis eo modo à mente concipiantur. Hæc nanque decipula ex
eo eſt fonte erroris, quem plerumque intellectus nobis adfert; ut in priori
libro iam expoſuimus. Rationem etiam alteram diluere paruum negotium
eſt. Nam & aliquod eſſe poteſt, quod tamen eſt præter aliquod; quod ue-
rè eſt propter diuerſas rationes entis. Ac etiam ſi ens uno modo diceretur
de entibus; illud quod eſſet præter aliquod ſingulare ens, poſſet ipſum quo-
que ſub ente contineri, ac de eo uerè dici quòd ſit ens, ſicut in homine & cæ-
C teris indiuiduis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, intueri licet. Habitus eſt Par-
menides quibuſque ferè temporibus in magna exiſtimatione, ut ex Plato-
nis monumentis colligitur. iccirco nonnulli, quamuis Ens, quod de omni-
bus prædicatur, eorum ſententia non ſit unum ſubſiſtens in omnibus; arbi-
trati tamen ſunt præter naturã, atque eſſentiam cuiuſque rei, vnamquanque
rem exiſtere per ipſum eſſe; quod ſecundum rem diſtinguitur, & à materia &
à forma cuiuſque compoſiti, ad quod totum cõpoſitum eſt in potẽtia, quem-
admodum materia ad formam: idque dixerunt eſſe actum totius, per quem
totum exiſtat. Et hoc pacto dixêre vnumquodque eſſe per participationem
ipſius eſſe; quod per ſe exiſtit ſolùm in primo rerum principio, ut infrà do-
cebimus. in cæteris uerò, quæ ſunt entia per participationem, aſſerunt ipſum
D eſſe formam quandam, ſeu actum quendam totius, per quem totum exi-
ſtat. nec abſque ratione in huiuſmodi ſententiam uidentur deueniſſe: nam
de quacumque re poſſumus intelligere quidnam ſit, & eius eſſentiam ſeu na-
turam comprehendere: Cùm tamen incompertum ſit nobis, ſit'ne res il-
la necne, hoc tamen impoſſibile videri poteſt, ſi per formam à qua res quæ-
uis naturam atque eſſentiam ſortitur, etiam exiſtat. Amplius, cùm vnum-
quodque perfectè naturam atque eſſentiam ſuam obtineat, ſi natura aut eſ-
ſentia eſſet ipſum eſſe rei, unaquæque res perfectè obtineret ipſum eſſe; &
ſic non exiſteret per participationem ipſius eſſe; ſed haberet plenitudinem
eſſendi. hoc uerò penitus impoſſibile eſt alicui attribui, præterquam pri-
mo Enti; ut infrà dicemus. Ex hiſce colligi putant, quòd aſſerere oporteat,

in unaquaque re eſſe ipſum ſecundum rem ab eſſentia diſtingui. Hæc poſitio E
quamuis doctisſimorum virorum fuerit, quibus me multum in bonis arti-
bus ac diſciplinis debere fateor; nihilominus omni ex parte animum, men-
temque meam non implet: Nam quæſtiones omnes, quæ de forma afferun-
tur, ne ipſa ſcilicet ſit eſſe rei, cuius eſt forma ſeu natura, mihi probè addu-
ci poſſe uidentur de ipſo eſſe participato. Nam quæro, an ipſum hoc eſſe ex
ſui natura ſit, an ipſum quoque actu alio indigeat, per quem ſit. ſi ex natura
ſua eſt; vtique non poteſt non eſſe; nec perit per corruptionem rei cuius eſt
actus. Præterea ſi ex natura ſua eſt, continet omnem plenitudinem eſſen-
di. eſt ergo primum eſſe, & primum principium eſſendi: ſicque paulatim de-
cidemus in ſententiam Parmenidis, à qua tamen auctores huius poſitionis F
ſunt maximè alieni. Amplius, quiuis poteſt ſicuti naturam & eſſentiam rei
cuiuſpiam, ita etiam hoc ipſum eſſe participatum comprehendere: propter
quod, ut hi dicunt, res ea exiſtit; nec tamen propterea compertum habebit,
an res ea ſit, an non ſit. Sin uerò fateantur ipſum hoc eſſe participatum indi-
gere alio actu, per quem ſit; redibit rurſus quæſtio ad actum illum: ac ſic ra-
tio in infinitum procedet. Ea uerò, quæ dici poſſent de hoc eſſe participato;
quòd ſcilicet in re illa participatum ſit, ſed ſi in natura ſua conſideretur, in
qua per ſe exiſtit; ea omnia, quæ adduximus, iure ei adſcribi poſſe, quæ ta-
men non conueniunt eſſe, prout eſt participatum, atque à natura ſua defi-
ciens. nos probè dicemus de forma. Nec minus me mouet, ut ab hac ſenten-
tia diſſentiam, natura formæ: nam ſi cuiuſque rei eſſe participatum eſt actus G
ille totius ſecundum rem à forma diſtinctus; quidnam dicemus de forma
per ſe ſumpta? erit'ne quædam participatio primi eſſe, primi actus, ac ſummi
boni? an omnia hæc amouebuntur à forma? amoueri certè non poſſunt, ut
cuique ſanæ mentis compertisſimum eſt: cur ergo ad aliud eſſe participa-
tum recurrimus præter formam? Præterea iſta eſſe, ut ſic dicam, in rebus di-
uerſæ ſpeciei, erunt'ne eiuſdem naturæ uel differentis? ſi differentis, rei er-
go natura non complebitur per formam, ſed hoc inſuper actu indigemus.
ſin eiuſdem; Ens dicetur de omnibus, quæ ſunt ſecundum unam rationem.
Amplius, cùm unumquodque operetur, inquantum eſt; & eſſe in omnibus ſit
eiuſdem naturæ: omnium ergo erit eadem operatio. quo argumento iam vſi
ſumus contra Parmenidem. Quo autem modo ſoluantur rationes; quibus hi H
alioqui excellentisſimi philoſophi nituntur, tunc dicemus, quando expone-
mus quonam pacto cenſeamus ſe habere ad entia. Poſt hos, recentiores non-
nulli, licet non exiſtiment ens tantùm unum eſſe, ut Parmenides; neque eſſe
cuiuſque rei ſecundum rem diſtingui ab eius rei natura, ut illi, de quibus ſu-
prà meminimus; credunt tamẽ Ens de omnibus Entibus vniuocè dici: adeò
ut non ſolùm de ſubſtantia & accidente, verumetiam de prima rerum omniũ
cauſa, ac de cæteris entibus exiſtiment Ens dici vniuocè: multaque in me-
dium afferunt, quibus hanc poſitionem ſuam conantur adſtruere. nobis ue-
rò, qui compendium facimus, ac potisſimùm breuitati ſtudemus; pauca tan-
tùm, quæ potiora ſunt, tetigiſſe ſatis fuerit. Inquiunt ergo primam philoſo-
phiam

A phiam hanc, de qua agimus, vnam quandam ſcientiam eſſe omnes fateri: vnã uerò ſcientiam unius eſſe generis; ut perhibet Ariſtoteles in poſterioribus Analyticis. vnitas namque ſcientiæ ſumitur à ſubiecto genere, de quo agit. Cùm ergo prima philoſophia circa ens verſetur, quod commune eſt omnibus entibus, neceſſe eſt Ens ſecundum unam rationem atque vniuocè dici de entibus. Amplius comparationes in æquiuocis prædicatis fieri nequeunt: cùm ergo dicimus ſubſtantiam eſſe magis ens, quàm accidens, ac Deum, quàm cætera quæque: manifeſtum ergo erit compertumque omnibus, Ens vniuocè dici de entibus. ſed meo iudicio præterquam quòd hæc poſitio aliena eſt ab Ariſtotelis ſententia, ut pluribus locis eius auctoris liquidò colligi B poteſt, veritati minimè conuenire uidetur. Nam id, quod vniuocè dicitur, ſecundum eandem rationem dici non poteſt de Entibus: alia eſt enim ratio, ſecundum quam ſubſtãtia eſt Ens, & alia ratione accidẽs ens eſt. Nam unumquodque eſt per propriam naturam ſeu formam: quò fit, ut cùm rerum naturæ diuerſæ ſint, diuerſa ſit quoque ratio, per quam ſunt entia. neque ſimile eſt iudicium de ente, & de quouis alio genere; quia genus ſumitur ab eo, quod eſt in potentia, in naturis, quæ genere conueniunt, & ſpecie differunt: neque genus eſt actu, niſi per differentias. Animal namque non eſt actu, niſi aut rationale, aut irrationale: aut vnumquodque dicitur Ens per id, quo eſt actu, & diuerſa ratione ab ea, qua genus contrahitur per differentias, eſt entis contractio: illa enim per actum, hæc per potentiam fit, & per imperfectionem, C qua res ab eſſe deficiunt. Ex quo clarè conſtat diuerſam eſſe rationem generis, quod vniuocè de rebus differentibus ſpecie prædicatur; & entis. vnde ſicuti ſi quodpiam prædicatum de homine diceretur ſecundum quod rationalis eſt, & de equo ſecundum quod eſt irrationalis, ſeu hinnitui habilis; impoſſibile eſſet illud prædicatum vniuocè prædicari de vtroque. Ita etiam cùm vnumquodque dicatur Ens per propriam naturam atque formam; ac differentium ſpecie diuerſæ quoque naturæ ſint & formæ, fieri nequit, ut ens vniuocè dicatur de entibus; non tamen omnino æquiuocè dicitur: Nam neque ſcientia vlla de ente eſſet, neque in ente comparatio fieret aliqua. Ex hiſce colligitur Ens de entibus haud aliter, quàm analogicè prædicari poſſe. huiuſcemodi autem prædicata, ſicuti dicit Ariſt. in quarto Metaphyſices libro, D quamuis non dicantur ſecundum idem, ut vniuoca; dicũtur tamen ad idem, id eſt, licet prædicentur non ſecundum eandem rationem, ſed diuerſam, ad eandem tamen rationem omnia dicuntur, ſicuti ſanum, quod dicitur de animali, de pharmaco, & de lotio, ſecundum diuerſam rationem; quæ tamen omnes rationes referuntur ad ſanum: quod de animali dicitur; cuius ſanitatis pharmacum factiuum eſt; at lotium eandem ſanitatem colore ac tenuitate temperata ſignificat. Non diſsimili ratione Ens de entibus dicitur ſecundum diuerſas rationes; quæ tamen ita diuerſæ ſunt, ut ad unum, idemque habeant habitudinem, quod uerè atque abſolutè Ens eſt: cætera uerò dicuntur entia, quatenus unumquodque ſuapte natura atque forma illius uerè entis particeps fuerit. Ex quo liquet facile ſolui poſſe argumenta,

menta, quibus poſteriores quidam decepti à maioribus deſciuere; poſuerùntque Ens vniuocè dici de entibus. Neque uidentur re uera diſtinxiſſe inter modum, quo ens dicitur de entibus, & eum quo genus dicitur de ſpeciebus, quæ ſub eo continentur. Nam manifeſtum eſt illius, quod non vniuocè prædicatur, ſed analogicè, unam poſſe ſcientiam eſſe: etenim quamuis id non dicatur ſecũdum unam rationem, ſed diuerſis rationibus; nihilominus quoniam diuerſæ eæ rationes ad idem dicuntur, quodam modo eadem ſunt. Quamobrem & genus ſcientiæ illi ſubiectum unum erit, & unam habere rationem poterit, à qua ſcientia unitatem capiet. quemadmodum de ſano una eſt ſcientia, medicina inquam: quamuis ſanum non dicatur ſecundum unam rationem, ut liquido patet. pari ratione in huiuſmodi analogo poſſunt commodiſsimè fieri comparationes; immò longè commodius quàm in vniuoco illo, quòd non fuerit ſpecialiſsima, ut ita dicam, ſeu ultima ſpecies: illud enim, in quo analogiam habentia comparantur, eſt uerè unum, & unam uerè rationem habet per acceſſum & receſſum, à qua analogata conferuntur inter ſe: idem enim eſt dicere, ſubſtantia eſt magis ens, ac ſi quis diceret, ſubſtantia natura ſua magis accedit ad id, quod uerè eſt; quàm accidens. In vniuoco verò, quod eſt genus, uel ſuperius genere; quemadmodum eſt Ens apud eos; qui ponunt Ens eſſe vniuocum, non poſſunt commodè comparationes vllæ fieri, quemadmodum docet Ariſtoteles in ſeptimo libro Phyſicæ auſcultationis. Dimiſsis igitur aliorum ſententijs, fatendum nobis erit, Ens analogicè ſeu ſecundum proportionem quandam ſe habere ad Entia; ac de eis dici rationibus diuerſis; quæ tamen omnes ad primum ens, quod uerè eſt, & in quo eſt plenitudo eſſendi, habitudinem habeant. Huiuſmodi uerò primum ens, quamuis inferius de ipſo nonnulla dicere ac effari tentabimus; attamen, ut inquit Plato & cæteri omnes, qui elati viribus mentis, alijsque animi diuinorum periti habiti ſunt, à nobis minimè intelligi, nedum dici poteſt, quid, quale, quantum've in ſe ſit: verùm eo modo neque nomen neque conceptus vllus illius eſt, ſed ſacro ſilentio tantummodo venerandum eſt, atque excolendum: Eius nanque ſedes ob ſplendorem nimium nobis inacceſſa eſt. Ideo non amplius de eo nunc agatur: at poſterius pauca quædam. Cæterum cùm eadem ſit contrariorum ſcientia, neque ſatis commodè contrarium quodpiam intelligi poſſit altero compariique contrario ignorato, poſtquam hactenus de Ente tractatum eſt, ſubdemus pauca quædam de non Ente. Non Ens ad ea, de quibus dicitur, non diſsimili ratione ſe habet, qua Ens ad entia. Prætereamus nunc id eius ſignificatum; quod tùm falſa enunciatione, tum falſa mentis conceptione prolatum non ens dici ſolet; ut diametrum commenſurabilem eſſe lateri quadrati. ſicuti etiam Ens illud conſueuit appellari, quod uera enunciatione mentiſque cogitatione profertur. Nam cùm de uero & falſo agetur, tunc etiam de ea re commodius locus tractationis erit. Dicimus igitur vnumquodque Ens præter primum, iure poſſe appellari non Ens, quatenus ſcilicet deficit ab eſſendi perfectione: qua de cauſa exiſtimo

A ſtimo dictum eſſe à doctiſsimis viris, omne ens, præter primum, eſſe compoſitum, (quamuis plurimi aliter interpretentur, ij inquam, qui poſuerunt eſſe ſecundum rem diſtingui ab eſſentia cuiuſque rei) vt videlicet perfectio, qua accedit ad ipſum verè Ens, ſit veluti vna eius pars: at imperfectio, qua recedit à verè ente, ſit quodam modo altera pars. Hoc verò cùm contingat cuilibet Enti, præter primum, icc irco non abſque ratione dictum exiſtimari poteſt, vnumquodque Entium, præter primum, eſſe compoſitum. Hoc igitur modo non ens conuenit cuilibet rei præter primam omnium cauſam: necnon etiam alio modo quodlibet Entium, præter primum, iure non Ens dici poteſt; quia ſcilicet eſſe, perfectionemque, quam obtinet, à ſe non habet, ſed
B per emanationem & influxum primi entis, à quo etiam omnia in ſua natura ac perfectione conſeruantur. vnde ſibiipſis ſi relinquerentur, in nihilum tenderent. quamobrem omnia non entia dici queunt in ſui natura ſumpta. Amplius, non ens magis propriè conuenit illis, quæ ea perfectione priuata ſunt, quæ eis priuata ſit, & ad quam natura tendunt, præſertim ſi eo tempore ac loco, quibus ea perfectio rebus illis debebatur, deſtituta ſint. Præterea, adhuc magis magiſque propriè non Ens dicetur, quod eſt tantùm in potentia, & caret eſſe, ſeu actu, per quem exiſtat. Alia quoque eſt ſignificatio non entis. Ens etenim per accidens non ens dicitur: Nam cùm vnum ſequatur naturam entis; id quod non eſt vnum niſi ſecundum quid, neque etiam Ens verè dici poteſt, ſed eſt non Ens indeterminatum ac infinitum; quò fit, vt nulla ſcientia
C tractet de Ente per accidens, neque ad vllam naturalem cauſam effectus per accidens referri poteſt. Quapropter totum hoc de Ente per accidens negotium derelictum eſt ſophiſtæ; qui ſæpenumero ſe atque alios decipit paralogiſmo accidentis, qui ideo dictus eſt verſari circa non Ens, quia plerumque ea aſſumit ac colligit in ſuis argumentationibus, quæ per accidens ſunt. Poſtremò, non ens dicimus illud, quod neque actu neque potentia, nulloque tandem pacto eſt; pura, inquam, entis priuatio; quæ certè, ut inquit Plato in Sophiſte, neque verbis explicari, neque cogitatione attingi poteſt. id enim, quod eloquimur, aut cogitamus, ſaltem rationis Ens eſt, & habet eſſe in mente ipſa, à qua intelligitur. is enim modus eſt intellectus noſtri, vt ea, quæ infrà ſe ſint, altiori modo intelligat, quàm ſuapte natura exiſtant. Ac etiam cùm
D mentis obiectum ſit ens, nequaquam cogitatione attingere poterit id, quod omni ex parte entis eſt expers; niſi efficiat quodam modo etiã eam priuationem entis ens quodpiam. Pura uerò entis priuatio prout in ſe eſt, attingi animo nequit, neque voce exponi, reſidetque in tenebris, ad quas non eſt menti aditus. Ideo primum hoc ac purum non ens neſcio qua ratione æmulatur primum ens; ut ſcilicet vtrunq; inexcogitabile ſit: illud, propter lucem ſplendoremque nimium: hoc propter tenebras longè denſiſsimas, atq; aciei mentis imperuias. Cæterùm de vtroque plura inferius; in præſentia hæc de non ente dicta ſint ſatis. Conſequens huic tractatui de ente eſt, ut agamus de uno, quod ita uidetur annexum enti, ut longè difficillimum ſit eorum inter ſe differentiam intueri. Vnius autem naturam Platonici adeò extulere, ut non ſolùm

æqualem enti poſuerint, uerumetiam ente ſuperiorem. Nam & materiam B
primam,& primum omnium principium unum eſſe confeſſi ſunt; neutrum
tamen eorum conceſſere eſſe ens. Nos hac quæſtione interim omiſſa, rei ue-
ritatem,quantum aſſequi potuimus,exponemus. Vnum ergo licet multipli-
citer dicatur quemadmodum ens: nam & unum genere quædã eſſe dicimus;
nonnulla vnum eſſe ſpecie;quædam unum numero;aliqua proportione vnũ,
ac multi præterea modi eorum ſunt,quæ dicuntur una numero; nec non étiã
eorum, quæ alia ratione ſunt una.Multa etiam ſunt unum, cauſa uel loco uel
tempore. quamuis ergo tot modi unius ſint; ſiquis tamen rectè animaduer-
tat, ſicut inquit Ariſtoteles, horum quique unum uidentur eſſe, & dici ea ra-
tione, quà indiuiſionem præſeferunt ac ſignificant. & iccirco ſatis explora- F
tum eſſe uidetur, quòd unum nihil aliud ſignificet, quàm ens indiuiſum. ac
ita uidetur unum, licet ſecundum rem nihil addat ad ens ipſum; addere ta-
men ſecundum rationem intellectiuam, ſeu conceptum indiuiſionis. Nec
perturbare nos debet, cùm unum prius ſit,& multitudine omni & diuiſione;
ac indiuiſio priuationem diuiſionis ſignificet, priuatio uerò ſit poſterior ha-
bitu, & pugnare ſibi inuicem exiſtimentur hæc, quæ de uno diximus. Nam
eo modo ſignificamus ea, quæ concipimus, non quo ſunt, ſed quo à nobis
intelliguntur. Et quoniam ſenſibilia, in quibus eſt multitudo ac diuiſio,
prius intelligimus, quàm abſtracta à ſenſibus; in quibus clarior eſt unitas
ac indiuiſio: iccirco etiam hæc, quæ nobis familiaria ſunt, magis nomine
habitus ſignificamus;ac ita concipimus. Remota uerò à nobis enunciamus G
priuationis nomine, ac ſub priuationis ratione concipimus. Re autem
unum ut habitus quidam cenſeri debet, diuiſio uerò ac multitudo ut priua-
tio: nam, ut in principio huius opuſculi diximus, natura intellectus, in quo
intellecta recipiuntur, plerumque nobis occaſionem erroris affert. Vt er-
go reuertatur oratio unde digreſſa eſt; dicimus unum eandem cum ente na-
turam ſignificare, uerùm addere ſecundum rationem conceptum indiuiſio-
nis: neque ſecundum rem aliud eſt eſſe & aliud eſſe indiuiſum: ſed id, quod
re eſt, idem non aſſequimur totum, neque perfectè unico conceptu mentis,
uerùm pluribus nitamur conceptibus opus eſt; ſi eo,quo ualemus modo, id
aſſequi velimus, quod ſecundum rem ſimplicisſimum atque idem eſt. ita-
que interdum concipimus ipſum ut unum; modò ut ens; nonnunquam ut H
perfectum ſeu bonum; modò ut uerum. Si quis tamen contulerit conce-
ptionis hoſce modos inuicem; proculdubio intueri poterit conceptum en-
tis ſimpliciorem eſſe conceptu unius: quia unum proculdubio addit ſupra
naturam entis,indiuiſionis rationem. Platonici uerò,cùm non diſſentirent à
Parmenide hac in parte, poſuerunt ipſi quoque ens dici ſecundum unam ra-
tionem de entibus. quamobrem ea,quæ illius rationis expertia ſunt,aſſerue-
runt eſſe non entia; quibus tamen competat eſſe unum. uerùm entis ratio
cenſebatur ab eis eiuſmodi eſſe; ut ens id diceretur, quod haberet eſſe. Et
quia prima materia ſecundum ſe conſiderata, cùm careat forma, caret etiam
eſſe: iccirco materiam abſolutè faſſi ſunt eſſe non ens, neque diſtinxerunt

inter

A inter materiam & priuationem, ut colligitur ex primo libro Phyſicorum
Ariſtotelis. non tamen propterea dixerunt materiam eſſe nihil; immo & eſſe
aliquid, & eſſe unum confitebantur. nam nihil ſuſceptiuum actus eſſe non
poterat; quod tamen de materia diffiteri nequibant. Pari ratione cùm pri-
mum principium ſimplicisſimum ſit; id uerò quod habet eſſe, uideatur eſſe
compoſitum ex eſſe ſcilicet quod habetur, & ex eo, in quo eſt ipſum eſſe; ideo
etiam negauerunt primum principium eſſe ens; ſed quia ſimplicisſimum exi-
ſtit, arbitrati ſunt unius rationem & nomen ei maximè conuenire. Amplius,
quoniam primum principium eſt cauſa æquiuoca rerum omnium, ſicuti ſol
plantarum & animalium; efficit autem eſſe rerum aliarum; ideo dicebant
B non conuenire primæ cauſæ ipſum eſſe; cuius ea eſſet cauſa æquiuoca; ſed
primo principio conuenire unum; ſicque poſuerunt & communius ente, &
ente ſuperius. Nobis uerò non difficile eſt reijcere in auctores ipſos hæc om-
nia eorum argumenta. Primò nanque, qui fieri poteſt, cùm unum indiuiſio-
nem dicat, ut quodpiam indiuiſum ſit, niſi ſit etiam? deinde materia prima
ſicuti eſt ſuſceptiua actus, quem ſequitur eſſe; ita etiam ſuſceptiua eſt actus,
quem ſequitur ſua indiuiſio. ſicuti ergo ſecluſo actu non habet eſſe; ita non
habet indiuiſionem: non ergo poterit dici unum, ſicuti eorum ſententia non
poteſt dici ens. Quòd ſi dixerint propter indiuiſionem, quæ ſequitur actum,
habere ipſam ſuam propriam indiuiſionem, qua dici unum poterit, ita etiam
nos dicimus, propter eſſe, quòd ſequitur actum, habere materiam ſuum eſſe
C proprium; quia ſcilicet potentia eſt. quod eſſe quamuis ſit diminutum à ue-
ro eſſe actus; eſt tamen aliquod eſſe, ſicuti unum, quòd eſt ſecundum ens in
materia per ſe ſumpta, quamuis ſit diminutum ab unitate formæ; eſt ta-
men aliquod unum. ac tandem compellentur fateri ens non dici ſecundum
unam rationem. De primo uerò rerum omnium principio dicimus, quod,
quemadmodum eſt unum, non tanquam habens unitatem, (ſic enim ſua
ipſorum ratione in eo eſſet compoſitio) ſed ſicuti ſimplicisſima vnitas lon-
gè ſuperexcellens unitates, quas nos intelligimus: ita etiam non eſt ens quaſi
habens eſſe, ſic ut eſſe in ipſo ſit contractum ad aliquam naturam; quemad-
modum in cæteris rebus, quoniam eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, eminen-
ter ens dictum, modoque excepto ab omnibus alijs, quæ ſunt atque dicuntur
D entia. Verum longè melius atque enucleatius omnia hæc diſcutientur pro-
ceſſu operis. Nunc redeamus eò vnde diuertimus. Aſſerimus igitur unum
eandem non aliam naturam dicere quâm ens; addere uerò ſecundum ratio-
nem intellectũ indiuiſionis: ut unum ſcilicet nobis explicet ens indiuiſum;
ac quatenus indiuiſum eſt quodpiam, eatenus etiam dicitur eſſe unum, ſed
præter hoc unum, quod cum ente conuertitur, eſt unum principium nume-
ri, ex quo multiplicato fit numerus, ipſumque eſt numeri pars. hoc poſte-
rius unum addit ſupra prius unum, ac ſupra ens, rationem menſuræ, in qua
includitur ratio quantitatis. Eſt ergo hoc unum quantum, quoddam indi-
uiſum, ac ad numerum ſe habet ſicuti menſura, quæ aliquoties repetita to-
tum metitur; atque hac ratione fit pars numeri. Alio præterea modo ſe ha-

het ad multitudinem oppoſitam ſibi unum, de quo prius egimus. atque hoc E
vnum, quod eſt principium numeri ad ſibi comparem multitudinem: il-
lud ut priuatio uel ut contrarium, vicisſimque multitudo ea ut contraria, uel
ut priuatiuè oppoſita uni illi. Ad hoc unum poſterius, principium inquam
numeri, ſecundum propriam rationem, qua pertinet ad quantitatem, oppo-
nitur ſuæ multitudini, numero inquam ſecundum oppoſitionem relatiuam;
quæ eſt tertij modi; qua menſura & menſuratum vicisſim relatiuè oppo-
nuntur; quemadmodum latius de hoc relatiuorum modo Ariſtoteles diſ-
ſerit in quinto Primæ philoſophiæ, atque in decimo eiuſdem operis de
hoc uno & numero tractans. Non tamen propterea diffitendum eſt prius
unum, quod cum ente conuertitur, in primo eorum, cui cõuenit tum unum, F
tum ens, ſcilicet in prima entium cauſa, non habere rationem menſuræ re-
ſpectu cæterorum omnium, quæ ſicuti deficiunt ab entitate ac admixta ſunt
potentiæ, & non enti; ita etiam deficiunt à uera unitate & ad multitudinem
accedunt. alio tamen modo hoc unum primum cæterorum menſura eſt, &
unum pars numeri eſt menſura numeri. nam unum poſterius, eſt menſura
numeri tanquam unius exiſtens generis cum numero, atque ut aliquoties
repetitum metiatur quemcunque numerum, ſitque, ut diximus, pars nume-
ri. At primum illud unum, quod primum etiam Ens eſt, menſura cætero-
rum eſt entium, tanquam exceptum ab entibus alijs, & à cæteris, quæ ſunt
una: ad quod quanto magis quippiam acceſſerit, tanto magis erit unum &
ens eadem propè ratione, qua ſolemus dicere ſcopum, ad quem ſagittarij ar- G
cus dirigunt, eſſe menſuram ictuum ſagittarum. non enim ſcopus menſura
eſt, ut ſcilicet repetitus aliquoties iactus ſagittarum metiatur; ſed quoniam
quanto magis ſagitta iacta fuerit propè ſcopum, tanto perfectior ſit iactus;
imperfectior verò ſi remotius. Ex quo etiam liquere illud poteſt, intenſio-
nem ac remisſionem cuiuſque formæ non debere cenſeri, ut quidam per-
hibent, per receſſum à non gradu, ſed per acceſſum ad ſummum gradum, &
receſſum ab eo. nam non ens menſura ſtatui non poteſt; ut pote quod ſuapte
natura infinitum ſit, incertum atque ignoratum ac fluctuans. econtra perfe-
ctisſimum in quoque genere, eſt etiam maximè certum & maximè finitum
ac maximè unum, ſicuti ſcopus ſagittam iaculanti. Qualis uerò ſit hic acceſ-
ſus ad ſummum & receſſus, alterius perſcrutationis eſt; ideóque à nobis o- H
mittetur. Eſt ergo primum ens ac primum unum cuiuſque cæterorum men-
ſura eo modo, quem diximus; qui longè diuerſus eſt ab ea ratione, qua unum
eſt menſura numeri. Poſtquam de uno hactenus dictum eſt, de numero ac
multitudine pauca quædam ſunt perſtringenda: demum nonnulla de mo-
dis, ſeu ſpeciebus tum unius, tum multitudinis. Multitudo, ſicuti ſuprà dixi-
mus, quamuis ſecundum noſtrum modum intelligendi uideatur in ſui ra-
tione includere habitum, diuiſionem inquam, ſeu diuiſibilitatem, ut ita di-
cam: unum uerò priuationem, indiuiſionem uidelicet: attamen ſecundum
rem ipſam unum perfectionis eſt, multitudo uerò imperfectionis ac priua-
tionis. Vnde ab eo, quod uerè unum eſt, per deficientem quendam modum

A rerum multitudo effluxit, quæ tamen congruentia & ordine vnum ſunt, atque earum quælibet per ſe ſumpta, quamuis ſit una: non tamen eſt abſque multitudine vna; vt infrà latius exponetur. quo fit, ut quemadmodum vnum attinet enti, ita multitudo attineat non enti: & ſicuti non ens, quod eſſe aut etiam intelligi posſit, ſemper exiſtit in aliquo ente, atque alicui enti coniunctum eſt, cuius ratione exiſtat, ac intelligatur; pari modo multitudo neque eſſe, neque concipi poteſt, niſi coniuncta fuerit vni; ratione cuius exiſtat ac intelligatur, ea namque multitudo, quæ ab vnitate penitus & ſecundum ſe & ſecundum partes ſuas deſtituta fuerit, vtique neque eſſe neque intelligi poteſt: verùm abyſſum quandam obſcuriſsimam impermeabilemque cui-
B que præ ſe fert eodem propè modo, quo etiam à nobis ſuprà expoſitum eſt de non ente; quod penitus à quocunque eſſe diſiunctum ſit. Etenim cùm primum cui, entis, vnius, veri, ac boni ratio conuenit, & ex cuius deficienti ſimilitudine reliqua omnia entia vna, vera, & bona ſunt, ac dicuntur, ab intellectu noſtro perfectè attingi nequeat; idcirco id, quod in ſe ſimpliciſsimum eſt, pluribus conceptibus conatur mens effingere; qui tamen ordinem quendam inter ſe habeant, ac ita, vt in vno reliqui eluceant, viciſsimque alius ex alio pateat. Quo fit, vt demonſtrationes entis pleræque ſumantur ab vno, & vnius viciſsim ab ente. idemque de vero & bono cenſendum eſt; vt infrà docebimus. Horum quoque priuationes, ſeu contraria malueris dicere, pari pacto inuicem habent; quemadmodum & habitus inter ſe. Nunc ad mul-
C titudinem redeamus. Multitudo aliquibus conuenit plurali numero; hoc modo dicimus multos homines in foro eſſe, ac multas animanres in pratis, multasque res nunciatas eſſe. Nonnullis conuenit multitudo numero ſingulari: ſic dicere conſueuimus multum aerem, multam aquam, ac multum ignem. Alijs verò conuenit multitudo, quamuis non in recto aut ſecundum modum prædicati; obliquè tamen; vt Socrates unus tantum eſt, non multi, nec multus, ei uerò conuenit multitudo ratione partium, ex quibus conſtituitur; ac etiam ratione accidentium, atque effectuum; necnon etiam ratione operationũ: nihilque tandem exiſtit in rerum natura, præter primam omnium cauſam, in quo non ſit aliquo pacto multitudo. Verùm omnes hi multitudinis modi ab unitate continentur; quæ perfectiori modo exiſtit in rebus
D perfectioribus, utpote quæ etiam à multitudine magis diſtant. imperfectiora uerò, quanto minus unitatis habuerint, magis participant multitudinis. Illa igitur, ut à primis ordiamur, quibus conuenit multitudo plurali numero, unum ſunt unitate prædicati uniuerſalis: ut multi homines unum ſunt in homine de ipſis prædicato; & multa animalia unum in animali; & multæ res unum in re. Sunt præterea hæc omnia unum propter determinationem, ac finitionem multitudinis ſui. nulla nanque multitudo actu eſt finita: finitio uerò in multitudine eſt ab unitate non tamen ab ea unitate, quæ principium eſt numeri (in præſentia etenim neque de multitudine loquimur, prout eſt numerus, neque de unitate illa, quæ eſt principium numeri) ſed ab unitate, de qua nunc loquimur, quæ cum ente conuertitur. nam per hanc

unitatem

unitatem ſeptem ſunt tantùm ſeptem,& decem tantùm decem,non bis quin E
que aut quatuor & ſex, ut rectè dicit Auicenna, ideſt quod ab hac vnitate
quælibet multitudo ad certam naturam definitamque contrahitur, ne infi-
nitum & indeterminatum defluat. ac contrà vnitas ipſa, quæ abſoluta eſt, &
eminenter continet omnem multitudinem, contrahitur & determinatur ad
certas & definitas naturas multitudinum. Quamobrem diuinus Plato mul-
ta de naturis rerum ab Arithmetica mutuatus eſt. nam quamuis numerus &
vnitas, de quibus tractat Arithmeticus, diuerſum quodpiam ſit ab hac mul-
titudine & vnitate, de quibus nunc à nobis agitur; nihilominus & harum
proprietates in numeris & vnitate perſpiciuntur. Hinc etiam Pythagorici
poſuêre numeros eſſe ſubſtantiam rerum. Aliâs latius de hiſce dicetur. Ea F
igitur, quibus multitudo cõuenit numero plurali duobus his modis, de qui-
bus meminimus ſuprà, ſunt unum: ac præterea eorum vnumquodque per
ſe ſumptum eſt unum: neque vllo pacto conſiſtere multitudo poſſet, niſi ex
hiſce conſtaret; quorum quodlibet per ſe ſumptum eſſet unum. Illa uerò,
quibus multum conuenit ſingulari numero, ſicut dicitur multus aêr, multa
aqua,ac multus ignis,& cætera huiuſmodi, ſunt magis una,quàm ſuperius di
cta. Nam præterquam quòd conueniunt in uniuerſali prædicato, ſunt etiam
unum numero. verùm quoniam facilè diuidi queunt in plura numero eiuſ-
dem ſpeciei ac naturæ; iccirco multum ſingulari numero eis conuenit:ut eo
pacto ſignificetur vnitatem illam numeralem propinquam eſſe multitudi-
ni: & quamuis actu indiuiſum ſit eorum vnumquodque,tamen potentia di- G
uiſibile eſt in plura eiuſdem naturæ. quo fit, vt commodè dicere queamus,
magnam aquam, magnumque aerem, ſimulque vtrunque eorum multum.
maximè omnium autem unitas illis conuenit, de quibus multitudo neque
plurali neque ſingulari numero prædicatur, vt vnus homo Socrates ac Pla-
to, cæteraque eiuſdem modi: quamuis in his quoque inſit pluribus modis
multitudo. Nam & ex multis partibus conſtituta ſunt, plurimiſque affecti-
bus prædita, ac demum in operationes functioneſque varias diſtributa:ac in
ea diuiſione entis, qua in vnum & multa diuiditur, harum rerum vnitas ac-
cipitur, ut oppoſita multitudini. At illud unum, quod enti æquale eſt, con-
uenit quibuſcunque multis; neque vlla multitudo ab ea vnitate penitus diſ-
iuncta eſſe poteſt. Econtra hoc vnum, quod competit tantum rebus illis, H
quæ & actu indiuiſæ ſunt, necnon potentia diuidi non queunt in plura eiuſ-
dem naturæ; id eſt quod capitur ut pars entis, atque multitudini opponitur;
quæ & plurali & ſingulari numero prædicatur de nonnullis entibus, nt ſu-
perius diximus. ea uerò, quibus econtra unitatem multitudini oppoſitam
conuenire aſſeruimus, longè inter ſe differunt in modo vnitatis: nam plera-
que omnia, in quibus ſcilicet ineſt aliquo pacto multitudo, totius rationem
habent,dummodo perfecta ſint; ac tota ſunt quædam. id verò, quod ab om-
ni eſt multitudine exceptum, totum dici minimè poteſt, cùm partes nullo
modo habeat. id verò tantùm conuenit primo principio. Cæterum ea, qui-
bus conuenit ratio totius, quædam ſunt ante partes ſuas, ac ſeſe in parte ex-

 plicant;

A plicant; quas intra ſuam colligunt unitatem, qualem Platonici perhibent eſſe intellectum, qui ſeſe in ideas rerum omnium explicat, quas etiam intra ſe colligit continetque. Nonnulla uerò tota, quamuis ſint ante partes ſuas, non tamen omnino eas intra ſe colligunt, immò ſeſe in aliena fundunt. Huiuſmodi ſunt animæ cœleſtium corporum, quæ corporibus illis actum, ac eſſe præſtant: ſub has rationales hominum animi, qui non tantùm ſunt actus corporum humanorum; uerumetiam multas virium ſuarum explicant in corpora, ut ſenſitiuas potentias omnes ac vegetatiuas vires. Hunc modum æmulantur brutorum quoque animalium animæ, quæ perfectiora ſunt: quod Ariſtoteles in priori libro de Generatione, cùm de augmentatione tractaret, B annotauit. Infrà hæc ſunt tota, quæ ſunt poſt partes ſuas; in quorum numero abſolutè conſtituendæ ſunt etiam brutorum animæ; hæc conflantur ex ſuis partibus, ac item vnaquæque partium ex ſuis quæque particulis. in hiſce infinitas materiæ apparet. Huius generis ſunt omnes formæ materiales, quæ ea de cauſa ſunt fatigabiles ac finitæ, tandemque corruptibiles: à quarum ordine Ariſtoteles in octauo Phyſicorum vult eximere primum motorem: eiusque argumentationis vim, qua hoc adſtruit, ſi quis hæc quæ diximus, non animaduertit, proculdubio non attinget. necnon etiam ea, quæ in Parmenide Plato ludit, cùm contraria elicere uideatur, ac ſequi oſtendat, ſi unum ſit; ſi hæc oſcitans quiſpiam legerit, minimè explicare poterit. Sed reuertamur ad multitudinem, à qua diuertimus. Eſt præterea alius modus C multitudinis, quæ ſcilicet non multitudini, ſed paucitati opponitur relatiuè; ac id eſt multum, & dicitur, quod habet multitudinem excedentem id, quod ſatis eſſe uideatur. Econtra paucum illud appellatur, quod deficientem ab ea menſura, quæ ſatis eſt, multitudinem habet. Horúmque propè ea ratio eſt, quæ magno & paruo ineſſe conſpicitur. Accedamus demum ad eam multitudinem, quæ eſt numerus; ut commodius poſtea de modis vnius, ac de modis multitudinis, quos nunc interim præterimus, ſeparato quaſi tractatu agere queamus. Numerus quædam multitudo eſt, quam vnitates metiuntur. quamobrem nonnulla conueniunt numero ratione multitudinis, quæ veluti quoddam genus eſt numeri: quædam uerò ratione ſui ipſius, quatenus ſcilicet eſt numerus. numero ratione multitudinis diuiſio conue- D nit, nec vllus numerus eſſe poteſt, qui ſit indiuiſibilis. Et quoniam multitudo exiſtere nequit, ut ſuprà diximus, niſi ab unitate contineatur; iccircò quilibet numerus ſuam habet unitatem, qua multitudo numeri compeſcitur ac diffinitur; eaque quilibet numerus ab alijs numeris differt, vicisſimque ipſa vnitas contrahitur ad certam naturam unitatis, ut in ſeptenario eſt unitas ſeptenarij & non quinarij aut denarij numeri. Præterea quælibet pars numeri à ſua vnitate continetur. Illud enim, cuius diuiſio non ſiſtit in aliquid actu indiuiſum, neque ex illis conſtare partibus poteſt, neque ipſum actu conſiſtere. Hæc igitur conueniunt numero, quatenus eſt multitudo quædam in rerum natura exiſtens. At ſecundum propriam ipſius numeri rationem ei conuenit, quòd vnitas aliquoties repetita eum ut menſura metiatur. iccirco

circo & numerus & vnitas, quæ menſura eſt numeri, pertinet ad quantitatem: illud enim, quod in vnaquaque re per ſe ſubiacet menſuræ, eſt quantitas; quam cùm metiatur, item aliquod ſui generis, neceſſe eſt vnitatem eam, quæ menſura eſt numeri, ad quantitatem pertinere. Menſura etenim omnis, vnigenea eſt menſurato. hac de re effectum eſt, ut nonnulli ex priſcis philoſophis non infimi ordinis viri non diſtinguentes inter numerum & multitudinem, necnon inter eam vnitatem quæ eſt principium numeri; & eam quæ cum ente conuertitur, poſuerint ſubſtantiam rerum eſſe numeros; ac potisſimum philoſophati ſint de naturis rerum ex numeris. Nos uerò, ſicuti non diffitemur à numeris & ab vnitate, quatenus multitudines ſunt quædam, & quatenus vnum eandem enti naturam dicit; multa ſumi poſſe argumenta, quæ naturis rerum conueniant. Hæc enim aſcendentia omnia, ut ſæpe diximus, eandem naturam ſignificant, quam eorum quodlibet non perfectè ſua ſignificatione explicat. Verùm in vnoquoque horum alia relucent. iccircoque commodisſimæ demonſtrationes de uno ab alijs ſumuntur, ac vicisſim aliorum ab uno: quomodo nos quoque proceſſu operis vtemur. ſicuti hæc inquam minimè diffitemur, ita cenſemus erroneum eſſe, numeros aſſerere rerum ſubſtantiam: cùm numeri, ut diximus, ſecundum propriam rationem pertineant ad certum genus, quantitatis inquam. Numerus uerò, quidnam eſt numeratus numerus, quidnam numerus numerans. Numerans numerus eſt diſcreta quantitas abſtracta ſecundum rationem à quauis materia, ut unum, duo, tria, & cætera eiuſmodi: numerus uerò numeratus eſt eadem quantitas certæ materiæ applicata, ut decem homines, decem dolia, decem domus, aliaque huiuſmodi: in quorum ſerie eſt tempus. Cæterùm de hiſce omnibus latius ab Ariſtotele in quarto Phyſicorum tractatur. Accedamus nunc ad modos vnius, itemque ad modos multitudinis, quos ſuprà omiſeram, atque ad hunc locum diſtuleram. Idem, æquale, ac ſimile pertinent ad vnitatē: diſsimile, inæquale, differens ac diuerſum, multitudini conueniunt. Simile vnum ſignificat in qualitate: ea nanque ſimilia eſſe dicimus, quæ eadem ſunt prædita qualitate. æquale item unum in quantitate dicit. econtra disſimilia ſunt ea, quæ multa ſunt in qualitate, ut ſi unum album ſit, alterum nigrum. inæqualia uerò ea, quæ multa ſunt in quantitate, ut ſi unum maius, alterum minus fuerit. Eadem uerò ſunt illa, quæ ſunt unum ſubſtantia. Horum multi ſunt modi: Nam quædam eadem ſunt, ſiue unum ſubſtantia ratione prædicati; quia ſcilicet idem habeant prædicatum, quod pertineat ad eorum ſubſtantiam: Contrà nonnulla ſunt unum ſubſtantia, ſiue eadem ratione ſubiecti, in quo ſunt, aut de quo dicuntur. hinc fit, ut quædam eadem ſunt genere, nonnulla eadem ſpecie, alia eadem proportione, item aliqua cauſa atque origine, poſtremò nonnulla eadem numero ſunt. Illa quæ ſub uno genere continentur, eadem ſunt genere: at eadem ſpecie ſunt illa, quæ una ultima ſpecie continentur. hæc in forma cōueniunt ac unum ſunt forma: nam à forma rei ſpecies ſumitur. Eadem uerò proportione, quæ conueniunt in prædicato uno ſecundum proportionem de eis dicto, ſicuti os & ſpina ſunt

proportione

A proportione eadem; quoniam eam proportionē, quam habet os ad animal, habet ſpina ad piſcem. Illa autem dicuntur numero eadem, quæ conueniunt in materia ſeu in ſubiecto. Atque huiuſmodi quandoque magis vnitè ſignificantur, interdum remotius. vnitè, cùm vtrumque eorum, quæ dicimus eſſe eadem numero, pertinet ad ſubſtantiam eandem, ut Socrates & filius Coriſci; hic homo & hoc animal rationale. magis remotè, cùm alterum pertinet ad ſubſtantiam, alterum ad accidens. quod ſi accidens id fuerit proprium, magis unitè dicentur eadem, quàm ſi accidens fuerit accidens per accidens. Exemplum prioris, ut hic homo & hoc riſibile: Poſterioris, ut hic homo, albus hic ſeu magnus hic. Remotisſimè uerò dicuntur eadem nu-
B mero ea, quorum utrumque ſignificat accidens, ut magnus & albus eadem ſunt, ſi Socrates unus utraque fuerit præditus qualitate. id quod opponitur eidem, eſt aliud ſeu diuerſum, atque ad multitudinem pertinet. Et quoniam quot modis dicitur unum oppoſitorum, totidem dicitur alterum; tot ſunt modi diuerſitatis quot ſunt identitatis: quorum explicatio ſatis comperta eſſe poteſt ex his, quæ diximus de modis eiuſdem. Verùm eſt illud animaduertendum, quòd quædam tantùm ſunt alia ac diuerſa; quædam uerò cum hoc quòd ſunt diuerſa, dicuntur etiam differētia. Diuerſa tantùm ac non differentia ea dicuntur, quæ non conueniunt in aliquo uno prædicato, quod ſcilicet ſit ad eſſentiam eorum pertinens; neque ſit unum, ut ad eandem coordinationem ſpectet: ut ſi dixero ſubſtantiam eſſe diuer-
C ſam à qualitate, probè dixero: ſin autem dicam ſubſtantiam à qualitate differentem, non probè; niſi aliquid addidero, ratione cuius licet non ita propriè, vſitatè tamen posſimus proferre ſubſtantiam à qualitate differre, aut lineam ab albedine; ut ſcilicet ſi addidero, quòd differunt genere: nam vtrique conuenit eſſe in genere, ſeu eſſe genus quoddam. aliud tamen genus eſt ſubſtantia, aliud quantitas. ſic coordinatione prædicamenti differunt; quoniam tum ſubſtantia, tum quantitas pertinet ad coordinationem prædicamenti, quauis melius diceretur, quòd diuerſa ſint genere ſeu coordinatione; quàm quod differant: tamen & ille modus loquendi receptus eſt in vſum. ſed ſi abſolutè nullo addito protuleris, minimè dices ſubſtantiam differre à qualitate aut lineam ab albedine, ſed diuerſam eſſe. Diffe-
D rentia igitur ſignificat unum quodpiam eſſe, quod vtrunque rerum differentiam ſpectet, in quo tamen differant. quare ſi abſolutè nulloque addito differre quæpiam dicantur; neceſſe eſt, ut ſint in eadem coordinatione, in qua tamen differentiam habeant. quod ſi eiuſdem coordinationis non fuerint, aliquid addatur neceſſe eſt, quod unum utrique eorū conueniat, in quo deinde differentiam habeant. Contingit autem in rebus tum diuerſitas, tum differentia ratione imperfectionis; ſecundum quam accedunt ad multitudinem, ac ab uno recedūt deficiuntque: in eo namque omnia unum ſunt, à quo cùm receſſerint, iam incipit apparere diuerſitas & oppoſitio in rebus; ſecundum quam dicitur de quaque re, quod eſt ipſa & quod non eſt ipſa; verbi gratia, de homine quòd ſit homo & quod non ſit nō homo, id eſt quod nō ſit res

quæpiam alia ab homine, de qua non homo prædicari queat. nam in ipſo E
uno, homò eſt non homo, id eſt res quæ eſt homo, eſt illudmet ac unum cùm
rebus quæ non ſunt homo: Etenim omnia in ipſo ſunt unum, ut infrà pluri-
bus docturi ſumus. Ecce ergo quonam pacto oppoſitio, quæ in rebus appa-
ret, originem traxit: quæ primò conſpicitur ſecundum modum contradi-
ctionis; deinde paulatim accedit ad habitum ac priuationem, præterea ad
contrarietatem, demum ad relatiuè oppoſita. de quibus operæpretium erit,
ſi pauca quædam diſſeramus, quando de multitudine loquimur, quæ oppoſi-
tionum origo eſt. Oppoſitio contradictionis, quæ omnium maxima eſt; &
qua alij nituntur oppoſitionum modi, primùm apparet inter ens & non ens.
& quoniam non ens purum nihil eſt in rebus, ſed tantùm conceptione intel- F
lectus; iccirco huiuſcemodi cõtradictionis oppoſitio primò ab intellectu or-
tum habuit; deinde cùm ab uno atque ab ente accedimus ad multitudinem,
& ad res alias, de quibus non ens dici poteſt ob imperfectionem eis admix-
tam; intellectus rebus etiam huiuſcemodi oppoſitionem adaptauit ſecun-
dum affirmationem & negationem. vt ſcilicet quemadmodum ens primum
eſt ipſummet ens, nõ eſt autẽ non ens; ita vnaquæque res ſi tantùm ipſamet,
non autem aliquid aliorum, quæ non ſunt ipſa, ſiue entia ſiue non entia fue-
rint; quibus conuenit negatio illius'met rei, ut ſicuti uerum eſt hominem eſ-
ſe hominem, ita falſum ſit hominem non eſſe hominem, cùm tamen non eſ-
ſe hominem cæteris omnibus conueniat præter hominem. Hæc igitur oppo
ſitio contradictionis perfectè non eſt in rebus: ſed licet à re originem habeat, G
perficitur tamen ab intellectu, ac præcipuè in ſecunda ſui operatione, ad quã
pertinet affirmatio & negatio. Ideo nullam rem inuenias contradictoriè op-
poſitam alteri, quamuis de rebus illis contradictoria verè dici poſſunt; quam
intellectus primò inuenit in ente & non ente puro; deinde tranſtulit, ad cæ-
teras quoque res. Incipit ergo ſtatim cum intellectu ſeu conceptu diuiſionis;
quam mens concepit, eſſe inter ens & non ens: deinde adaptata eſt rebus, in
quibus diuiſio erat, ac multitudo. huiuſmodi prima oppoſitio, contradictio-
nis inquam, rebus applicata diuerſitatem rerum fecit, easque inter ſe diuer-
ſas conſtituit. Subſtantia namque ea ratione diuerſa eſt à qualitate; quia de
ſubſtantia uerum eſt dicere quòd ſit ſubſtantia: ac de qualitate, hoc falſum
eſt: uerum autem quòd non ſit ſubſtantia. viciſſim de qualitate uerum eſt di- H
cere quòd ſit qualitas, quod tamen falſum eſt de ſubſtantia, ſed uera ne-
gatio huius eſt, ſubſtantiam ſcilicet non eſſe qualitatem. Ecce ergo quam-
uis res diuerſæ non opponantur contradictoriè: id tamen, quod inuenitur
in rebus præter intellectum huiuſmodi oppoſitionis, eſt rerum diuerſitas.
Contradictio igitur ſtatim orta in intellectu poſt conceptum diuiſionis quæ
eſt inter ens & non ens, quæ etiam tantùm ſecundum rationem eſt, ſecun-
dum rem minimè; quoniam non ens in re eſſe nequit, ſed tantùm ratione
concipitur, veluti quoddam ens, enti uero oppoſitum, concomitatur ueram
diuiſionem, ac multitudinem rerum; quam nos non probè concipimus, ni-
ſi contradictione innixam. Hactenus ſatis ſint ea, quæ ad contradictionem
pertinent.

A pertinent. Poſt contradictionis oppoſitionem ſequitur oppoſitio, quæ eſt inter habitum & priuationem; in qua quamuis priuatio ſit non ens oppoſitum habitui, nihilominus in intellectu priuationis connotatur ſubiectum capax illius habitus; cui oppoſita fuerit priuatio. Habitus ergo & priuatio cùm in ſubiecto conueniant, quod à priuatione ſignificatur; minus inter ſe diſcrepant, quàm contradictoriè oppoſita: quæ, quatenus ſic oppoſita intelliguntur, in nullo conueniunt, ſicuti non ens in ſui ratione nihil dicit, quod enti conueniens ſit. At cæcum notat oculum, qui ſicuti cæcitatis, ita viſus ſubiectum ſit; ſic ſurdum dicit aurem, eademque ratio eſt de omnibus priuationibus. Quamobrem deficiunt priuatiuè oppoſita ab op-
B poſitione contradictoriorum. priuationes uerò in duplici ſunt differentia, ut dicit Ariſtoteles: nam quædam primò reſpiciunt formam, & ſignificant in ſubiecto eo proprio corruptionem quandam ſeu deprauationem formæ; quæ natura ſubiecto illi debetur, ordinemque ad formam habet: nonnullæ uerò priuationes primò reſpiciunt ſubiectum, ad quod ordinem primum habent: neque in eo ſubiecto oportet præextitiſſe formam, deinde corruptam eſſe aut ſaltem in generatione deprauatam. ſic tenebræ ſe habent ad lumen, & immuſicum ad muſicum, inalbumque, ut ita dicam, ad album. huiuſmodi uerò priuationes poſteriores illæ ſunt, ex quibus eſt generatio; ac quæ ab Ariſtotele in primo Phyſicorum dicuntur, Tertium principium eſſe rerum generabilium & corruptibiliũ, licet per accidens principiũ
C ſint. ex prioribus uerò priuationibus habitus proprij generatio nunquam fuerit, immo à priuatione ad habitum non eſt regreſſus, quemadodnm in Prædicamentorum libello Ariſtoteles dicit, niſi prius reſolutio fiat ad materiam priorem: verbi gratia, ex cæco ſecundum naturam nullus poteſt fieri uidens; aut ex mortuo uiuum. Qua in re ſatis mirari non poſſum Platonem in Phædone hanc rationem adduxiſſe ad animæ immortalitatem adſtruendam: ac ſi ſicuti mortuum fit ex viuo, ita & viuum ex mortuo fieret; cùm generationes ſint ex oppoſitis. nimirum ea ratio præterquam quòd in aliis aſſumptionibus, quas aſſumit, non ſatis certa eſt, in hoc tamen longè uidetur nos fallere, quòd accipiat generationem habitus eſſe ex illis priuationibus, ex quibus ſecundum naturam, ut dixi, non eſt regreſſus ad habitum. Priuatiua hæc oppoſi-
D tio ſi adhuc magis receſſerit à non ente, atque ad ens acceſſerit, parit oppoſitionem contrariorum: nam cùm formæ ſeu perfectionis cuiuſpiam priuatio non tantùm nobis ſignificauerit, atque inuenerit commune quoddam ſubiectum cum habitu, ſeu communem quandam naturam, ſeu præterea diſtantiam quampiam ab habitu ſeu ab forma oppoſita; iam incipit ſuboriri ac apparere contrarietas; ſecundum quam alterum contrariorum ſe habet ut forma atque ut habitus; alterum uerò ut priuatio illius habitus in ea natura, non tamen ut quæuis priuatio, ſed ut priuatio, quæ ab habitu diſtet: diſtantia uerò eſſe nõ poteſt, niſi priuatione illa aliquid poſitiuum ſignificetur: nam inter ens & non ens nulla eſt diſtantia niſi ſecundum rationem. at diſtãtia ea quæ ſecũdum rem ſit, neceſſe eſt ut exiſtat inter entia. Hae igitur ratio-

ne priuatio ad contrarium deſcendit. ſicuti ergo priuatiuè oppoſita deficiunt E
ab oppoſitis contradictoriè, quia priuatio accedit ad ens; ita contraria defi-
ciunt à priuatiuè oppoſitis; cùm neceſſe ſit contrariorum vtrumque ens eſſe.
Ac licet quæuis diſtantia in eadem potentia ſeu natura generis contrarieta-
tem aliquam faciat; uera tamen contrarietas exiſtit in maxima diſtantia. Vn
de licet nobis definire contraria ea eſſe, quæ ſunt oppoſita maxima inter ſe
diſtantia. Ex qua definitione colligitur huiuſmodi uera contrarietate unum
tantùm eſſe uni contrarium, quia unius diſtantiæ duo tantùm extrema eſſe
poſſunt. ea uerò, quæ maximè diſtant, extrema ſunt; reliquorum nullum al-
teri collatum maximè ab eo diſtare dici poteſt. Ideo cuiuis compertum eſſe
hac ratione debet unum tantùm vni contrarium eſſe; reliqua uerò inter illa F
duo extrema poſita, quamuis oppoſitionem inter ſe contrariam habeant,
contraria tamen inuicem non ſunt; niſi ſicuti medium medio aut extremo
itidem medium. Ex his palàm eſt illud effici, omnia contraria eſſe in eodem
genere, ac differre ſecundum formam ſeu ſecundum ſpeciem: genus namque
potentiam dicit, quam eiuſdem naturæ eſſe oportet in his, quæ ſunt eiuſ-
dem generis: ac quoniam potentia ſumitur à materia, neceſſe eſt ea, quæ
ſunt eiuſdem generis, conuenire in materia. genus ergo quamquàm ſigni-
ficat compoſitum ex materia & forma; vnde prædicatur in recto de ſpe-
cie; id compoſitum tamen exponit ſecundum indeterminationem quan-
dam, quæ pertinet ad potentiam & determinatur poſtmodum, ac definitur
per differentias, per quas indeterminatio illa, ut ita dicam, ac potentia ad de- G
finitas ſpecies contrahitur. nec eiuſdem ſpeciei eſt genus contractum ad unã
ſpeciem cum ipſomet genere ad aliam ſpeciem determinato: non enim ani-
mal in homine eiuſdem eſt ſpeciei cum animali, quod eſt in boue, quia inde-
terminatum genus, ut puta animal nullius per ſe eſt ſpeciei determinatæ, ſed
contrahitur differentiis ad ſpeciem determinatam. Quamobrem manifeſtũ
eſt, quàm falſa ſit eorum poſitio, qui uoluerunt genus dicere formam quan-
dam propriam re diſtinctam à forma ſpeciei. Nam hi fateantur etiam opor-
tet, ſpeciem non dicere eandem naturam cum genere, ſed naturam quandam
ſuper additam, nec differentias contrahentes eſſe per ſe illius generis, ſed ex-
traneas ac per accidens: ſicuti ſi quantum diuideretur per album & nigrum.
Vnam ergo eandemque naturam fateamur ſignificari à genere & à ſpecie, ſed
à ſpecie determinatam & in actu, à genere indeterminatam & in potentia.
Verùm de his ſatis. Reuertamur ad contraria, quæ propriè ſumpta ſunt eiuſ-
dem generis, differuntque ſecundum formam & ſpeciem. Hiſce illud adden-
dum eſt, quamuis genus ſemper diuidatur per differentias contrarias, quæ
ſcilicet ſe habent per modum habitus & priuationis, licet priuatio illa diſtar
tiam quandam dicat ab habitu, ac propterea ſignificet poſitiuum quodpiam:
non tamen ſemper ſpecies differentijs contrarijs conſtitutas inuicem con-
trarias eſſe. Nã differentiæ cõparantur generibus per modũ formæ cõtrahen
tis. ſicuti ergo qualitates cõtrariæ idem ſubiectũ informant ac cõtrahunt, alte
ra ut habitus, altera ut priuatio; ita uidetur differẽtiæ habere ſe ad genus: qua-

propter

A propter in eis eſt ſemper contrarietas. at ſpecies conſtitutæ multoties nō ſic viciſsim habent. qua de cauſa dicimus ſubſtantiæ nihil eſſe cōtrariū, necnon quātitati propriè cōtraria ſunt hæc, quæ deſcripſimus. Nōnulla uerò cōtraria etiā dicuntur, quæ tamen pertinent ad eandē ſpeciem, aliqua uerò etiam genere differunt. Prioris modi ſunt maſculus & fœmina, quæ eiuſdem ſunt ſpeciei, neque forma differunt, ſed tantùm his, quæ pertinent ad materiam: nam aliquibus partibus corporis diſcrepant, quæ ad materiam pertinent. Corruptibile nerò & incorruptibile dicuntur contraria; tamen differunt genere, quia differunt in potentia, quæ ad genus pertinet: nam corruptibile id eſt, & dicitur quod potentiam habeat ad corruptionem, & hæc à materia eſt. Incor-
B ruptibile uerò dicitur, quia huiuſmodi potentiam non habet, quare nec eandem materiam. Ecce ergo qua ratione genere differunt; nam à materia ſumitur genus, & hanc eiuſdem rationis oportet eſſe in omnibus, quæ ſunt eiuſdē generis: differant ergo genere neceſſe eſt corruptibile & incorruptibile. Nec contrarietas propriè huiuſmodi attribuitur, niſi ſecundum rationem; quia ratio accipit illud, in quo conueniunt: ut unum, licet re non ſit unum, verbi gratia ut dicamus corpus ſeu natura corruptibilis ac incorruptibilis, ſimiliter in maſculo & fœmina accipit ſexum, ut ita dicam, tanquam genus, quod contrahatur differentijs maris & fœminæ, tanquam formis diuerſis. Quamobrē unum & multa non diſsimili ratione contraria dicere poſſumus: quia videlicet ratio noſtra accipit ens & unum quodpiam, quod contrarijs quaſi differē
C tijs diuidatur. Hactenus de contrarijs dicta ſufficiant. Accedamus ad relatiuè oppoſita, de quibus pauca quædam perſtringenda ſunt. Cùm entia, quæ à primo principio effluxere, multa diuerſaque ſint: quædam ita ſe inuicem habēt ut mutuum quendam ordinem, mutuamque habitudinem præſeferant: nonnulla uerò quamuis ordinem quendam atque habitudinem habeant ad alia; non tamen contrà viciſsim hæc ad illa ordinem vllum habitudinem've vllam obtinent. Inter quædam demum ſecundum naturam neque mutuus eſt ordo, neque altera ex parte tantùm; niſi ſi quando ab intellectu noſtro concipiantur, veluti ordinem inter ſe habentia. hinc ortum ducit omnis relatio, omniaque oppoſita ad aliquid dicta ſunt ex hoc fonte. Inter ea, quibus viciſſim ſecundum naturam habitudo eſt, etiam relatio exiſtit ſecundum rem:
D huiuſmodi uerò habitudo uel eſt ratione actionis & paſsionis; uel nititur vnitate ac multitudine. Relatio ea, cuius fundamentum eſt actio & paſsio, uel nititur actione & paſsione, veluti quæ adſit & præſens ſit, uel tanquam quæ præterierit, aut demum potentia ac facultate iſtiuſmodi actionis paſsionis've. Exemplum primi modi eſt ut calefaciens & calefactum, amans atque amatum, cæteraque eiuſmodi, quæ actionem & paſsionem dicunt. ſecundi ordinis relationum exemplum, ut pater & filius: Pater namque dicitur non quia generet, ſed quoniam generauit filium. filius uerò quòd generatus ſit. tertij modi exemplum, ut dominus ac ſeruus: dicitur etenim dominus propter facultatē agendi in ſeruum, ſeruus uerò quia pati poteſt à domino. Hæc prima eſt ſpecies ſeu modus eorū, quæ ſunt ad aliquid: ſecunda, ut diximus,

nititur unitate multitudine've: res enim multæ ac diuerſæ, quæ unitatem E
quandam inter ſe habeant, ſeu in ſubſtantia ſeu in quantitate ſeu in qualitate ſit hæc vnitas, inter ſe habent habitudinem vnitatis. Huius generis ſunt ſimilia, æqualia, eadem ſiue genere ſiue ſpecie, ſeu ob materiam ac ſubiectum eadem fuerint. Econtra quorumdam habitudo eſt ſecundum multitudinem ac diuiſionem quandam, ut inæqualia, diſsimilia, differentia ſeu diuerſa. Tertius relatiuorum modus ille eſt atque inter ea, in quibus ex una tantùm parte eſt habitudo ſecundum rem, ex altera uerò parte habitudo non eſt, neque ordo vllus reſpondet, niſi ſecundum rationem noſtram noſtrumque intelligendi modum. huiuſmodi uerò relatiua dicuntur ſe habere ut menſura & menſuratum: nam menſuratum inquantum huiuſmodi habitudinem ac F
ordinem habet ad menſuram ſui: econtra uerò menſuræ ad menſuram re nulla eſt habitudo; ſed ſi fuerit aliqua, eſt ſecundum rationem noſtram. huius rei exempla frequentia nobis occurrunt quotidie in hac ciuili vita, ut omittam interim rerum naturam. Si quis enim Regem comitatur, is equidem comes eſt Regis, atque habitudo ipſius ad Regem eſt ſecundum rem: econtra uerò ſi dicamus Regem priuati comitem eſſe, qui officij gratia Regem domo deducit, hæc vtique habitudo ſeu relatio Regis ad priuatum comitem non eſt niſi ſecundum rationem. hoc pacto cæteræ res omnes ſe habent ad Deum optimum; quoniam relatio rerum ad primam cauſam eſt ſecundum rem: At relatio vicisſim primæ cauſæ ad res alias non eſt niſi ſecundum rationem. nec tamen propterea concedendum eſt Deum eſſe cauſam G
rerum aut dominum non re ſed ratione noſtra. Nam re quidem eſt cauſa ac dominus; quia re terminus quidam eſt habitudinis ac relationis aliarum rerum ad ipſum: ſicuti enim cætera re habēt ad Deum habitudinem; ita etiam re non ratione Deus eſt illius habitudinis terminus, ac propterea re dominus eſt & cauſa omnium. Quòd ſi hiſce nominibus velimus ſignificare habitudinem Dei ad res alias, quam nos concipimus, & quam more aliorum relatiuorum adaptamus primo principio; vtique hæc non erit ſecundum rem; ſed ratione noſtra appoſita. quomodo etiam dicere poſſemus Regem comitem eſſe cuiuſpiam priuati. Ecce ergo quonam pacto in hoc tertio modo relatiuorum non eſt relatio ſecundum rem, præterquam ex una tantùm parte, ex altera uerò vicisſim non reſpondet relatio niſi rationis. Eis uerò, in H
quibus non eſt quiſpiam ordo neque aliqua habitudo ſecundum rem, ſi relationes affingantur, rationis opus erit. ſimiliter ſi quis eandem rem conceperit duobus modis, ac eo pacto uideatur eiuſdem ad ſe relationem eſſe; certè non erit niſi ſecundum rationem noſtram: quia habitudo, quæ re ſit, requirit ea, inter quæ ſit habitudo, eſſe etiam re diſtinctam. Illam uerò quæſtionem, an ſcilicet relatio in re, quæ relatiuè dicitur, aliquid addat præter fundamentum relationis: & ſi non addat, quonam pacto relatio ab aliis prædicamentis diſtinguatur, nunc omittendum reor: infrà fortaſſe nonnulla.

LIBER

LIBER TERTIVS.

TRACTATVI de vno atque ente ea ſpeculatio proxima eſſe iure videri poteſt, quæ fuerit de uero ac bono:
B nam omnes res, quæ quoquo pacto ſunt, vtriuſque eorum ſunt etiam participes. etenim Ariſtoteles in ſecundo libro Primæ philoſophiæ inquit, Vnumquodque ità ſe habere ad ueritatem, ſicuti ſe habet ad eſſe. & in primo Ethicorum itidem dicit, bonum dici æqualiter enti. iccirco nobis, quibus inſtitutum eſt tractare de omnibus entibus, ac de eorum principijs, quatenus ſunt entia, nequaquam ſunt omittenda illa, quæ cuique enti conueniunt: præſertim quoniam, ut diximus ſuperius, cùm nequeamus unico conceptu attingere id, quod in primo ente eſt ſimplex atque unicum, pluribus, quorum quiſque deficiens eſt, id aſſequi conamur. Verum autem ac bonum primò uidentur deducta ad
C entia ex facultatibus animæ, intellectu inquam & voluntate; quarum neutra eſt determinati cuiuſdam generis, ſed omnia entia pertingit. ac intellectus ea ratione uidetur attingere, reſpicereque ens, qua ſcilicet uerum eſt. voluntas uerò in omne ens fertur, quatenus boni rationem habet. hinc vtriuſque conceptus atque appellatio emanauit ad entia omnia. indè poſtmodum euenit, ut propria etiam ratione vtrumque conſpexerimus eſſe in entibus; longè priori illa, qua ineſſe entibus vtrumque eorum diximus ex facultatibus animæ ſumpta. Cæterùm, quoniam intellectus prior eſt voluntate, videtur etiam tractatio de uero eam præcedere debere, quæ eſt de bono. At econtra, quoniam res non intelliguntur niſi ſecundum, quòd ſunt in intellectu; voluntas verò fer-
D tur in bonum ſecundum quòd eſt extra voluntatem, & in rebus ipſis extat, (quod ità eſſe aſſerit Ariſtoteles in ſexto libro Primæ philoſophiæ: inquit enim, verum & falſum ſunt in intellectu, bonum & malum ſunt in rebus) res uerò omnes prius in ſe ipſis ſunt, quàm in intellectu: iccirco alicui uideri poſſet, tractatus de bono ei præferri debere, qui eſt de uero. ſed quoniam nos de vtroque eorum nobis agendum duximus, eo præcipuè modo quo conueniunt entibus, qui alius eſt ab eo quo è facultatibus animæ vtrumque eorum deductum eſt ad entia: ac ratio ueri hoc pacto ſumpta, ut uidebimus infrà, maximè coniuncta ſit rationi unius: iccirco putamus de uero prius agendum eſſe, poſtmodum accedemus ad tractationem de bono. Verum igitur primo apparuit in intellectu, nec ta-

men promiſcuè in quauis eius operatione, ſed in ea, quæ compoſitio ac diui- E
ſio dici conſueuit, in qua etiam eſt affirmatio & negatio. nam, ut Ariſtoteles in pluribus locis teſtatur, ac luculenter Plato in Cratylo, conceptu ſimplici neque dicitur uerum neque falſum: ut puta ſi quis dicat hominem aut pecudem, ſiue marmor, acſi plurium rerum imagines depictas habeas, ac earum quamuis depromas, certè nec veritas nec falſitas ibi conſpicitur in ſimplici ea prolatione imaginum. At ſi cœperis imagines adaptare rebus, atque cum exemplaribus componere, & bouis imaginem adaptaueris equo, alter uerò boui, confeſtim prodit veritas ac falſitas; tuamque compoſitionem, ſeu adaptationem malueris, dicemus falſam: alterius uerò qui bouis imaginem con iunxerit boui, ut exemplari, aſſeremus ueram fuiſſe: non diſſimili ratione ſi F
bouem aut equum hominem've conceperis mente, vtique in ea conceptione nec ſalſitas nec veritas vlla apparet. at ſi mente incipias alteram alteri componere, uel ſecundum affirmationem, aut ſecundum negationem, iam incipiet tibi elucere veritas falſitasque. Sed poſtmodum cùm primæ operationis intellectus ſimplex conceptus ab aliqua re ſit deductus, & cuiuſdam entis imago ſit; dicimus quidem ſimplicium intellectum verum eſſe; quia eo attingimus rem illam, cuius conceptum habemus: non tamen propterea confitendum eſt in ſimplici conceptu ueritatem vllam eſſe. Multum namque hæc differunt, quoniam ſimplici illa intelligentia non exprimimus, quòd attingamus rem cuius conceptum gerimus; ſeu quòd non attingamus. non eſt ergo in conceptu ſimplici veritas vlla, licet conceptus ſimplex ſit G
uerus, quemadmodum in tertio libro de Anima Ariſtoteles dicit, aſſeuerans intellectum ipſius, quod quid eſt ſemper eſſe verum. Hîc tamen aduertendum, quòd veritati huiuſmodi ſimplicis intelligentiæ non opponitur falſitas, ſed ignorantia: quemadmodum item Ariſtoteles teſtatur in nono Primæ philoſophiæ: niſi ſimplex is conceptus compoſitionem aliquam in ſe habeat; ratione cuius dici poſſet falſus: ut ſi quis exiſtimaret definitionem alicuius rei eſſe animal inſenſibile. huiuſmodi ergo eſt veritas intellectus, quæ primùm nobis illuxit: inde deducta eſt veritas ad res ipſas; ex habitudine tamen, quam habent ad intellectum prius, deinde poſtea diuerſa etiam quadam ratione, quam exponemus paulò inferius. Ad intellectum uerò res duobus modis referri poſſunt, aut ſicuti effectus illius intellectus, H
ad quem referuntur; ſeu ſicuti cauſæ intellectionis ac ſcientiæ. Res omnes, quæ natura conſtant intellectui noſtro collatæ ſe habent vti cauſæ intellectionis ac ſcientiæ: nam cognitio noſtra gignitur à rebus, à quibus intellectionem haurimus. At res artificio confectæ intellectui artificis collatæ ſe habent ut effectus ad cauſam: nam ſecundum ideam ſeu formam domus mente artificis conceptam domus conſtituitur: ſimili ratione ſtatua omniaque huiuſmodi conſtant. Ab intellectu igitur ad res ipſas deducta eſt veritas, ut quædam ueræ dicantur res, quædam falſæ. ad illas res, quæ natura con ſtant, ac ſunt cauſa intellectionis noſtræ, veritas ac falſitas quodammodo per accidens ac remotè attribuuntur; quoniam res non per ſe habent habi-

A tudinem ad intellectionem noſtram, ſed ſicuti menſura ad menſuratum, de quo modo habitudinum ſuprà diximus. Veræ ergo res dicuntur, quæ aptæ natæ ſunt gignere in nobis cognitionem ueram. at falſæ, quæ in ſe aliquid habent, unde facilè decipi poſſumus: ſic dicimus uerum hominem: pictum uerò, dicimus falſum hominem. Eadem ratione uerum aurum, & aurum pigmentum dicimus aurum falſum, falſum etiam hominem appellamus mendacem & fictum ratione non diſſimili. Hoc ergo pacto ab intellectu noſtro ad res natura conſtantes deducta eſt ueritas ac falſitas. At ea quæ arte confecta ſunt, cùm ſint effectus mentis artificis arte præditi, ac ab arte pendeant, magis propriè atque intimius uera falſa've dici queunt ex intellectio-
B ne noſtra. dicimus namque ueram domum, quæ reſpondet ideæ domus conceptæ; falſam uerò domum, quæ deficit ab idea illa. à quo modo paulatim latiùs ſerpit ueritas ac falſitas. Nam cùm vnuſquiſque effectus ſimilitudinem gerat ſui principij, is effectus, qui principio ſuo accedit, uerus appellari poteſt: at ille qui deficit, falſus; ac quanto magis effectus acceſſit ad cauſam, tanto plus etiam veritatis obtinebit; quanto uerò defecerit, tanto quoque magis obtinebit falſitatis. Cæterùm quoniam omnia entia dependent à primo ente, tanquã à cauſa efficiente, (vt infrà lucidisſimè efficacisſimiſque rationibus probabimus) ac quandam entis primi ſimilitudinem aſſequantur: iccirco ueritas adæquata eſt entitati, ut unumquodque ens etiam uerum dicatur: atque ea ratione, qua ens vnumquodque deficit ab ente primo, tan-
C to etiam minus compos ſit ueritatis, atque ad falſitatem accedat, ſicuti accedit ad non eſſe. Hinc apparet illud, quod paulo antè dicebamus, uerum ualde propinquum eſſe vni. Nanque quanto effectus magis eſt unus cum cauſa, tanto etiam magis obtinebit veritatis. inde fit, ut quoniam primum principium eſt, maximè ſibiipſi unum, neque ad aliud, ſed ad ſeipſum refertur; ſicuti eſt maximè ens, ac maximè unum, ita etiam ſit maximè ac præcipuè uerum; vtpote quòd ſit omnibus alijs cauſa entitatis, vnitatis, ac veritatis: ipſum uerò ſibiipſi, & à ſeipſo ſit ens, unum ac uerum. Quapropter Ariſtoteles in ſecundo libro Primæ philoſophiæ inquit eandem eſſe in unoquoque diſpoſitionem entitatis ac veritatis, quem locum ſuprà adduximus. Quamobrem prima quæque principia entium, quia ſunt maximè entia, ma-
D ximè quoque uera eſſe. Ergo ex hiſce compertum cuilibet eſſe poteſt, uerum dici æqualiter enti. de quo quoniam ſatis dictum uideri poteſt, pro modo huiuſce compendij, paucis à nobis agendum eſt de falſo, quod opponitur uero. Falſum, ſicuti etiam uerum, primò deprehendimus in intellectu, ac in ſecunda operatione intellectus, quæ ſiue fiat compoſitione ſiue diuiſione ac negatione; ſi non reſpondet rei, quam ſignificat, falſa eſt & nuncupatur. prima uerò & ſimplex mentis intelligentia licet dicatur uera, falſa tamen meritò dici non poteſt, niſi per accidens, ratione alicuius compoſitionis in ea exiſtentis, ut ſuprà diximus. Quamobrem in nono Primæ philoſophiæ libro Ariſtoteles dicit, huiuſmodi ueritati primorum intellectum non opponi falſitatem, ſed ignorantiam. Ad res poſtmodum deducta eſt

eſt falſitas. Ac primùm falſæ quædam dicuntur, eo quòd natæ ſunt dece- E
ptionem parere ac falſitatem, ut falſum aurum auri pigmentum, & fel, fal-
ſum mel: inde falſitas etiam transferri poteſt ad effectus illos, qui deficiunt
à cauſa ſua, ut ſicuti quatenus cauſam aſſequuntur, dici poſſunt ueri; ita
etiam, quatenus à cauſa deficiunt, falſi nuncupantur ac veluti ſpurij. de hu-
iuſmodi falſitate tractare pertinet ad primum philoſophum, quemadmo-
dum etiam tractatio de uero, quod falſo huic opponitur, eſt philoſophiæ pri
mæ. Hoc igitur falſum ad multitudinem pertinet, & ad non eſſe. nam ſi-
cuti uerum dicit indiuiſionem & unitatem effectus cum cauſa; ita contrà fal
ſum diuiſionem ſignificat, quæ multitudinis eſt & non entis: & quemad-
modum ea ratione, qua unumquodque aſſequitur aliquam ſimilitudinem F
entis, dicitur ens, ac econtra, qua ratione deficit à perfecta ratione entis, dici
poteſt non ens: ita etiam quatenus unumquodque attingit ad ens, dicitur &
concipitur ut uerum: quia tamen quoduis à perfecta ratione entis deficit; ic-
circo in unoquoque eſt falſitas, præterquam in primo principio omnium.
& ſicuti non ens non exiſtit niſi in quopiam ente, & multitudo non conſtat
niſi in quapiam unitate; ita etiam falſum minimè conſtat præterquam in
quopiam uero, ut exploratum cuilibet facilè eſſe poteſt. illud autem quod
penitus falſum eſt, neque in vlla parte nititur vero, vtique neque dici neque
intelligi poteſt; verùm pertinet ad abyſſum illam multitudinis, à qua omnis
vnitas ſit remota, & ad denſiſſimas tenebras non entis, nequaquam ab acie
mentis penetrabiles. de uero & falſo hactenus. poſtremo nunc loco de bono G
nobis agendum eſt. Boni conceptus, quemadmodum ſuprà diximus, princi-
piò deductus eſt ab appetitu, quod ſuperius annotauimus; vt id ſcilicet di-
ceretur bonum, in quod appetitus fertur. quamobrem Ariſtoteles in prin-
cipio Ethicorum dixit, bonum eſſe quod omnia appetunt. Sed quoniam
appetitus tendit in res, prout in ſe ſunt, non autem ſecundum quod ſunt in
appetitu; ideo bonum magis attinet ad res ipſas, quàm uerum: quoniam
intellectus rem quampiam non intelligit, niſi prout res eſt in intellectu
intelligente. Bonum igitur ſignificat id, quod appetibile eſt. Verùm poſt-
modum cùm ad vlteriora intellectus proceſsit, inſpexitque nihil eſſe ap-
petibile præterquam perfectum, & inquantum perfectionem quandam
habet, poſt primum illum conceptum boni & poſt rationem appetibilis, H
adinuenit atque applicuit conceptum boni perfecto, rei cuicunque, quæ
perfectionis eſſet compos. Et cùm omne ens, quatenus eſt particeps en-
tis, ſit etiam perfectionis eſſe cuiuſpiam particeps, omne ens concepit ut
bonum quodpiam: ſicque bonum enti æquum factum fuit; quamuis a-
liam rationem dicat ens, aliam uerò bonum: id namque, quod ſuprà di-
ctum eſt, pluries quoque eſt repetendum, eo quòd intellectus noſtri con-
ceptus deficiunt à ſimplici illo, cui hæc omnia primò conueniunt: ic-
circo ad id quod ſimplici intelligentia aſſequi non potuimus, multis con-
ceptibus peruenire conamur. Bonum ergo idem eſt cum ente & uno:
ſed ratio boni alia quædam eſt ab vtriuſque eorum ratione. nam bonum
perfe-

A perfectum quoddam dicit: hoc uerò neque ens, neque unum primò ſignificat, licet, ut ſæpe diximus, in vniuſcuiuſque eorum ratione appareat ratio aliorum. Cùm igitur ita ſe habeat ratio boni ad entis rationem: hinc eſt, ut quamuis bonum æqualiter enti dicatur, nihilominus ens ſimpliciter, & bonum ſimpliciter differant: nam per eum actum, quo unumquodque exiſtit, id eſt, per actum & formam ſubſtantialem res eſt ſimpliciter: per actum ſecundum & ultimam perfectionem res eſt ſecundum quid, non ſimpliciter: is namque actus poſterior accidens eſt. econtra uerò per ultimam perfectionem & actum ſecundum res eſt bona ſimpliciter: per actum uerò ſubſtantialem eſt ſecundum quid bona: quoniam ratio entis ſumitur ab eo, idque primò ſignificat, quo aliquid exiſtit. at ratio boni ſumitur ab eo, quo
B quodpiam perfectum ſit & conſummatum. iccirco cùm actu ſubſtantiali res exiſtant; actu uerò ſecundo, qui accidens eſt, minimè; ſunt quoque entia ſimpliciter & abſolutè ab actu ſubſtantiali, non ab actu ſecundo. At quoniam unaquæque res conſummata & perfecta eſt ſua operatione actuque ſecundo, non autem forma ſubſtantiali & actu primo; ideo unumquodque eſt ſimpliciter bonum per actum ſecundum, qui poſterior eſt, non autem per priorem ſubſtantialem ſcilicet. Quoniam ergo ratio boni in perfectione conſiſtit, perfectum uerò quatenus eſt perfectum, & eſt appetibile, & perfectionem ſuam communicat eis, quæ capacia illius ſunt: ita namque Ariſtoteles dicit in ſecundo ac tertio libro de Anima, quòd animatum cùm ad perfe-
C ctionem peruenerit, gignitiuum eſt ſui ſimilis: iccirco bonum meo iudicio præter rationem finis, quam dicit, eſt enim appetibile, ſignificat præterea rationem cauſæ efficientis: quoniam, ut diximus, perfecti eſt ſuam perfectionem capacibus eius impartiri. atque ex hac boni ratione deductum eſt, ut dicatur bonum eſſe communicabile, boni non eſſe inuidere, boni eſſe amare. Huiuſmodi omnia, ut ego cenſeo, non ita uidentur cõuenire bono, prout eſt appetibile, & prout dicit rationem finis; quemadmodum conueniunt bono, quatenus perfectum eſt: perfecti namque eſt perficere, ac ſuam perfectionem aliis impertiri. Omnia uerò hæc præcipuè inueniuntur in primo & ſummo bono, in cæteris uerò bonis, prout ſunt bona, pro cuiuſque captu. Hiſce hactenus demonſtratis compertum iam cuicunque eſſe poteſt, quam-
D uis unumquodque quod eſt, quatenus particeps eſt entitatis, eſſe etiam particeps bonitatis: non tamen propterea uerè & propriè poſſe dici bonum, niſi perfectionem eam adeptum fuerit, quæ ipſi natura debeatur. ea uerò, quæ deficiunt à perfectione natura ſibi conueniente, nequaquam poſſe dici propriè bona: ideo ex huiuſmodi priuatione malum originem habet, ut inferius oſtendemus. Bonum igitur, quoniam appetibile eſt, & quia ex perfectionis redundantia impertiri his, quæ capacia ſunt, bonitatem ſuam quærit; ideo ex bono originem trahit amor, quem iuxta duplicem eam boni rationem duplicem quoque non iniuria ponemus: nam quoniam bonum appetibile eſt, iccirco unumquodque appetit, amatque bonum ſuum. hic autem amor non omnino plenus eſt, ſed natus, ut inquit Plato in Conui-

uio, ex abundantia & penuria. Etenim quoniam amans perfectionis & bonitatis capax eſt, ideo hac in parte uidetur abundans eſſe: (nam quoddam bonum eſt, quædamque perfectio eſſe boni capax) quatenus uerò eo caret, quod aſſequi cupit, uidetur eſſe indigens. quando uerò bonum quod appetebat, fuerit quodpiam conſecutum, atque in eo quieſcat, ceſſat prior ille amor, qui deſiderium quoddam eſt illius potiundi, & uoluptas conſequitur, quæ eſt quædam quies in bono concupito prius, cuius compos ſit factum. Alter uerò amor radicem habet in bono, non quatenus appetibile eſt, ſed ratione qua perfectum eſt. Huic amori in amante nulla eſt cognatio cum indigentia, immo totus eſt in perfectione & redundantia perfectionis conſtitutus: ſed ſi locus fuerit indigentiæ, erit in re amata, modo prorſus priori amoris ſpeciei oppoſito. nam in amante indigentia erat, in amato abundantia. Hic econtra eſt, ac quidem longè perfectior eſt poſterior hic amoris modus. ille namque qui amat priori eo amoris genere, bonum quod appetit, ſibi, non amato cupit. At illud, quod perfectum in ſe eſt amatque, ut impertiatur bonum quod poſſidet, uerè ac propriè non ſe amat, neque ſibi bonum cupit, ſed alteri. huiuſmodi uerò amor naturam boni conſequitur, ſicuti riſibilitas naturam hominis. Qua in re mihi uidetur Auicenna ualde laborare, neque ſatis attigiſſe huius amoris naturam: ac propterea neque ſatis perſpexiſſe quænam ſit boni, ac perfectione redundātis natura. In eo namque loco ubi tractat, quomodo res à primo principio productæ fuerint, uidetur non poſſe ſatis intelligere, quonam pacto agens quodpiam ex propoſito in agendo ſibiipſi bonum non quærat: multumque in hoc nodo uertitur; tanquam amor omnis ſignificet in amante indigentiam quandam, cuius perficiendæ gratia amet. At nos dicimus perfectum ac redundans bonum amare, atque ex amore agere, non ut ſibi bonum cupiat at quærat, uerùm ut his impertiat, quæ capacia ſunt. Quinimmo hic amor in bono exiſtens excitet ſecundum amorem in indigente; facitque ut indigens ac perfectibile perfectionem ac bonum ſuum cupiat, quærat, ac tandem adipiſcatur. Longè melius Plato in Timæo, Cauſam etenim productionis rerum cùm adferret, inquit, conditor optimus erat: ac optimi non eſt inuidere: nam inuidia procul abeſt à natura perfecti & à natura potioris illius amoris, quo bonum aliis quæritur: ſed cum eo amore, qui indigentis eſt, ſatis conuenire inuidia poteſt: qui ſi expellere uoluerit inuidentiæ uirus, neceſſe eſt, ut pro uiribus priorem illum amorem æmuletur; ut ſcilicet qui amat bonum cupiat capacibus boni, ſiue id iam adepta ſint, ſiue deſiderio in id ferantur, quod ab ipſo tribui illis queat, uel ab alio quopiam. Cæterùm de modo productionis rerum à prima cauſa, ac de amore plura proceſſu operis à nobis dicentur. Negotio, de quo in præſentia agimus, hæc ſint ſatis; ſi illud tantùm adiunxerimus, utrumque amorem extaſim amantis facere. Nam in poſteriore amoris genere, quo aliquid cupitur ut bonum & appetibile, amatum fit forma amantis, qua ratione neſcio quonam pacto amās in amatum transformatur, ac extra ſe fit. Nō diſſimili modo in priori quoque amoris genere,

quo

A quo bonum amat ea, quæ ſunt perfectionis capacia ſuamque eis bonitatem
impertit, extra ſe fit bonum: ac neſcio quonam modo incipit eſſe in altero,
eo ſcilicet cui ſe impertijt. Conſequens tractatui de bono eſt, ut nonnulla
de malo diſſeramus, quod bono opponitur, ceu falſum uero, & uni mul-
tum. Nonnulli exiſtimauêre, in quibus Pythagorici fuiſſe uidentur, ma-
lum eſſe naturam quandam bono oppoſitam. At cùm ea, quæ ſunt effectus,
ad primas cauſas, primaque principia quædam reducantur, inuenêre princi-
pia prima malorum diuerſa, quin potius oppoſita principiis bonorum. At
quoniam Pythagorici magni faciebant numeros, atque inter cæteros dena-
rium; ideo conſtituêre decem malorum principia; de quibus Ariſtoteles
B meminit in primo libro Metaphyſices: ſed Themiſtius latiùs in tertio Phy-
ſicorum. Ab hiſce nonnulli diſſenſêre. Ac quoniam multitudo omnis ad
unitatem reduci, ad eamque tendere uidebatur, unum quoque dixerunt
principium malorum oppoſitum primo bonorum principio. Hanc poſi-
tionem longius refellere ſi vellem, acta, ut dici ſolet, agerem: cùm à ſummis
viris, magnis pulcherrimiſque operibus ſint huiuſmodi poſitiones confuta-
tæ. Nobis tantùm id ſufficiat dixiſſe, Omnem naturam, quatenus eſſe habet,
bónam eſſe; neque omnino ab appetitu boni recedere poſſe: quamuis for-
taſſe à potiori bono ad inferius retrocedat; fieri tamen nequit, ut omnino ab
appetitu bono deſtituatur, ne've ipſa quodpiam bonum non ſit. Sed di-
cet quiſpiam, Si malum natura nulla eſt, quo modo ergo erit malum in re-
C bus, quæ tamen plurima eſſe quilibet exploratum habet? huic reſponde-
mus, malum non eſſe in rebus veluti naturam, ſed tanquam priuationem
quandam, ratione cuius ſubiectum, in quo eſt, atque natura cui adiuncta eſt
huiuſmodi carentia, mala dici conſueuêre. ſicuti ergo non ens non exiſtit,
niſi coniunctum alicui enti; quomodo namque non ens per ſe exiſtat? ita
malum eſſe nequit præterquam bono coniunctum. Nam cùm ab ipſo bo-
no recedimus, iam in particularibus bonis incipit apparere perfecti boni
defectus ac priuatio; quoddam videlicet veſtigium mali. quòd ſi adhuc infrà
tetenderimus, inueniemus in bonis contractioribus non tantùm defectum
ſummi abſolutique boni, verumetiam defectum boni; quod alioqui naturæ
illi deberetur. ac tunc primum tum uideri, tum eſſe malum incipit. Propriè
D namque id malum dicere ſolemus, cui deeſt quodpiam bonum, quod illi na-
tura debetur: ut id ſcilicet ſit malum, quod à natura ſua degenerat. Præterea
bona hæc contracta ob imperfectionem & contractionem ſui, ſimul eſſe non
poſſunt; ſed unius adeptionem conſequutionemque ſequitur abolitio cor-
ruptioque alterius: immò inuicem incipiunt eſſe inimica, aduerſantia atque
cõtraria: inde fit, ut alterum alteri corruptionem atque interitum moliatur.
Hinc turba illa malorum prodit: quæ tamen omnia licet viciſſim ſibi ſint ma-
la ac pernicioſa, attamen abſolutè mala non ſunt, ſed contracta bona. Ex
defectu ergo & priuatione malum, neque habet per ſe cauſam efficientem,
ſed, ut probè inquit Auguſtinus, malum cauſam habet deficientem, niſi for-
taſſe per accidens: quoniam cauſa generationis cuiuſpiam rei, item cauſa eſt

corruptionis alterius rei per accidens: iccirco etiam mali & priuationis per E
accidens cauſa eſt. Malum igitur non opponitur bono, ut natura quædam,
ſed ut priuatio; quæ tamen non exiſteret, niſi in bono eſſet & bono cuipiam
adiuncta. Verùm cùm in operatione cuiuſpiam defectus, & priuatio huiuſ-
modi fuerit, id propriè peccatum dici ſolet. Vnde etiam natura peccare di-
citur, cùm monſtrum generatur: ſin uerò ea actio agentis rationalis fuerit,
iam non tantùm peccatum, ſed etiam culpa eſt. inde habitus ac diſpoſitiones
ad huiuſmodi operationes uel rectas uel prauas, dicuntur uirtutes ac uitia.
Ac iam inter bona malaque huiuſce ordinis incipit apparere contrarietas,
ut malum non tantùm boni priuatio ſit, ſed etiam bono contrarium. Cæte-
rùm quoniam de bono & malo generi morum proprio non eſt primæ phi- F
loſophiæ ſpeculari, ſed illius doctrinæ, quæ moralis ſeu ciuilis dici ſolet: ic-
circo hæc in præſentia miſſa faciamus, dicamuſque quamuis malum propriè
ſumptum non ſit quicunque defectus boni, ſed priuatio, id eſt, defectus bo-
ni, quod alioqui naturæ illi deberetur: tamen, latius ſi rationem mali ex-
tendamus, quicunque boni defectus poterit dici malum. atque hoc pacto
nullum ens præter primum erit immune à malo; ſicuti etiam nullum ens à
primo immune eſt multitudinis non entis, & falſi, ut ſuprà oſtendimus. Ac
ſicuti non ens purum immixtum enti, id eſt, in quo nihil omnino ſit entis, &
ea multitudo, quæ omnino ſit expers cuiuſcunque vnitatis; & falſum, in quo
nihil vlla in parte ſit veri, non tantùm exiſtere non poſſunt, ſed neque etiam
intelligi: ita malum illud; quod omni ex parte ſit boni expers, non tantùm G
exiſtere ſuapte vi poterit, ſed neque percipi mente poterit. Hæc ferè prodita
ſunt ab antiquioribus philoſophis tanquam enti æqualia. Auicēna poſt priſ-
cos excellens auctor, quatuor hiſce addit, rem & aliquid. Sed quoniam res
dicitur tanquam quæ eſſe ratum habeat; & aliquid veluti non aliud quid à
ſeipſo, ſed ſibi indiuiſum; ideo res attinens quoddam, agnatumque enti ui-
detur: aliquid uerò uni, nam non eſſe aliud quid à ſeipſo ſi quis dixerit, dicet
vtique illud eſſe à ſe ipſo indiuiſum, quod eſt unum eſſe. Quamobrem cùm
ſatis ſuperius tractatum à nobis ſit tum de ente, tum de uno, non eſt quod
præterea uel de re uel de aliquo quippiam ſit addendum. Verùm quoniam
præcipua entis diuiſio deductioque eſt per actum & potentiam, operæpre-
tium erit, maximeque ad primam philoſophiam accommodatum, ut pau- H
ca quædam perſtringamus de vtroque horum. Nam ſi plurimum vellem in
ea re immorari, de qua Ariſtoteles ſummus philoſophus accuratè luculen-
terque diſſeruit in nono libro Primæ philoſophiæ; ineptus meritò haberi
poſſem. Potentia propriè ſumpta duplex eſt, actiua inquam & paſſiua. acti-
ua potentia eſt principium agendi in alterum, inquantum alterum. poten-
tia uerò paſſiua eſt principium, quo quodpiam poteſt ab altero pati, inquan-
tum alterum. Non dicimus tranſmutandi, ut Ariſtoteles, ne preſſius acci-
pere potentiam uideamur: eam ſcilicet, quæ eſt in rebus mobilibus. hîc et-
enim etiam actionem & paſſionem latiſſimè capimus, non eam preſſam
quæ non eſt abſque alteratione. Potentia uerò actiua, quæ eſt agendi prin-
cipium,

A cipium, primò quidem duplex eſt, rationalis ſcilicet & irrationalis: irratio-
nalis potentia eſt tantùm ad unum, ut puta potentia calefaciendi in igne, &
frigeſaciendi in aqua. Rationalis uerò potentia eadem eſt contrariorum,
quoniam eadem etiam eſt ratio contrariorum, eademque ſcientia. iccir-
co huiuſmodi rationalis potentia cùm ſimul agere contraria nequeant, ex
ſe uerò ſit indeterminata ad contraria, in actum non prodit, niſi per electio-
nem definiatur ad alterutrum. Paſſiua uerò potentia, quæ eſt principium
patiendi, quædam quæ magis propriè etiam potentia eſſe & dici conſue-
uit, ea eſt quæ actum excludit. Alia uerò potentia eſt, quæ actum non ex-
cludit; id eſt, quæ eſſe nequit abſque actu ſuo, cui ſubijcitur: & ideo poten-
B tia & ſit & dicatur. Prioris ordinis potentia paſſiua eadem eſt contrario-
rum: non enim carere actu unius contrarij poteſt, niſi perficiatur ab alte-
ro comparique contrario: & iccirco eadem eſt, quæ ab vtroque contrario-
rum, quamuis non ſimul poteſt perfici. Contraria namque, ut ſuprà dixi-
mus, conueniunt in eodem genere atque in eodem ſubiecto. non tamen in-
ficias iuerim, hanc potentiam, quæ contrariorum eſt, magis propenſam na-
tura eſſe, potiusque habere id contrarium ex duobus quòd ſe habet ut habi-
tus, & perfectius eſt, quàm alterum quòd uel imperfectius eſt, uel ut pri-
uatio ſe habeat. At illa potentia quæ actum non excludit, ſed ſubijcitur a-
ctui proprio, ab eoque perficitur; eadem non eſt contrariorum, quia eo-
rum alterum tantum ſibi adſciuit ut proprium: ac huiuſmodi potentia in-
C uenitur in corporibus cœleſtibus; necnon etiam in ſubſtantiis illis, quas
proprietatibus quibuſdam natura inſigniuit, vt puta ignem caliditate & a-
quam humiditate. quocirca Ariſtoteles in Prædicamentis cùm dixiſſet il-
lorum eſſe aliquid medium, quorum non eſt neceſſarium alterum ineſſe
ſuſceptibili, ſubdit, niſi ſi qua eorum alterum natura ſibi præſcribat. In
hiſce tamen ubi uera eſt contrarietas, quamuis eadem ſubſtantia comple-
ta, ut puta ignis uel aqua, non ſit ſuſceptiua contrariorum; materia tamen,
ex qua conſtant huiuſmodi ſubſtantiæ, eadem ſuſceptiua eſt contrariorum.
Tot igitur ſunt potentiæ ſpecies, quibus illud commune eſt, ut ſint quædam
inchoationes actus ac perfectionis: quamobrem inchoatio & potentia ad
imperfectionem, ſeu ad priuationem & corruptionem à nobis potentia non
D dicetur, ſed impotentia. Nam quemadmodum illud, quod non poteſt qua-
piam perfectione perfici, impotens & eſt, & dicitur; ita etiam illud, quod
poteſt imperfici, ſeu perfectione quapiam priuari, impotens eſt, ac per im-
potentiam imbecillitatemque, non autem per potentiam, dicitur poſſe in-
commodum illud pati: econtra reſiſtere ac repugnare corrumpenti imper-
ficienti've eſt ex potentia. Vt ergo diximus, uera potentia eſt quædam a-
ctus inchoatio, diuerſa tamen ratione inchoatio actus intelligitur in po-
tentia paſſiua & in actiua. Nam paſſiua potentia inchoatio quædam eſt a-
ctus, qui pertinet ad id, in quo eſt potentia, immo qui perfectio eſt illius
potentiæ. At is actus, cuius inchoatio eſt potentia actiua, non eſt per-
fectio agentis aut potentiæ actiuæ, ſed patientis ac paſſiuæ potentiæ. &

 ideo

ideo potentia paſſiua imperfectionem quandam ſignificat in eo in quo eſt, E
cuius actus proprius perfectio eſt. At in potentia actiua nullam dicit imper-
fectionem in agente, immo ex perfectione eſt. Non enim eſt inchoatio actus
ſeu perfectionis agentis in agenteque, ſed eſt inchoatio effectus agentis. Nam
effectus omnis antequam fiat, ſicut eſt in potentia patientis, ita quoque eſt in
virtute agentis. & iccirco in vtroque inchoationem quandam habet. Sed di-
uerſa eſt hæc inchoatio, quia in patiente eſt imperfectio capax perfectionis;
in agente uerò eſt perfectio & virtus agentis. Verumtamen potentia hæc agẽ
tis, quam diximus inchoationem effectus, tanquam quæ effectum contineat,
triplici modo ſe habere poteſt ad effectum. Nam uel continet effectum ſecun
dũ eã rationẽ, ſecundum quã effectus producitur ac exiſtit; ut ignis qui ignẽ F
generat. vel effectus continetur in potentia agentis, non eadẽ ratione qua in
ſe eſt. hoc uerò adhuc duplici ratione accidere poteſt; nam uel imperfectiori
modo continetur effectus in agente, quàm in ſe ipſe eſt, uel modo & ratione.
perfectiori. Exemplũ prioris, ſicuti ſemen in quo eſt vis productiua animalis
vel plantæ, ſeu ſerra in qua eſt vis factiua ſcamni. Poſterioris modi exemplũ,
ut in ſole eſt vis plantæ productrix, & in corporibus cœleſtibus vis eſt horũ
inferiorũ generabiliũ effectiua: nõ quòd in eorũ potentia ſit forma plãtæ aut
cuiuſpiã generabilis ſecundũ eandem rationẽ, qua eſt in planta aut in quopiã
alio generato, nec ſecundũ rationẽ inferiorem, ut in inſtrumento, ſed quoniã
inſit ſecundum eminentiã & excellentiam quandã. Quo in loco illud non eſt
prætereundũ, agentia illa, in quibus eſt effectus forma, ſeu ſecundum eandem G
rationẽ, ſeu ſecundũ inferiorem rationem, eſſe veluti inſtrumenta quædã, &
indigere ad actionem quæque ſuam, ſuperioris agentis fomento, cuius ratio
eſt, primò quantũ ad illa agentia, in quibus effectus eſt ſecundũ inferiorẽ mo
dum; quia ex nihilo nihil fit: iccircò nihil poteſt actione ſua pertingere ad id,
quod eſt perfectius ſe. Quamobrem ſi effectus in quopiam fuerit ſecundum
rationẽ inferiorem, impoſſibile eſt id agens virtute propria pertingere ad eũ
effectum producendum; ſed indiget ſuperiori agente, in quo effectus perfe-
ctiori modo ſit, cuius poſterius hoc agens veluti inſtrumentum ſit. At agen-
tis, in quo effectus ſit ſecundum eandem rationem, illa eſt conditio, ut eſſe nõ
queat effectus cauſa, præterquam dum ſit, ſeu in fieri, non autem in eſſe; eo
quòd non eſt cauſa formæ illius per ſe, id eſt inquantum talis forma eſt: ſic H
enim ſui ipſius eſſet cauſa. indiget ergo ſuperiori agente, quod ſit cauſa per ſe
illius formæ. Etenim cum effici queat, cauſam habeat neceſſe eſt. Aliter etiã
eandem rationem formemus. Omne in quo aliqua perfectio exiſtit ſecundũ
participationem, indiget ut foueatur ab aliquo, in quo forma illa perfectè ſe-
cundum ſe totam exiſtat; id eſt completè & non participatione quadam. Ta-
le autem agens opus eſt, ut contineat formam illam eminentiori modo & ra
tione potiori; iam enim ideæ repudiatæ ſunt. Ecce quonam pacto colligitur
illud agens, in quo eſt forma effectus ſecundum eandem rationem, indigere
ſuperiori quodam agente à quo foueatur; eo inquam in quo forma effectus
non ſit ſecundum participationem, ſed ſecundum eminentiam. Satis iam ar-

bitror

A hitrorum expoſitum eſſe quonam pacto diuerſa ratione inchoatio actus ſit in potentia paſſiua & in potentia actiua. ſed quoniam ratio & definitio potentiæ ſumitur ab actu, ut perfectius intelligantur ea, quæ dicta ſunt de potentia; pauca quædā de actu ſubijcienda ſunt his, quæ de potentia tractata ſunt. Actus omnis perfectionem dicit. perfectio uerò multiplex eſt: nam quædam ſunt perfectiones, quæ complent ſubſtantiam per ſe exiſtentem. ac eiuſmodi perfectiones dicuntur formæ ſeu actus ſubſtantiales, à quibus ſubſtantia eſſe habet. quædam uerò perfectiones adueniunt ſubſtantiæ iam exiſtenti: & hæ, actus accidentales nuncupantur: hi uerò quidam perfecti ſunt, quidam imperfecti, id eſt, ſemper admixti potentiæ. perfecti, ut albedo, nigredo, figura, B ac huiuſmodi. imperfecti, ut motus & tempus: nunquam enim horum actus perfectus eſt, ſed ſemper potentiæ admixtus. quare ſi quis omnem ab eis potentiam auferat, auferet etiam proculdubio, quemuis actum ut omnibus con ſtat. Ex actibus illis qui perfecti ſunt, quidam ſecundum eſſe & ſecundum ſpeciem ſunt imperfectiores ſubſtantia, ſicuti accidentia per accidens & proprietates, quæ ſubſtantiam quampiam conſequuntur: Nonnulli uerò actus qui itidem accidentia ſunt, quamuis ſecundum eſſe imperfectiores exiſtant ſubſtantia, cuius ſunt actus; tamen ratione propriæ ſpeciei perfectiores ſubſtantia illa, cuius ſunt actus. huiuſmodi ſunt operationes & habitus perfectiui ſubſtantiarum, ut ſcientia & intelligere intellectui comparata: quæ quoniam accidētia ſunt, vtique imperfectius etiā eſſe habebunt quàm ſubſtātia, vtpote C quæ per ſe exiſtit. Attamen ſecundum rationem propriæ ſpeciei ſunt ſubſtantia perfectiora; quia ſunt quædam participationes naturæ ſubſtantiæque longè ſuperioris ac prioris intellectus, in qua natura vtique ſubſtantiæ ſunt: at in natura inferiori, à modo propriæ ſpeciei degenerant, atque accidentia fiunt, participationesque ſunt naturæ longè præſtātioris, per quæ intellectus quodam modo attingit ea, quæ ipſo præſtātiora eminentioraque exiſtunt. Actus uerò ſi comparetur ad potentiam, prior eſt & definitione & natura & perfectione, necnon etiam tempore, ſi potentia temporaria fuerit, non æterna. Quòd actus perfectior ſit potentia, perſpicuum eſt: nam potentia eſt inchoatio actus, actus uerò perfectio potentiæ. Quòd etiam natura prior ſit actus, manifeſtum eſt; nam perfectum natura prius eſt imperfecto: imperfectum D etenim tum dicitur, cùm exiſtit per deficientiam à perfecto. Quòd etiam definitione prior ſit actus, nulli ambiguum eſſe poteſt: nam potentia neque definiri poteſt, neque intelligi niſi per actum: actus uerò non eget in ſui definitione potentia. At quòd tempore prior ſit actus potentia temporaria, neminem latet: nam potentia illa non potuit deduci de non eſſe ad eſſe, niſi à quopiam quod actu eſſet. Cæterùm in his, quæ de potētia ad actum deducuntur; potentia tempore eſt prior actu illo, non autem actu abſolutè, quoniam effectus nullus de potentia ad actum deducitur, niſi ab aliquo exiſtente in actu. Quamquam longè plura dici poſſent de potentia & actu, nihilominus compendio huic noſtro ea, quæ hactenus diximus, ſatis uideri debent.

LIBER QVARTVS.

SAPIENTIAM non circa partem quampiam entis, ut cæ-
teras ſcientias, ſed circa ens ipſum verſari, atque age-
re de primis principijs entium, quatenus entia ſunt, F
iam ſtatim in exordio huius opuſculi expoſuimus. nec-
non etiam oſtendimus ens de entibus dici, non eadem
ratione, neque penitus diuerſa, ſed ad eandem; quæ
primis entium conueniat. ob vtramque igitur cauſam aggredienda à
nobis tractatio eſt de primis principiis entium; ex quibus deductum de-
riuatumque eſt ipſum eſſe, in cætera omnia quæ ſunt. Primùm ue-
rò omnium id breui ratione probandum eſt in principiis entium, cu-
iuſcunque illa fuerint ordinis, non poſſe in infinitum procedi, ſed ad
quædam principia deueniri, quæ ſint prima, & in quibus ſiſti oportet:
teat: quod certiſſimo argumento ita ſe habere conuincitur. Nam in
vnoquoque genere principiorum, in quo principia quæpiam fuerint prio- G
ra; quædam uerò poſteriora & veluti ſecunda principia, ſemper om-
nis vis poſterioris dependet à priori cauſa in eo genere, illique inniti-
tur. exempli cauſa, in genere principij efficientis, ſi duo agentia fuerint,
alterum poſterius, alterum prius; poſterius agens ſemper innititur vi
prioris: quæ ſi ceſſaret, poſterius vtique agens nihil poſſet agere. ſic ſer-
ra nihil agit niſi adſit faber lignarius; neque plantæ ſemen aut anima-
lis abſque vi cœleſtium corporum. Eadem propemodum ratio eſt in
genere cauſæ materialis: materia namque ſecunda opus eſt, ut primæ
inhæreſcat; ex qua vim habeat, vt materia & eſſe, & dici queat. ſic in
finibus, medij etenim propter ultimum finem expetuntur. Non diſſi-
milis modus eſt formæ; omnes namque differentiæ ſuperiores continen- H
tur in ultima differentia; atque ab ea complentur. quamobrem vniuerſa-
li quadam ratione probatum ſatis videri poteſt, medias quaſque cauſas
veluti inſtrumenta quædam eſſe priorum ſui generis: inſtrumenta uerò
non agunt, neque vim vllam habent, ſi virtus primi agentis ceſſauerit.
Ex his liquidò, & luce clarius colligitur, infinita principia eſſe non poſſe;
ſed ad prima deueniri. nam in infinitis principijs nullum conſtitui primum
poteſt, ſed omnia media ſunt, ac veluti inſtrumenta: inſtrumentum uerò
agere quodpiam nequit virtute primi principij ceſſante. igitur ad prima de-
ueniendum eſt, à quibus vis in poſteriora defluat. Ariſtoteles in ſecundo li-
bro Metaphyſices rationes adducit, quibus ſigillatim in vnoquoque gene-

A re cauſæ id probet,quas in eo loco facilè quilibet poterit intueri,ut omittam ea, quæ dicit in octauo Phyſicorum de cauſa mouente, & in primo Poſteriorum de cauſa formali, quam explicat definitio. Cùm ergo omnino repudiandus ſit proceſſus ad infinita, & ad prima principia deueniendum; vtique etiam entium, quatenus entia ſunt, prima aliqua principia cõſtituenda ſunt. Verùm quoniam tum intrinſecæ cauſæ principia appellantur, tum extrinſecæ ut efficientes & fines: ſi qua fuerint principia, cauſæ'ue ſeu intrinſecæ ſeu extrinſecæ,quæ pendeant ab alijs cauſis:ea nimirum principia prima entium neque eſſe,neque dici iure poterũt. De primis ergo principijs entium (omiſſo interim, an unum ſint an plura) primùm ſcrutari conemur, quid non ſint:
B deinde uerò pro tenuitate ingenij noſtri eo quo poterimus pacto tentabimus leui ſignificatione innuere quid ſint. Principium primum entium corpus eſſe non poteſt, multis de cauſis: nam corpus omne mobile eſt, motus uerò generatio quædam, qua de quodam non eſſe tenditur ad quoddam eſſe: à primo uerò principio totius eſſe, maximè alienum eſt non eſſe. Amplius motus omnis actus eſt entis in potentia. Cùm autem actus prior ſit potentia qualibet, ut ſuperius comprobatum eſt,primo enti potentia conuenire non poteſt,quamobrem neque corpus eſſe. Præterea omne mobile à motore quodam mouetur, qui eſt prior & perfectior mobili: primum uerò à nullo mouetur, neque ab vllo pendet: ergo primum principium non poteſt eſſe mobile,quare neque corpus. Amplius,omne corpus conſtat ex partibus,
C quarum quæuis ſaltem per ſe ſumpta ſecundum rem à toto diſtinguitur: dependet igitur quodlibet corpus ab alijs à ſe: primum uerò principium non poteſt pendêre ab alio à ſe:nam ſi dependeret ab alio, non eſſet primum: non ergo primum principium corpus eſſe poterit. Idem quoque probari poteſt rationibus ſumptis ab uno: nam quauis multitudine prius eſt unum, corpus autem omne maximè addictum eſt multitudini, multitudinemque præcipuè præſefert. igitur corpus primum locum in entibus nequaquam tenere poteſt. Minor propoſitio huius rationis adſtruitur, ne quis dubitet; tum quia corpus omne multitudinem, immo infinitatem quandam partium habet: tum quia cùm mobile ſit, de eſſe quopiam ad aliud tendit, eoque pacto quandam, ut ita dixerim, eſſendi multitudinem ſecum defert. Quòd ſi
D ex ratione boni rem hanc ſcrutatus fueris, idem proculdubio tibi liquebit. illud etenim quod continuo quodam tenore ſemper generatur, & nunquam eſt, ut inquit Plato in Timæo, certè ex omni parte perfectum atque abſolutum eſſe nequit: mobile autem omne, cuius ordinis eſt corpus, ſemper generatur; quoniam ex vna eſſendi diſpoſitione ad aliam tendit, ſimul eas omnes minimè poſſidere poteſt: ergo mobile nullum perfectè atque abſolutè bonum poteſt eſſe. Item cùm actus ſit perfectio potentiæ, id quod aliquo pacto eſt in potentia, non poteſt eſſe omnino perfectum: ſed omne corpus quia mobile eſt, eſt in potentia: motus namque eſt actus entis in potentia; igitur nullum corpus eſt abſolutè perfectum. Amplius corpus omne conſtat ex partibus: partes autem habent eſſe deficiens, & eſſe in potentia:

ergo ratione partium quamuis alia deeſſent, in quolibet corpore eſt poten- E
tia: quare nullum corpus eſt abſolutè bonum. Ex veri etiam natura idem
colligitur, nam verum id eſt, quod eſt conforme ſuo principio. Primum er-
go verum eſt id, quod ſibi ipſi tantùm conforme eſt; & à nullo pendet: hoc
enim modo erit prima radix & prima origo veritatis. Corpus autem nullum
rationibus iam expoſitis apparet tale eſſe poſſe; ut ſit omnino independens.
neque igitur prima veritatis origo ſeu fons eſſe poterit. Ecce ergo quàm lu-
culenter probatum eſt primum entium principium corpus eſſe non poſſe.
Nequit etiam fieri; ut primum principium entium ſit forma aliqua corpo-
rea, ſeu materialis. nam huiuſmodi forma duplex eſt, accidentalis inquam,
& quæ ſubſtantiam conſtituit. Exploratum cuicunque eſt primum entium F
principium nulla ratione fieri poſſe, ut ſit accidentalis forma; quoniam acci-
dens omne poſterius eſt ſubſtantia; primum uerò principium eſt omnium
primum. Amplius, accidens propriè non eſt, quia ipſum ſit, ſed quoniam
eo aliquod eſt affectum. Primum uerò principium entium maximè propriè
eſt. Item, ens poſterius dicitur de accidente quàm de ſubſtantia: at de primo
principio, ſicuti maximè, ita primò etiam dicitur; de aliis uerò entibus per
habitudinem ad primum. Certiſſimis ergo rationibus conſtat, euidentiſſi-
mis que argumentis, primum principium non eſſe formam accidentalem.
Sed neque natura formæ materialis, quæ ſubſtantiam conſtituit, ac propter-
ea ſubſtantialis forma dici conſueuit, primo principio conuenire poteſt: for-
ma namque materialis à materia dependet, tanquam à cauſa in ſuo eſſe: ſed G
primum principium à nullo dependet: qui namque fieri poſſet, ut eſſet pri-
mum? igitur forma materialis minimè omnium erit. Præterea omnis forma
materialis habet eſſe incompletum; ac propterea non eſt per ſe, neque etiam
definiri, intelligi ve perfectè poteſt, niſi cũ materia. At primo principio con-
uenit eſſe maximè omnium perfectiſſimum. igitur primum principium for-
ma materialis eſſe non poterit. Amplius omnis forma materialis diuiditur,
prout diuiditur etiam materia, in qua eſt, & à qua in eſſe dependet. at diuiſi-
bilitas repugnat primo, ſicuti etiam multitudo; quoniam eſt maximè vnum;
de cuius ratione eſt indiuiſio. Amplius, quæcunque forma materialis eſt
definitiua per materiam ad certum locum, certumque tempus: quamobrem
actionem quoque definitam habet, certoque loco, tempori ve accommoda- H
tam; ſed primi principij actio minimè definita eſt; atque ad omnia pertinet.
Ad hæc, omnis forma materialis eſt mobilis, atque ad ſubiecti mutationem
immutatur: Sed primum principium eſt omnino expers mutationis, ut ſu-
perius demonſtratum eſt. fieri ergo nullo modo poteſt, ut primum princi-
pium ſit forma materialis. Eſt præter iſtas ratio Ariſtotelis in octauo Phyſi-
corum. nam rationibus phyſicis ſatis ei philoſopho probatum eſſe uidebā-
tur, motum æternum eſſe, atque continuum: ex quo colligi putabat virtu-
tem mouentem non eſſe virtutem in corpore, ſed indiuiſibilem. virtus nam-
que omnis diuiſibilis tempore finito mouet, infinito autē minimè. eſt enim
virtus quæcunque diuiſibilis, quæ item corporea eſt, in corpore finito: ne-

A quit enim corpus aliquod infinitum eſſe. virtus verò corporea finiti corpo-
ris eſt finitæ actionis. nam eius pars, quia eſſe deficiens habet, in minori tem-
pore mouebit, quàm tota virtus: eo namque modo res quæuis agit quo eſt.
ergo pars tempore finito mouebit. At tota virtus ea proportione, qua partem
excedit, maiori quoque tempore mouebit. quamobrem colligitur eam etiã
finito tempore moturam eſſe. non autem infinito: nam infiniti ad finitum
tempus quo pars mouet, nulla eſt proportio, nullaque comparatio; quam
tamen eſſe opus eſt inter totum & partem. Sic ergo in omnibus exploratum
eſſe poteſt primum priocipium entium, quod etiam cuiuſque motus prima
cauſa, primumque principium exiſtit, virtutem corpoream ſeu diuiſibilem
B eſſe non poſſe: in qua, ut ſuperius tetigimus, totum eſt poſt partes ac à parti-
bus pendet, à quibus etiam conflatum eſt, ac ad infinitatem materiæ non en-
tisque tendit. Sed ratione quoque ſatis efficaci conuincitur primam hanc
entium cauſam neque etiam eſſe poſſe formam corporis abſtractam à ma-
teria incorpoream, atque indiuiſibilem: quales ſunt animæ corporum cœle-
ſtium. Anima nanque omnis quoniam forma eſt corporis, proportionem
habet ad corpus illud, cuius eſt forma: corpus autem omne diuiſibile eſt. ic-
circo omnis anima uel eſt diuiſibilis, ut eæ quæ materiales ſunt: uel quan-
dam ſapiunt præſeferuntque diuiſibilitatis naturam, ut eæ quæ ſunt imma-
teriales & abſtractæ. qua de re Plato in Timæo dicit animam conſtitutam
eſſe ex indiuiſibili & diuiſibili, ſubſtantiaque, ſiue eſſentiam dicere malue-
C ris: ac ſi diceret eſſentiam animæ conſiſtere inter ea, quæ penitus indiuiſibi-
lia ſunt, & ea, quæ penitus ſunt diuiſibilia, corporea inquam; ac propterea
vtrorumque naturam referre, ut indiuiſibili ſuo attingat ea, quæ indiuiſibi-
lia ſunt, animæque natura præſtantiora: diuiſibili uerò item ſuo attingat cor-
porea diuiſibilia, quibus conuenire eam oportet, vtpote quæ eorum ſit
forma. Præterea omnis anima, quia eſt actus corporis, non agit in exteriora;
præterquam vtens corpore cuius eſt forma, tanquam inſtrumento actionis:
& iccirco non agit niſi per motum. Omnis uerò huiuſmodi actio definita ac
terminata eſt, neque ſe extendere poteſt ad omnia entia: ideo primum entiũ
principium anima eſſe non poteſt. Verùm neque etiam eſt intellectus purus
ſuperior anima, is ſcilicet, qui ſecundum proprietatem, & non eminentia
D quadam dici debeat intellectus ſeu intelligentia, (nam ſecundum quandam
eminentiam principium entium eſſe & dici intellectum infra oſtendemus)
in eo etenim, qui propriè intellectus eſt, quamuis omnia ſint, attamen defi-
nito determinatoque modo ſunt; ratione ſcilicet intelligibili; eius quoque
intellectus eſſe ad certam quandam naturam determinatum eſt, intelligẽtiæ
inquam ſeu intelligibilitatis, ut ita dicam. quamobrem in eo ipſum eſſe eſt
ſecundum quandam eſſendi participationem. At id, quod eſt quadam eſſen-
di participatione, primum entium eſſe non poteſt: ſed neceſſe eſt, ut ab eo
pendeat, in quo ſit eſſe perfectum; quinimmo quod ſit ipſum eſſe per ſe exi-
ſtens, non contractum ad quampiam naturam eſſentiam ve. Præterea omne
agens, in quo natura aliqua exiſtit ſecundum participationem, non poteſt

eandem

eandem naturam alteri impertiri, niſi foueatur à ſuperiori agente, in quo ea- E
dem natura eminentiori modo fuerit. nam cùm in ipſo natura ea ſit partici-
patione quadam, ipſum nequit eſſe cauſa per ſe illius naturæ, ſed à ſuperiori
agente, quod ſit per ſe cauſa illius naturæ foueatur, neceſſe eſt. Hoc experi-
mento ita eſſe comprehendimus in agentibus hiſce inferioribus vniuocis:
ignis namque ignem minimè generaret, neque planta plantam, aut animal
animal, niſi à corporibus cœleſtibus foueantur; in quibus formæ omnes hæ
inferiores & corruptibiles exiſtunt eminentiori modo. Agens igitur, ut re-
uertamur unde digreſſi ſumus, in quo eſt aliqua natura ſecundum participa-
tionem, non poteſt eſſe omnino primum, ſed ſuperiori indiget; in quo ea
natura ſit eminentius. ſi ergo in intellectu puro eſſe ipſum participatione F
quadam eſt, intellectus vtique primum principium entium eſſe non poterit;
immo is intellectus erit à primo, quod ipſum eo eſſe impertijt. Amplius
ubi eſt definitio & contractio eſſendi, ibi eſt multitudo atque imperfectio:
primum uerò ut oſtendimus, cuiuſque imperfectionis eſt expers. Hactenus
ſatis explicatum ac rationibus comprobatum eſſe uidetur, quid non ſit pri-
mum principium entium. Nunc uerò tentandum nobis duco, idque uere-
cundè ſi quo modo pro ingenij noſtri imbecillitate poſſumus attingere
quid nam ſit. Tentabimus hoc equidem, ea præfatione tamen, ut nobis id
conſtet, id quod ipſum in ſe eſt, effugere & ſuperegredi omnem intelligen-
tiam ac cuiuſcunque cognitionem. Verum quoniam hominis fœlicitas, ut
Philoſophi Chriſtianique perhibent, in eius contemplatione præcipuè ſita G
eſt, ac huius primæ philoſophiæ, de qua agimus, negotium illud eximium
eſt, ut de Deo notitiam tradat, eique cognitioni ſummam operam impēdat,
ut in exordio huiuſce operis diximus; qua de re Theologiæ etiam appella-
tionem obtinuit, pauca hæc libabimus. Illud igitur primò dicendum eſt, pri-
mum principium entium eſse ipſum eſse per ſe exiſtens, ad nullamque natu
ram ſiue eſsentiam contractum. hoc ratione comprobatur. Nam omnis natu
ra, quæ pluribus conuenit ſecundum analogiam quandā, perfectè atque abſo
lutè inuenitur in primo, ratione cuius in cæteris quoque, quæ ad eam analo-
giam pertinent, ea natura inuenitur. at ens dicitur de entibus per analogiam,
ut in ſecundo libro oſtenſum eſt. Ergo abſolutè conuenit primo enti, ac pri-
mæ entium cauſæ, non autem ex contractione quadam. Amplius, illud cui H
natura quæpiam ſecundum participationem conuenit, dependet ab eo, cui
ea natura ineſt eminentiori modo ſiue per eſsentiam: Sed primum princi-
pium entium à nullo pendet: igitur eſse participatum ſeu contractum ipſi
conuenire non poteſt. eſt igitur ipſum eſse per ſe ſubſiſtens: Amplius, omne
id in quo eſse contractum eſt, quandam multitudinem præſefert, illius ſcili-
cet naturæ, cuius eſt atque ipſius eſse, quod contractum definitumque eſt ad
eam naturam: multitudine uerò quacunque prior eſt vnitas: ideo neceſse eſt
ut hoc, in quo apparet multitudo, non ſit omnium primum. Præterea, ubi
eſt contractio, ibi non eſt abſoluta atque omnibus modis completa perfe-
ctio ſeu bonitas: imperfectum uerò quodlibet à perfecto pendet: dicitur

namque

A namque imperfectum ſecundum diminutionē perfecti. ergo in primo principio entium nulla eſſe poteſt eſſendi contractio. Erit igitur ipſum eſſe per ſe exiſtens, ad nullamq́ue naturam contractum, ſed omnem perfectionem eſſendi in ſe continens. Poſt hoc id etiam aſſerimus, primum rerum omnium principium eſſe ipſum unum atque ipſum bonum ipſumq́ue uerum. Cùm autem dicimus primum principium eſſe ipſum unum, vtique non intelligimus unum illud, quod eſt principium numeri, quodq́ue ad genus quantitatis pertinet, ſed unum quod eandem naturam cum ente ſignificat; quamuis ſecundum rationem ab ente diſtinguatur, ut expoſitum fuit ſatis luculenter in ſecundo huius operis libro. Probatur hoc, quod propoſuimus, ratione. Nam

B ſi primum principium eſt unum participatione quadam, non autem ipſum unum, non eſſet primum. id enim quod alicuius naturæ eſt particeps, ſemper indiget ſuperiori natura, à qua contineatur ac foueatur, ac in qua demum ea natura, cuius ipſum eſt particeps, eminenter contineatur. Adhæc ſi primum principium non eſſet ipſum unum, ſed participatione unum, in eo vtique uideretur eſſe aliqua compoſitio ac multitudo; ex uno ſcilicet cuius eſt particeps, & ex ſui ipſius natura: ſed tum compoſitio, tum multitudo maximè aliena ſunt à primo entium. ergo primum entium eſt ipſum unum. Præterea niſi eſſet ipſum vnum, vtique neque etiam eſſet ipſum ens; infirmareq́ue opus eſſet omnes eas rationes, quas paulo antè attulimus: unum etenim atque ens eandem naturam ſignificant obtinentq́ue, licet defi-

C cienter & ægrè eam vtrumque eorum explicet. Illud igitur, de quo iam conſtat, quòd eſt ipſum eſſe, proculdubio erit etiam ipſum unum. Item quicquid ſit illud, quod ipſum unum explicet, nimirum pertinet ad eſſe quodpiam: illud uerò de quo conſtat, quod ſit ipſum eſſe, continet omnia, quæ pertinent ad quemcunque eſſendi modum. in ipſo ergo cōtinetur etiam ipſum unum, quicquid ſit illud. Amplius, ut elegantiſsimè diſſerit Boëtius in aureo opuſculo de Philoſophica conſolatione, ſiue ſapientiam ſeu bonitatem ſiue potentiam dixeris, mancum quoddam ac deficiens dixeris, niſi poſueris ea omnia unum eſſe ſimpliciſsimum, omniſq́ue compoſitionis expers. ſi ergo primum principium non eſſet ipſum unum ſimpliciſsimum, mancum quodpiam & deficiens in eo eſſet: quamobrem neque primum conſtitui illud

D oportet. Eſt præterea ipſum uerum: nam ſi ueritatis eſſet particeps, ob id propterea ueritatis participatione eſſet uerum, quoniam principio ſuo conforme eſſet, à quo penderet: ſed primum à nullo pendet: non ergo ueritatis particeps eſt, ſed eſt ipſa ueritas ipſumq́ue uerum; ſibi namque ipſi eſt unum atque idem. Nec diſsimili ratione eſt ipſum bonum: nam cùm bonum, ut ſuprà diximus, habeat rationem appetibilis; id quod appetitur ab omnibus, omniaq́ue appetibilia cætera propterea appetuntur, quia quandam ſimilitudinem illius gerunt: ac demum id propter quod omnia appetuntur, ipſum uerò nequaquam propter quippiam aliud; eſt certè ipſum appetibile, ideoq́ue ipſum bonum. Ad hæc ſi bonum ſumatur, prout perfectum eſt, & ſecundum rationem perfecti; idem de primo principio adhuc magis conſtabit.

bit. Nam ſi bonum eſſet participatione quadam bonitatis, non eſſet omnino, atque abſolutè perfectum. Item cum omnis bonitas pertineat ad aliquod eſſe, id quod eſt ipſum eſſe, eſt etiam ipſum bonum: pari ratione qua ſuperius vſi ſumus de vno. Præterea cùm multitudo imperfectionis ſit, vnitas verò perfectionis ac bonitatis; proculdubio illud quod eſt ipſum unum, eſt etiam ipſum bonum. quod argumentum latius ac luculentius tractatum eſt à Boëtio in eodem libello de Philoſophica conſolatione. Eſt etiam primum principium maximè intelligens ac maximè uiuens, maximeque potens, ac propterea maximè infinitum, ac iterum maximè omnium finitum. Sed antequam ad huiuſmodi magis explicanda ueniamus, id nobis probandum eſt, primum principium entium eſſe unum tantum: minimè uerò omnium fieri poſſe, ut prima principia entium ſint plura, id quod ſuperius in hunc locum diſtulimus: ſic enim perfectè colligi poterit primum principium eſſe ipſum unum; cæteraque prima principia in ſuo quæque genere, de quibus Phyſici perhibent, ab hoc ſupremo omnium pendêre atque effluere. Neque difficile arduumque erit hanc rem certisſimis euidentisſimisque rationibus adſtruere. Nam ſi plura ſunt prima principia, verbi gratia, duo, quorum neutrum ab altero pendeat, nimirum vtrumque erit ipſum eſſe, & neceſſe eſſe. hoc enim conuenire præcipuè omnium primo principio iam ſuperius oſtenſum eſt. Quòd ſi peruicax quiſpiam dixerit, eorum alterum eſſe ipſum eſſe, ſeu neceſſe ex ſe eſſe; alterum uerò minimè; ſeu neutrum eſſe ipſum eſſe; fateatur is quoque opus eſt, eorum alterum tantum eſſe primum principium, illud inquam, quod eſt ipſum eſſe: alterum uerò, in quo eſſe ineſt participatione quadam, pendêre à primo principio, nequaquam uerò eſſe primum principium. Quòd ſi neutrum fuerit ipſum eſſe, confeſtim ſequitur neutrum etiam eſſe primum entium principium; ſed eorum vtrumque dependere à tertio quodam vtriſque priori. quibus argumentis coactus ſi conceſſerit eorum vtrumque eſſe ipſum eſſe, & ex ſe neceſſe eſſe, vtique cùm differant inter ſe, duo namque ſunt, proculdubio quopiam alio different, quàm ipſo eſſe, quod ex æquo vtriſque conuenire conceſſum eſt. non enim plura eſſe ac diſtingui eo poterunt, quo conueniunt. Ea itaque, quibus vicisſim diſtinguuntur, uel proprietates quædam erunt, quæ ab ipſo eſſe effluunt, vel ab extrinſeco aliquo inflictæ: ſi fluunt ab eſſe ipſo, cum conueniant hæc prima principia in natura ipſius eſſe, fieri non poteſt ut differant à proprietatibus, quæ ab eadem natura fluxerint: ſin uerò per accidens ab extrinſeco inflictæ fuerint, neceſſe eſt eorum vtrumque ſi extiturum ſit, indigere tertio, ac à tertio quodam dependere. ſicque res in eaſdem anguſtias redibit. Nam neutrum primum principium erit, cùm à priori pendeant. Amplius in eorum vtroque eſſet compoſitio & potentia, ſi proprietates aliæ ab vtriuſque natura ineſſent vtrique: itaque prima eſſe non poſſent: Iam enim compoſitionem atque potentiam excluſimus à natura primi. Colligamus igitur certisſimo argumento, cùm ipſum eſſe per illud idem ſit indiuiduum, & hoc per quod eſt

eſſe

A eſſe, fieri minimè poſſe, ut ipſum eſſe in plura una diſtrahatur, pluribuſque
uno conueniat. Præterea, ſicuti, inquit Ariſtoteles ex ſententia Homeri, qui
peritisſimus omnium ab antiquitate habitus eſt, multitudo principum
mala: multi namque niſi conueniant, & quodam modo fiant unum, di-
ſtrahunt & corrumpunt ea, quibus præſunt: quod ergo multi bene præ-
ſideant, non ijs per ſe conuenit, ſed per accidens; quatenus ſcilicet hi mul-
ti principes quodam modo fiunt unum: per ſe igitur multitudo princi-
pum mala eſt. id uerò quod per accidens eſt, fieri nequit ut ſit primum
principium. Ideo cùm entium vniuerſitas neque ſit, neque eſſe queat ma-
lè diſpoſita, vnus tantùm erit princeps, non multi. Amplius ratio Parme-
B nidis efficacisſimè meo iudicio hoc probat. Nam quicquid eſt præter
ipſum ens, id eſt præter ipſum eſſe, quod ſolùm verè eſt ens, eſt non ens:
ac huiuſmodi non ens nihil eſt: quî namque fieri poteſt, ut quippiam ſit
præter ipſum eſſe? etenim reliqua quæ ſunt, non ſunt præter ipſum eſſe,
quinimmo ſunt participatione ipſius eſſe, ab eoque continentur. ens igitur,
id eſt ipſum per ſe ens, & per ſe eſſe, eſt unum tantùm: nam ſi plura eſſent, ali
quid id ergo exiſteret, & eſſet præter ipſum eſſe. Hoc uerò adeò falſum eſt,
ut intellectu capi non queat. Hoc igitur modo, atque huiuſmodi interpre-
tatione, ſententia ratioque Parmenidis eſt adeò certa atque efficax, ut ni-
hil euidentius eſſe queat. Nihil enim eſt propter unum eſſe, nam cæte-
ra omnia, quæ participatione eſſendi ſunt, vtique non exiſtunt, ſeu ſunt
C præter ipſum eſſe; cuius participatione exiſtunt, fouentur, ac conſeruan-
tur. Nunc reuertamur ad eas primi principij proprietates, à quibus re-
cenſendis confirmandiſque ſuperius digreſſa oratio eſt. Primum entium
principium eſſe, maximè intelligens eo argumento conſtat. Nam quem-
admodum formæ actus ve contractio, definitioque per materiam, intelli-
gentiam omnium impedit; ſic econtra abſtractio à materia intelligen-
tiam rerum earum profert, ac promouet: quapropter vis ſenſitiua quo-
niam conjuncta materiæ eſt, atque in ſui actione vtitur corporeo inſtru-
mento, nequaquam intelligentiæ eſt capax. Formæ etiam materiales, quia
ſunt in materia, non ſunt actu intelligibiles. Intellectus uerò eò quòd ab-
ſtractus eſt à materia intelligit: formæ quoque materiales, cùm vi intelle-
D ctus agentis abſtractæ fuerint, eadem vi efficiuntur actu intelligibiles. At
intellectus intelligit ſuapte vi: quanto ergo quippiam magis fuerit à mate-
ria abſtractum; tanto etiam magis intellectus intellectioniſque erit capax.
Sed primum principium maximè omnium eſt abſtractum ei; ergo maximè
omnium conuenit eſſe intelligens. Eſt præterea maximè potens, nam age-
re proprium eſt actus, ac unumquodque agit, quatenus in actu eſt: potentia er
go agendi conuenit actui. illud ergo eſt maximè potēs agendi, quod maximè
eſt in actu: Sed primum principium entium præ omnibus eſt in actu, quia po
tius eſt puriſſimus actus nullius prorſus admixtione potētiæ infectus. Igitur
primū principiū eſt maximè potēs agēdi; paſſiua uerò potētia cū ad imper-fe
ctionē pertineat, & ad inchoationē quandā perfectionis, omnino aliena eſt à

primo principio. Ex his ſequitur liquidò hoc primum principium eſſe ma- E
ximè viuens & maximè infinitum. viuens maximè propterea, quoniam il-
lud eſt viuens, in quo fuerint vitæ operationes: præcipuæ verò vitæ opera-
tionum ſunt, intelligere ac velle; quas ſuprà oſtendimus præcipuas eſſe
in primo principio. primum ergo principium maximè eſt viuens. Am-
plius viuens à non viuente in hoc diſtinguitur, quòd viuens ex ſe ipſo, ſuo-
que nixu mouetur; non viuens verò alieno: vnde ea etiam viuentia nomi-
nare conſueuimus, in quibus conſpicimus eſſe huiuſmodi principium mo-
tus intrinſecum, non aliunde accerſitum. Deus uerò ſeu primum entium,
neque etiam fingi poteſt alieno impulſu mouere atque agere; ſed quæcun-
que operatur, ex ſe maximè omnium agit. igitur ſummè ac præ omnibus F
viuens eſt. alia namque viuentia etſi habent principium intrinſecum, quo
ſe ipſa mouent, non tamen quicquam agere queunt, niſi præterea ab ex-
trinſeco principio moueantur, ac dirigantur: nam & à fine mouentur tan-
quam ab appetibili; & diuerſi varijque voluntatis motus ſenſuum've à prin-
cipio extrinſecè immobili omnino diriguntur ac continentur; proferun-
turque, ut in Ethicis ad Eudemum Ariſtoteles præclariſsimus philoſophus
teſtatur. Amplius effectus nullus perfectione antecellere poteſt cauſæ ſuæ:
ille namque exceſſus ex nihilo eſſet: in mundo uerò multa uiuentia conſpi-
cimus, necnon intelligentia pleraque. Primum igitur horum omnium
cæterorumque entium principium, niſi illa ex nihilo extiterint, præ omni-
bus viuit atque intelligit. Ratio hæc Socratis latius explicatur à Xeno- G
phonte gratiſsimo diſcipulo in primo libro Dictorum factorumque So-
cratis memoria dignorum. Infinitum uerò propterea eſt primum prin-
cipium; non ea infinitudine inquam, quæ pertinet ad materiam, ad im-
perfectionem atque ad multitudinem; immo, ut infrà dicturi ſumus, ab
ea infinitate penitus alienum eſt, ac ob eam cauſam maximè finitum; ſed
infinitate ea, quæ perfectionis eſt, & ad formam pertinere poteſt: mate-
ria namque & forma ſeſe inuicem contrahunt, ac vtraque vtriuſque infini-
tudinem compeſcit. forma infinitudinem materiæ, qua materia ad multitu-
dinem, non entisque infinitatem tendit, cohibet, ad certamque naturam con
trahit: materia econtra formam, quæ neque loco ulli aut tempori ſuapte na-
tura obnoxia eſt, contrahit ad certum finitumque locum, tempus've. Hu- H
ius rei ſimilitudinem perſpicuè licet intueri in numeris: in quolibet etenim
numero vnitas multitudinem compeſcit, ne defluat ad indeterminabilem
infinitatem; econtra multitudo vnitatem definit, ac cohibet ad certam defi-
nitamque naturam numeri. in ſeptenario etenim ſeu denario numero vni-
tas ac natura, qua ille ſeptenarius eſt, & hic denarius (nam ut bene dicit Aui-
cenna, ſeptem ſunt ſolummodo ſeptem, non autem duo & quinque, aut qua-
tuor ac tria) compeſcit multitudinem certamq; ei naturam tribuit, quæ ſua-
pte ingenio indefinita eſt: viciſsim multitudo cohibet vnitatē, ut ſcilicet effi-
ciatur propria denario ſeptenario've; aliis uerò numeris minimè conueniat.
Eadē fermè ratio eſt in materia & forma: nā forma infinitū illud ac indeter-

minatum

A minatum materiei compeſcit, certamque ei naturam ac ſpeciem tribuit; econtra materia formam ipſam, quæ alioqui per ſe eſſet indeterminata, certo loco adſcribit infraque certum tempus coercet, eique eandem adijcit. Vt autem reuertamur vnde diuertimus, primum principium entium eſt maximè infinitum, quia in eo nulla omnino eſt definitio coarctatioque: neque enim certo tempori loco've adijcitur ex materia. ſuprà namque liquidò conſtitit primum entium, neque eſſe corpus compoſitum ex materia & forma, neque formam materialem ſeu corpoream eſſe poſſe. neque etiam in eo eſt vlla contractio ipſius eſſe ad quampiam definitam naturam eſſentiam've. Nam ſuperius oſtenſum eſt efficacisſimis rationibus, argumen-
B tisque euidentisſimis perſuaſum, primum entium principium eſſe ipſum eſſe per ſubſiſtens, ad nullam naturam contractum: eſſe inſuper ipſum unum, non autem alicuius multitudinis vnitatem. pari modo eſſe ipſum bonum, non autem bonum, ſiue perfectum alicuius naturæ & eſſentiæ. Ecce ergo quàm luculenter oſtenſum eſt, primum principium eſſe maximè omnium infinitum, eorum etiam, quæ infinitam virtutem habere poſſent in quapiam natura, ut ſi ignis infinitus eſſet, virtus quoque calefaciendi eſſet infinita; non autem ſimpliciter abſoluteque infinita eſſet, ſed in ea natura calefaciendi; ſcilicet eſſet infinita: ſic in infinita aqua vis ineſſet frigefaciendi infinita: primum uerò principium eſt abſolutè infinitum, non autem in aliqua certa determinataque natura. ideoque eſt præ
C omnibus infinitum. Econtra maximè omnium eſt etiam finitum, quoniam præ omnibus alienum eſt ab infinitate materiei ac multitudinis: in eo nanque nullum eſt materiei multitudinis've veſtigium, immò, ut ſuprà oſtendimus, eſt ipſum unum: ut ſcilicet non propterea ſit unum, quia vnitatis eſt particeps, ſed quoniam eius eſſentia eſt ipſa unitas. Cùm ergo quanto in numeris magis ad unitatem acceſſerimus, tanto etiam finitudini magis propinqui efficimur, illud, quod ita accedit ad unitatem, ut ſit ipſa eſſentia vnitatis, erit proculdubio maximè omnium finitum. Hactenus multa videmur in medium attuliſſe, quæ conueniant primo principio entium.

Atqui obijciet quiſpiam, Quî fieri poteſt, ſi tot tantaque conueniant primo entium, niſi ſynonima quædam vocabula congesſimus, ut in pri-
D mo principio non ſit aliqua multiplicitas? verùm his reſpondendum eſt, conceptus hoſce omnes eſſe eiuſdem ſimplicisſimæ rei, ſed deficere ad unum omnes ab eius perfectione, excellentiaque: ieccirco intellectum noſtrum eniti, vt multiplicitate ac difformitate ſua attingat, hiſce conceptibus pluribus deficientibus tamen & mancis eam ſimplicitatè unicam & primam, eoque pacto veluti diuidere id, quòd in ſemetipſo unum eſt, ſiæque naturæ multiplici, multis quoq; conceptibus accómodare illud, quòd unum, ac ſimplicisſimũ ſit: ieccirco veluti à principio repetentes retexentesque, aſſerimus nihil eorũ, quæ attulimus, cõuenire primo principio, niſi per eminentia quandã. Arcanũ quippe illud diuinum, quòd eſt maximè ſimplex atq; vnicũ, plurimis conceptibus deficientibus à rebus ſumptis, inter quas verſamur,

 quarum

quarum ipſum cauſa eſt: proindeque nonnullam gerunt auctoris ſimilitudi- E
nem, intellectus noſtri acies infirma quoquo pacto in ſe effingere nititur: ip-
ſum tamen in re ſuper omnia eſt, quæcunque noſtra aut etiam quæuis alia
mens concipere poteſt. ipſum tamen quicquid eſt, minimè ab vllius intelle-
ctu comprehenditur. Cuius rei illa ratio eſt; nam quicquid intelligimus,
definita quadam ac certa ſpecie, quæ intellectus noſtri forma eſt, intelligi-
mus: quamobrem illud, quod ſupra quancumque definitam naturam eſt,
immo ſupra quamuis definitionem, minimè poteſt ab intellectu attingi, niſi
deficienti notione: quicquid ergo de ipſo dicimus, nouimus, ac concipi-
mus, infra ipſum eſt. Amplius alia etiam ratione efficaciter probatur pri-
mum principium entium eſſe ſupra ipſum eſſe, ſupra unum, ſupra uerum, F
ac ſupra bonum, ac item ſupra vitam, ſupra potentiam, ac intelligentiam
omnem, atque hæc omnia excellere: adeò ut magis propriè ab eo remo-
ueantur, quàm de ipſo aſſerantur: ea remotione inquam, non quæ priuatio-
nem dicat, ſed quæ eminentiam ſignificet. Nam quæcumque cauſa cuiuſ-
piam naturæ, qua alterum impertiat, ſi contineat hanc naturam, quam alte-
ri impartitur uel imperfectè uel perfectè etiam, ſed ſecundum eandem ratio-
nem, qua illa natura effectui illius cauſæ conuenit, ea equidem cauſa, ut ſu-
perius diximus atque oſtendimus, indiget ſuperiori cauſa, à qua foueatur,
neque ſimpliciter conſtitui poteſt cauſa eſſe illius natura, quam ſuo effectui
impartita eſt; ſed tantùm cauſa eſt, ut in eo effectu generetur & inſit. ſic ho-
mo qui hominem generat, & ignis qui ignem, ac planta quæ item plantam G
gignit, indigent corporibus cœleſtibus, in quibus omnes eæ naturæ ſecun-
dum eminentiam continentur. Veriſſima ergo eſt ea propoſitio, quam
ſumpſimus, eam videlicet cauſam non eſſe primam, in qua natura effectui
tributa inſit ſecundum eam rationem, qua exiſtit in effectu. huic alteram
addamus, eſſe, unum, uerum, bonum, omnibus conuenire, quæ quouis mo-
do ſunt, vitam perfectioribus, intelligentiam perfectiſſimis. Ea igitur en-
tium cauſa, cui hæc omnia conuenirent ſecundum proprietatem, nullo pa-
cto eſſe poſſet prima cauſa, ſed egeret priore, à qua foueretur, ut ita dixerim.
Ecce quonam pacto, ut reor, luculenter oſtenſum eſt omnia hæc con-
uenire primo principio entium, non ſecundum proprietatem, ſed ſe-
cundum eminentiam: quamobrem uerius ab eo remoueri, quàm de eo H
aſſeri. De primo igitur ente, quod item omnium entium principium eſt,
hactenus dicta ſint ſatis: arcanum namque ipſius, cùm verba ac cogitatio-
nes deficiant, ſacro ſilentio eſt venerandum: qua de re diuinus Plato & in
epiſtolis, & in Sophiſte, pluribusque aliis locis ſe de primo principio nihil
dicere poſſe aſſeuerat: aciem nanque intellectus tam magna luce offuſam he-
beſcere atque hallucinari. A quo fortaſſe accepit Dionyſius, qui in libro de
Myſtica theologia inquit, Quantò magis de primo principio loquimur
per ea, quæ multum ab eo diſtant, tantò etiam pluribus nos verbis vti,
immo verba nulla ſatis eſſe: & econtra, quantò magis ad ipſum mente ac-
ceſſerimus, tantò pauciora quoque verba nobis ſuppetere. quòd ſi ad ip-
ſum

A ſum, ut in ſe eſt, accedamus, tunc ſilentio penitus vtendum eſſe. Nam & verba & conceptus nulli ſunt, quibus ſufficiamus id effingere aut referre.

Nunc conſentaneum eſt, quando hanc abyſſum entis ſupremi, quo valuimus pacto enarrauimus, ut abyſſum aliam pertentemus, non entis inquam: non eius, quod aliquo pacto eſt, cum tamen alio non ſit, ſed eius, quod penitus, atque omnino non ſit. huiuſmodi non ens quadam proportione oppoſita, tamen reſpondet primo entium. nam quemadmodum primum entium non eſt cuiuſpiam naturæ ſeu eſſentiæ definitæ, ſed cuicunque naturæ antecellit; ita etiam huiuſmodi non ens nullus eſt definitæ naturæ, ſeu certæ eſſentiæ; quoniam à quauis natura, & ſi imperfectisſima, B deficit, ac infrà eſt. Item quemadmodum ipſum ens non eſt contractum ad certum locum aut tempus, quia non eſt aliquod corporeum, materiæ've vlli obnoxium; ita etiam hoc non ens nullius eſt certi loci ſeu temporis: quoniam etiam natura materiæ primæ, quæ omnium eſt infima, ab eo excluditur, ac infrà ipſam eſt hoc non ens. verùm ut primum ens excedit, ac conſtitutum eſt ſupra locum & tempus; ita primum hoc non ens deficit à loco & à tempore, atque infra locum omnem tempusque eſt. Præterea, ut ſuperius oſtendimus, primum ens eſt maximè infinitum infinitate ea, quæ eſt unitatis ac perfectionis: ac maximè finitum, quia ſummopere alienum eſt ab infinitate multitudinis & imperfectionis. Non diſſimili ratione primum non ens eſt maximè infinitum, ac maximè finitum, C oppoſito tamen modo: nam infinitate ea, quæ multitudinis eſt atque imperfectionis, ſummè infinitum eſt; quinimmo eſt ipſa infinitudo, imperfectioque ac multitudinis abyſſus; quippe quod non tantùm non aſſurgit ad naturam aut eſſentiam quampiam, verumetiam deficit à potentia & ab inchoatione naturæ cuiuſcunque. Sic ergo maximè indeterminatum eſt, ac præcipuè infinitum. eſt etiam econtra ſummè finitum, id eſt coarctatum & contractum: vtpote quod non ſolùm ſit infra ea, quæ ſuperant locum ac tempus; verumetiam exiſtat infra omnem locum & tempus, id eſt infra materialia corporeaque omnia, quæ certo loco, certoque tempore ſunt definita; ac demum ſit infra materiam primam, quæ ſaltem potentia eſt in certo loco & tempore. Eſt etiam in primo hoc non ente natura falD ſitatis ac malitiæ, vtpote quod ſit maximè alienum à vero & à bono: à bono inquam, quoniam omnino imperfectum eſt, ac penitus deficiens, minimeque appetibile; immo cui appetitus omnis aduerſetur maximè: à uero autem, quoniam penitus difforme eſt atque omnino diuerſum. Demum quemadmodum primum entium propriè non eſt aliquid eorum, quæ ſunt de eo dicta, ſed ea omnia ſuperexcedit; ita etiam hoc non ens nihil eorum eſt, quæ hactenus de ipſo diximus; immo adhuc deficit ab omni eo, quod de ipſo dici excogitari've poteſt: ac ſicuti primum ens ab intellectu comprehendi nequit; nec vllis verbis explicari; ſic etiam primum hoc non ens nec vllis nominibus, nec vllo conceptu effingi poteſt, ut probè inquit Plato in Sophiſte. Ratio vtriuſque conſimilis eſt, quoniam omne

quod intellectus attingit, determinata quadam intelligibili ſpecie attingit. Primum uerò ens, ut ſuprà oſtendimus, omnem ſuperexcedit ſpeciem, omnemq́ue naturam anteit; iccirco ab intellectu pertingi nequaquam poteſt. ſed deficienter minusq́ue intelligitur, quàm in ſe ſit: hoc uerò primum non ens, quia eſt infra quamcunque ſpeciem, & quamlibet naturam, immo etiam infrà ſpeciei cuiuſuis inchoationem; ideo ab intellectu nequit pertingi, ut in ſe eſt, ſed potius ut in ſe non eſt, neque vllis vocibus effingi; ſed eſt inintelligibile ac ineloquibile, ut ita dicam, infraq́ue omne, quod intelligi poteſt, aut voce explicari. Compertum igitur nobis eſse poteſt intellectum noſtrum nos fruſtrari in harum rerum cognitione: nam quædam concipit infra id quod ſunt; econtra nonnulla alia ſupra id quod ſunt. quod in primo libro annotauimus.

LIBER

LIBER QVINTVS.

B GENVS humanum ita natura eſt inſtitutum, ut mirari ſoleat ea, quæ viderit, audiuerit, aut quouis alio ſenſu perceperit, cùm cauſam ignorauerit: qua admiratione, veluti ſtimulo quopiam, adactum tandiu ſcrutari, ac ſecum putare rem eam non deſinat, donec vel certa ratione cauſam conſequatur, uel ſaltem quapiam coniectura eliciat. Huiuſmodi admirationem ſolum homini natura indidit, nulli præterea cæterorum animalium; eò quòd ſolus homo rationis ac ſcientiæ capax eſt; cæteræ uerò brutæ animantes ſenſibus tantùm ac memorijs, necnon exiſtimatione quadam naturali ea, quæ profutura ipſis ſunt, proſequuntur; aliena uerò, noxiaque vitant; omniaque uel ad
C tuendum corpus, uel ad ſenſuum illecebras referunt cognitionis cuiuſcunque ac ſcientiæ ſecuræ. ſic homines poſt cataclyſmum, re domeſtica, ac ciuili quoquomodo conſtitutis, continuò ex admiratione rerum natura conſtantium, ac totius huius Vniuerſitatis rerum ornatus contemplatione, ij qui cæteris ingenio & ſolertia antecellebant, totos ſe cauſarum ſpeculationi tradiderunt: ac primum obuia confeſtim eis fuit cauſa materialis, quam vel ἄτομον, vel infinitum chaos, vel elementorum quodpiam: aut ὁμοιομερίας prodiderunt; in eaque morati, alia cauſarum genera aut penitus ignorarunt, aut leuiter tetigerunt. quo effectum eſt, ut axioma illud, Ex nihilo ſcilicet nihil fieri, videlicet nihil fieri abſque cauſa, (hoc namque pacto intellectum axioma uerè eſt & per ſe notum) retulerint ad genus cauſæ
D materialis, ut ſcilicet nihil exiſtere poſſet, uel in lucem prodire abſque materia ex qua fieret. Poſt materiam maximè, ac primam cauſarum omnium enituit effectrix cauſa. Hanc Empedocles amicitiam & litem: Anaxagoras intellectum eſſe perhibuerunt. Deinde ueritate ipſa, ac rerum natura viam pandente, formam primò tenuiter attigerunt: poſtmodum perſpicacius inſpexerunt. poſtrema omnium cognita eſt ratio boni, ac finis, quam tamen potisſimam ac præcipuam cauſarum eſſe conſtat. Nam materia à forma ſpeciem ſumit: at agens formam in materia efficit: nullum uerò eſt agens, quod propter finem non agat. prima ergo cauſarum omnium atque penitus independens, atque immobilis eſt ipſum bonum. Ratio namque finis conſtituta eſt in appetibili: id autem, quod omnia appetunt, eſt bonum. Itaque hac

ſemita, atque hoc progreſſu philoſophia paulatim incrementa ſuſcepit. Nos E
in hoc opere rerum naturam imitati, nō autem humanum ingenium, (quip-
pe qui non rudibus phyſices diſciplinæ ſcribamus) continuò cœpimus ab
ipſo bono, eaque paucis perſtrinximus, quæ maximè conuenire primæ phi-
loſophiæ videbantur. Namque agendum nobis ſumpſimus de ente ipſo:
hoc uerò iam oſtendimus non conuenire his, quæ ſunt eadem ratione, ne-
que etiam ratione penitus diuerſa; ſed diuerſis rationibus ad idem relatis: ſi-
cuti ſanum de lotio, de pharmaco, atque de animali dici ſolet. Quamobrem
cùm cæterorum omnium quæ ſunt, ratio deducatur à primo entium, ad id-
que referatur, vtique minimè fieri poterat, ut ignorato primo entium, de a-
lijs quæ ſunt, cognitio aliqua haberetur; quatenus inquam entia ſunt. ideo- F
que cùm hactenus ſatis tractatum ſit de primo entium, ad cætera nobis eſt
accedendum: primumque communi quadam ratione, poſtmodum magis
propria utemur. Omnia entia pendere quodammodo à primo, nulli pror-
ſus, qui philoſophiæ ſacris fuerit initiatus, cōtrouerſum cùm aliis fuit. Nam
neque entia conſtitui poterant inconnexa & plura prima principia habere:
& ratio Parmenidis vrgebat: Quo namque pacto vnquam fieri poterit, ut
quippiam ſit, quod tamen exiſtat præter ipſum eſſe? ſed hoc proculdubio
contingeret, ſi aliquod ens à primo non penderet, quod iam ſatis in ſuperio-
ri libro demonſtratum fuit eſſe ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens: illud namque
quod nullo pacto dependeret à primo, eſſet vtique præter ipſum eſſe. Hiſce
rationibus nulli vnquam dubium fuit, omnia, quæ ſunt aliquo pacto pende- G
re à primo entium. Verùm nonnulli, immo complures cùm ratione natura-
li illis conſtitiſſet plurima entia, neque generationi neque corruptioni vlli
obnoxia eſſe, hanc rerum omnium à primo dependentiam, habitudinem've
veluti à fine eſſe prodiderunt. omnia namque agere perhibent propter illud
bonum amatum & deſideratum ab omnibus, ut ſuis actionibus munijsque,
pro naturæ ſuæ captu, quæcunque id attingant, aliquamque eius ſimilitudi-
nem aſſequantur. Nam neceſſaria æternaque entia quonam pacto cauſam
efficientem habere poſſent, minimè intelligebant. hæ uerò duæ tantùm cau-
ſæ extrinſecæ ſunt. Sed horum, etſi præſtantiſsimi fuerint, ſententiæ nemi-
nem aſſentiendum eſſe reor. Etenim cùm omnia, præter primum, habeant eſ-
ſe participatione quadam, neceſſe eſt, ut id ab eo ſortita ſint, quod per ſe & per H
eſſentiam ſit ipſum eſſe: ſic omnia ignita ab igne ignita ſunt, omnia item,
quæ illuminata ſunt, ab eo vtique lumen acceperunt, quod ſuapte natura eſt
luminoſum. Amplius vnumquodque operatur, ſecundum quod eſt: ſi ergo
cuiuſpiam eſſe omnino eſt independens, & à ſe eſt, neque ab alio quopiam;
quonam pacto fieri aut intelligi poteſt, ut finem quempiam alium à ſe ope-
ratione ſua affectet? Quamobrem rectè Auerrois inquit in libello de Sub-
ſtantia orbis, finem ſignificare agentem ſignificatione neceſſaria. impoſsibi-
le namque eſt, ut quippiam operetur propter finem alium à ſe, quod ſecun-
dum eſſe ſuum à nullo prorſus dependeat. Eorum uerò, qui ſecus ſentiunt,
rationem ſoluere non admodum difficile eſt. nam æterna quamuis cauſam

A habere nequeant, quæ ea effecerit motu ſeu mutatione aliqua, (hæc namque ſine nouitate effectæ rei non queunt eſſe) attamen efficientem cauſam habeant per emanationem quandam ſimplicem & effluxum quendam, nihil abſurdum eſt. Neceſſaria etiam duplicia ſunt: quædam namque ſunt neceſſaria à ſe, quæ ſcilicet nullam habeant cauſam neceſsitatis ſuæ: quædam verò, quamuis ſint neceſſaria, ſunt tamen neceſſaria ab alio, & cauſam neceſsitatis ſuæ habent. huiuſce rei exemplum aptiſsimum affert Ariſtoteles in quinto Metaphyſices: concluſiones namque demonſtrationum neceſſariæ ſunt, itemque prima demonſtrationum principia ſunt neceſſaria; verumtamen principia prima à ſe ſunt. neque cauſam habent ſuæ neceſsitatis vllam.
B At concluſiones demonſtrationum ſunt ab alio neceſſariæ, quoniam à primis principiis dependent, eaque habent neceſsitatis ſuæ cauſam: nihil ergo prohibet neceſſaria cauſam habere, à qua ſint. Colligamus igitur ex dictis hactenus, omnia entia præter primum dependere à primo, tum in genere cauſæ finalis, tum in genere cauſæ efficientis. De finali cauſa, quamuis omnes in ea conſenſerint, afferamus tamē rationem. Omnia quæcunque quippiam agunt, propter finem aliquem operantur. finis uerò habet rationem appetibilis, & ex conſequenti rationem boni. omnia igitur agunt propter bonum. Sed iam ſuperius declaratum eſt ipſum eſſe, ac primum principium entium eſſe etiam ipſum bonum: omnia uerò alia bona participatione quadam exiſtere ipſius boni. Neceſſe ergo eſt, ut omnia, quæ agunt, actione ſua affectent
C quandam ſimilitudinem ipſius boni: ſicque cauſa finalis omnium eſt primum principium entium. quòd autem ſit cauſa efficiens, paulo antè probauimus. Verùm illud reſtat explicandum, quonam pacto ſit cauſa efficiens, & quonam modo efficiat reliqua entia: ac præterea id quòd ſuprà omiſimus, exponendum nobis eſt, quonam ſcilicet pacto entia omnia præter primum ſe habeant ad ipſum eſſe. Et ut ſoluamus rationes, quas in ſecūdo attulimus, ac quibus nonnulli rētur efficaciter probatum eſſe, in quouis entium præter primum eſſe ſecundum rem diſtingui ab eſſentia cuiuſque. Primum principium (vt rem iam ordiamur) eminentiori quadam ratione, atque excellentiori modo, cauſa eſt efficiens, quàm cauſæ hæ, quas non efficientes eſſe dicimus: etenim efficientes hæ cauſæ nobis familiares non ſunt ex omni parte,
D neque omnium ſuorum effectuum cauſæ: non enim efficiunt niſi per motum, tranſmutando materiam: atque effectus ipſe, id ſcilicet, quod eſt factum ſecundum ſe totum, non eſt ab agente cauſa: materiam namque ex qua effectus conſtat, agens cauſa præſupponit, non autem efficit: deinde forma, quæ iure uidebatur poſſe ſibi id aſſumere, ac uendicare, ut ſcilicet eſſet à cauſa efficiente, ſuſtentatur ac pendet à materia, cum qua ſimul eſt. Præterea pleræque efficientes cauſæ huiuſmodi ſunt, ut, poſtquam ab eis effectus productus in lucem fuerit, non amplius indigeat vlla opera cauſæ, à qua effectus eſt. Sic mortuo patre viuit ſuperſtes filius; & ædificatore vita functo, remanet ædificium. At primum principium entium, à quo eſt omne eſſe, non efficit motu mutatione've aliqua, quæ uidentur moram afferre agenti, & ideirco

circo

circo imperfectionem agentis arguunt; ſed ſtatim continuoq́ue entia in eſſe E
protulit, immo profert potius, ut dicemus. Præterea effectus ſecundum ſe to
tum ab hoc agente dependet: nam ſiue effectus ſint per ſe ſubſiſtentes, actus
inquam ſimplices, ſeu ea quæ in eſſe proferuntur, compoſita fuerint ex ma-
teria & forma, ſecundum ſe tota à primo principio pendent. Omne namque,
quod quouis modo eſt particeps ipſius eſſe, eſt à primo, quod per naturam
& eſſentiam eſt ipſum eſſe. quare tum forma, tum materia quæ entia ſunt,
dependent, & ſunt à primo principio entium. Amplius id, quod factum eſt
ſemper pendet, immo, ut rectius loquar, ſemper fit à primo principio, adeò
ut ſi mouendo aliquo deficeret actio primæ cauſæ, in nihilum vnumquod-
que entium redigeretur. Hoc uerò ratione comprobatur. Nam effectus qui- F
cunque, in quo forma agentis ſecundum eſſe perfectum, quo eſt in agente, eſ-
ſe non poteſt, indiget continua conſeruatione, continuoq́ue effluxu agentis.
Hoc licet intueri in lumine; nam quoniam lumen eſt propria qualitas cor-
poris luminoſi, diaphanum uerò cum lumine effunditur, eam naturam non
recipit, ſed participatione quadam fit capax luminis: iccirco ad hoc ut aer,
ſeu quoduis aliud diaphanum corpus lumine perfuſum maneat, continuum
fomentum adſit oportet, continuusq́ue effluxus à luce ſolis, ſeu alterius cor-
poris lucidi; qui ſi paululum ceſſauerit, confeſtim lumen diaphani interci-
dit. Idē comperies in imagine, quæ in corpore leni apparens deperit, abeunte
illo cuius imago erat. Sic cùm cætera membra omnia viuant, quoniam par-
ticipant animæ vim, quæ tota & integra eſt in corde; non tamen aſſequuntur G
perfectam naturam cordis, pereunt, vitaq́ue funguntur eueſtigio cùm ef-
fluxus à corde ceſſauerit. Omnis ergo effectus, qui eſt ab aliqua cauſa, par-
ticipatione quadam, nec perfectè aſſequi naturam cauſæ ualet, continuò fo-
mento cauſæ ſuæ eget; quæ ſi defierit, eodem momento effectus pariter
perit. Cùm ergo omnia, quæ habent eſſe à primo entium participatione qua-
dam ita ſe habeant, ut nullum eorum poſſit perfectè aſſequi ipſum eſſe, ne-
ceſſe eſt ut continuo quodam effluxu ac efficientia ab ipſo ente, ſeu eſſe ema-
nante conſeruentur; quin potius ut continenter efficiantur. qua in re adhuc
efficientia primi ſuperat ſolis effectionem, qui aërem illuſtrat: nam lumen,
quia actus diaphani eſt, licet à ſole pendeat, pendet etiam à diaphano, in quo
eſt. At à primo ea, quæ ſunt, tantùm pendent, à nullo præterea: neque enim H
ea quæ ſunt, extra ipſum ſunt, ſed in ipſo continentur ac conſiſtunt. Ecce er-
go quantopere deficiunt cauſæ efficientes noſtri ordinis à primo efficiente.
quod nonnulli parum animaduertentes eum cùm perſpexiſſent efficientiam
noſtri ordinis rebus æternis, ac primo principio minimè accommodari poſ-
ſe, negauerunt Deum optimum cauſam eſſe effectricem totius entis, cùm
aciem mentis in tam magna luce nequaquam figere potuiſſent: nos autem
comperimus huiuſmodi omnem efficientiam, quam nouimus & ſentimus,
ſimulachrum quoddam eſſe illius primæ efficientis cauſæ, quod tamen ab
eius excellentia atque præſtantia valde deficiat. Ex his, quæ hactenus dicta
ſunt, non cùm magna difficultate diſquirere poterimus ac inueſtigare, quo-

A nam pacto entia omnia præter primum; ſe habeant ad ipſum eſſe: necnon
qua via ſoluantur rationes, quibus nonnulli, alioqui præſtantiores viri nixi
enunciauerũt, eſſe ſecundum rem diſtingui ab eſſentia omnium rerum præ-
ter primum. Quantùm pertinet ad primum, quod inueſtigandum nobis pro-
poſuimus, videtur mihi commodum exemplum afferri poſſe, quo facilè in-
tuebimur quonam pacto entia ſe habeant ad ipſum eſſe. colores pendere à lu
mine, ſpecie tamen & natura à lumine differre ſit nobis ſuppoſitum, licet
nonnulli graues auctores diſſentiant: hæc tamen poſitio meo iudicio magis
ratione nititur. Item ſupponantur colores in obſcuro ac tenebricoſo loco
non eſſe colores niſi in potentia, actu autem non exiſtere, niſi per illuſtratio-
B nem luminis, quod ſenſit Auempace: quamuis Auerrois in commentarijs
ſecundi libri de anima diſſentiat. verùm, quicquid de hac re ſtatuendum ſit,
ſupponamus rem hanc ita ſe habere, ut hoc tanquam accommodatiſſimo
exemplo vtamur, in quo intueri poſſimus, & luculenter, ut mihi uidetur,
quonam modo entia ſe habeant ad ipſum eſſe. Ponamus lumen eſſe primum
eſſe, per ſe exiſtens, primumq́ue ipſius eſſe principium; opacum verò eſſe non
ens, colores autem ſicuti cætera entia, lumen ipſum in ſe clarum eſt ſplendi-
dum nihil habens opaci ſuapte natura: ideoq́ue ſuperius ac eminentius eſſe
habet, quàm ut dici queat color; niſi dicatur color ſecundum eminentiam
& præſtantiam quandam; quoniam ſuperexcellenter continet colores om-
nes, licet diuerſos ſpecie, vnica tamen ratione longè colorũ naturis præſtan-
C tiori eos omnes comprehendit. Quòd ſi à lumine puro immixtoq́ue diſceſ-
ſeris ad lumen mixtum opaco, iam degenerat lumen à perfectione ſui, atque
contrahitur ad certam quãdam coloris naturam; quæ etiam certæ cuiuſdam
eſſentiæ eſt. verbi gratia albedo aut color viridis ſeu luteus ſiue niger, lumen
tamen nequaquam eſt niſi participatione quadam: ac inter colores quemad-
modum quiſque magis præſtat, ita etiam magis eſt particeps luminis; nulla
tamen ex hiſce colorum naturis in actu exiſtit, niſi per effluxum & illuſtra-
tionem à lumine; atque illuſtratio illa in re colore affecta nihil aliud eſt, niſi
eſſentia coloris in actu exiſtens à lumine: quæ tamẽ certa quædam natura eſt
infra eſſentiam & naturam luminis ad opacum accidens atque opaco mixta.
Nunc à coloribus & à lumine orationem mentiſq́ue aciem conuertamus ad
D entia, atque ad ipſum eſſe. Primum eſſe eſt tantum eſſe purum, cuilibet non
enti immixtum, veluti lumen nulli opacitati. quòd ſi à primo eſſe receſſeri-
mus, ac non eſſe ceu quoddam opacum attigerimus, iam nobis apparere inci
piunt reliqua entia, veluti quidam colores, in quibus ipſum eſse contractum
eſt ad certam quandam naturam atque eſsentiam, quam nimirum perfectè
obtinet: eſse tamen in eis exiſtit participatione quadam, non quòd in illis
aliud ſit eſsentia, quam perfectè obtinent, & eſse quo exiſtunt ſua: namque
eſsentia eorum quodlibet exiſtit. ſed quoniam id, quod eſt perfecta huius rei
eſsentia, eſt eſse imperfectum & contractum; ſicuti id, quod eſt albedo, aut
viridis color, imperfectum eſt & participatum lumen: verumtamen ſicut eſ-
ſentia coloris non exiſtit actu, niſi à lumine & influentia luminis; ſic eſ-

ſentiæ

ſentiæ eorum quæ ſunt, non exiſtunt actu, niſi ex perenni influentia ipſius eſ- E
ſe, à quo ſunt & cuius participatione exiſtunt: non tamen quòd in ipſis enti-
bus alia res ſit earum natura; & alia res ſit influentia ipſius eſſe; immo una
atque eadem res ſunt vtraque: quemadmodum in re colorata idem dixi-
mus eſſe colorem & influentiam luminis, per quam color eſt in actu: una-
quæque ergo natura, ſecundum quod in ſe eſt, quædam eſt natura, in qua eſ-
ſe contractum eſt ex admixtione non entis, ceu in natura coloris eſt contra-
ctum lumen ab opacitate ad naturam quandam. Attamen quoniam à ſe non
eſt, neque à ſe conſeruari poteſt in eſſe, cùm ſit imperfectum eſſe, & quod
degenerauerit in inferiorem naturam; iccirco non actu exiſtit natura illa,
niſi habitudinem habeat ad primum perfectumque eſſe, à quo ſemper ema- F
net atque actu ſit. Satis commodè mihi uidetur hactenus expoſitum eſſe,
quonam pacto entia ſe habeant ad ipſum eſſe: & quomodo quamuis eſſen-
tia cuiuſque ſit eſſe participatum, quo intrinſecè vnumquodque exiſtit, ta-
men actu nullius eſſentiam exiſtere niſi ab alio primo inquam, à quo pendet:
neque etiam quamuis à nobis cuiuſpiam rei eſſentia intelligatur, intelli-
gi tamen poſſe ipſum actu exiſtere, niſi intelligatur habere influentiam ab
ipſo eſſe, ſicuti eſſentia coloris non poteſt percipi quod actu exiſtat, præter-
quam ex influentia luminis, & hoc modo eſſe exiſtere cuiuſque rei ſecun-
dum rationem diſtinguitur ab eſſentia illius rei: nam eâ natura in ſe conſide-
rata eſt eſſentia; illa eadem quoque eſt eſſe exiſtere eius rei, prout intelligi-
tur emanare à primo ente, ex cuius influxu efficientiaque actu exiſtit. Reli- G
quum modò eſt, ut ſoluamus rationes eas, quibus quidam probaſſe ſe pu-
tant, eſſe uniuſcuiuſque præter primum ſecundum rem diſtingui ab eiuſdem
rei eſſentia: has namque in ſecundo libro omiſeramus, in huncque locum
diſtuleramus. Duæ fuère rationes adductæ, prior quoniam cuiuſque rei eſ-
ſentia perfectè intelligi poteſt, cùm tamen de ea re ignoremus, ſit, an non ſit.
altera ratio, quoniam cùm vnumquodque perfectè obtineat ſuam eſſentiam
ac naturam, ſi natura non diſtinguitur ab eſſe cuiuſque; vtique vnumquod-
que perfectè obtinebit ipſum eſſe. Quamobrem non erit ens participatione
ſed per eſſentiam; quod tantùm conuenit primo entium, ut demonſtratum
eſt. Hæ ſunt rationes, quas ex dictis hactenus non eſt admodum difficile ſol-
uere. Ad primam dicimus, quòd ea ratione non probatur, niſi quòd eſſentia H
ſecundum rationem diſtinguitur ab eſſe cuiuſque, per quod eſt: ſecundum
rem uerò diſtinguatur, item cuiuſque eſſentia ab eſſe à quo eſt in ſe: namque
intellecta eſſentia concipimus quid nam ſit. Quòd ſi eadem eſſentia intelli-
gatur emanationem & effluxum actu habere à primo entium, iam concipi-
mus eam actu exiſtere; quemadmodum opus eſt auctores huius poſitionis
dicere, ac eadem propemodum ſolutione vtere de ipſo eſſe participatum
cuiuſque rei, quod conſtituunt eſſe actum eſſentiæ: ipſum etenim non actu
exiſtit in ſe ipſo, ſed tantùm per emanationem à primo entium: itaque intel-
ligi concipique poteſt, multæque de eo diſputationes fieri; cùm tamen in-
terim lateat, an ipſum actu exiſtat necne, quoniam ab alio eſt, & per emana-

tionem

A tionem à primo entium exiſtit; in quo ſimpliciter atque abſolutè eſt, non autem participatione quadam. Eiſdem fermè uerbis utimur nos, cùm de eſſentia alicuius rei diſſerimus, quam ponimus eſſe participationem ipſius eſſe primi. Iuxta Ariſtotelem tamen in poſterioribus Analyticis poſſemus etiam aliter rationem eam diſſoluere, dicereque quòd de nulla re poteſt intelligi quid rei, niſi de qua conſtiterit, quòd exiſtat: ſed de qua id non conſtat, intelligitur quid nominis, quamuis quandoque itidem ſit quid rei & quid nominis. verumtamen ille, cui non conſtiterit rem eſſe, ac tenet quid rei, non percipit quid rei, niſi ſecundum accidens: ſed ei quid rei eſt quid nominis. Alteram etiam rationem facile diluimus: nam quemadmodum coloribus unaquæ-
B que coloris ſpecies, vtputa albedo ſeu rubedo, perfectè obtinet ſuam eſſentiam naturamque: ea tamen natura, quæ in ſe perfecta eſt atque abſoluta, eſt lumen diminutum. Lumen namque admixtum opaco in naturam degenerat inferioris notæ, quæ tamen in ſua ſpecie perfecta ſit. Ita dicimus quòd eſſentia vniuſcuiuſque, eſt ipſum ſuum eſſe, per quod eſt: non tamen ſequitur, quòd ſicuti perfectè continet ſuam eſſentiam, ita perfectè obtineat ipſum eſſe: quia eſſentia cuiuſque in ſe perfecta eſt eſſe diminutum: quod cùm à ſua ſimplicitate receſſerit, & non enti admixtum fuerit, degenerat in naturam atque eſſentiam inferioris ordinis, quæ in ſua ſpecie eſt; attamen eſt eſſe diminutum. Idem ferè uidetur Ariſtoteles ſentire in nono libro Primæ philoſophiæ: inquit enim quòd cùm vnumquodque ſit, quatenus actu eſt, illa en-
C tia, quæ ſunt actus tantùm, per ſe & ex ſe ſunt: nec oportet quærere per quid exiſtant, ut ſcilicet dicamus ceu Parmenides, uel ut Plato, quòd ſcilicet exiſtant per eſſe aut per unum, ſeu per numeros: per ſe namque actus eſt. Cæterùm cùm ad hunc vſque locum ſatis accuratè diſcuſſum à nobis ſit, quo'nam pacto entia ſe habeant ad ipſum eſſe, & quòd à primo entium pendent, non tantùm tanquam à fine, quem omnia pro cuiuſque natura & captu attingere conantur; verumetiam tanquam à prima cauſa omniũ effectrice. Illud quoque ſatis luculenter expoſitum à nobis fuit, efficientiam primi principij eſſe ueram ac ſummam efficientiam; à qua cæteræ agentes cauſæ omnes deficiunt, cùm eam tamen omnes æmulentur. Nunc reliquum eſt, ut paucis tangamus quæſtionem eam, quæ multos exercuit, quo'nam pacto ſcilicet primũ
D principium agit; an videlicet ex neceſſitate naturæ agat, an ex voluntate: qualiſque ſit ea voluntas. Primùm id aſſerimus, primum principium non agere ex neceſſitate naturæ, quemadmodum cætera agentia natura conſpicimus agere. Nam cætera agentia naturalia quæ natura agunt, neque finem ſibi præſtituunt neque ſe dirigunt ad præſtitutum finem, verùm à cauſa ea, quæ omnium naturam dirigit, certa quadam via certiſque mediis vnumquodque ad finem ſuum mouetur. Ex quo liquet huiuſmodi mouentia non ſeſe ipſa agere, ſed agi. Hoc uerò maximè alienum eſſe à primo principio entium, illique ſummè repugnans eſſe, quis ignoret? qui namque primum omnium eſſet, ſi ab alio moueretur? neque etiam prima hæc cauſa agit voluntate arbitrio've tali, ut quãdoque agat, interdũ ab actione ceſſet, aut una omiſſa ad aliã

O actio-

actionem ſe conferat, ſicuti conſpicimus agere homines, qui voluntate & E
arbitrio agunt: nam omne agens huiuſmodi eſt mutabile, & iccirco alio atque alio modo ſe habet: qua de re interdum aggreditur, quæ nuper omiſit, neque etiam ea neceſsitate voluntatis agit, qua voluntas fertur in ſuum finē, ac in ea, quæ faciunt ad eum finem conſequendum. Omne namque huiuſmodi agens perfectionem ſuam nanciſcitur ab alio, neque eam in ſe obtinet. At Deus optimus in ſe, atque ex ſe omnino perfectus eſt, nullique obnoxius, ut ſuperius euidentisſimè oſtendimus. Modus ergo diuinæ actionis exceptus eſt, atque excellit efficientiam cuiuſcumque alterius cauſæ efficientis; neque à nobis ſatis comprehendi poteſt, ceu etiam eius eſſe ab omnibus exceptum, nequaquam poteſt à nobis attingi: dicemus autem, quæ poſſu- F
mus. Agit primum principium ex ſui bonitate, nam ſuperexcellentisſimæ illius bonitatis, ac ſuperfluentis non erat in ſe contineri, aliorumque bono inuidere, ut præclarè inquit Plato in Timæo. agit autem, ut cætera omnia, quæ eſſe queunt, pro cuiuſque captu ſuæ faciat bonitatis participia: non autem ut propterea ſibi quicquam accreſcat, cui nihil deeſt: hoc enim eſt amoris, qui eſt in ipſo bono, ut ſuprà tetigimus. quem modum miror Auicennam alioqui excellentisſimum philoſophum latuiſſe. Ac quoniam eius bonitas eius quoque voluntas eſt, & eius intellectus, in quo huiuſmodi facultates nō ſunt, niſi ſecundum quandam eminentiam: iccirco & intellectu voluntateque & natura agit, non tamen ea natura, quæ ab alio agatur, ſed quæ ſeipſam agat. quamobrem neque collocari poteſt in ordine aliarum cauſarum natu- G
ralium. Agit præterea uoluntate liberoque arbitrio, non tamen uoluntate mutabili; de qua dubitari posſit, ne quandoque ab agendo deſiſtat, aut ut cum actionis ſuæ pœniteat, ac propterea omnia in nihilum redigantur: neque etiam voluntate ita neceſſaria, ſicuti voluntas humana perhibetur neceſſariò finem, atque perfectionem ſuam appetere, cæteraque, quæ nos ad perfectionem noſtram perducunt, Primum namque principium in ſe perfectum nullius eget. Hæc atque huiuſmodi ſunt, quæ à nobis dici excogitari've poſſunt de actione primi principij: verùm qualis ac cuiuſmodi ea in ſe ſit, nulli profectò compertum eſt, vtpote, quæ omnem intellectum exuperet. Cùm ergo hactenus oſtenſum fuerit, entia dependere à primo, ut à ſupremo fine,
& à prima, præcipuaque cauſa effectrice, non omittendum nobis eſt, cætera H
quoque entia ſe habere ad primum, ut ad formam omnium primam. Id ex ſuperioribus ſatis cuiuis exploratum eſſe poteſt. Nam ſi vnumquodque ens eouſque ueritatis eſt particeps, quouſque attingit principium, à quo eſt: in primo ergo principio eſt veluti exemplar quoddam vniuſcujuſque rei, quod unumquodque attingere conatur, ut in ſe quantū posſit, ceu in quadam imagine exprimat exemplar illud. Exemplar verò omne veluti cauſa formalis eſt, & prima forma omnium imaginum, quæ ab eo fuerint deductæ, aut deduci queant: non propterea quòd imagines formet, ſed quoniam ab eo exemplari deductæ effictæque ſint. Eſt præterea tanquam cauſa materialis omnium rerum, ea ſcilicet conditione materiæ, qua ſimilis uidetur loco: eſt

namque

A namque & locatum in loco & forma in materia. Itaque cùm nihil ſit extra Deum maximum: omnia namque ipſe continet, ac ſuſtinet modo ac ratione, quam ſatis uerbis explicare nequimus: ideo neſcio, quomodo in ipſo exprimitur quædam imitatio materialis cauſæ, in eo ſcilicet, quod perfectionis in ea eſt amotis conditionibus, quæ imperfectionem continent: neque enim in potentia eſt actus puriſsimus, neque pars ullius id, quod perfectione excedit omne totum. Satis iam uideri poſſumus uerborum feciſſe pro compendij noſtri modulo de primo principio entium, à quo quæcumque & ſunt, & entium nuncupationem habent. Nunc tempus poſcere uidetur, ut ad perſcrutationem tractatumque cæterorum entium accedamus, B quatenus ſcilicet entia ſunt, ut oratio noſtra progrediatur ea uia, quæ huic ſcientiæ propria eſt, atque à primo entium ad ea, quæ maximè ipſi propinqua ſunt, deſcendamus. Entia nonnulla immaterialia eſſe atque abſtracta, efficaciſsimè, ut reor, probatum eſt ratione Ariſtotelis in octauo libro Phyſicorum ſumpta à motu. Ac quamquam de primo entium abſque ea ratione, quæ ſumitur à motu ex ratione entis, unius, boni, euidentiſsimè demonſtrari arbitremur, non tantùm quòd immateriale ſit, uerumetiam quòd ſuperet omnẽ naturam, atque eſſentiam, cæteraque, quæ à nobis ſuprà de ipſo demonſtrata ſunt certiſsimis rationibus: tamen de alijs abſtractis entibus à materia, meo iudicio, ratio efficax ſumpta ab ente inueniri non poteſt, quæ certitudinem nobis faciat; niſi ſupponat rationem à motu ſumptam; cui nitatur quodpiam C aliud ens præter primum, abſtractum eſſe à materia. Neque ut idem arbitrer, ac in eodem calculo ponam rationes, quibus uſi ſumus, cùm de primo principio tractaremus, mouet me argumentum Auerrois præſtantiſsimi philoſophi, qui hac in parte reprehendit Auicenam in calce expoſitionis primi Phyſicorum: inquit enim, Nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum eſſe, ſed ſupponit: ens uerò primum, abſtractaque entia ſunt ſubiecta primæ philoſophiæ: non igitur eius ſcientiæ erit hoc oſtendere, ſed phyſices. Cui dicimus, quamquam prima philoſophia agat de primis principijs, ac de primis cauſis entium, ut in proœmio Metaphyſices dicit Ariſtoteles, nihilominus ſuppoſito, quòd ſint aliqua prima principia, primæque entium cauſæ, de eis ſcrutari poteſt primus philoſophus, quænam & qualia ſint: ſicuti de primis prin- D cipijs rerum naturalium in libris Phyſicorum ſupponimus quòd ſint, ſcrutamur attamen & ratione agimus, quænam & qualia ſint. Dicimus ergo, ut redeamus unde deflexerit oratio, poſt primum ens eſſe alia entia abſtracta à materia. Hoc ratione comprobatur à motu ſumpta. Nam cùm hæc, quæ cernimus quandoque moueri, interdumque quieſcere, neceſſe eſt, ut dependeant à corporibus, quæ ſempiterno motu circunferantur: motus uerò ſempiternus non poſsit eſſe, pendere ue à motore mobili: nam ex mutabilitate, varietateque cauſæ ſequeretur mutatio in effectu, id eſt variatio in motu. Amplius cauſa, motor ue diuiſibilis non poteſt mouere motu infinito ac perpetuo: nam pars eius, cùm habeat eſſe deficiens à totius perfectione, mouebit tempore minori quàm totum, id eſt finito tempore: totum

uerò cùm finitam proportionem habeat ad partē, tempore etiam finito mo- E
uebit: neceſſe eſt igitur virtutem mouentem tempore infinito eſſe impartibi
lem. At virtus impartibilis atque immobilis materialis eſſe nullo modo po-
teſt. Nam virtus materialis quæcunque quoniam in eſſe ſui dependet à ma-
teria, diuiſione etiam materiæ afficitur atque diuiditur: necnon etiam mo-
uetur motu eius corporis, cuius forma fuerit ſeo virtus. ergo neceſſe eſt mo-
tores corporum cœleſtiom eſſe formas immateriales atque abſtractas, for-
mas inquam; quoniā certisſimis quoque rationibus adſtruitur, colligiturq́ue
hoſce motores æternos, eſſe animas dantes eſſe corporibus cœleſtibus. Nam
cœli mouentor ex ſe, non autem ab alio: quoniam id, quod mooetur ex ſe,
prius eſt eo, quod mouetur ab extrinſeco, ſeu ab alio. motor ergo corpo- F
rum cœleſtium, quæ ſunt omnium mobilium prima ac ſuprema, intrin-
ſecus eſt corpori mobili. Amplius ſi ab extrinſeco motore mouerentur,
circuitione quadam mouerentur, motu videlicet compoſito ex pulſu & tra-
ctu: At corpora ſimplicia ſecundum naturam mouentur motu ſimplici.
Prætereà niſi motores ij immateriales eſſent animæ cœlorum, neceſſe vti-
que eſſet corpora cœleſtia habere qoandam aliam formam, qoa exiſterent:
omne namque, quod actu exiſtit, uel eſt actus ſimplex per ſe exiſtens imma-
terialisq́ue forma; vel actum habet, per quem eſt: ea verò forma, ni anima eſ-
ſe dicatur, materialis erit atque corporea, necnon natura corporis ſimplicis,
cœli ſcilicet. At natura corporis ſimplicis eſt principiom motus ſimplicis:
erit ergo forma hæc principium motus ſimplicis, non circularis; quoniam G
motus circularis infinitus eſt, & perpetuus, neque effluere poteſt à virtute
quapiam finita ac diuiſibili, ut paulò antè oſtendimus: eſſet igitur ea forma
principium motus recti: proindeq́ue neceſſe eſſet fateri corpus cœleſte, eſſe
corpus graue aut leue. Hiſce rationibus igitur, quæ à Phyſicis latius ac vbe-
rius tractantur, ſatis compertum cuiuis eſſe poteſt, entia quædam abſtracta à
materia eſſe in rerum natura, quæ ſunt animæ cœlorum. An uerò infra pri-
mum rerum omnium principium ſit quodpiam, quod præſtantius ſit anima-
bus corporum cœleſtiom, magna equidem dobitatio eſt. neque reor ego hac
in re rationem naturalē vllam nobis afferre certitudinē poſſe. Quamobrem
breui perſtringam ſummorū philoſophorū ſententias, itemq́ue cur præ alijs
poſitio Platonis mihi probabilior uideatur, cæterisq́ue præferenda. demum H
optionē lectori dabo, ut eam præligat, quæ cæteris potior ſibi eſſe uideatur.
Auerrois in duodecimo Metaphyſices uidetur opinari, nullum ens abſtractū
eſſe à materia præter animas cœlorum. Deumq́ue opt. nihil aliud conſtitue-
re uidetur, præterquam animam octauæ ſphæræ, quæ mouetur motu diurno,
ac eſſe, ceu quandam artem uniuerſalem, cuius fini plurimæ particulares ar-
tes inſeruiunt. Nā ſicuti equeſtri arti complures inferiores artes inſeruiūt; ita
etiam ei fini, quem primus motor conſtituit, motuq́ue diurno affectat, reli-
quæ cœlorum animæ, planetarum uidelicet, ſeu errātium ſyderū, proprijs,
ſuisq́ue motibus inſeruiunt. Hæc ſententia meo iudicio falſisſima eſt: nam
quemadmodum ex ijs, quæ ſuperius oſtenſa ſunt, quilibet liquidò intueri po-

A teſt, tantum abeſt, ut primum principium nedum ſit anima, quæ cùm proportionem habeat ad corpus, cuius eſt forma, quandam diuiſibilitatem præſefert; quod neque vllius certæ naturæ, definitæ've eſſentiæ conſtitui poteſt; ſed eſt ipſum eſſe per ſe exiſtens. Præterea efficientia primi principij longè præſtantior eſt, quàm ut motu agitationeque cœli efficere omnia potuerit. Amplius cuiuſcunque ordinis inſtitutor eſt ſupra eum ordinem, quem inſtituit, vtpote ab eo exceptus. Primum ergo principium abſurdè conſtituitur in ſerie claſſe've motorum, ſeu animarum cœleſtium: id quod uidetur quoque ſentire Ariſtoteles in duodecimo Primæ philoſophiæ libro, in eo loco, vbi inquit, quod in vniuerſo præter cuiuſque bonum, quod vnum-

B quodque ſua natura affectat, eſt præterea bonum extra vniuerſum, propter quod omnia agunt. ſicuti in exercitu dux eſt, propter quem tandem omnes, qui in exercitu ſunt, operantur. in quo loco, ſi quis diligenter animaduerterit, perſpicere facilè poterit, ipſum quoque Ariſtotelem ponere bonum per ſe exiſtens extra ſeriem vniuerſi, ſupraque quæuis entia. Alpharabius in libello de intelligentijs ponit primum principium entium eſſe ſupra animas cœlorum: nullum tamen præterea ponit ens abſtractum, in materia uerè eſſe. Huius philoſophi ſententia, vt reor, nullo efficaci argumento reprehendi poſſet; quamuis, ut infrà dicam, ratio Platonis mihi valde probabilis videatur. Auicenna in Metaphyſicis libris præter primum principium, quod ipſe nominat, neceſſe eſt, itemque præter animas corporum cœleſtium, totidem

C ponit intellectus puros, qui non ſunt animæ, quot ſunt motus cœleſtes. Huius poſitionis rationem affert. nam cùm finis præſtantior ſit his, quæ ſunt ad finem, nimirum dici non poteſt motores cœlorum mouere ſuos orbes propter hæc inferiora, quæ rebus cœleſtibus longè ſunt ignobiliora. neceſſe ergo eſt, ut nobiliores fines affectent ſuis motibus. Hi uerò & multi ſint oportet, quoniam diuerſi, varijque item ſunt cœlorum motus; quibus efficitur Auicennæ ſententia, ut fines totidem conſtitui oporteat ſupra cœlorum animas, quot ſunt motus cœleſtes, qui intellectus puri immixtique omnino ſint: nihil namque percipi poteſt, eſſe ſupra animum intellectualem, ac infra neceſſe eſſe præter intellectus puros. Huic ſententiæ adſtipulari uidetur Ariſtoteles in duodecimo Metaphyſ. quamuis dignoſci ſatis non queat, an cum

D Auicenna, an cum Alpharabio ſentiat. Attamen, ut ego puto, ratio, quam attulit Auicenna, non eſt adeò euidens, ut ei concedere debeamus, quoniam illa agentia, quæ perfecta ſunt, atque ex affluentia bonitatis agunt, non ob eam cauſam operantur, ut ſibi aliquid ſuis actionibus accreſcat, ſed ut res indigentes impertiant ſua bonitate. dicemus igitur Auicennæ, cùm animæ corporum cœleſtium in ſe perfectæ ſint, præcipuamque bonitatis partem ſortitæ ſint à primo principio, prima intentione agunt ex ſui bonitate: deinde ob vtilitatem harum inferiorum rerum. Non igitur ponendi ſunt ſuperiores quidam intellectus, cùm animæ cœlorum ipſæ ſibi ſint primi fines: ſecundi uerò hæ inferiores res. Præterea, omnes hæ animæ operantur, ac mouent ob eam potiſſimam cauſam, ut inſeruiant primo principio, idque pro

naturæ cuiuſque captu æmulentur, à quo eſſe & perfectio totius vniuerſi in- E
tenditur. Hac ergo ratione etiam ſequitur animas cœlorum agere prima in-
tentione propter finem excellentiorem. Diuerſitas uerò motuum eſt ex di-
uerſa, uariaque natura animarum mouentium: quam rationem videtur Pla-
to ſignificaſſe in Timæo. Nam poſtquam expoſuiſſet quanam ratione ani-
mæ omnes, & omnis natura immortalis formata eſſet à primo principio, di-
cit omnium parentem cõuerſum ad minores Deos hæc eis præcepiſſe. Cùm
reliqua, quæ ad uniuerſi abſolutionem ſuperſunt, mortalia ſint, ideò à me
cõtinuò ea fieri non poſſunt: neque enim fas eſt: immortalia namque eſſent,
ſi tantùm à me fierent. Iccirco vos imitantes eam, quam in me perſpicietis
efficiendi vim, quæ ſuperſunt mortalia efficere conemini. Illi uerò, inquit F
idem Plato, minores dij, cùm mandatum patris intellexiſſent, confeſtim ad
res inferiores efficiendas conuerſi ſunt, ac motum circularem pro cuiuſque
natura proprium quiſque molitos eſt. Ecce quàm præclarè Plato protulit
minores deos, animas ſcilicet cœlorum, ut parerent imperio patris, atque ut
eius bonitatem imitarẽtur, cœpiſſe ſuum quemque orbem mouere. Propter
igitur ſummum bonum, veluti tãquam propter ultimum, poſtremum, ſum-
mumque finem, animæ cœlorum ſuos orbes agitãt: motus uerò diuerſi ſunt
pro cuiuſque natura, atque ut rerum inferiorum generatio & incolumitas
exigit. Poſtrema omnium ſententia eſt Platonis, ut arbitror, eſſe ſcilicet in-
fra primum principium, ac ſupra animas corporum cœleſtium, intellectus
ſeu mundum intelligibilem: cuius ratio, ni fallor, fuit. anima, ut ſuperius di- G
ximus, duplicem præſefert naturam, diuiſibilem ſcilicet, qua corporeæ na-
turæ affinis eſt, nam forma eſt corporis; & indiuiſibilem, quatenus intelle-
ctus eſt, & intelligibilia attingit. ſicuti ergo infra animam eſt corpus naturæ
penitus diuiſibilis, ita par eſt ſupra animam eſſe intellectum purum naturæ
omnino indiuiſibilis. Huiuſmodi uerò intellectus neceſſe eſt, ut ſit infra pri-
mum principium: id namque eſt ipſum eſſe per ſe exiſtens, nulli naturæ ad-
dictum: in intellectu uerò eſſe eſt contractum ad intelligibilitatem, ut ita di-
cam, ſeu ad intellectionem. quapropter Plato poſuit hunc intellectum eſſe
cauſam exemplarem, in qua ſint ideæ rerum omnium. Nam in primo prin-
cipio res altiori modo ſunt, quàm ut in eo exẽplaria rerum conſtitui queant.
exemplar etenim omne cognoſci poteſt, & quatenus exemplar eſt compre- H
hendi quit. At in primo principio res ſunt ſupra cognoſcibilitatem, (ut pla-
nius explicem quod volo, ſic eam libeat appellare) ac in arcano ſitæ, quod
minimè peruium eſt cuiuis intellectui. Quamobrem Plato, ut reor, poſuit
cauſam exemplarem in ſecundo ente, in quo eſſe contractum eſt, ac defini-
tum ad naturam intelligibilem. quod etiam quoquo pacto innuit Diony-
ſius in libello de Cœleſti hierarchia: inquit enim ſupremos intellectus nun-
cupatos eſſe angelos, id eſt nuncios; quoniam arcanum illud diuinum in-
comprehenſibile primi enunciant. Hac ratione meo iudicio ſatis probabi-
le fit, ſupra animas corporum cœleſtium eſſe intellectum. Nam imbecillita-
ti mentis noſtræ, cuius acies in tam clara luce non figitur, de rebus altisſimis
certisſi-

A certiſsima ratio eſſe non poteſt. Iccirco contenti probabili argumento, & ſapientiſsimorum hominũ ſententia, qui acrioris ingenij fuerunt, quàm nos, dicamus ſupra animas cœlorum eſſe intellectum, in quo res ſint ſecundum eſſe intelligibile. Quot uerò ſint ij intellectus, ſi quis ſcire cupiat, animaduertendum illi eſt Platonicos nonnullos ponere hoſce intellectus ferè innumeros: Platonem tamen vnius tantùm mentionem facere in Timæo, cùm de fabricatione mundi uerba facit. Beatus Thomas rationem ſatis probabilem affert, qua efficiatur, vt pene innumeri ſint. Etenim inquit Deum optimum, cùm agat ex bonitate inſita, quam aliis impartiri vult, optimas ac perfectiores res maiori quoque vbertate produxiſſe: ac proinde corpora cœleſtia adeò ingentia effecit, ut generabiles corruptioniq; obnoxiæ, res ipſis collatæ, nullius ferè ſint magnitudinis. Icirco pari ratione perfectiſsimos entium intellectus innumeros feciſſe. id quod ſacræ etiam literæ teſtantur. Nos quibus inſtitutũ eſt nihil afferere, niſi ex certa ratione, hac in parte nihil aſſeuerandum nobis eſſe ducimus: ea enim eſt natura intellectus humani, ut certos terminos in cognitione rerum nõ egrediatur: quos qui egredi volunt, veluti oculis mentis allucinati, in multis deerrant, compluraque incomperta pro compertis habent. Nonnulli diuerſa ratione, dum ea, quæ ſunt ultra fines à natura nobis præſcriptos, incerta eſſe uident, de rei cuiuſcunque cognitione uel modica deſperant. Nos medium iter tenentes; ea tãgemus, quæ ratione naturali comperta ſunt; incerta uerò, atque ea, ad quæ lumen intellectus noſtri nõ pertingit, linquemus pro incompertis. Cùm ergo præter ſummorum philoſophorum auctoritatem, qui magis quàm nos in rerum contemplatione exercitati, luculentius etiam veritatem intueri potuêre, ratione etiam ſatis efficaci ſeu mauis probabili, nobis conſtiterit ſupra animas cœleſtium corporum eſſe intellectum, ſeu unus is ſit, ſeu plures; ea, quæ naturalis hominis ratio de intellectu comperta habere poteſt, paucis perſtringamus. Eſſe ipſum atque ipſum unum, quod ex ſuperfluenti bonitate extra ſe in alias quoque naturas defluxit, paulatim delapſum eſt, ac veluti per gradus proceſsit à perfectiſsimis naturis in imperfectiſsimas: & demum deſiit in materiam primam, quæ propè nihil eſſe uidetur. Primum igitur, in quod eſſe ipſum à puritate ſui degenerat, eſt intellectus, qui iam aliqua natura eſt non eſſe purum, uerùm tam latè fuſa, ut in ſe ſuo tamen modo omnes quoque res alias, atque naturas comprehẽdat: qua in parte, æmulatur ipſum eſſe, deficienti tamẽ ratione. Nam in primo principio res omnes ſunt, ſecundum unicum eſſe eminens ac præexcellens quibuſcunque naturis, ac cuiuis rerum modo. At in intellectu res omnes ſunt, ſecundum determinatam tamen rationem & definitum modum, id eſt ſecundum eſſe intelligibile: ea namque eſt natura intellectus ipſius. Quamobrem licet coniunctus ſit cum primo eſſe, vtpote cui proximus exiſtat; nihilominus primum eſſe in intellectu eſt ſecundum modum intelligibilem; non quòd per ſpeciem quampiam ab intellectu intelligatur; ſed per eſſentiam ſuam intelligitur, quæ perfectio atque actus quidam eſt primi intellectus: in eo tamen habet modum quendam, vi-

delicet intelligibilitatis, ut ſic dicam, ac hoc pacto degenerat ab eſſe, quo eſt E
in ſe ipſo. iccirco intellectus, quamuis diuinitatis ſit particeps, quoniam eſt
vndique plenus Deo; attamen longè excellentiori modo, immo in immen-
ſum excelſiori, eſt Deus in ſe ipſo, quàm ſit in intellectu, in quo iam incipit
eſſe ſecundum modum intelligibilem. ac propterea à primo eſſe res omnes
primò in intellectum effluxerunt, ſecundum eſſe intelligibile; quod eſt lon-
gè perfectius, quàm eſſe id, quo res in ſui natura ſubſiſtunt; vtpote quod pro-
ximum ſit eſſe ſui, quo ſunt in primo rerum omnium principio. Primus er-
go intellectus ipſe quoque eſt omnia, ſicuti primum ens, ſed modo ut de-
clarauimus deficienti: ac quemadmodum intellectus deficit ab ipſo eſſe,
quoniam in naturam certam degenerat; ita etiam deficit ab ipſo uno, ac de- F
generat in multitudinem: nam in eo primùm incipit apparere multitudo,
quoniam rerum ſpecies in eo multæ ſunt: atque has Plato, ut arbitror, ideas
fecit: ac propterea in hoc intellectu poſuit cauſam exemplarem uniuerſi ſen-
ſibilis, quod aſſeruit animatum eſſe, ut ex Timæo liquidò quiuis intueri po-
teſt: qua de cauſa is intellectus à Platonicis appellari ſolet mundus intelligi-
bilis, tanquam in quo res vniuerſæ ſint ſecundum eſſe intelligibile. nomina-
tur etiam à nonnullis unum multa; vtpote quod in ſe unum ſit, ac deſinat
in multitudinem rerum intelligibilium: ita tamen ut unitas ſuperet multi-
tudinem, ac multitudo in eo colligatur in unum, tanquam in verticem. ac
proinde is intellectus totum quoddam eſt, ac primum totum, quod tamen
ſit ante partes, neque depẽdeat à partibus, aut ab eis conſtituatur, ut tota hæc G
materialia, in quibus verſamur: quam rem annotauimus ſupra, cum de uno
uerba faceremus. Dixerunt ergo intellectum unum multa, animam uerò,
quæ inferiorem ſortita eſt gradum, perhibent eſſe unum & multa, tanquam
vtriuſque naturæ participem, ac magis propinquam multitudini, quàm in-
tellectus ſit: an uerò hæc mens ſuprema intelligat ſingularia ſenſibilia; & ſi
intelligit, an præſentia tantùm intelligat, an etiam futura omnia, pu-
to ex vi mentis humanæ nobis incompertum eſſe. ideo, quamuis
de hac re maximæ ſint inter philoſophos altercationes; nos
contenti humanis limitibus omnes eas omittemus,
ac perſpicacioribus hominibus hanc operam
concedemus. Poſt intellectum ſunt ani- H
mæ corporum cœleſtium, de qui-
bus proximo volumine à
nobis dicetur.

LIBER

LIBER SEXTVS.

IDONEVS primæ philoſophiæ auditor is iure exiſtimari
B debet, qui naturali ſcientiæ non tantùm operam dede-
rit, verumetiam in ea excelluerit: innata nanque nobis
via doctrinæ eſt à notioribus nobis. Huiuſmodi autem
ſunt ſenſibilia entia: omnis enim noſtra cognitio ortum
habet à ſenſu. Repetamus ergo à Phyſicis, indeq́ue id,
quod ſupereſt, ordiamur. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ita
quod motor alius eſt à re mobili, præterea ea, quæ moueri uidentur,
quædam ab alio extrinſeco uidelicet motore mouentur; nonnulla ex ſe.
huiuſmodi autem ſunt animata. Cùm ergo in illis, quæ ab extrinſeco mo-
uentur, non poſſit res in infinitum protrahi, tandem ad motum ex ſe
perducetur: mota uerò ex ſe, generabilia & corruptioni obnoxia utique
neque conſiſtere poſſent, neque eorum generatio infinito tempore perdu-
C rare; niſi à moto ex ſe æterno continerentur, cuius fomento ſemper
egent. id quod ſuprà ſæpius ſumpſimus. Hoc uerò motum ex ſe æternum
ſenſu comprehendimus eſſe corpus cœleſte, quod ex motu circulari ſem-
piterno conuincimus componi ex duabus naturis, quarum altera eſt for-
ma, altera materia: forma uerò anima eſt immaterialis, indiuiſibilis, at-
que immobilis; quæ poſt intellectum, de quo iam tractatum eſt, pro-
ximum primo enti locum tenet inter entia, ac in ea maior quædam ſpe-
cies multitudinis iam ſeſe nobis offerre incipit. Nam cùm forma omnis
actus ſit materiæ quædam congruentia ſeu conformitas formæ, cum mate-
ria ſit oportet. Quamobrem cùm materia diuiſibilis ſit & extenſa, non di-
co oportere formam eſſe diuiſibilem, atque extenſam: hoc etenim non
D niſi formæ materiali conuenit, quæ in eſſe à materia dependet: ſed neceſ-
ſe eſt, ut natura formæ, quamuis immaterialis ſit, nonnullam referat di-
uiſibilitatem; id eſt, ut quodammodo affinis ſit extenſioni diuiſionique: id-
circo, deſcendendo à primo principio, quod vnum omnino eſt ad intel-
lectum, in quo eſt vnitas contracta ad naturam intelligibilem, ac pro-
pterea etiam ad quandam multitudinem, ab eo deinceps deſcendimus ad
animam, in qua maior eſt multitudinis ſpecies, propter affinitatem ad cor-
pora. Cùm ergo nobis conſtiterit eſſe cœleſtium corporum animam, ac ſu-
perficie tenus qualis nam naturæ ea ſit; nunc dicendum eſt à nobis, an cau-
ſam efficientem habeat, & quænam ea ſit. Auicenna præſtantiſſimus philo-
ſophus opinatus eſt, quoniam ab uno non eſt niſi unum, à primo principio

entium eſſe tantùm primũ intellectum, tanquam à cauſa effectrice: à primo E
deinde intellectu, in quo eſt quædam compoſitio ex actu & potentia, ſeu ex
perſecto & imperfecto: inquantum intelligit primum principium emanare,
atque effluere ſecundum intellectum: inquantum uerò intelligit eam, quam
obtinet, perſectionem, effluere animam primi cœli: ac quatenus intelligit
imperſectionem adiunctam ſibi, effluere ſubſtantiam primi orbis, ſicque
deinceps à ſecundo intellectu emanare tertiam mentem, ac animam ſecundi
orbis, orbemque ſuum, item à tertio quartum, quouſque deuentum ſit ad mẽ
tem præſidentem hiſce inferioribus generationi, corruptionique obnoxijs;
à qna perhibet tum omnes ſormas eſſe generabilium rerum, tum etiam in-
telligibiles ſpecies. Hanc Auicennæ poſitionem D. Thomas, excellentiſſi- F
mus vir, ac nunquam ſatis laudatus, ſatis efficaci ratione reprehendit: inquit
enim, ſi generatio uniuerſi ita conſtaret, & hoc pacto procederet, vtique ordo
vniuerſi eſſet à caſu, non autem ab aliquo per ſe intentus: verùm oporteret
fateri accidiſſe uniuerſum, ita conſtitutum eſſe ex diuerſis multorum agen-
tium intentionibus; quæ tamen à nullo excitata ſint, aut mota ad hunc ordi-
nem conficiendum. ac propterea inquit Thomas omnem factionem cuiuſq;
rei, quæ non ſit per tranſmutationem motum've aliquem: ſed per ſimplicem
emanationem totius eius quod ſit, quodque per ſe exiſtat, eſſe à primo princi
pio, non autem ab aliqua cauſa ſecunda. argumentoque nititur ſatis valido:
nam ſicuti agens per artem præſupponit in ſui factione rem à natura conſtitu
tam, ac natura conſtantem, quoniam is agens poſterior eſt agente naturali; G
ita quælibet ſecunda cauſa præſupponit in effectu, quem agit, aliquid iam in-
choatum à prima cauſa, quod ipſa perficiat: At in emanatione totius entis
per ſe exiſtentis nihil ſupponitur: ſi quid enim ſupponeretur, iam non to-
tum emanaret ab ea cauſa: non ergo à ſecunda cauſa quapiam hæc ema-
natio eſſe poteſt. Neque etiam confugere ad illud poſſumus, effectum eum
ſcilicet eſſe à cauſa ſecunda, veluti ab inſtrumento primæ: nam cauſa omnis,
quæ vicem inſtrumenti habet, licet ex ſe non attingat productionem effe-
ctus, cuius factionis dicitur inſtrumentum eſſe, tamen actione quadam, quæ
ipſius formæ naturæ've conuenit, à ſuperiori agente directa ad effectus ſui
productionem peruenit; cuius effectionis inſtrumentum nominatur: ſic ſer-
ra, quæ organum eſt fabri lignarij ad factionem ſcamni ſeu lectuli, quamuis H
vi propria non attingat ad inductionem, effectionem've formæ ſcamni illius
ſeu lectuli, attamen ſecando ac incidendo, quæ actiones formæ ſerræ con-
ueniunt, à fabro artifice directa pertingit ad efficiendam formam ſcamni,
quæ proculdubio emanat à mente artificis. eadem ratione calor naturalis
animalis calefaciendo, quod ſuæ vis eſt, carnem procreat oſſaque, ac mem-
bra denique; quorum forma eſt ab anima. Ex inductione hac colligitur ne-
ceſſe eſſe cauſam inſtrumentariam quamcunque actione ſuæ naturæ pro-
pria, directa tamen à cauſa ſuperiori, pertingere productionem effectus ſui:
ſed in emanatione totius entis per ſe exiſtentis, cùm nullnm ſnbiectum ſit
eius effectionis, nulla etiam actione ne fingi quidem, nedum eſſe poteſt cu-

A inſpiam inſtrumentariæ cauſæ, qua pertingat ad effectionem totius entis
per ſe exiſtentis, quæ eſt à prima cauſa rerum omnium: ut nulli unquam pro
dubio fuit. Iccirco emanatio entium omnium per ſe exiſtentiom non eſt
ab vlla cauſa ſecunda, ſed tantùm à primo principio entium, à quo etiam
ſunt animæ corporum cœleſtium: ideóque Plato in Timæo poſuit vniuer-
ſum totum eſſe à primo principio tanquam à cauſa efficiente, quam etiam
patrem omnium appellat: inquitq́ue patrem hunc ſupremum animam ex
eſſentia diuiſibili indiuiſibiliq́ue conflaſſe. Verùm quoniam ſuperiora quo-
que pro ſuæ naturæ captu efficiendis inferioribus operam ſuam præſtant, ut
ſummi boni bonitatem æmulentur, iccirco poſuit iotellectum ſeu mon-
B dum intelligibilem eſſe cauſam exemplarem uniuerſi. Itaque ſtatuit primum
rerum omnium auctorem, iuxta illud exemplar, mundum perfectum effe-
ciſſe. Erit ergo, iuxta ſententiam Platonis, intellectus rerum cauſa non effi-
ciens, à qua ſint entia in prima rerum emanatione, qua in ſuo quæque eſſe
ſubſiſtunt, ſed cauſa exemplaris, per quam primum animo, deinde totum
uniuerſum effecta ſint: necnon etiam illud Platonem nouit, quod ſuprà te-
tigimus, quoniam exemplar habet rationem intelligibilis; ideo in eo, quod
ſuperat omnem naturam cum ſenſibilem tum intelligibilem, nos non poſſe-
mus ſatis percipere rationem exemplaris: qua de re non in prima cauſa, ſed
in prima natura, intelligibili inquam, hoc genus cauſæ Plato conſtituit. Ex
qua poſitione ratio Auicennæ facilè ſolui poteſt. Nam ab ono, id eſt à primo
C principio immediatè non eſt niſi unum; intellectus videlicet ac mundus in-
telligibilis. Verùm poſt intelligibilem hunc mundum, quem dicimus pri-
mum rerum principium nõ ut unum, ſed ut multa, iuxta multitudinem, quæ
eſt in exemplari, multa conſtituit, ac in vnũ vniuerſum conflauit. Non tamen
propterea cenſuerim ego Platonem arbitratum fuiſſe, Deum ſupremum in-
digentem fuiſſe, ut ſcilicet exemplari alio à ſe indigueris in rerum productio-
ne, cùm in eo ſupereminenter ſit exemplar cuiuſcunque exemplaris, & in
quo uno eſt multitudo omnis eminenter: immo etiam quodammodo abyſ-
ſus ille non entis, ſicuti priuatio eſt in habitu: ſed ea ratione arbitror cauſam
eam exemplarem in ſecundo ente poſuiſſe; quoniam primum principium
à nobis capi non poteſt, cùm ſuperet intellectum. Exemplaris uerò ratio ac
D definitio in hoc eſt, ut intelligibile ſit: quare ratio Auicennæ alio quoque
modo commodè ſolui poteſt, quòd ſcilicet ab vno inquantum unum non
eſt niſi unum: ſed ab uno in quo eminenter eſt omnis multitudo, & in quo
natura non diſtinguitur ab intellectu & voluntate; ac propterea per intelle-
ctum ac voluotatem agit, quemadmodum per naturam, ut ſuprà diximus,
nullum inconueniens eſt, ſi multitudo effluat, in unum tamen ordinem re-
dacta. Hæc de cauſa effectrice animarũ cœleſtium. nunc melius diligentiuſ-
que inoeſtigemus, qualeſnam ſint, & cuiuſmodi ſit earum operatio. Animos
cœlorum eſſe abſtractos à materia, iam ſuperius conſtitit. Quoniam uerò
forma abſtracta eſt intellectus ac intelligibilis, ut ex ijs, quæ de anima dicta
ſunt, in phyſicis planè conſtant: Animæ ergo corporum cœleſtium ſunt actu

intel-

intellectæ & intellectus:ac cum vnumquodque ideo intelligatur, quoniam E forma eius coniuncta eſt cum intellectu, ac unum cum eo affecta, ſibi ipſi autem actu coniunctæ, idemque ſunt animæ corporum cœleſtium; ic-circo ſeipſas per ſuam eſſentiam intelligunt. Reliqua uerò, quæ item à materia abſtracta ſunt, ut intellectus ac ſuperiores animas, ea ratione intelligunt inferiores, quoniam ſuperiorum formas, ut perfectiones quaſdam ſui in ſeipſis recipiunt. Quamobrem ſuperiores quoque intelligunt per eſſentiam ſuperiorum, qua formantur: nam ſuperiores formæ cùm ſint actu intellectæ & perfectiores inferioribus, nimirum formare inferiores poſſunt, ac eo pacto per ſuas ipſarum eſſentias ab eis intelligi. Econtra uerò minimè commeat ratio,ut ſcilicet ſuperiores intelligant inferiores, eò quòd F earum eſſentijs informentur: nam forma ſemper, ac in quacumque re perfectio quædam eſt rei formatæ: ſic etiam animæ corporum cœleſtium non intelligunt inferiora hæc entia corruptibilia, eò quòd ab ipſis recipiant impreſsionem vllam,quoniam ſemper agens eſt nobilius patiente,ac principiũ materia, formaque ſubiecto. Nec tamen dicendum propterea eſt, quod hæc inferiora ignorent, quorum ſunt cauſæ ac moderatrices conſilio quodam ac intellectu,immo perfectiori modo intelligunt,eoque perfectiùs;quò ſuperiores atque excellentiores fuerint. Nã ſicuti in ſupremo eſſe ſunt omnia modo nobis ignoto,ita in intellectu omnia ſunt ſecundum modum intelligibilẽ,ac perfectiori modo in intellectibus perfectioribus, deterius uerò in inferioribus:obiectũ nanque intellectus eſt ens. Amplius ſi humanus intellectus, qui G eſt omnium infimus, quodammodo intelligit omnia, & quodammodo eſt omnia, multo magis aſſeuerandum eſt hoc de ſupremis illis intellectibus. Quamobrem ſuperiores animæ inferiores intelligunt, ac òmnia etiam infima entia generationi corruptionique obnoxia per formas ab intellectu primo in eas influentes, ac vicisſim à ſuperioribus traditas, inferioribusque excellentiori modo ac ratione magis una ſunt in his, quæ ſuperiores ſunt: in inferioribus uerò magis multæ ac magis diuiſæ: neque enim earum capaces eſſent, niſi ipſis magis dearticulatæ fuerint, tanquam imbecillioribus, & quæ magis recedant à perfectione unius, atque ad multitudinem accedant: ſic inter homines accidere uidemus, ut ea, quæ præſtantes ingenio ſtatim, ac uno nutu admoniti percipiunt, imbecilliores ac magis tardi H capere nequeant, niſi eadem eis fuerint diſtincta & dearticulata. non diſsimili omnino ratione ſe habent mentes illæ ſupremæ. huius uerò non æquè perceptionis ratio in promptu eſt, nam receptum omne eſt in recipiente ſecundum recipientis modum: quantò ergo recipiens magis acceſſerit ad multitudinem, ab unoque receſſerit, tantò etiam oportet receptas ſpecies in eo magis eſſe multiplices,inferiorisque notæ. Sic ergo omnis cœleſtium corporum anima omnia intelligit, ſe ipſam per ſui eſſentiam, ſuperiora entia per eorum eſſentias, quas in ſe ut perfectiones intelligibiles recipit: inferiora uerò per ſpecies ab intellectu ſupremo, in eam animam emanantes; ordine tamen certo progreſſuque ſeruato, ut ſcilicet ſpecies eæ prius, pro-

ximiusque

A ximiusque defluant in animas ſuperiores, quæ intellectui propinquæ ſunt magis, ac per eas deriuent in animas inferiores. Ac vtrique præter hunc modum alius quoque non incommodus afferri poteſt, quòd uidelicet ſuperiores animæ inferiores intelligant per ſui eſſentiam, quæ inferiorum forma eſt intelligibilis: nam cùm forma, & perfectio quælibet ſubiectam ſibi materiam penetret, ut ita dixerim, ſuperioresque mentes inferiores informent, ac in eis recipiantur, (qua via fieri diximus, ut inferiores mentes ſuperiores intelligant per ſuperiorum eſſentias ipſas formantium) neutiquam abſurdum eſſet, ſi ſuperiores quæ vnum fiunt cum inferioribus eas formando, per ſuam'met eſſentiam inferiores intelligerent. Si enim intellectus humanus, ut Ariſtoteles teſtatur, ſe ipſum intelligit per formas alias intelligibiles, per quas actu ſit intellectus, quî coueniens eſſet? ſi quis aſſereret, ſuppoſito eas formas intelligibiles eſſe formas, quæ per ſe ſubſiſterent, atque eſſe actu intellectus, per ſe ipſas eas quoque intelligere intellectum humanum per ſuam ipſarum eſſentiam. quandoquidem intellectus humanus ſe intelligit per eas formas intelligibiles. Primum uerò entium omnes pro captu ſuo attingunt, quòd ſe cuiuſque capacitati accommodet: ac ea ratione id quod in ſe incomprehenſibile eſt, in prædictis intellectu eſſe incipit ſecundum modum intelligibilem: excellentius quidem in excellentioribus, deterius in inferioribus. ſicque omnes eæ mentes diuinæ ſunt, quoniam capaces ſunt diuinitatis, ac unum factæ cum Deo, qui in eis omnibus eſt.

C Præterea in eis ſummus quidam eſt amor, quo ſeſe inuicem mirificè connectunt. Nam intellectum quemcunque ſequitur intellectualis appetitus, qui in ratione eſt, & à philoſophis voluntas nominatur. appetitus uerò huius primus motus, ac præcipuus eſt amor; cuius obiectum eſt bonum. vbi ergo excellentisſimi ſunt intellectus, ac ſummum bonum intellectum, ibi maximum oportet amorem eſſe: inferiores ergo mentes ſuperiores intellectus, ut potiora bona, ſibique benefica, ſummum uerò bonum tantùm amant, quantùm nec excogitari poteſt; ſuperiores uerò viciſſim amant inferiores ex ſuæ bonitatis ratione ac natura, non ex indigentia, ipſiſque bonitatem, ac perfectionem ſuam communicant, ſeque eis inſinuant pro earum captu. hic nanque perfectisſimus eſt amoris modus, nt ſupra oſtendimus, fitque

D hoc pacto mirus quidam, inexplicabiliſque ſupernarum mentium contextus. His hactenus expoſitis, nunc illud reliquum eſt, ut diſſeramus quo'nam ſcilicet modo ſuperiores hæ mentes cauſæ ſunt rerum inferiorum. In eis eſt ſpecies boni, à quo ſunt: boni uerò eà eſt natura, ut perfectione ſua impertiat omnia ea, quæ capacia fuerint: non enim eſt boni inuidere, ac intra ſe bona ſua continere, ſed effundere ac effluere. Cùm ergo iu ſupremis hiſçe mẽtibus ſit lucida forma ſummi boni, non offuſcata tenebris non entis, nec diſſimilitudinis labyrinthis inuoluta, nimirũ ualde cupiũt æmulari pro viribus ſummum bonũ, ac rebus aliis bonitatẽ ſuã elargiri, ad idem à ſummo etiã bono aguntur, quod intra res omnes eſt, ac interius in eis operatur. Etenim omnia operantur, quatenus ſunt, ac ut ſupra oſtendimus, nec momento eſſe poſſent

quæcunque ſunt, niſi à primo eſſe continuè eorum eſſendi vigor emanaret, E qui motus rebus intrinſecus à primo bono effluens, à Platone in Timæo ſignificari uidetur: cùm inquit, patrem omnium ad minores Deos conuerſum eis præcepiſſe, ut in factione inferiorum rerum, quam eis demandauerat, ſe imitarentur. Cupiunt ergo hæ ſupremæ mentes elargiri aliis perfectionem ſuam: verùm ad eum modum effectionis, quo primum agit, quoque res omnes à principio rerum omnium emanant ſecundum ſe totas, ac conſiſtunt, attingere non queunt; iccirco conantur deteriori nota, eum tamen efficientiæ modum æmulari, ac per motum corporum cœleſtium formas effingunt in hac inferiori materia, quas ab intellectu acceperunt veluti quidam naturæ artifices: quamobrem in effectione rerum in- F feriores omnes concurrunt quædam perfectius, imperfectius aliæ. Intellectus ſupremus, à quo in animas cœlorum effluunt omnes formæ, patris vicem gerit, animæ ipſæ vicem matris, ac inferiora hæc entia ſunt veluti fœtus, quos in lucem edunt cœli motu & lumine medio, tanquam inſtrumentis quibuſdam ſuorum fœtuum pariendorum; ſic ergo per motum localem, ac lumen cœlorum materia hæc inferiorum formatur his formis, quas animæ ab intellectu conceperunt. Et hæc, ut reor, eſt ſententia Platonis in Timæo. hoc idem ſenſus quoque nobis oſtendit, & ratio perſuadet, ut ex naturali philoſophia cuique perſpicuum eſſe liquido poteſt. Satis iam diſputatum eſt de incorporeis entibus pro huiuſce opuſculi modo, ac prout humanæ rationis imbecillitas attingere ualet ea, quæ ſuapte natura manifeſtiſ- G ſima ſunt, atque in maxima luce conſtituta. Paulatim in entium ordine res à primo principio degenerant, ſenſim dilabuntur. ideo poſt naturam animæ, quæ ſuo modo præſefert diuiſibilitatem quandam, eſt natura corporis, quod ab anima formatur. Hoc uerò primum eſt corpus, id eſt cœlum, quod & diuiſibile eſt, licet maximè inter corpora ad vnitatem accedat: niſi enim diuiſibile eſſet & extenſum, vtique corpus non eſſet, ac propterea etiam eſt nobile, nam omne corpus mobile eſt, non enim corpus vllum infinitum eſſe poteſt, attamen ingenerabile & incorruptibile eſt, nec diminutionem, aut augmentum vllum recipit, penituſque cuiuſuis alterationis eſt expers; ut naturales philoſophi demonſtrant: quare ex generibus motuum ſolum localem motum admittit. eſt præterea ſimplex ac puriſſimum corpus: magis H nanque ad unitatē accedit ſimplex compoſitio. figuram habet maximè ſimplicem, ſphæricam inquam, quæ una tantùm ſuperficie continetur: mouetur motu locali maximè ſimplici, circulari inquam. agit ſimplici qualitate, qua eſt præditum, lumine videlicet, quod caliditatem quandam annexam habet, quæ ſe habet ad cæteras qualitates ſenſibiles, ut lumen ad colores omnes. Itaque caloris cœleſtis omnes alias qualitates ſenſibiles virtute ſua fouet ac continet; licet cùm à puritate ſua degenerat, confeſtim decidat in calorem elementarem, qui calori cœleſti magis propinquus eſt, atque magis attinet, quàm vlla alia qualitas ſimplicium corporum; ſic lumen cùm à primo degenerat, in albedinem migrat. hinc eſt, quod interdum pro

materiæ

A materiæ captu calor cœleſtis vrat, atque perniciem afferat, cùm tamen ſui natura vitam præſtet omnibus, omniaque foueat ac conſeruet. verùm cùm pro materiæ captu degenerarit, in calorem elementarem migrat, cuius ea propria munera ſunt. Hunc calorem aſſeclam luminis cœleſtis, alium à calore elementari, vel ob eam rationem cenſuerim ego ſtatuendum eſſe. (omittam nunc interim alia, præteriboque complura dicta philoſophorum præſtantium in hanc ſententiam) quod ſi ſecus eſſet, vtique ſatis intelligi nõ poteſt quonam pacto calor elementorum, qui intra viſcera terræ, & in ſeminibus eſt concluſus, conſtitui poſſet eſſe inſtrumentum cœleſtium corporũ, ab eiſque moueri (omnium etenim mixtorum generationes conſeruationis,
B cauſa eſt calor naturalis, ut Ariſtoteles inquit in quarto Meteororum libro) niſi ab ipſis itidem tangeretur. mouens nanque proximum & motum ſimul ſunt: quod luculenter Ariſtoteles teſtificatur in ſeptimo Phyſicorum volumine. Tangi autem quî poteſt? cùm tantopere diſtent, niſi qualitate quadam, ac virtute à cœlis emanante ac omnia permeante. Lumen uerò tantùm diaphani eſt actus, opaca non penetrat, ideo aſſecla luminis alia eſt virtus omnia penetrans, ac omnia formans. Hunc nos calorem cœleſtem dicimus alium ab elementari. Platonici dixêre corpus hoc eſſe æthereum vehiculum animæ mundi, cæterarumque animarum omnium. cæterùm quoniam corpus nullum cætera corpora penetrare poteſt, qualitatẽ quandam eſſe hanc oportet, quam ponimus, ut artificem motricemque aliarum qualitatum omnium, ac
C vt vehiculum quoddam virtutis animæ. Hæc uerò omnia, quæ ineſſe corpori cœleſti diximus, ac perſpicimus, ab anima ei proculdubio inſunt. Nam materiam conuenire formæ opus eſt. Aſt animæ cœlorum maximè ſunt æternitatis capaces, nulliſque obnoxiæ mutationi; iccirco corpora etiam ſortitæ ſunt immortalia, ac immutabilia mutatione, quæ pertineat ad intrinſeca. Hæ præterea animæ ſimplicisſimæ ſunt, ſuaque operatione ſpiritualẽ quendã circularẽ motũ exprimunt referunt've. Circuli nanque ſpirituales quidam ſunt nexus illi ſuperiorũ mentiũ: quia & mutuò ſe intelligunt, ac mutuò ſe ardent nedum amant, ideo corpora quoq; habent ſimplicia, circulareſque figuræ, circulari quoque motu agitata. inſuper hoc lumen, cui calor coniunctus eſt, nõ elemẽtaris ſed cœleſtis, effluxus quidã eſt in cœleſtia corpora ab animarũ in-
D telligibili lumine, atq; ab amore illo, quo ardẽt: id enim eſt lumẽ in corpore, quod intelligẽtia in anima, id eſt calor hic omnia generãs ac cõſeruans, quod in anima amor. ſunt ergo hæc omnia imagines quædã corporeæ proprietatũ animæ immaterialiũ; quod, ut puto, Boëtius vir doctisſimus ſentit; cùm inquit de cœli anima, mentemque profundã circuit, ac ſimili cõuertit imagine cœlum. Inter cœlos autẽ ſupremũ obtinet locum, ſupremamque dignitatẽ octaua ſphæra, quæ innumeris fulgoribus eſt illuſtrata, ac motu velocisſimo, maximeque vniformi mouetur: diurno inquam ab oriente in occidens. quãuis non me lateat aſtologos Platone & Ariſtotele iuniores cõmentos fuiſſe primò nonã, deinde decimã quoque ſphæram, cui diurnũ motum attribuerent alium item tardisſimum: octauæ uerò ſphæræ attribuunt monſtruo-

P ij ſum

ſum quendam motum titubationis ſeu acceſſus & receſſus. Verùm & in E
his & in planetarum circulis commenta, ſeu potius figmenta Aſtrologorum à nobis omittantur, ac ſequamur potiores philoſophos, Ariſtotelem videlicet & Platonem. Hunc diurnum motum Plato in Timæo vocat motum ſimilitudinis ſeu vniformitatis: & Ariſtoteles in ſecundo libro de cœlo, à dextro in ſiniſtrum permeantem motum eum eſſe dicit, vtpote qui perfectus ſit, & ad vnitatem accedat, quem motum cæteri quoque planetæ ſequuntur, uel ex natura propria motoris à quo mouentur, uel quatenus motores planetarum formati à prima anima octauæ ſphæræ motrice, motum illius proprium, perfectisſimum tamen omnium in ſuis ſphæris effingunt. Hic uerò diurnus motus cauſa eſt, quod generatio corruptioque iſtorum inferiorum ſempiterno tempore conſeruetur ac perduret. F
Poſt octauam ſphæram planetæ ſunt, orbesque eis accommodati, in quibus quoniam ad multitudinem atque ad disſimilitudinem magis accedunt præter motum diurnum, qui eſt ſimilitudinis, alius quoque ineſt motus, qui disſimilitudinis à Platone appellatur, & ab Ariſtotele perhibetur eſſe veluti à ſiniſtro in dextrum: dextrum nanque, à quo eſt motus ille, ſiniſtrum eſt vniuerſi: deficit ergo ab eo, quòd eſt ſecundum naturam in vniuerſo, cùm præpoſterè procedat. hic uerò planetarum motus obliquus ſub zodiaco, cauſa eſt, ut generatio ac corruptio euariet: quòd uerò generatio inferiorum quamuis varians, ſemper eundem tenorem ſeruet, à motu diurno eſt. Inter planetas uerò nobiliores ſunt, ſi antiquis philoſophis aſſentiamur, illi qui ſunt ſuperiores elatioresque: inferiores autem ac depreſſiores econtra imperfectiores. cuius rationem afferunt, quoniam continens G
eſt nobilius contento: contentumque ad continens ſe habet tanquam materia ad formam, & perfectibile ad perfectionem. verumtamen ſi ab effectu ad cauſam intelligendam nobis eſt via, difficile mihi perſuaderi poteſt planetas cæteros ſuperiores eſſe præſtantiores ſole, quem potisſimum inſpicimus cauſam eſſe harum inferiorum rerum, ab eoque variari anni tempora, cæteraque, quæ hìc inferius aguntur. Cæteri uerò planetæ vel nihil vel inſenſibile quodpiam uidentur afferre. Præterea ſi lux eſt qualitas, qua cœlũ agit, ac defluxus quidam à lumine intelligibili in ipſum corpus cœleſte, id corpus, in quo præſtantior lux eſt, excellentius exiſtimari debet cæteris, H
quæ non adeò luce decora ſunt, neque adeò luce pollent. At ſolis lux quantum lucem aliorum planetarum præcellat, omnibus præterquam cæci compertum eſt. Præcipuus ergo ſol erit meo iudicio, cui ſententiæ etiam aſtrologi adſtipulari uidentur; qui inquiunt planetas cæteros dirigi ac temperari à ſole, ac quaſi cooperarios ſolis eſſe: qua de cauſa Venerem Mercuriumque non recedere à ſole niſi parum, ſiue anteceſſerint ſiue ponè fuerint. Lunam uerò agere, prout à ſole illuſtratur: trium præterea ſuperiorum motum planetarum rationem habere ad motum ſolis. Antiquorum uerò philoſophorũ argumentũ non difficile eſt ſoluere: nam recipimus cõtinens perfectius eſſe contento, ſi cætera paria fuerint: at ſi cætera præualeant præponderantque

A rantque, non ſemper continens abſolutè perfectius cenſendum eſt eſſe contento, ſicuti in animali cor non eſt imperfectius membrum alijs, à quibus continetur. At in ſole cætera longè præualet, ut cuiuis exploratisſimum eſt. Sol ergo præſtantisſimus eſt, ac perfectisſimus planetarum omnium, luna imperfectisſima, quæ à ſole lumen mutuatur, ac veluti terra cœleſtis eſt, ùt inquit Alexander Aphrodiſeus. Reliquorum planetarum ſtellarum'ue numeros, ac gradus perfectè dignoſcere ſupra humanum captum eſt. Nam qui perfectè cognoſcit aliqua, etiam differentias & gradus eorum ſigillatim dignoſcit. Nos uerò imperfectè cognoſcimus ſuperiora, ac à nobis remotisſima entia: quamobrem etiam communia quædam, generalia'vè non-
B nulla ipſorum cognoſcimus, non tamen ualemus minuta quæque attingere. Hactenus ergo de corporibus cœleſtibus dixiſſe ſufficiat, nunc accedendum nobis eſt ad entia generationi, ac corruptioni obnoxia, in quibus iã magna turbatio eſt, plurimusque tumultus; quoniã ab vnitate atque ab eſſe maximè recedunt, ac ad multitudinem & non eſſe accedunt quam proximè, multamque eorum partem habent. Hîc uerò tum entia vicisſim contraria, tum contingentia, ac fortuna caſusque apparent, ſeſeque nobis offerunt, quæ omnino à ſuperioribus ſunt aliena: nam & in ſupremis mentibus, & in cœlis nihil eſt contingens, nulla ibi contrarietas, ſed ſummus omnium conſenſus, nihil fortuitũ, verùm omnia ſumma, ac certa ratione procedunt. Etenim propinqua ſunt ea primo entium, cuius ſimilitudinem referunt; lon
C gisſimè uerò diſtant ab infinitate & contractione non entis; de quo ſuprà eſt facta à nobis mentio. econtra in hiſce quæ ſunt infra cœlum, contingentia eſt: nam propter contumaciam ac inæquabilitatem, ut ita dicam, materiæ, quæ non enti propinquisſima eſt, ut dicetur infrà, effectus non omnino reſpondet impresſioni ac efficientiæ agentis; quamobrem quamuis cœlorum influxus & impresſio ad bonum & ad perfectum ſit; tamen, quoniam materia ob imperfectionem contumax, diuerſa, atque inæqualis eſt, effectus minimè reſpondet impresſioni agentis, inde contingentia eſt. Amplius quoniam præter materiam, in qua effectus recipitur: concurrunt etiam particularia agenda præter cœlum, quæ materialia ſunt, & propterea eorum concurſus inter ſe certam cauſam non habet, ideo multa contin-
D gunt, neque neceſſario omnia conueniunt. Ratio igitur contingentiæ in inferioribus eſt ex imperfectione ſeu à non ente, cui infima hæc entia propinquiora ſunt, quàm ſuperiora, eadem de cauſa vicisſim quoque contraria ſunt inferiora hæc, quæ infra cœlum eſſe conſpicimus: nam ex contractione entis incipit primo diuerſitas, deinde contrarietas, ut ſuperius docuimus. Quoniam ergo in hiſce inferioribus ens & bonum ualde cõtracta, coarctataque ſunt, iccirco alterum alteri incipiunt non tantum diuerſa eſſe, verùm etiã vicisſim contraria; ac ea, quæ in uno ac in bono vniuerſali conueniebant, iam inuicem pugnant; quoniam alterius priuatio alteri coniuncta eſt. hinc corruptiones ſunt ac mutuæ generationes. ob eandem cauſam plurima fortuitò, atque caſu eueniunt, quæ nullam habeant cauſam per ſe, ſed temere fiant, ad

cauſasque infinitas ac indeterminatas, quæ ſunt per accidens cauſæ, reducuntur. Nam ex infinitate & diuerſitate non entis, quæ ſummopere viget in hoc mundo inferiori multa præter intentionem agentium particularium, & præter intentionem cœleſtium corporum nonnulla fiunt: nam cum id quod eſt, per accidens non ſit unum niſi ſecundum quid, ab agente naturali, quod unum intendit, non poteſt effectus per accidens intentus eſſe: ludit ergo in rebus hiſce fortuna, ac temeritas ex indeterminatione & inæqualitate non entis: non tamen propterea diffitendum eſt à ſuperioribus cauſis, præſertim à prima omnium cauſa etiam effectus ſortuitos contineri, à qua abyſſus quoque non entis continetur, eique perſpicua eſt. Quamobrem ea, quæ inordinata ſunt ſuapte natura atque inæqualia; tandem à ſummo bono, cuius limites tranſgredi nequeunt, in vnum concentum atque in unum bonum, pulchritudinemque vniuerſi nectuntur, ut hiſce, quæ non ad partem aliquam, ſed totum ordinem uniuerſi perſpicere queunt, compertisſimum eſt: cuius partes reliquas paucis infra percurremus.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

NVLLA in rebus hiſce, quæ infra lunam agitantur, ſubſtantia ſimplex eſt, ſed omnis ex duabus partibus
B conſtat; quarum alteram dicimus formam, alteram uerò materiam: forma, actus, perfectio, ac propria vniuſcuiuſque rei natura eſt; per quam ſubſtantia conſtituitur, ac per ſe exiſtit, vnde etiam actus ſubſtantialis appellari conſueuit. Materia eſt veluti inchoatio quædam ſubſtantiæ per ſe exiſtentis, de qua tractabitur infra; poſteaquam tractatui de ſubſtantijs completis, ac per ſe exiſtentibus finem impoſuerimus. Duplici uero de cauſa ſubſtantia quæcunque inferior lunæ orbe compoſita eſt, ac nulla ſimplex exiſtit; primò quidem quoniam propinqua non enti cùm ſit, tendit etiam ſuapte natura ad non eſſe: in nihilum uerò ſubſtantiam quampiam redigi, atque funditus interire boni-
C tas primi principij, à quo omnia ſunt, non permittit. Iccirco hiſce ſubſtantiis conſtitutum eſt fundamentum, in quo omnia hæc inferiora inchoationem quandam habent, atque cùm his interitus contingit, in id reſoluuntur, nullumque redigitur ad nihilum; quamuis intereat, neque ex omni parte perit. Altera etiam ratio eſt, cur conſtant ex materia omnia ea, quæ ſunt infra lunam. Nam cùm iſta omnia non immediatè, ſtatimque fiant à primo principio, ſed à corporibus cœleſtibus, eorumque mentibus medio motu; neceſſe fuit, aliquod ſubiectum præexiſtere, in quo ſuperiorum corporum agentium impreſsio, ac motus reciperetur. Conſtant ideo omnes hæ ſubſtantiæ ex forma & materia: ac propterea cùm natura, eſſentiaque vniuſcuiuſque rei ſit actus, & forma, natura nulla in his
D inferioribus per ſe eſt; ſed vnaquæque contracta eſt ad indiuiduas, ſingulareſque ſubſtantias; quæ tum certo loco, tum definito tempore continentur: omneſque eiuſdem ſunt generis; quoniam in eadem materia conueniunt, à qua genus ſumitur, vicisſimque omnes mutantur tandem in omnes, ac ſic interitu alterius alter inſtauratur, omniſque hic demum tumultus generationis, corruptionis, alterationis ab optimo opifice, in vniuerſi pulcherrimum ordinem temperatur. Paulatim uerò, ac ſenſim natura à ſuperiori genere ad inferius deſcendit, ac media quædam ſemper ſtatuit, quæ vtriuſque quodammodo partem habent. ideo, inter ſubſtantias inferiores homo ſupremum locum obtinet, qui ſuprema ſui parte etiam cœleſtes mentes quadam ratione attingit. huic omnia inferiora deſeruiunt, ac, ut ita

 dicam,

dicam, obtemperant. Eius forma, intellectus in quam, immaterialis eſt ac E
immortalis, ut opuſculis duobus, quibus reſpondimus excellentiſſimo huius ætatis philoſopho Petro Pomponatio, præceptori noſtro, oſtendimus. Sed quoniam humanus intellectus ſupremi illius luminis ſtatim capax non eſt ob imbecillitatē intelligibilis luminis, quod natura ſortitus eſt, niſi prius, veluti ſolent cæcutientes oculi in rerum ſenſibilium opacitate, fuerit exercitatus. iccirco corpori, in quo vires ſenſitiuæ præexcellentes ædificatæ eſſent, coniunctus fuit, à quibus cognitionem ſenſibilium rerum nanciſceretur, per quam aſcenderet ad capiendas immateriales abſtractasque formas. ſic ergo intellectus humanus imitatur ipſum bonum, in quo ſunt omnia, ſed eminenti modo ac ſupra cognoſcibilitatem. intellectus autem & mentes bono F
proximæ, ſunt & ipſæ omnia, verum ſecundum determinatam naturam, & ſecundum quandam multitudinem, ut ſuperius expoſuimus, id eſt ſecundum naturam intelligibilem corpus cœleſte, quia habet eſſe ab anima, in qua ſunt omnium formæ, & quoniam in ipſo eſt lux, calorque ille non elementaris, ſed æthereus, in quo virtute ſunt formæ omnium inferiorum, ipſum quoque quodammodo eſt omnia; intellectus uerò humanus eſt & ipſe omnia, non actu, ſed potentia, quia ſcilicet capax eſt omnium. Ob excellentiam ac perfectionem hoc habent quædam formæ, ut non tantùm ſint id, quod ſunt, ſecundum eſſe naturale, verumetiam vt poſſint aliarum naturam & formā induere, ea ratione quòd capaces formarum cæterorum entium ſecundum eſſe ſpirituale. Intellectus igitur humanus inter has'ce formas, quæ G
actu non ſunt id tantum, quod ſunt ſecundum eſſe naturale ſunt, ſed potentiam habent, ut fiant etiā alia ſecundum eſſe ſpirituale, primum præcipuumque locum obtinet, quia omnia fieri poteſt. Poſt intellectum eſt anima ſenſibilis, quæ etiam non contenta finibus eſſendi, quod à natura ſortita eſt, in alia ſe transformat: verùm non in omnia, ſed ſenſibilium tantùm formarum, atque accidentalium capax eſt, multasque differentias, ac ſpecies huius animæ comperias; quarum quædam perfectiores exiſtunt, ac quadam ratione ad hominem accedunt; quædam imperfectiores; adeoque imperfectæ aliæ, vt plantis quàm proximæ ſint. quemadmodum ex hiſtorijs animalium cuilibet poteſt exploratum eſſe. Animæ ſubiectum, corpus eſt; quod quantum fieri poteſt, temperiem æqualitatemque cœleſtis corporis imitatur. iccirco H
elementa ad maximam æqualitatem in eo conſtituendo ſunt mixta; ac præterea in eo calorem eſſe oportet, qui adeò ſit temperatus, ut caloris illius, ſeu teporis cœleſtis aptiſſimum ſubiectum eſſe queat; à quo perpetuò in membra terreſtria, ac craſſiora diſpoſitio quædam huiuſce cœleſtis qualitatis quodam modo permanet & influat; quæ maximè propinqua eſt animæ naturæ, ac quæ item niſi perpetuò foueatur à calore illo, confeſtim euaneſcit, animæque aptum ſubiectum corpus illud amplius minimè eſſe poteſt. vt ergo corpus, quod eſt ſubiectum animæ, ſit maximè vnum, id eſt, capax unius illius cœleſtis qualitatis, propterea etiam maximè mixtum eſt. Poſt animalia in hac uniuerſi ſcena ſunt plantæ, in quibus veſtigium quoddam a-

nimæ

A nimæ eſt, augmenti inquam ac nutritionis motus. Mouere namque corpus, in quo eſt ſecundum circularem motum, proprium eſt animæ, quæ circulos illos intelligibiles potisſimum imitatur. Hoc uerò præcipuè aſſequitur corporum cœleſtium anima; animalia cætera ipſa quoque ſuo tamen modo circulari motu mouentur, quoniam non verſus vnam tantùm partem, ut inanimata corpora grauia inquam & leuia moueantur, verùm ad omnem loci differentiam ut dextrorſum & ſiniſtrorſum, ſurſum deorſum, anterius & retro; plantæ autem non queunt locali motu ex ſe moueri, ſed motu augmenti ac nutritionis in omnem loci differentiam ſeſe explicant, ſuperius inquam & inferius, & vndique in latus. Plantarum anima eſt tantùm id, quod eſt ſe-
B cundum eſſe naturale, neque eſt capax aliarum formarum ſecundum ſpirituale eſſe; corpus uerò crasſius habent quàm animalia, in quo plurimum ſit terrenæ fæcis, calorem tamen etiam ipſæ obtinent, qui inſtrumentum eſt animæ cuiuſque. in plantis magna eſt latitudo ac diuerſitas; adeo ut quædam uideantur accedere proximè ad naturam animalium. nonnullæ autem ſunt, in quibus ambigas an ſint radices an metalla. Poſt plantas inferiorem adhuc in entibus locum tenet mixta inanimata, ut metallorum genera, in quibus quidam putauerunt nullam aliam eſſe formam, niſi complexionem tantùm ex mixtione elementorum confectam. Ego tamen uerius eſſe exiſtimauerim in metallis, præter qualitatem illam ſecundam, complexionem eam videlicet, quæ reſultat ex mixtione qualitatum primarum, eſſe etiam ſubſtan
C tialem formam conflatam quodammodo ex formis elementorum: diuerſæ namque operationes metallorum, diſparesque vires oſtendunt formam etiam, ac naturam eorum diuerſam eſſe; parum tamen in eis forma elucet, elementa uerò mixta ſunt in eorum quibuſdam ſecunda ac tertia mixtione: in nonnullis uerò prima quaſi mixtione: nam argentum viuum ſtatim videtur ex aqua & terra compactis & commixtis tepore cœleſti conflatum eſſe, in quo parum ſit tum aëris tum ignis. Sulphur autem quædam terræ ſpecies cenſetur eſſe. duo autem hæc uidentur poſtmodum materia eſſe, ex quibus conſtent cætera metalla: quamuis ſulphur, ut perhibent Phyſici, gerat vicem patris atque agentis, argentum viuum verò ſit tanquam materia ac mater. hæc in nonnullis metallis, ut in auro maxima ac perfectisſima mixtione
D conflata in unum ſunt: etenim in eo metallo pretioſisſimo omnium ſic partes terreæ continent aqueas, & aqueæ perfundunt terreas, ut nulla vi ignis tum aqueæ euaneſcere, ſeu in vaporem diffundi nequeant, tum terreæ ab aqueis deſtitutæ areſieri. in aliis metallis mixtura eſt ſolutior. Eandem formæ rationem comperias in lapidibus & lapillis, quamuis eorum principia non ſint argentum viuum ac ſulphur; magis namque terream naturam præſeferunt: è contra metalla aqueam. Infra huiuſmodi mixta inanimata, quæ tamen perfecta mixtione ſunt mixta, ea inquam, quæ unum medium ex mixtis elementis tandem referat, ſunt imperfecta quædam mixta, in quibus præter complexionem quandam nulla eſt natura ſeu forma alia præterquam elementorum, grandines huiuſmodi ſunt plouiæ venti ac fulmina. Tandem

in

in ſubſtantijs poſtremum ac infinitum gradum tenent elementa, in quibus E ignis perfectisſimus eſt adeò, ut ipſe ſe habeat ad alia elementa, ſicuti agens ad materiam, in eoque plurimum formæ, & minimum materiæ appareat; Terra maximè omnium craſſa eſt ac feculenta, & quæ maximè uideatur mixtorum omnium materia. Aër ad modum ignis accedit. Aqua uerò terræ proxima eſt. his ſimplicibus corporibus locus quoque à natura tributus eſt, prout perfectio naturæ cuiusque eorum exigebat; infimum locum terra obtinuit, ſupremum ignis. Terra uerò maximè commoda viſa eſt, in qua omnia mixta tam animata quàm inanimata eſſent, ac generarentur, tum ob eam cauſam, quòd in omnibus mixtis terræ plus eſt quàm aliorum elementorum; tum quoniam radij ſtellarum ex omni parte conueniunt in centrum, F in quo vniuntur, ac propterea efficaciores ſunt ad agendum. Plura tradere de harum rerum natura eſt Phyſices diſciplinæ, non autem diuinæ ſcientiæ, quæ de entibus omnibus ea duntaxat ratione tractat, quatenus entia ſunt, id eſt ſecundum habitudinem quam habent ad primum ens, & ſecundum gradum quem ſortita ſunt in entibus. Poſtquam diſſeruimus de ſubſtantijs cuiuſcunque modi ac generis, reſtat ut pauca quædam dicamus de entibus illis, quæ non per ſe ſunt, ac propterea ſubſtantiæ dici nequeunt. huiuſmodi ſunt accidentia ac materia prima. Cæterùm quoniam materia potentia eſt, accidentia actus, licet non ſimpliciter, ſed ſecundum quid ſint actus, de accidentibus pauca prius, poſterius de materia ea perſtringemus, quæ huiuſce negotij fuerint. Accidens neque eſt, neque dicitur ens: quoniam ipſum ſit, G ſed quoniam alicuius entis eſt: quamobrem egregiè dicit Ariſtoteles in ſeptimo primæ philoſophiæ, melius ac verius dici album, ſeu magnum eſſe quàm albedinem eſſe, aut magnitudinem: incompletum namque ens accidens eſt, & iccirco per ſe eſſe non poteſt, nec etiam per ſe perfectè intelligi quit, ſed in eius ratione neceſſe eſt ſubiectum apparere: accidentium uerò nonnulla magis attinent ad formam, nonnulla magis ad materiam. affinis materiæ eſt quantitas, qualitas uerò formæ; ideoque inſtrumenta quædam actionis ſunt qualitates, quantitas autem actiuum principium minimè eſt, quoniam formæ eſt agere, materiæ uerò pati. hac etiam de cauſa quantitas ex ſui natura indeterminata eſt, habet autem terminum à forma, atque ut infrà docebimus, materia per quantitatem fit apta ad recipiendum impresſio- H nem agentis; qualitas uerò ad formam pertinet: qua de re eſt, ut modò dixi, principium actiuum, formæ namque eſt agere. Infima qualitatis ſpecies eſt ea, quæ longè abeſt à principio agendi, ac maximè accedit ad quantitatem: huiuſmodi eſt forma ac figura, quam ſolent philoſophi appellare qualitatem circa quantitatem; licet enim in motu locali figura reddat ſubiectum, in quo eſt, magis minus'ue aptum ad motum: non tamen propterea eſt principium actiuum localis motus, quod in quarto libro de cœlo pulcherrimè Ariſtoteles oſtendit. Eſt præter hanc qualitatis ſpeciem naturalis potentia, quæ agendi ſeu patiendi principium eſt, pasſionem nunc eam dico, quæ ad perfectionem pertineat, nam potentia ad perpetiendum id, quod corruptionem

nem

A nem afferat, impotentia naturalis non potentia cenſenda eſt. habitus uerò, ſeu diſpoſitio eſt potentiæ naturalis, perfectio autem impotentiæ naturalis accidens, ſi prauus fuerit habitus ac potentiæ naturalis deprauatio; paſſibiles autem qualitates non tantùm actionis, ſed etiam alterationis principium ſunt; quæ peculiari quadam ratione ſolet actio nominari, ac ſecundum eam paſſio propria eſt. Verùm de his magis eſt phyſicæ diſciplinæ tractare, quàm primæ philoſophiæ. Reliqua accidentium genera ab hiſce re nequaquam, diſtincta ſunt, ſed ratione ac modo noſtro intelligendi: eadem namque res, quæ eſt albedo, eſt item ſimilitudo, prout eſt alteri albedini una cum ſpecie tum gradu; item eadem diſſimilitudo eſt, prout à nigredine diuerſa eſt; ea-
B dem quoque quatenus fit atque eſt, ab agente actio eſt; ac prout recipitur in quopiam patiente, paſſionis rationem habet; ſic, ubi nihil aliud eſt quàm ſuperficies, prout locatum continet ac denominat. ſic tempus eſt, quando, ut ea, quæ in tempore ſiunt, ambit ac denominat. de ſitu atque habitu eadem ferme eſt ratio. hiſce autem generibus omnibus imperfectio annexa eſt, corruptibilibus uerò inſuper priuatio. Quamobrem tria quoque horum accidentium principia eſſe ab Ariſtotele dicuntur, ſubiectum ſcilicet in quo exiſtunt ac fiunt, forma quæ ſiunt, ac priuatio ſemper formæ annexa. materia prima reliqua eſt, quæ ultimum in entibus locum ſortita eſt, ac iuxta non ens collocata, adeò ut multi, in quibus Platonici, eam non ens eſſe dixerint, ut ſuperius à nobis expoſitum eſt. Hæc nullum habet entitatis & ſubſtantiæ mo
C dum, niſi potentiæ. Eſt namque potentia ſubſtantiæ, ac ſi dixeris inchoatio quædam ſubſtantiæ; hoc tamen quod eſt, in potētia actu obtinet; ſicuti enim non eſt aliqua multitudo, quæ omnino careat vnitate, neque contingens vllum, in quo non ſit neceſſitas aliqua, ita nulla potentia nedum eſſe, ſed neque intelligi poteſt; quæ omnem rationem actus excludat. eſt ergo materia actu in potentia, hac nonnulli pronunciauêre eandem eſſe quantitati, ita ut materia nihil aliud ſit, quàm quantitas ſenſibilibus qualitatibus priuata. eiuſmodi antiqui poſuêre eſſe vacuum. Cæterum aliter mihi uidetur ſentiendum eſſe: nam quantitas eſt per ſe ſenſibilis, materia uerò, quoniam pars ſubſtantiæ eſt, non poteſt eſſe per ſe ſenſibilis. Amplius quoniam potentia diſtinguitur per actus ac perfectiones proprias, actus uerò materiæ eſt forma ſub-
D ſtantialis, figura uerò ſiue terminus eſt actus quantitatis: Efficitur ex his materiam non eſſe quantitatem. idem etiam uidetur ſentire Ariſtoteles; qui in ſeptimo Metaphyſices inquit, materiam primam non eſſe, neque quid, neque quale, neque quantum, ſed omnia hæc in potentia. Ex his tamen ambigere quiſpiam poſſit, ſi materia non ſit quantitas, ac omne, quod in certo loco conſtituitur, ſit quantum: neque enim in diuiſibili loco aliquo conſtitui poteſt, quod non ſit quantum, In indiuiſibili uerò ſitu id quod eſt, puncti inſtar habet. Punctum autem omne terminus eſt quantitatis continuæ. Ecce ergo effectum, materiam primam ſi non ſit quantitas per ſe non eſſe in certo loco; omne uerò huiuſmodi uidetur abſtractum eſſe, atque exiſtere ſupra locum & tempus. Effecimus ergo materiam primam ſecundum ſui

naturam

naturam abſtractam à materia. ſoluenda eſt adducta quæſtio, ac dicendum E
materiam primam ſecundum naturam ſuam non eſſe in certo loco; hoc nãque habet à quantitate, ut ratio oſtendit; neque tamen propterea concedimus materiam eſſe ſupra locum, ut abſtracta eſſe queat; ſed dicimus materiam ſuapte natura eſſe infra locum & tempus, vtpote quæ ſit propè non ens; quod ſuperius oſtendimus eiuſmodi eſſe, ut infra locum & tempus ſit. Primoque materia eleuatur à quantitate, per quam certum locum adipiſcitur, in quo conſtituta impresſionem ab agente recipere poteſt. Non enim agens ad eam demitti ualeret, niſi prius erecta eſſet à quantitate ad certum locum. Hactenus de materia, ne fines huius ſcientiæ egredi uideamur. Itaque perfectus eſt uniuerſi, ac totius entis ordo; in quo nihil relictum uideri F
poteſt à primo entium vſque ad extremam non entis abyſſum. Verùm quoniam omnis ſubſtantia ſecundum id quod eſt, emanat à primo ente, ac verſus non ens tendit; nimirum neceſſe eſt, ſi vnumquodque pro ſuo captu perfectum futurum ſit, ut etiam vnicuique à natura inditæ ſint vires, quibus rurſus conuertatur ad ens, à quo eſt. Hac namque ratione efficitur circulus ſolidus, atque perfectus. Nam proceſſus cuiuſque rei ab ente eſt, veluti linea quædam recta, quæ imperfecta exiſtit in ſui natura; ideoque ſi perfecta futura ſit, neceſſe eſt, ut in circulum flectatur. Vnumquodque igitur vires quaſdam proprias habet, quibus operationem pro ſui natura promit, qua maximè Deum æmulatur, atque attingit. Nonnullæ uerò perfectius hoc aſſequuntur, ac interiorem quendam circulum peragunt ualde propinquum en- G
tis centro immobili: quædam uerò exteriorem, ac longius à centro diſtantem circulum. Imperfectisſima uerò reflexam quandam lineam æmulantur, quæ ad perfectionem circuli minimè peruenit. ac iccirco ſententia Dionyſij in libro de cœleſti Hierarchia non temere à philoſopho eſt reijcienda, ubi inquit in natura cœleſtium mentium eſſe ſubſtantiam, virtutem & operationem. Nam cum ſubſtantia à primo ente procedat, non uidetur commodè reflexio fieri poſſe, niſi in ſubſtantia ſit virtus, per quam promatur operatio; operatione autem, quæ eſt poſtremus actus, attingat vnumquodque entium primum omnium principium, à quo eſt, prout eſt vniuſcuiuſque earum captus, inferiora uerò entia ob imperfectionem multam adiunctam eorum naturæ, ſæpenumero deficiunt ab operatione ac functione ea, quæ a- H
lioqui ſibi natura deberetur, conſtant enim ex materia, ac propterea degenerant ad ſuperiora, in quibus plus eſt unitatis: è contra multitudinis, diuerſitatis atque imperfectionis minus: nequaquam deficiunt ab operatione ea, quæ conueniat eorum naturæ. Satis hactenus differuimus de entibus, quæ natura conſtant, quatenus entia ſunt: reliquum eſt, ut pauca quædam perſtringamus, de quod quid eſt eſſe rerum, cæteriſque vniuerſalibus, quæ de pluribus dicuntur, ac præterea de entibus rationis, figmentiſque animi. Platonici exiſtimaſſe uidentur, eo modo res exiſtere, quo ab intellectu concipiuntur; quamobrem cùm intellectus concipiat ſpecies à ſingularibus abſtractas, ſic etiam cenſuere ideas ſubſtantias quaſdam eſſe abſtractas ab indiuiduis omnibus

A nibus, quæ ſingularium horum, quæ ſenſu percipiuntur, ſpecies ſunt, ac de eis prædicantur. Hanc Platonis ſententiam Ariſtoteles pluribus in locis reprehendit, ſed præcipuè in ſeptimo libro primæ philoſophiæ, multasque aſfert rationes, quarum non ignarus uidetur fuiſſe Plato; cum earum complures recitet in Parmenide. Sed proculdubio fieri non poſſe iure quicunque arbitrabitur, ut una quædam ſubſtantia per ſe exiſtens prædicetur de pluribus ſubſtantiis diſtinctis numero, ea prædicatione, qua hoc dicitur eſſe hoc, ſicuti Socrates homo, ac item Plato homo. Iccirco exiſtimauerim ego Platonem poſuiſſe Idæas eſſe rationes rerum inferiorum, quæ ſunt in primo intellectu, quem etiam appellat mundum intelligibilem, ac cauſam exempla-
B rem conſtituit, quemadmodum ſupra pluribus oſtendi; at intellectum noſtrum à ſenſu ac phantaſmatibus inferiorum ſenſibilium excitari, ut ad rationes rerum conuertatur, quæ ſunt in ſuperioribus intellectibus. Quam ſententiam Auicenna ſecutus eſt, verùm Ariſtoteles cenſuit intellectionem vniuerſalium, ac ipſius quicquid eſt fieri per abſtractionem à ſenſibilibus virtute intellectus agentis. Sed iam quaſi à propoſito digreſſi uidemur. Quod quid eſt ergo, ac ſpecies rerum inferiorum ſingularium non habent eſſe extra intellectum eo modo, quo ab intellectu concipiuntur, ſed præter mentem ſingularia ſunt, non abſtracta à ſingularibus vniuerſalia, nec tamen ob id figmenta quædam ſunt, aut entia rationis, quoniam mentis conceptus huiuſmodi originem habet ab ipſa re. Vnaquæque enim ſubſtantia materialis
C compoſita eſt ex forma atque materia. ſorma omnis ſuapte natura non eſt determinata ad certum locum & tempus; ſed ſorma hanc definitionem loci & temporis habet à materia, à qua in eſſe dependet propter imperfectionem ſuam. Si quis ergo conceperit mente compoſitum ſecundum modum formæ abſtrahendo à materia, id eſt non concipiendo modum, quem ex natura materiæ compoſitum ac forma habet, concipiet vtique ſpeciem vniuerſalem ab indiuiduis abſtractam: nec ideo mendacium vllum eſt, quoniam hoc fit ſimplici operatione intellectus, non compoſitione aut diuiſione, neque enim mentitur viſus, ſi in lacte concipiat albedinem non concipiendo dulcedinem. Forma ergo eſt principium vniuerſalis, ſicut materia ſingularium: ſic ergo in quod quid eſt, ac in vniuerſali id quod intelligitur,
D eſt in re ut homo, equus, aſinus: modus uerò eſt ab intellectu, qui tamen originem ducit à re, id eſt à natura formæ. Poſt conceptiones rerum iſtiuſmodi ab intellectu nobis ſeſe offerunt entia rationis, de quibus eſt negotium logicum; Genus inquam, ſpecies, differentia, prædicatum, ſubiectum, ac huiuſmodi alia, quæ ſunt habitudines quædam rerum inter ſe, non ſecundum eſſe naturale in quo exiſtunt, ſed ſecundum eſſe intelligibile, quo à mente concipiuntur. Poſtremum locum habent ea, quæ intellectus per ſe confingit ex ſpeciebus ac intellectibus natura conſtantium rerum, quarum quædam artificio exprimit, ac promit in exteriorem materiam, ut nauis formam, aut domus, aliorumque huiuſmodi, quæ ab arte efficiuntur: quædam uerò pura figmenta ſunt, quæ neque natura eſſe queunt, neque vlla arte effici, ut Cen-

tauri ac Chimeræ ſpecies. Nobis hæc delibaſſe ſufficiat ex fontibus primæ philoſophiæ, ac de toto entis genere, ac de non ente quædam dixiſſe, quæ fortaſſe & Pythagorici & aliorum priſcorum plerique ſenſiſſe uidentur, præterquam quod naturam quandam poſuerunt non entis, quæ nulla eſt: ac ſecuti ipſi quoque uidentur intellectum noſtrum, qui non ens, cæteraque illi proxima apprehendit modo altiori, quàm is ſit quo re vera ſunt. Alij doctiores ac minus occupati ciuilibus negotijs rem perficiant: Noſtrum namque inſtitutum fuit, vt potius alijs præſcriberemus, quonam pacto diſciplinarum omnium facilè princeps philoſophia, ſcilicet hæc prima, ſeu ſapientiam appellare malueris, tractari debeat; quàm ut noſtro labore id fieret, cui impares nos eſſe ſentimus; maiuſque otium poſcit, quàm nobis inter tot bellorum procellas, atque publicas occupationes, hinc indeque occurſantes in hoc legationis munere, quo fungimur, præſtari poſſit.

FINIS.

D E
IMMORTALITATE
A N I M AE
A D V E R S V S
PETRVM POMPONATIVM.

DE IMMORTALITATE ANIMAE.

LIBER PRIMVS.

ADHIBVI excellentiſsime vir ferè ab ineunte ætate, te præceptore atque duce, Philoſophiæ ſtudijs operam; quamuiſque parùm, vel potius nihil in eis profeciſſe me ſentiam, mihi tamen ipſe non defui, quin ea vterer diligentia, quam vires noſtræ præſtare poterant. Verùm cùm in pleriſque omnibus philoſophiæ quæſtionibus id ferè præſtiterim, nulla tamen in re tam diu moratus ſum, tantamq́ue diligentiam adhibui, quantam in quæſtione de animi humani immortalitate mihi
C ipſi explicanda. Ea namque mihi quæſtio huiuſmodi viſa eſt, vt ab eius explicatione totius humanæ vitæ ratio ſumi debeat. Maximè namque diuerſam putabam viuendi rationem fore, ſi mortalis anima ſtatuatur, ab ea, quæ immortali naturæ debetur. Quo effectum eſt, ut multis annis quotidie ferè mecum ipſe hanc quæſtionem tractarim, diutiusq́ue in eius rei conſideratione moratus ſim. Cæterùm cùm Patauij eſſem, quo in gymnaſio totius Italiæ celeberrimo Auerrois commentatoris nomen, atque auctoritas plurimum poterat, omnesq́ue eius auctoris poſitionibus aſſentiebantur, easq́ue velut oracula quædam cernui excipiebant. Plurimùm, ut noſti, celebris erat apud omnes eius de vnitate intellectus poſitio, ideò ut qui aliter ſentirent, neque peripatetici, neque philoſophi nomine digni puta-
D rentur. Ego uerò (ingenuè fatebor) quamquam aliis omnibus magni nominis philoſophis palàm contradicere verebar, nunquam tamen mihi perſuadere potui, id Auerrois commentum verum eſſe, atque rationi conſentaneum; Ariſtotelisq́ue ſententiæ conueniens; illis quoque, qui arbitrantur animos immortales eſſe ac multos, minimè aſſentiendum putabam. Cum propter multas rationes, quæ poſitionem eam mihi refellere videbantur, tum etiam quod nulla mihi uidebatur ratio efficax eſſe ad efficiendam de animi immortalitate ſcientiam. Quare Alexandri Aphrodiſei ſententiam omnibus alijs præferendam exiſtimabam, licet multis Ariſtotelis dictis non planè conſentientem. Interim tamen animum meum laceſſebat quam plurimorum excellentiſsimorum auctoritas, quos friuolis quibuſdam

buſdam argumentationibus manus dediſſe, ac tam leuiter tantam rem aſſe- E
ueraſſe, incredibile certè ſano homini videri poſſet. In hac dubitatione conſtitutus cœpi animo mecum vtrorumque rationes perpendere, penitusq́ue eas perſcrutari. Nonnullas rationes perſpiciebam eorum, qui immortalem animum affirmant, quas nō ſatis intelligebam. Econtra, eorum, qui aſſerunt animum mortalem, mixtam omnium rationem exiſtimabam, quod cùm nulla afferri poſſet demonſtratio ad immortalitatem comprobandam, nulliq́ue aſſentiendum ſit viro philoſopho, quod neque per ſe ſit notum, neque efficaci ratione comprobatum, concludendum apud philoſophos uideretur animum non eſſe immortalem, ſed mortalem. Tum ego mecum, cur non fie-
ri poteſt, inquam, cùm hi negent animum eſſe immortalem, quia nullam ad F
hoc comprobandum argumentationē inſpiciant efficacem: econtra illi aſſerant eſſe animum immortalem, idq́ue certis rationibus comprobari aſſeuerent, ut priores illos licet excellentes viros ratione iſtorum aufugerint, eaſq́ue non rectè perceperint; quo factum ſit, ut negarint animæ immortalitatē. Poſterioribus uerò iſtis, cùm aſſerant ſe id inſpicere certis rationibus, cur nō potius adhibenda ſit fides. Pari namque ratione iudicandi vteremur, ſi duo perſpicacis admodum viſus, cùm in longinquum locum aliquem aciem intendiſſent; alter uerò aſſereret, eo in loco hominem eſſe, ſe namque eum videre: alter uerò negaret ibi hominem eſſe, quoniam nihil à ſe eo in loco videretur: magis certè adhibemus fidem illi qui aſſerit, quàm illi qui negat: fie-
ri namque facilius poſſe iudicaremus, ut poſterior hic, cùm imbecillioris ſit G
viſus, non attingat ad illud inſpiciendum, quàm quod ſanæ mentis vir perſpicacisq́ue viſus non videat id, quod ſe uidere affirmat. Hac ego ratione ductus mecum ſæpius repetebam argumentationes eas, quibus excellentes illi philoſophi demonſtraſſe ſe putabant animi immortalitatem; cumq́ue id ſedulò facerem, tota re diligentius perſpecta, in eam tandem deueni ſententiam, quam paulò poſt pluribus explicabimus. A qua excellentiſſime præceptor cùm pulcherrima, luculentiſſimaq́ue illa tua de animi immortalitate diſputatio, quam mihi pro tua humanitate proximis hiſce diebus miſeras, nonnullis in locis diſcrepet; rem mihi maximè vtilem facturum me arbitratus ſum, ſi, quid mihi de animi immortalitate ſentiēdum eſſe uideretur, qui-
busq́ue in locis libelli tui dubitarem, tibi per literas ſignificarem. Hac enim H
ratione rem tibi gratiſſimam, ſimulq́ue mihi non inutilem facturum putaui. Nam pro ea qua me ſemper beneuolentia proſecutus es, ſi quid rectè à nobis dicetur, id tu tanquam tuum agnoſces: quicquid enim illud erit, tibi acceptum referimus. Si qua uerò in re errauero, noui te humaniſſimè ac diligentiſſimè diſcipuli tui errores caſtigaturum. Quo fit, ut omnem hanc noſtram lucubrationem tibi in voluptatem non mediocrem, mihi uerò in maximam vtilitatem conceſſuram putem. Nec eſt, quod in noſtro hoc libello vllum dicendi nitorem requiras, cùm in eam rem contulerim ingentem operam, ut quàm maximè me accommodarem ſtylo huic Pariſienſi, quo uideo Latinos omnes Peripateticos vſos eſſe: rem itaque aggrediar.

A DE animi humani immortalitate ſcientiam cenſeo ego ratione naturali
haberi poſſe, atque ex Ariſtotelis dictis colligi: Verùm multa, quæ ad animi
immortalitatem conſequuntur, illique ſunt annexa, naturali ratione perfe-
ctè percipi non poſſe exiſtimo, licet nonnullis coniecturis naturalibus vti
poſsimus in illis explicandis, quæ fidem potius faciunt, quàm ueram ſcien-
tiam pariant. Exempli cauſa, Si anima immortalis ſit, quænam ſit eius diſpo-
ſitio poſt mortem, & an ante corpus illud fuerit, cuius eſt anima, necne. pu-
to ego rationem naturalem minimè ſufficere, ad horum inueſtigationem, li-
cet nonnullis coniecturis vti poſsimus ad huiuſcemodi quæſtiones explican
das. Quo fit, ut ſano homini credendum putem; cùm in re tam neceſſaria
B defectum humanæ rationis agnouerit; diuinitus aliqua fuiſſe hominibus
reuelata, ex quibus ea cognoſcere poſſint; in quibus cognoſcendis naturale
intellectus lumen deficiebat. Duo uerò, quemadmodum puto ego, de intel-
lectu humano naturalis efficaciſsimè oſtendit. Horum alterum eſt, quòd in-
tellectus humanus vnicus in omnibus hominibus eſſe non poteſt, ut putauit
Auerroës. Alterum uerò, quòd anima hominis ſimpliciter ſit immortalis,
licet deficiat ab intelligentiarum immortalitate. Neque arbitror in duo-
bus his Ariſtotelem dubitaſſe vllo pacto: In aliis uerò, ad quæ diximus ratio-
nem naturalem non pertingere niſi per coniecturas, cenſeo Ariſtotelem val-
dè ambiguum fuiſſe. Verùm quoniam ſcientia non ex auctoritate, ſed ex
demonſtratione procedit: (nam ſi quis Ariſtotelis uel alicuius alterius au-
C ctoritati innixus, alicui quantumcunque veræ concluſioni conſenſerit, ve-
ram eum opinionem habere, ſcientiam uerò minimè dicimus) Iccirco
ab auctoritatibus nunc nobis abſtinendum duco, ſed ſolis rationibus, qui-
bus tamen Philoſophi veteres vſi fuerunt, inſiſtendum. Poſtmodum uerò,
quidnam de duabus concluſionibus illis, quas ratione naturali probari poſſe
cenſemus, Ariſtoteles ſenſerit, ex eius viri dictis hinc inde colligemus. Prima
concluſio, quòd intellectus ſcilicet non ſit vnicus, quemadmodum exiſti-
mauit Auerroës, ea ratione, quam tangit etiam excellentia tua, efficaciſsimè
probari puto. Nam intellectus ille vnicus, vel eſt forma dans eſſe ſubſtantia-
le ſingulis hominibus, uel non. Si dicatur quod non, cùm intellectio ſit
actio immanens in intellectu, ſicuti viſio eſt actio immanens in oculo: in-
D tellectus uerò non ſit in nobis, vtique neque intellectio, neque operationes
illæ quæ ſequuntur intellectionem, ut uoluntas & electio, vllo pacto perti-
nebunt ad nos: neque poſſumus recurrere ad phantaſmata exiſtentia in no-
bis, quia in phantaſmatibus non eſt intellectio, ſed phantaſmata mouent in-
tellectum ad intellectionem; ſicut color mouet viſum ad viſionem. Si uerò
dicatur, quod intellectus ille vnicus ſit forma dans eſſe homini, quemad-
modum ſanus quiſque dicit, tunc ſequitur, quod omnium hominum ſit
vnum eſſe ſecundum numerum, immò quod Socrates ſit ille, qui eſt Plato;
quod omni impoſsibili impoſsibilius eſt. Conſequentia probatur, quia cùm
eſſe inſequatur formam ſubſtantialem, unam formam numero inſequitur
unum eſſe: quo efficitur, ut omnium hominum ſit unũ eſſe numero: deinde

cùm compoſitum quodque maximè ſit principalis compoſiti pars, & præcipuè cùm ab ea omnes aliæ in eſſe dependent, ſequitur quod Socrates maximè ſit intellectus, qui eſt eius forma, ad quam ſequitur eſſe in toto Socrate, & præſertim cùm ſit forma per ſe ſubſiſtens apud Auerroêm, Socrates ergo maximè eſt intellectus ille vnicus. Idem dicemus de Platone ac Cicerone. Sequitur ergo omnes homines eſſe eundem hominem, quo quid ſtolidius concedi poſſit non video. Sunt præter hanc etiam aliæ rationes: ſed hanc puto ego omnium validisſimam, & eam quæ nullo pacto ea ratione, quæ eſt interius, cuius inteteſt cognoſcere, ac aſſentiri principis demonſtrationis; ſicut dicit Ariſtoteles, infringi poſſit. Secundam uerò concluſionem, E

in qua non penitns idem ſentio cum excellentia tua, oſtendemus, ſi prius nonnulla, ex quibus huiuſce rei probatio omnis pendet, perſtringemus. Ens quod neque per accidens eſt, neque veritatem propoſitionis ſignificat, à philoſophis diuiſum eſt in ſubſtantiam & accidens. Differt uerò ab accidente ſubſtantia, quòd ſubſtantia per ſe ſubſiſtit, & per ſe eſt. Accidentis uerò eſſe eſt in alio eſſe. Deinde cùm ad conſiderationem ſubſtantiæ conuerſi philoſophi fuiſſent; multaſque ſubſtantias uiderent generationi atque corruptioni obnoxias eſſe; ratione coacti diſſoluerunt ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem in duas naturas, quarum alteram appellarunt formam alteram uerò materiam. Harum deinde diuerſitatem inter ſe contemplati ſunt, ac materiam, quia ſubiectum generationis eſt, diuerſaſque formas ſubſtantiales recipit, appellarunt potentiam in genere ſubſtantiæ; ſcilicet inchoationem F

quandam per ſe incompletam illius ſubſtantiæ, quæ per ſe exiſtit: formam uerò dixerunt eſſe actum, ſeu complementum ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis; & cùm pro tanto vnumquodque verè ſit, pro quanto eſt in actu, pronunciarunt quod formam ſubſtantialem inſequitur eſſe ſubſtantiale. Verùm cùm omnium ferè ſubſtantiarum generabilium operationes contemplati eſſent materiam non tranſcendere; formas ſeu actus huiuſmodi ſubſtantiarum appellarunt formas materiales, tanquam eas, quæ non ſint per ſe in actu, neque habeant eſſe per ſe completum. Ex quibus concluſerunt, quod eſſe ſubſtantiale, quod facit per ſe eſſe, licet ſequatur formam veluti principium quoddam, non tamen eſt in forma tanquam in ſubiecto primo, quia forma per ſe non eſt, ſed exiſtit in compoſito ex materia & forma. Hoc enim per ſe exiſtit, G

& per ſe eſt. Cùm uerò operari præſupponat eſſe illud, verè operabitur quod uerè eſt. Sed cùm formæ huiuſmodi non ſint, ut diximus, ſed compoſitum ſit, illud, quod per ſe eſt: dixerunt nullo pacto formam operari, aut agere, ſiue moueri, aut corrumpi, aut generari. Sed compoſito deberi hæc omnia; & compoſitum eſſe illud quod ageret, moueretur, ac corrumperetur. Cùm uerò compoſitum conſtitutum ſit ex materia & forma, exiſtimarunt quod in operatione ea, quæ eſt propria ſpeciei alicuius, quam compoſitum operatur, concurrant & materia & forma, ex quibus compoſitum conſtitutum eſt. Verùm diuerſimodè: nam formam dixerunt eſſe principium actionis illius, materiam verò eſſe veluti organum quoddam operationis; ex quibus H

concluſerunt,

A concluſerunt omnem formam materialem eſſe virtutem organicam large extendendo nomen organici (propriè namque loquendo organicum corpus eſt, quod habet diuerſitatem in partibus, quale eſt corpus, quod eſt ſubiectum animæ) deinde de huiuſmodi forma materiali dixerunt, quod cum per ſe non ſit, ſed indigeat materia, tanquam ſuſtentaculo quodam in quo ſit; quod materia eſt cauſa in eſſendo talis formæ. Suſtentat namque ipſam. Cum autem affectiones cauſæ in eſſendo, illius inquam cauſæ, quæ & ipſa non per ſe eſt, pertingant ad illud, cuius eſt cauſa: affectiones vtique materiæ pertingent ad ipſam formam: quare cùm materia ſecundum ſe ſit diuiſibilis, talis etiam forma erit diuiſibilis, & extenſa ad extenſionem ſubiecti;
B & cùm materia ſit limitata ad certum locum, & tempus, talis etiam forma limitata erit, & comprehenſa à certo loco ac tempore: non enim aliter fieri poteſt, cum huiuſmodi forma non ſit in actu, neque per ſe ſit, ſed ſit tantùm actus quo compoſitum eſt, indigeatque in eſſendo materia ſibi intrinſeca, à qua dependet velut à ſuſtentaculo in ſuo eſſe. Ex his ergo breuiter colligamus, quod formæ materialis conditiones, quia non eſt in actu, ſed eſt tantùm actus, ſunt hæ, non eſſe illud quod operatur, ſed eſſe principium operationis organo indigens, atque eſſe formam limitatam & extenſam ad limitationem & extenſionem ſubiecti, à quo dependet tanquam ab intrinſeco quodam ſuſtentaculo in eſſendo. His hactenus declaratis præterea addamus Philoſophos ratione ſumpta non à generatione & corruptione; ſed
C à motu & operatione; cuius principium eſt forma; deueniſſe ad cognitionem formarum alterius cuiuſdam generis. Nam cùm vidiſſent ſubſtantias naturales moueri; has quidem viderunt moueri ab alio, veluti à principio; illas uerò uiderunt moueri ex ſe. Mouentur ab alio omnia, quæ violenter mouentur, & omnia quæ inanimata ſunt: nam in motu eorum naturali de potentia accidentali mouentur à remouente prohibens: de potētia uerò eſſentiali mouentur à generante: quare cùm non ſit in infinitum procedere in mouentibus & motis, ab his, quæ ab alio mouentur, neceſſe eſt peruenire ad motum aliquid ex ſe: Huiuſmodi uerò ſunt animata, ut manifeſtum eſt. Hæc autem mota ex ſe, quæ animata ſunt, ſimplicia eſſe non poſſunt; nam nihil ſe ipſum promouet. Idem namque eſſet in potentia & in actu reſpectu eiuſdem; quod
D contradictionem claudit. Sed diuiduntur in duo principia, ex quibus componuntur, per quorum alterum mouent, per alterum uerò mouētur. Verùm cū mota ex ſe, quæ hîc infra orbem lunæ uidemus, generentur & corrumpantur, ſicque in infinitum procedant: nullum ipſorum ſigillatim, neque omnia ſimul poſſunt eſſe cauſa continuæ huius ſucceſsionis & infinitæ; quia in omni eſſentiali cauſarum ordine, ubi primum non agit, neque media agere poſſunt; at in infinito non eſt primum: quamobrem neceſſe eſt, ut omnia hæc mota ex ſe generabilia contineantur ab aliquo moto ex ſe æterno, ſiue unum ſit, ſiue plura. Hoc uerò motum ex ſe æternum diſtinguetur etiam ipſum, ſicuti alia mota ex ſe, in duo principia, quorum alterum eſt mouens & alterum motum. Verùm mouens principium per tempus infinitum non

poteſt

poteſt eſſe virtus materialis, quia omnis virtus huiuſmodi per materiam in- E
trinſecam, à qua in eſſendo dependet, eſt terminata, ut ſuperius diximus, qua-
re ſequitur, quod non eſt virtus, aut forma in materia, ſed eſt virtus abſtracta,
per ſe exiſtens in actu, neque in ſuo eſſe indigens materia, à qua ſubſtentetur.
Ex quibus omnibus colligitur, quod per viam motus philoſophi deuenerũt
in cognitionem alicuius generis formarum, quæ perficiunt & actuant, ut ita
dicam, materiam & ſunt actus: cùm hoc tamen quod à materia in eſſe non
dependent, & ſunt in actu per ſe, ita quod eſſe, per quod ipſæ ſubſiſtunt, com-
municant materiæ actuando & perficiendo ipſam, in qua re differunt à for-
mis materialibus, quia ipſæ non ſunt per eſſe, quod eas inſequitur; Sed ſunt
principium, per quod compoſitum eſt. Huiuſmodi uerò immateriales for- F
mæ cum hoc quod ſunt principium; per quod materia eſt actuando ipſam,
ipſæ etiam per ſe ſunt. Neque affectiones materiæ pertingunt ad tales for-
mas; quia in eſſendo non dependent à materia, ſicuti formæ materiales de-
pendent; quo fit, ut tales formæ non ſint diuiſibiles aut extenſæ ad extenſio-
nem materiæ, neque limitentur ad certum locum & tempus, à quo com-
prehendantur, immò ſunt ſupra locum & tempus; in ſuiſque operationibus
intrinſecis non indigent organo corporeo: quia cum operatio inſequatur
eſſe: Iſtæ uerò formæ per ſe ſint, abſque materia in ſuo eſſe intrinſeca: iccir-
cò per ſe etiam abſque organo intrinſecas operationes exercent, hæque for-
mæ ſunt ſimpliciter immortales, ut paulò poſt declarabimus; Materiales ve-
rò formæ ſunt mortales, ut certis argumentis probabimus. Nunc illud de- G
claremus ex ſententia Ariſtotelis, (quod an uerum ſit, Theologis iudican-
dum relinquimus) quod formæ dantes eſſe corporibus cœleſtibus ſunt hu-
iuſmodi; id eſt ſunt immateriales formæ. Hoc quidem ex his, quæ ſupra di-
xi, ſatis perſpicuum eſſe poteſt, quia corpus cœleſte eſt illud primum motum
ex ſe, ad quod eſt deueniendum: motum uerò ex ſe eſt illud, in quo princi-
pium actiuum motus eſt intrinſecum mobili: quo fit, ut principium actiuum
motus cœleſtis ſit intrinſecum corpori cœleſti; quod fieri non poteſt, niſi
det ei corpori eſſe: Omnis enim forma ſubſtãtialis intrinſeca alicui materiæ
eſſe non poteſt, niſi illi tribuat eſſe. Præterea ſi cœlum moueretur ab intrinſe
co, uel ergo pulſu, uel tractu, uel vertigine moueretur, quod eſſe non poteſt:
quia omnes hi motus ſunt violenti: tum etiam quia vertigo, quæ motui cœ- H
li maximè accommodari poſſet, eſt motus compoſitus, cœlum uerò moue-
tur motu ſimplici. Amplius ſi cœlum ſit per ſe ſubſiſtens abſque intelligẽtia;
cùm omne quod eſt actu, vel ſit actus, vel habeat actum; Cœlum uerò non
poſſit eſſe actus, vt manifeſtum eſt: ergo habebit actum, id eſt formam ſub-
ſtantialem præter intelligentiam: cùm uerò natura, id eſt forma corporis
ſimplicis, ſit principium actiuum motus ſimplicis, hæc vtique forma erit
principium actiuum motus ſimplicis; non recti, ergo circularis. Is uerò
motus eſt infinitus; & virtus materialis nõ poteſt mouere tempore infinito.
Quare ſequitur talem virtutem eſſe immaterialem & intelligentiam. Con-
cludamus ergo quoniam motus cœli eſt motus ſimplex naturalis illi cor-

pori,

A pori, principiũ illius motus eſt forma ſubſtãtialis, quæ eſt natura illius corpo
ris; at quoniam eſt infinitus, ſequitur eam formam eſſe immaterialem & per
ſe ſubſiſtentem. Adducerem nunc multos Ariſtotelis locos, ex quibus hoc
manifeſtè colligitur. Quin etiam B. Auguſtinus in libris de ciuitate Dei
ab hac poſitione non eſt alienus, quod videlicet angeli ſint animæ corporum
cœleſtium. Verùm nolo ab inſtituto diſcedere, atque alicuius auctoritati
inniti, præſertim cùm tu id fatearis. Quorſum hæc tanta? ad hoc inquam,
ne alicui uideatur impoſſibile aliquem eſſe actum, ſeu formam perficientem
aliquam materiam, quæ ſit hoc aliquid, & quæ ſit per ſe ſubſiſtens. Nam
quamuis forma huiuſmodi ſit in actu & per ſe perfecta; eſt tamen actus. Quã-
B obrem perficere, & ut craſſius loquar in re difficili, actuare poteſt. A D. Tho-
ma uerò, qui aliter ſentit, hoc non negatur, quia repugnet actui per ſe ſubſi-
ſtenti actuare. Sed quia materia ordinatur ad formam, & ad utilitatem for-
mæ referri debet, quod non eſt in intelligentijs apud ipſum. Verùm ſi in ali-
cuius formæ per ſe ſubſiſtentis vtilitatem cedere poſſet aliqua materia, per ſe
ſubſiſtere nullum impedimentum afferret, quin ea forma actus eſſet mate-
riæ illius. His autem poſitis reuertamur ad probandum id, quod ſuperius
non probatum dimiſimus. Hoc autem eſt, quod formæ materiales ſint mor-
tales. Formæ uerò immateriales ſunt immortales & incorruptibiles: hoc ue-
rò ſic oſtenditur. Omne quod corrumpitur, per ſe corrumpitur, uel per ac-
cidens: per ſe corrumpitur id, quod per ſe eſt, quando amittit ac perdit actũ,
C per quem eſt. Per accidens uerò corrumpitur actus ille, qui eſt in ente per ſe;
non tamen ipſe eſt per ſe impoſſibile, namque eſt aliquod eſſe, quin uel per ſe
ſit, uel ſit in aliquo per ſe ente. Omne autem compoſitum ex materia & for-
ma materiali, cum forma ea non ſit in materia illa niſi diſpoſita qualitatibus
habentibus contrarium; corruptis diſpoſitionibus illis à contrario, actum
ſuum amittere poteſt, quare & eſſe quod inſequitur actum; ex quo ſequitur,
quod corruptibile ſit. Forma uerò illa ſeu actus, cùm amplius non ſit in ente
per ſe, ipſe uerò per ſe non ſit, deſinit etiam ipſe eſſe; ſicque mortalis eſt.
Quamobrem dicit Ariſtoteles de formis, quæ ſunt & non ſunt abſque gene-
ratione & corruptione ipſarum. Ex his ergo manifeſtum eſt, quod omnis
forma materialis eſt mortalis. Probemus modò, quod forma immaterialis,
D quæ per ſe eſt, eſt ſimpliciter immortalis. Nullum Ens in actu, quod amit-
tere non poſſit actum, per quem eſt, deduci poteſt ad non eſſe; quoniam eſſe,
actum inſequitur. Sed huiuſmodi formæ, quæ ſunt per ſe in actu, non poſ-
ſunt amittere actum, per quem ſunt; ergo ſunt ſimpliciter incorruptibiles &
immortales. Maior eſt manifeſta, ut dixi; nihil enim poteſt perdere eſſe,
quod non perdit actum, per quem eſt; Minor probatur, quia iſtæ formæ ſi-
bi ipſis ſunt actus: nihil autem ſe ipſum perdere poteſt: quare ſequitur abſ-
que dubio, quod formæ immateriales, quia ſunt in actu, & ſunt actus ſibi ip-
ſis, ſimpliciter incorruptibiles ſint, ſibi namque ipſis ſunt vigor eſſendi. Om-
nibus his certiſſimis, ut puto, rationibus comprobatis, accedamus modò ad
propoſitam animi immortalitatem inueſtigandam. Principium huius per-

ſcrutationis certum ac firmum eſſe hoc exiſtimo, cuius cauſa omnia ſuperio- E
ra ſtrictim tetigimus. Palam eſt intellectum eſſe ſubſtantiam, & eſſe homi-
nis formam; non repugnat autem formæ, quæ eſt actus, eſſe in actu, ut proba-
uimus. Innata uerò nobis eſt via ex notioribus nobis. Notiores uerò nobis
ſunt operationes, quàm eſſentiæ. Iccirco ab operationibus intellectus pro-
cedamus, conſideremusque, an ex operationibus eius probari poſſit ipſum
eſſe formam per ſe ſtantem & actu eſſentem: an potius econtra ex illis con-
cludatur, intellectum non eſſe per ſe ſtantem neque per ſe actu, ſed tantùm
actum corporis. Nam ſi prius concludetur: ſequitur proculdubio intelle-
ctum eſſe immortalem ſimpliciter. Si uerò ſecundum, intellectus proculdu-
bio erit ſimpliciter mortalis, quæ eſt ſententia tua. Verùm quoniam vana F
omnis eſſet perſcrutatio noſtra, Si animam eſſe immortalem eſſet articulus
fidei, quod dicit excellentia tua: Nam lumen naturale hominis non pertin-
git ad articulos fidei oſtendendos; verùm ex ſupernaturali tantum lumine
cognoſcuntur. Dicimus igitur, quod fides aliquorum per ſe eſt, aliquorum
uerò per accidens. Fides per ſe illorum eſt, atque nullo pacto ratio naturalis
attingit, verbi gratia, Deum eſſe trinum & unum: per accidens uerò fides
multorum eſt, quæ licet à ſapientibus per demonſtrationem ſciantur; homi-
nibus tamen craſſioris ingenij, & qui philoſophiæ non vacarunt, proponun-
tur credenda ex fide: verbi gratia, Deum eſſe vnum eſt probatum demon-
ſtratione naturali; proponitur tamen credendum ſtatim in principio ſymbo-
li, cùm dicitur, Credo in unum deum. Sic dicimus, quod credere reſurrectio- G
nem corporum, eſt articulus fidei, qui ratione naturali probari non poteſt.
Illud uerò quod eſt ſuppoſitum ab hoc articulo, ſcilicet animam eſſe im-
mortalem, pertinet per accidens, non per ſe ad fidem; ſicuti etiam unum
Deum eſſe. Quamobrem non vana erit inquiſitio noſtra, ſi inueſtigabimus,
an hoc ratione naturali probari queat. His ergo declaratis, quæ neceſſaria
erant bene intelligere ad rationes, quas ſubdemus, percipiendas: quo effectũ
eſt, ut aliquandiu immorati ſimus in eis explicandis: accedamus ad proban-
dam concluſionem noſtram, ſcilicet quod intellectus humanus ſimpliciter
ſit immortalis, ita quod remaneat poſt corruptionem compoſiti. Duæ ſunt
operationes propriæ animæ intellectiuæ, quatenus intellectiua eſt, harum al-
tera eſt intelligere, altera uerò quæ pertinet ad appetitum ſequentem intelle- H
ctum, eſt uelle atque eligere. Dico ego, quod ex vtraque oſtenditur intelle-
ctum eſſe ſimpliciter immortalem. Primò ergo procedamus ab intellectio-
ne, vtamurque ratione Ariſtotelis; nolo tamen ut auctoritas Ariſtotelis nos
aliquo pacto moueat; ſed tantum conſideremus rationis vim. Forma illa,
quæ omnia intelligit, eſt per ſe ſtans atque non mixta materiæ. Sed intel-
lectus omnia intelligit; ergo intellectus eſt forma per ſe ſtans, & non mixta
materiæ. Maior probatur tripliciter ſeu quadrupliciter. Primò ſic; For-
ma quæ omnia intelligit, vniuerſalia intelligit, & quicquid eſt eorum, in-
telligit. Omnis autem huiuſmodi eſt per ſe ſtans & immaterialis, ergo
forma omnia intelligens eſt per ſe ſtans & immaterialis. Huius rationis

minor

A minor eſt nota. Nam oppoſitum prædicati infert oppoſitum ſubiecti. Ma-
ior probatur, quia omnis cognitio vel eſt idem præciſè cùm forma exiſten-
te in potentia cognoſcitiua ſecundum eſſe ſpirituale: uel eſt actio imma-
nens, cuius principium eſt forma illa: vel eſt comprehenſio, ac veluti quæ-
dam continentia illius formæ à potentia cognoſcente: quodcunque ho-
rum ſtatuatur, modus cognitionis neceſſariò ſequitur eſſe formæ cogno-
ſcibilis in virtute cognoſcente. Nam ſi cognitio ſit ipſamet forma, mani-
feſtum eſt id quod diximus. Si uerò fuerit actio, cuius principium eſt for-
ma illa, manifeſtum etiam eſt, quod ſequetur modum atque eſſe formæ,
quæ ipſius eſt principium. Si uerò ſit comprehenſio formæ illius, mani-
B feſtum etiam eſt, quod forma eo modo comprehendetur à potentia, quo
habet eſſe in potentia illa. idem hoc etiam experimento comprobari po-
teſt, quia oculus citrinus iudicat omnia eſſe coloris citrini, quia ſecundum
illud eſſe forma viſibilis eſt in oculo: oculus etiam eius qui mouetur, iudi-
cat res ſtantes moueri, quia ſecundum illud eſſe, forma viſibilis eſt in oculo
eius qui mouetur. His declaratis accedamus ad probationem maioris. in
virtute ſeu forma cognoſcente vniuerſale & ipſum quod quid eſt, neceſſe
eſt formam rei intellectæ eſſe ſecundum eſſe abſtractum ab hic & nunc:
aliter per eam vniuerſale, aut quod quid eſt, intelligi non poſſet ut demon-
ſtrauimus. Sed forma ſecundum eſſe abſtractum impoſſibile eſt, ut ſit in
corpore aut vlla parte corporis: quia omne corpus limitatum eſt: rece-
C ptum uerò eſt in recipiente ſecundum modum recipientis, ut eſt per ſe
notum. Ergo hæc forma erit in intellectu tantùm, non autem in corpo-
re: quod ſi eſt, de neceſſitate ſequitur, quod intellectus ſit per ſe ſtans. Si
enim non per ſe eſſet, ſed haberet intrinſecam materiam, à qua dependeret
in eſſendo, penitus impoſſibile eſſet, aliquid eſſe in intellectu, & non eſſe
in corpore, ſeu in materia. Nam forma & materia, ut diximus ſuperius,
non ſunt partes integrantes; ita quod una poſſit eſſe extra aliam. Sed ſicuti
forma actuans materiam, eſt in quacunque parte materiæ, & totam mate-
riam penetrat, ut ita dixerim, ita quod nihil eſt materiæ, quin illud actue-
tur à forma. Ita etiam forma, quæ eſt tantùm actus, & non eſt in actu,
ſed dependet in eſſe à materia, neceſſe eſt, ut ſecundum totam pene-
D tretur, ut ita dixerim, à materia, ita quod nihil ſit inuenire formæ il-
lius, in quo intrinſecè non ſit materia. Nam ſi aliquid formæ inue-
niamus, in quo non intrinſeca eſſet materia, illud certè per ſe ſtaret, ne-
que in eſſe dependeret à materia. Sicuti etiam, aliquid materiæ ſi inue-
niremus, quod non actuaretur à forma, neceſſe eſſet dicere, quod illud
per ſe ſtat abſque forma; quod accidere in materia, quæ eſt tantùm po-
tentia, implicat contradictionem, ut manifeſtum eſt. Reuertamur er-
go ad probationem noſtram, & dicamus quod cum forma intelligibi-
lis, quæ eſt principium intellectionis vniuerſalis, ſeu ipſius quod quid eſt,
ſit in virtute ſic cognoſcente ſecundum eſſe abſtractum, ut probauimus, ne-
ceſſe eſt, ut talis forma nullo pacto ſit in corpore; ſed tantùm ſit in virtute

illa vniuerſali cognoſcente. Quare neceſſe eſt illam virtutem per ſe eſſe in actu ſine corporis mixtione. Alio etiam modo hoc idem deduci poteſt. Forma intelligibilis eſt in virtute illa ſecundum eſſe abſtractum: Ergo etiam ea virtus habet eſſe abſtractum: quod ſi fuerit, ergo affectio materiæ, quæ eſt hic & nunc, non pertingit ad ipſam. Ergo, ut probauimus ſuperius, in eſſe non dependet à materia, quare per ſe eſt. Efficaciſſima igitur ratione oſtenſum eſt, quòd virtus comprehendens, quod quid eſt & vniuerſale, per ſe ſtat. Ex quo ſequitur, quod virtus cognoſcens omnia per ſe ſit. Secunda ratio qua probatur maior illius primi ſyllogiſmi, ſcilicet quod forma comprehendens omnia per ſe ſtat, virtus comprehendens omnia, comprehendit omnia organa corporea. Sed virtus comprehendens omnia organa corporea, non eſt mixta alicui organo, quare per ſe eſt: ergo virtus comprehendens omnia per ſe eſt, & hæc eſt maior primi ſyllogiſmi. Huius rationis minor eſt per ſe nota: maior probatur; quia organum, quo aliqua virtus de neceſſitate vtitur in ſua operatione, ſemper eſt medium inter obiectum, circa quod virtus operatur, & ipſam virtutem. Quare impoſſibile eſt eam virtutem circa organum illud operari; verbi gratia, ſi in ſcribendo neceſſarius eſt calamus, impoſſibile eſſet virtutem illam, cui annexus eſſet calamus, ſcribere circa illum calamum, & ſic in aliis, per inductionem manifeſtum eſt. quamobrem virtus, quæ intelligit, & comprehendit omnia organa corporea, in ſui operatione non vtitur organo corporeo; quo fit, ut etiam in eſſe mixta non ſit organo corporeo: res enim non poteſt operari, niſi eo modo quo eſt; ſequitur ergo quod per ſe ſit. Quare probata maiore noſtræ rationis ſequitur noſtra concluſio, quæ erat maior illius primi ſyllogiſmi, quod ſcilicet forma comprehendens omnia per ſe ſit. Tertia ratio, qua probatur eadem maior: virtus comprehendens omnia, ſe ipſam comprehendit & ſuas operationes intrinſecas; ſed nulla virtus comprehendens ſeipſam vtitur organo aliquo; quia ſemper organum, (ut diximus per inductionem eſſe manifeſtum) eſt medium inter obiectum, circa quod operatur virtus, & ipſam virtutem. Ergo virtus cognoſcens omnia non eſt virtus organica: quare in eſſe non dependet ab organo aliquo corporeo. Organum namque corporeum illud, à quo in eſſe dependeret, eſſet intrinſecè admixtum ipſi, quare ſine ipſo operari non poſſet: ſequitur ergo, quod per ſe ſit. Quarta ratio, qua eadem maior probatur illius primi ſyllogiſmi: virtus cognoſcens omnia cognoſcit omnes formas materiales: ſed forma comprehendens omnes formas materiales, non poteſt eſſe in genere formarum materialium, & mixtarum materiæ, ergo forma cognoſcens omnia non eſt mixta materiæ: quamobrem per ſe eſt. Minor eſt manifeſta, maior probatur, quia recipiens eſt denudatum à natura rei receptæ: non enim recipit, niſi quatenus eſt in potentia ad naturam rei receptæ: quare actu ſecundum eſſentiam ſiue naturam ſuam non eſt in genere rei receptæ. Hoc autem præter rationem eſt

manifeſtum

A manifeſtum inductione: nam nulla figura alicuius ſpeciei eſt ſubiectum recipiens alias figuras, neque ſubiectum recipiens colores ſecundum eſſentiam poteſt eſſe in aliqua ſpecie coloris. Materia etiam prima, quia recipit formas ſubſtantiales, in ſui natura non habet aliquam formam ſubſtantialem. Ex quo ſequitur, quod virtus recipiens omnes formas materiales non ſit in genere formarum materialium, ergo erit non mixta materiæ: quare per ſe ſtans ſine materia: omnis igitur virtus cognoſcens omnia, eſt virtus per ſe ſtans. Probata ergo eſt efficaciſſimis rationibus maior primi Syllogiſmi. Minor autem, quod ſcilicet intellectus cognoſcat omnia, eſt nota ex inductione: nam vniuerſallia, & quod

B quid eſt cognoſcit: immò quod quid eſt, eſt obiectum proprium intellectus; cognoſcit & inueſtigat naturam omnium organorum corporeorum; ſeipſum & ſuas operationes inquirit & comprehendit, omnes quoque formas materiales perſcrutatur; ut manifeſtum eſt ex hominibus, quorum aliqui in diſciplina certi cuiuſdam generis ſunt excellentes, alij uerò in diſciplina alterius generis, & ſic de omnibus rerum generibus. Concludamus ergo cum Philoſopho, & dicamus, quod neceſſe eſt, non probabile inquam aut rationabile, ſed neceſſe eſt intellectum eſſe non mixtum materiæ ſecundum eſſe. nam intus apparens in materia, quæ ipſum intrinſecè penetraret; ſi ab ipſa in eſſe dependeret, alienum prohibebit, & obſtruet: obſtruet namque cognitionem vniuerſalis, & quod

C quid eſt: hoc enim eſt alienum à natura materiæ, prohibebit cognitionem organorum omnium corporeorum, & ſui ipſius. Hoc enim eſt alienum à natura, in cuius eſſe eſt materia; prohiberet cognitionem formarum materialium, quibus neceſſe eſt ipſum non eſſe mixtum, & eſſe immaterialem. Cæterùm cur morer in huius rei oſtenſione, cùm excellentia tua concedat, quod nec intellectio, neque forma intelligibilis ſit in organo corporeo. Sed duo adiungit excellentia tua, quibus poſitis, propter ea quæ diximus, non uidetur tolli mortalitas ab intellectu: primum quod dicit, eſt, quod pro tanto dicitur intellectio, aut forma intelligibilis non eſſe in organo corporeo; non quia non ſit in corpore, nam uidetur eſſe impoſſibile, cum anima, in qua eſt intellectio, ſit in corpore; quod for-

D ma intelligibilis non ſit in corpore: Sed propterea quod recipitur in anima indiuiſibiliter, non autem extenſe: quo fit, ut intellectus poſſit ſeipſum ſupra ſe reflectere, & ſe intelligere. Alterum, quod dicit excellentia tua, eſt hoc, quod licet intellectio non ſit in organo corporeo, poſſumus tamen dicere, quod totum corpus ſit organum ipſius intellectus, & concurrat ad intellectionem, quia concurrit ad eſſe intellectus, in quo eſt intellectio. Ex quo poſtremo dicto mihi videtur excellentiam tuam inferre velle; quod licet intellectio ſit tantum in intellectu, & non in corpore, intellectus tamen per ſeparationem à corpore perit, ſicut exempli gratia, ſi quis diceret manum eſſe non mixtam brachio, & illud quod eſt in manu, non eſſe

in brachio : manus tamen per ſeparationem à brachio corrumpitur & E
perit. Sequitur ergo, quod licet intellectio non ſit in organo corporeo, ſed tantum in intellectu, non tamen concluditur, quin intellectus ſeparatus à corpore pereat. Ad primum horum reſpondeo, interrogando excellentiam tuam quid intelligat per eſſe formæ indiuiſibile in intellectu. Nam indiuiſibile, quantùm ſpectat ad propoſitum, dicitur duobus modis: punctum namque indiuiſibile dicimus uno modo: quia pertinens ad quantitatem non habet partes, in quas diuidatur. Alio uerò modo dicimus intelligentiam eſſe indiuiſibilem, non ſicuti punctum: nam punctum habet determinatam poſitionem in quantitate continua.
Sed dicitur intelligentia indiuiſibilis, ſicuti vox dicitur inuiſibilis: quia F
ſcilicet non eſt ex eorum genere, quæ uideri poſſunt: ita etiam intelligentia indiuiſibilis, quia nullo pacto pertinet ad genus, in quod cadit aut per ſe, aut per accidens diuiſio: forma ergo intelligibilis, quæ eſt in intellectu indiuiſibiliter & indiuiſibilis, uel erit indiuiſibilis ſicuti punctum, aut ſecundum modum, quo diximus de intelligentia. Si primo modo, ſtatim ſequitur, quod intellectus ſit virtus organica, quia illud punctum corporis ſecundum determinatam poſitionem, cuius forma intelligibilis eſt indiuiſibilis; erit organum intellectus, quod eſt contra ea, quæ demonſtrauimus, & contra ea, quæ dicit excellentia tua: poſtea neceſſe erit aſsignare, in qua parte corporis ſit hoc punctum, an
ſcilicet in corde, an in cerebro, aut in aliqua alia corporis parte, ibique G
dicemus eſſe organum intellectus: ſi uerò excellentia tua dicat formam eſſe in intellectu indiuiſibilem, ſicuti dicimus intelligentiam eſſe indiuiſibilem, cum receptum ſit in recipiente ſecundum eſſe recipientis, erit ergo intellectus etiam ſic indiuiſibilis: omnis autem forma ſic indiuiſibilis eſt forma immaterialis, quia affectio materiæ ad ipſam pertingere non poteſt; ut manifeſtum eſt ex fine octaui Phyſicorum. Ad ſecundum quod uidetur dicere excellentia tua, manifeſtum eſt, quod id quod poteſt dici de manu abſciſſa, aut aliquo alio corpore, nullo pacto poteſt applicari intellectui, qui ponitur per ſe eſſe, & actuare corpus, quia manus abſciſſa corrumpitur, eo quod perdit actum ſuum: perdit
autem ſuum actum per corruptionem diſpoſitionum conuenientium il- H
li actui: ſed intellectus, qui ponitur eſſe in actu, & per ſe eſſe, cum ipſe ſibi ſit actus, amittere ſuum actum non poteſt; ut ſuperius demonſtrauimus: quare ſequitur, quod ſimpliciter ſit immortalis. Hactenus oſtenſum eſt, quòd animus hominis ſit ſimpliciter immortalis; rationibus ſumptis ab ea operatione, quæ eſt intelligere. Nunc uerò tentemus, an etiam ex operationibus appetitus intellectui, id eſt voluntatis hoc idem oſtendi poſsit. Voluntas, ſicuti dicit Philoſophus, differt ab appetitu ſenſitiuo in eo, quod appetitus ſenſitiuus eſt particularis cuiuſdam boni: voluntas autem eſt boni vniuerſalis, huiusque ratio eſt in promptu: quia

appetitus

A appetitus retinet naturam potentiæ cognoſcitiuæ, quam inſequitur: ſenſus autem ſingularium eſt, intellectus uerò uniuerſalium: quo fit, ut uoluntas appetat honeſtum, quod in ſe eſt abſolutè bonum: appetitus uerò ſenſitiuus appetat bonum ipſi delectabile, voluntas autem circa bonum, quod appetit, duas habet operationes, quarum altera eſt ipſius finis, & huiuſmodi operationi applicatur nomen ipſius potentiæ, diciturque & ipſa voluntas, ſeu velle. Altera uerò eſt eorum bonorum, quæ ſunt ad finem, & iſtorum, eſt electio, diciturque intellectus ea eligere, & circa hæc eſt liberum arbitrium. Modo ſicuti ſe habet intellectus circa principia prima & concluſiones, ita ſe habet voluntas circa ea, quæ appetit. Nam ſicuti veritas B abſque vlla falſitate, & omnium tandem veritas continetur in primis principijs: quo fit, ut intellectus ſtatim eis aſſentiatur, neque ab illis diſſentire queat: concluſionibus uerò aſſentitur neceſſariò his quidem, quæ neceſſariam conſequentiam habere uidentur ex principijs: alijs uerò concluſionibus, in quibus hæc neceſſaria conſequentia non inſpicitur, non penitus aſſentitur intellectus: ſic quoque voluntas in ipſum finem ultimum de neceſsitate fertur: illis autem quæ ſunt ad finem, & ſunt omnia alia bona quæ appetit; niſi neceſſariam uideantur aperte habere dependentiam à fine ultimo, quia ſunt bona, & habent etiam aliquem boni defectum; poteſt voluntas in ea ferri, & eá renuere; quo fit, ut ſe ipſam agat in illis proſequendis. His poſitis argumentamur primo ex parte operationis volunta- C tis, quæ eſt circa vltimum finem; deinde ex parte operationis eius quæ eſt electio; quòd intellectus hominis eſt immortalis. Argumentemur ergo, bonum, quod voluntas appetit ut ultimum finem, eſt bonum, quod voluntas renuere non poteſt, & quod omni ex parte voluntatem implet. Sed huiuſmodi bonum eſſe non poteſt niſi bonum illud, quod continet omne bonum, vel ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; ergo bonum, quod eſt finis vltimus voluntatis noſtræ, eſt bonum continens omne bonum. Antequam vlterius procedamus, declaremus propoſitiones iſtius ſyllogiſmi. Minor propoſitio, quæ primo eſt poſita, quantum ad primam eius partem, ſcilicet quod bonum, quod eſt vltimus finis voluntatis; eſt bonum in quod neceſſario fertur voluntas, manifeſta eſt ex ſuperius D dictis: quia voluntas eodem modo ſe habet ad illud bonum appetendum, quo intellectus ſe habet ad aſſentiendum primis principijs. Quantum uerò ad ſecundam partem, quòd ſcilicet illud bonum eſt bonum, quod omni ex parte implet uoluntatem, probatur. Deus & natura non dedit appetitum rebus, niſi ut per illum inclinarentur ad finem, atque ad perfectionem ſibi conuenientem. Quo fit, ut in omnibus rebus appetitus correſpondeat perfectioni, adeò ut neque ſit maior, neque ſit minor perfectione, ad quam res illa eſt ordinata. Non enim fecit natura intrinſeca repugnantia extrinſecis, ſicut dicit Philoſophus in primo de Cœlo contra Platonem: quapropter corruptibili dedit cauſas extrinſecas ipſum

corrumpentes. Illud uerò, cui non dedit cauſas extrinſecas corrumpentes, E feci natura incorruptibile: appetitus ergo non excedit ultimam rei perfectionem, neque ab ea deficit; ſed cum ad ea peruenerit res; appetitus quieſcit, & vndique eſt ſatur, ut ita dixerim: antequam uerò ad eam perueniat, ſemper inclinat & mouet, ac quaſi rem ſtimulat ad perfectionem ſuam, quantumcunque res illa extrinſecis fulcimentis ſubſtentata quieſcat. Hoc uerò ſenſu comprehendimus in rebus omnibus naturalibus. graue nunquam quieſcit, niſi cum ad centrum peruenerit; tunc enim planè quieſcit; anteaquam uerò quantiſcunque fulcimentis ſuſtentatum quieſcat, ſemper tamen vergit ad centrum, resque ipſum ſuſtinentes premit. Minor ergo propoſitio aſſumpta, eſt manifeſta, quòd bonum, quod voluntas appetit ut F finem, eſt bonum, quod voluntas renuere non poteſt, & quod omni ex parte voluntatem implet. Maior uerò, quòd huiuſmodi bonum, eſt bonum continens omne bonum, & eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, probatur: quia bonum illud, quod non continet omne bonum, ſed aliqua ex parte deficit; quia defectus boni habetur pro malo, voluntas renuere poteſt, niſi in eo neceſſaria dependentia ad finem ultimum appareat; quod non poteſt eſſe in ultimo fine, qui à nullo alio fine dependet: quare voluntas in illud non neceſſariò feretur, ac propterea non erit ultimus finis: tale etiam bonum, quod non continet omne bonum, non omni ex parte implet appetitum noſtrum, ut quilibet in ſe ipſo experiri poteſt: interroget vnuſquiſque ſe ipſum, an in quantauis cognitione G ex ſcientijs habita, aut in quauis alia virtutis operatione omni ex parte quieſcat, & uidebit quod non quieſcit, licet magis quieſcat in illis, quàm in rebus aliis, quia per illas ad finem ſuum tendit, non autem per res alias: ſicuti graue ſi moueatur ad centrum, magis ſecundum naturam ſe habet in illo motu, & magis eius appetitus quieſcit, quàm ſi moueatur ſurſum, aut ſi ſurſum detineatur; non tamen penitus quieſcit, ſicuti quieſcit in centro; quia ad centrum tendit; conſimile quoddam in ſe ipſo vnuſquiſque rectè conſiderans intuebitur. Cum ergo concluſum ſit, quod finis, in quem tendit voluntas, ſit bonum, quod continet omne bonum, & ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: huic concluſioni adiungamus, quod virtuti mortali & formæ materiali huiuſmodi finis conuenire minime poteſt; quod probatur: quia virtuti limitatæ conuenit bonum H limitatum, cuiuſmodi non eſt bonum, quod diximus. Præterea rei bonum eſſe non poteſt, quod nunquam res illa aſſequi ualet. Sed huiuſmodi bonum nec à re mortali, nec à nobis ante mortem pertingi poteſt: ergo ſequitur quod animus humanus, cuius finis ille eſt continens omne bonum, ſit immaterialis & immortalis. Secunda operatio voluntatis eſt electio rerum, & ex hac inſpiciamus, ſi colligere poſſimus animi humani immaterialitatem & immortalitatem. principium cuiuſcunque motus ſecundum naturam eſt aliqua inclinatio, ſeu appetitus illius, quod mouetur. Appetitus autem eſt triplex, quidam eſt naturalis, quidam ſenſitiuus,

A uus, quidam intellectiuus, ſicuti eſt electio. Ea, quæ appetitu naturali tantum mouentur, neque cognoſcunt finem, neque ea quæ ſunt ad finem, ſed à ſuperiori cauſa diriguntur per conuenientia media ad ſuum finem. Illa, quæ mouentur appetitu ſenſitiuo, licet cognoſcant id; ad quod proximè mouentur, ſecundum tamen impresſionem formæ obiecti mouentur, non autem ipſa conſultant, aut deliberant; quare abſolute non ſe agunt, ſed aguntur, quæ uerò mouentur electione, non aguntur, ſed ſe ipſa agunt, & dominantur ſuis actibus. His declaratis dicamus, quod anima eſt principium motus ex ſe cuiuſdam intrinſeci in re animata, ut manifeſtum eſt, & hoc eſt proprium animæ, agere inquam, è contra corporis proprium eſt moueri & agi. Quamobrẽ B & corpora omnia inanimata ponuntur inter ea, quæ mouentur ab alio. His ſuppoſitis argumentamur hoc pacto: ſicut anima illa, quæ in operatione ſua tantum agitur, penitus corporea eſt, & ea quæ quoqoo modo ſe agit, abſolutè tamen agitur, licet quoquo modo incorporea eſt; abſolutè tamen eſt corporea. Ita anima illa, quæ ſe ipſam abſolutè agit, abſolutè incorporea erit, & abſolutè anima non mixta corpori. Hæc propoſitio eſt manifeſta ex proprietate animæ, & ex proprietate corporis, quas diximus. Sed anima intellectiua ſola ſe ipſam agit in eligendo, cum ſit domina ſui actus, liberumque arbitrium habeat: reliqua uerò ot vegetatiua tantum agitur, cum appetito naturali feratur; Et ſenſitiua, quæ abſolutè agitur, licet quoquo modo ſe agat, cum ex cognitione moueatur: ipſa certè erit ſola abſolute incorporea; & ab- C ſolute anima immixta corpori. Et fortaſſe hanc rationem tetigit Plato, cum dixit, animam eſſe immortalem, cùm ſe ipſam moueat. Ecce ergo quod ex electione libera voluntatis, ſequitur humanum animom per ſe eſſe ſine corpore: quare & abſolutè immortalem. Si qois etiam ſe ipſum conſideret, poterit hoc perſpicue comprehendere: interroget enim ſe quiſque, quis ſum ego? videbit vtique ſe neque eſſe cerebrum, neqoe cor, neque aliquam corporis partem, ſed ſuperius quoddam partibus omnibus corporis ſuperſtans. Ex his igitur rationibus iudicio meo conſtantisſimè oſtenditur animi humani immortalitas: adeo ut putem quamcunque aliam demonſtrationem factam in philoſophia naturali faciliùs infringi poſſe, quàm has. excipio ſemper illas ſexti Phyſicorum, & primi de cœlo in tractatu de infinito, & ſi, quæ D huiuſmodi ſunt: quæ potius dicendæ ſunt mathematicæ, quàm naturales. His hactenus diſcusſis, immortalitatem hanc animæ demonſtratam meo iudicio circunſtant multa, ad qoæ demonſtranda ratio naturalis, ut puto, perfecte attingere non poteſt; ſed quibuſdam tantum vel poteſt coniecturis in eis tractandis. Talia autem ſunt de ſtatu animarum poſt mortem, & an præcedant corpora, quorum ſunt animæ, an ſecus res habeat. Iſta ut puto demonſtrari non poſſunt ratione naturali; quod probatur: quia ratio naturalis ad inoeſtigationem cuioſque rei ex ſenſatis procedit: at nullæ ſunt operationes animæ, quæ ſentiri poſſunt, aut ſenſu comprehendi poſt mortem, atque ante generationem hominis. Nam intelligere, & velle ſenſu comprehendi non poſſunt, quo ſit, cum neque anima ſeparata ſit ſenſibilis; neqoe operationes

eius ſenſibiles, quod ratione naturali perfecte ad ſtatum eius poſt mortem, E aut ante generationem pertingere non poſſimus; quibuſdam tamen coniecturis quidam vſi dixerunt, quòd anima humana cum inter formas abſtractas non deuenerit ad tantam perfectionem, ut ſtatim ſit capax ſupremi luminis: in quo omnis intelligentia eſt fœlix; neceſſe eſt, ut prius acquirat diſpoſitiones quaſdam, per quas diſponatur ad perfectionem illam acquirendam, ſicuti materia prima non induit formam quampiam, niſi prius diſpoſita ſit diſpoſitionibus formæ illi conuenientibus: diſpoſitiones uerò, per quas animus humanus ſit deiformis, ut ita dixerim, id eſt diſpoſitus ad attingendum Deum, ſunt ſcientiæ ac virtutes. verum cùm has acquirere non poſſit à rebus propter materialitatem rerum ſenſibilium, ſuamque immaterialitatẽ, F neceſſe fuit, ut mediante ſenſu eas adipiſceretur; in quo formæ ſenſibilium habent eſſe medium inter eſſe materiale & eſſe intelligibile; potentia uerò ſenſitiua, cum ſit organica, indiget corpore nobiliſſimæ complexionis: ad corporis uerò ſalutem & conſeruationem multæ aliæ potentiæ requiruntur, vt vegetatiua, cæteræque facultates. Iccirco anima propter bonum ipſius fuit coniuncta corpori. Et hucuſque dicta ſunt maxime naturali rationi conuenientia. non enim puto ſecundum rationem dici, corpus eſſe carcer animæ; & quod anima ſit in ſe perfecta antequam ingrediatur corpus: quia materia eſt propter formam; & natura inſtituit imperfectum ad perfectum, non autem perfectum ad imperfectum. Ex his perſpicuò ſequitur, quòd poſt mortem animæ, quæ diſpoſitiones conuenientes ſuæ perfectioni acquiſiuerint; G ſuæ item perfectioni, id eſt, ſummo bono, coniungantur, & in eo ſint fœlices, quamuis quædam clarius, quædam obſcurius. Illæ uerò, quæ deprauatæ diuerſa via inceſſerint, fine ſuo fruſtratæ infœlices degunt. Ex quibus etiam rationabiliter uidetur ſequi, quod anima non ſit ante corpus, cuius eſt anima; ſed ſimul incipiat eſſe cum ipſo. Verum econtra quis ſcit, an cùm tales diſpoſitiones, quas diximus in anima fieri ad ſupremum lumen capiendum, ſint extrinſecus acquiſitæ, id eſt, à ſenſibilibus rebus, an poſt longiſſimum tempus paulatim aboleſcant: quod cum fuerit factum, tunc animæ velnti potantes lætheum flumen, incipiant in corpora velle reuerti, ut iterum diſpoſitiones induant pro ſua perfectione facientes: ſicuti uidemus contingere in materia prima, quæ modo unam, modo aliam formam recipit. Et hoc pacto animæ non perfecte, ſed imperfecte propter bonum ſuum iterum corpori coniungantur: atque huiuſmodi ratione eſſe eas ante corpus nil prohibeat: certè iſta ratione naturali certa & comperta eſſe non poſſunt. iccirco H puto ego ſani hominis eſſe agnoſcere defectum naturalis luminis, & credere neceſſariam homini fuiſſe doctrinam quandam ſuperiori lumini innitentem: ex qua hæc nobis naturaliter ignota, comperta eſſe poſſint: in hacque parte conſentio ego excellentiæ tuæ, neceſſarium eſſe lumen fidei, ſed ad oſtendendam animi immortalitatem puto ſufficere rationem naturalem, ut dixi. Poſtremo reſtat, quantum ad hanc pertinet partem, ut ſoluamus rationes eas, quas adducit excellentia tua ad improbandam animi immortalita-

A tem ſimpliciter,ita quòd poſt mortem non remaneat anima. Argumentatur autem excellentia tua multis rationibus:primo hoc pacto intelligere non eſt ſine phantaſia,ut patet: ergo anima non eſt ſeparata nec immortalis. ſecũdo, cum plures operationes indicent animam eſſe mortalem quàm immortalem, ut operationes omnes potentiæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, quæ non ſunt ſine organo corporeo;& à ſuperabundanti debeat fieri denominatio:cur potius ſimpliciter dicenda eſt anima immortalis quàm mortalis.Tertio,noſtra ſcientia eſt potius ignorantia, uel negationis uel diſpoſitionis, quàm ſcientia appellanda; cur ergo tam magni facere debemus intellectum noſtrum,ut faciamus ipſum immortale? Quarto,anima poſt ſeparationẽ, cùm habeat natu B ralem inclinationẽ ad corpus,cuius fuit forma,uel reunietur, uel non:ſi reunietur,incidemus in reſurrectionem & in fabulas Pythagoreas,de quibus dicitur in primo de anima: ſi non reunietur,aptitudo illa erit fruſtra. Quinto,ſi non reunietur, non ſeruabitur ordo naturæ, quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio.Sexto,anima ſeparata uel ociabitur uel intelliget; non eſt dicendũ ociaturã,nulla enim eſt forma,à qua non ſit actio aliqua:ſi uerò intelliget,uel à phantaſmate, uel ſine phantaſmate: cum phantaſmate dici non poteſt; quia ſeparata eſt à corpore. ſi ſine phantaſmate, dico quod hoc eſſe nõ poteſt,quia diuerſus modus operandi indicat diuerſitatem in eſſentia, & in ſpecie. quare anima coniuncta & ſeparata nòn erit eiuſdem ſpeciei, quod eſt impoſſibile. Septimo, poſt ſeparationẽ animæ à corpore, ſi amplius anima non reuniatur C corpori,potentiæ ſenſitiuæ & vegetatiuæ,quæ radicaliter ſunt in anima, erũt fruſtra; operari namque nunquam poterunt, cum careant organo corporeo. Octauo, illud quod eſt hoc aliquid nullius eſſe poteſt actus: ſed ſi anima ſit immortalis ſimpliciter,erit hoc aliquid:quare non erit actus corporis, quod eſt contra definitionẽ animæ.Nono,poſt ſeparationẽ animæ à corpore, quid dicemus de eſſe cõpoſiti?remanebit'ne?an corrũpetur?Decimo,ſi animæ tot ſunt, quot ſunt indiuidua,erũt ergo formæ materiales,quia omnis multiplicatio in eadẽ ſpecie eſt per materiam. Vndecimo,ſi animæ ſunt immortales, nec reuniuntur corpori, & mundus ſit æternus, animæ eſſent actu infinitæ, quod uidetur impoſſibile.Duodecimo,ſi anima eſt immortalis,& incipit eſſe cum corpore,creatur à Deo,& ſic daretur creatio noua; quod eſt cõtra om D nes philoſophos.Decimotertio,ſi anima eſt incorruptibilis,eſt ingenita,quia omne incorruptibile eſt ingenitum apud philoſophos. Decimoquarto,nullũ eſt ſignum probans intellectum intelligere ſine phantaſmate; ergo nõ debet concedi à philoſopho:& per conſequens, neque concedi debet animam eſſe immortalem. Decimoquinto:Anima humana nõ eſt intellectus,niſi per participationem; ergo nõ erit immortalis niſi per participationem, nõ ergo erit abſolutè immortalis.Hæ,ni fallor,ſunt rationes excellentiæ tuæ.Auctoritates uerò philoſophi in ſecundam partem huius tractatus differemus, in qua perſcrutabimur,quid'nam de hac re ſenſerit Ariſtoteles. Ad has ergo, prout poterimus,reſpõdebimus. Ad primam dico, quod vel excellentia tua loquitur de intellectione intellectus coniuncti corpori;uel ſeparati:ſi ſeparati,nego

go quod intellectio illa non ſit ſine phantaſia, immò eſt, ut latius dicemus inferius. Si uero de intellectione coniuncti loquatur, ſic nego conſequentiam, conceſſo antecedenti: ſufficit enim ad oſtendendam immaterialitatem & immortalitatem intellectus, quod intellectio non ſit in organo corporeo, ut ex rationibus noſtris patere poteſt: quòd dependeat à phantaſmate, non conuincit ipſum non poſſe ſeparari, & non eſſe per ſe ſine phantaſia; ſicuti oculus, quamuis in uidendo dependeat à colore, per ſe eſt tamen abſque re colorata, & à coloribus ſeparatus per ſe agit. Ad ſecundā dicimus, quod quamuis omnes operationes præter unam cōuincerent animam eſſe formam materialē; una uerò tantum cōuinceret illam eſſe immaterialem; debemus dicere, quod abſolutè eſt immaterialis, & ſecundum quid materialis: cuius ratio eſt, quia forma materialis nunquam poteſt aſcendere ad operationem immaterialē, ſed forma immaterialis poteſt deſcendere per potentias organis affixas ad operationes formæ materialis. ſicuti etiam anima ſenſitiua deſcendit per potentiam, quam continet, ad opera vegetatiuæ, vegetatiua autem ad opera ſenſitiuæ aſcendere nō poteſt. Vel etiam dicimus, quod natura eſſentiæ ſpecificæ debet dignoſci ab his, quæ ſunt propria illi ſpeciei, non ab his, quæ ſpecies illa continet communia cum alijs ſpeciebus. proprium autem hominis in eo, quod homo, eſt intelligere, & velle; quo fit, ut in illis operationibus philoſophus inquirat hominis fœlicitatem: reliquæ uero operationes, quas connumerat excellentia tua, ſunt communes homini & bruto; quare ab illis & non ab iſtis debet ſumi natura propria humani animi. Ad tertiam dicimus, quod licet noſtra intellectio comparata intelligentijs ſit valde debilis, animalibus uerò aliis comparata eſt admodum magna; & eſt eius naturæ, ut ſuperius oſtēdimus, quod ex ea apertiſſime colligitur immaterialitas intellectus noſtri. qua in re illud etiā in capacitatem naturalem humani animi agnoſcendā inducere nos poteſt: quod ſcientiam hanc, quam habet, non magnam putat. ex quo colligitur, quod multo perfectioris ſcietiæ capax eſt: in qua ſumma eius perfectio conſiſtit. Ad quartam dicimus, quòd certitudo illius, quod quæritur, ratione naturali haberi non poteſt: vtrumque tamen probabiliter ſuſtineri poteſt: poſſumus namque dicere, quòd reunietur alteri cuidam corpori humano, per generationem factam ab homine & à ſole. Et ſic non erit reſurrectio illa, quæ ſuperat vires naturæ; de qua eſt fides: neque incidimus in fabulas Pythagoreas, de quibus in primo de anima: quia non ponimus animam hominis formare corpus bruti alicuius animalis, ſicuti Pythagoras dicebat. poſſumus etiam probabiliter dicere, quòd non reunietur; neque aptitudo illa ad corpus erit fruſtra: quia iam anima adepta eſt finem, propter quem habuit aptitudinem, ut corpori uniretur; illud enim dicitur fruſtra, quod finē intentum non eſt adeptum. Ad quintam dicimus, quòd licet poſſemus dicere probabiliter, quod animæ reuniuntur corporibus, ut ſuperius diximus. ſi etiā nō reunirentur, nō tolleretur ordo naturæ: immò hoc maximè eſt ſecundū naturam, ut labor & motus finitus ſit ordinatus ad quietem infinitam, tanquā ad finē. Contrarius uerò ordo poſſet videri contra naturam, ſi infinitus aut longus

A gus labor ad paruam quietem, aut momentaneam eſſet ordinatus; quemadmodum neceſſe eſt dicere illis, qui ponunt animam mortalem. Ad ſextam dicimus, quod diuerſæ operationes ſecundum eſſentiam in rebus eodem modo ſe habentibus, fortaſſe indicarent diuerſitatem naturæ: ſed diuerſitas operationum accidentalis in rebus præſertim non eodem modo ſe habentibus, non arguit diuerſitatem eſſentiæ. immò uidemus in rebus naturalibus naturam, quæ eſt principium naturalis motus, alio atque alio modo operari, ſecundum diuerſum ſcilicet modum rei, in qua eſt: natura namque grauis, quæ eſt principium motus deſcenſus: dum graue eſt extra locum proprium: illa eadem eſt cauſa, quod graue in loco proprio quieſcat, quies tamen & motus

B uidentur contraria, ſi ſecundum ſe conſiderentur. quantum vero ad modum accidentalem, quod diuerſificentur operationes eiuſdem naturæ, manifeſtum ferè in omnibus eſt. Accedendo ergo ad intellectionem dicimus; quod intellectus ſemper intelligit per formam rei intellectæ, neque in hoc ſibi ipſi vnquam diuerſus eſt: verum quandoque perfectius: quandoque imperfectius; & hoc eſt antequam perfectionem ſuam attigerit. Cum eſt in corpore, indiget phantaſmate, à quo hauriat intellectionem. poſtquã uerò perfectus eſt, ſecundum curſum naturalem inquam; ex comparatis (vt ita dicam) theſauris ſibi ipſi ſufficiens eſt ad intellectionem; immò ad altiorem intellectionem eleuatur, neque indiget phantaſmate. Huius uerò rei exemplũ commodiſſimum intueri poſſumus in animalibus, quæ antequam perfecta,

C corroborataque membra habeant, nutriuntur ex ſanguine menſtruo digeſto à matre per vmbelicum; matrique adhæreant neceſſe eſt; à qua nutrimentum capiunt: poſtquam uerò perfectus eſt fœtus, ex vtero matris in lucem prodit, ſibique ipſi ſufficit ad capiendum & digerendum cibum. Sic in propoſito intellectus donec imbecillis eſt, & ad ſupremam lucem recipiendam ineptus; intellectionē veluti cibum digeſtum prius in phantaſia recipit; poſtquam uero perfectus eſt, iam per ſe ſibi ſufficit; neque amplius indiget phantaſia. Ad ſeptimam dicendum, quod corrumpuntur. & ſi non corrumperentur, quòd cum vegetatiua & ſenſitiua potentiæ ordinatæ ſint ad intellectiuam tanquam ad finem; cùm ea perfecta fuerit, ſuum finem adeptæ ſunt: quare non ſunt fruſtra: ſicuti etiam potentia augmentatiua, quæ poſt ætatem

D conſiſtentiæ non operatur, non dicitur fruſtra eſſe in animato, quia finem ſuum attingit. Si uero dicemus probabiliter, quod animæ reuniuntur corporibus: ratio nullo pacto procederet. Ad octauam, patet per ea, quæ demonſtrata ſunt, quod hoc aliquid, cum eſt actus, poteſt eſſe alicuius actus; neque hoc inconuenit: immò oſtendimus, quod actus corporum cœleſtium ſunt actus, qui ſunt hoc aliquid. id uero, quod obijcitur ex B. Thoma, non eſt ad propoſitum; quia apud ipſum actus, qui ſunt in actu per ſe, & quantum ad actum primum eſſendi, id eſt, ad eſſe, & quantum ad actum ſecundum, id eſt, ad perfectionem, non ſunt vniti materiæ; quia talis vnitio in nullam cederet vtilitatem formæ: materia uerò cum ſit propter formam, debet cedere in vtilitatem formæ. actus uerò noſter, qui eſt hoc aliquid; quia in principio

indiget

indiget eorpore pro ſua operatione,ut diximus; eonuenientiſsime vnitus eſt E
corpori. Ad nonam, de eſſe compoſiti, reſpondeo quod in compoſito non
eſt aliud eſſe, quàm eſſe quod inſequitur formam, quod, quando forma per
ſe non eſt in actu, inſequitur formam tanquam principium tantum; eſt ta-
men in compoſito veluti in primo ſubiecto, & per illud eſſe compoſitum
actu eſt. quando uerò forma eſt in actu, illud eſse non tantùm inſequitur for-
mam tanquam principium, ſed eſt in forma tanquam in ſubiecto: commu-
nicaturque compoſito. quo fit, ut per illud idem eſse, per quod forma eſt, ex
communicatione formæ compoſitum etiam ſit. quo fit, ut poſt corruptio-
nem compoſiti, eſse eompoſiti non pereat: ſed ſit in forma, in qua etiam pri-
mò erat. Neque in compoſito eſt aliud eſse præter hoc. Et hæc eſt ſententia F
D. Thomæ in quarto Sententiarum, ubi tractat de reſurrectione. Ad deci-
mam dicendum, quod, quamuis anima humana per ſe ſit ſine corpore, cum
tamen vnumquodque, cuius eſt aliquid opus, ſit propter ſuum opus, ut dici-
tur à philoſopho in ſecundo de cœlo; illud, quod per ſe operari non poteſt,
connumeratur inter ea, quæ per ſe non habent eſse completum: talis autem
eſt anima humana; quæ, ut diximus, propter infirmitatem luminis intelligi-
bilis indiget prius, ut exerceatur in rebus iſtis ſenſibilibus, in eiſque prius ſu-
periora illa intueatur: poſtmodum per has res diſpoſita ſuperioribus illis
perficiatur. hoc autem facere non poteſt ſine corpore: quare inter eas for-
mas connumeranda eſt,. quæ omnino per ſe non habent eſse completum;
ſicque cum proportionata materiæ eſse debeat, poterit multiplicari per ma- G
teriam: quod in formis penitus, & omnino abſtractis dici non poteſt. Ad vn-
decimam dicendum, quod ſi probabiliter teneamus reunitionem illam, ra-
tio non procedit, ut eſt manifeſtum. quod ſi illam non teneamus: mundum-
que putemus eſse æternum: non putauit ineonuenieus Algazel vir excellen-
tiſsimus, quod in rebus incorporeis, quæ ſunt indiuiſibiles, & tranſcendunt
tempus & locum, neque ordinatæ ſint eſsentialiter, ſit actu infinitum. quo
fit, ut uideamus Ariſtotelem in tertio Phyſicorum in tractatu de infinito, ſe-
cludere à perſcrutatione ſua entia abſtracta, & immaterialia: quod ſi quis
etiam interius conſideret, ac teneat mundum æternum, teneatque vt neceſse
eſt fateri aſserenti Deum eſse penitus immutabilem; æternitatem compre-
hendere, & continere totum tempus quantumcunque infinitum, neceſse eſt, H
ut hic fateatur, quod, licet ea, quæ à finito quodam tempore cõtineantur, ſint
actu finita, neque poſsint eſse actu infinita; in indiuiſibili tamen æternitate il
la neceſse eſt, velit nolit, ut fateatur actu contineri infinita, ſi actu ſimulque
totum tempus infinitum, & omnia, quæ ſunt in tempore in æternitatis illa
abyſso, ad quam intellectus noſter nequaquam attingit, continentur. quid er
go prohibebit animas, quæ ſunt ſupra tempus & locum, eſse infinitas? verum
hoc argumentum quærit illud, de quo humana ratione certi eſse non poſsu-
mus: ut ſæpe ſuperius diximus, quamobrem ſani hominis eſt cenſere, huic
naturalis luminis defectui ſupernaturali quodam adminiculo prouiſum eſ-
ſe à Deo: cui etiam, ſecundum philoſophos, eſt de omnibus prouidentia.

quare

A quare ſi quis teneat id, quod fides Chriſtiana ponit, nullum inconueniens ſequetur. Ad duodecimam dicendum, quod, ſi quis rectè conſideret, hæc animæ creatio nequaquam philoſophiæ repugnat. Nam priores philoſophi adeo putauerunt hanc propoſitionem (ex nihilo nihil fit) eſſe ueram, ut dicerent generationem nihil aliud eſſe, quàm extractionem quandam rerum latitantium, & actu exiſtentium; veriti, ne ſi conceſſiſſent res generatas prius actu non fuiſſe; cogerentur negare principium illud, ex nihilo nihil fit: paulò poſteriores melius conſiderantes uiderunt principium illud id tantum innuere, quod nihil fit ex nihilo: quia factio, quæ mutatio quædam eſt, non poteſt eſſe ſine ſubiecto; verum, cùm putaſſent ſubiectum eſſe ſubſtantiam quan

B dam in eſſe completam: putarunt, quod mutatio eſſet in accidentibus: & quod accidentia fierent, cum prius non latitarent; ſed cùm prius actu non eſſent. ecce quomodo receſſerunt à craſſo intellectu eorum, qui concedebant latitationem rerum; ne negarent ex nihilo nihil fieri. poſt hos Ariſtoteles diſſoluit ſubſtantiam completam in eſſe, in duo principia, materiam ſcilicet & formam, putaruntque formam ſubſtantialem eſſe, poſtquam prius actu non erat abſque latitatione illa; neque neceſſarium eſſe dixit ſubiectum factionis illius eſſe ſubſtantiam completam: ſed materiam primam. poſtmodum interius res conſiderantes; videnteſque omnia præter primum, eſſe per participationem ipſius eſſe; ſolum autem primum, eſſe per eſſentiam: concluſerunt omnia entia, ut totum entis genus materiamque primam, cæ

C teraque omnia eſſe à primo, tanquàm à cauſa efficiente, non quidem per generationem, ſed per ſimplicem emanationem. ecce quomodo paulatim deuenerunt ad hanc factionem, quæ eſt ſine aliquo ſubiecto. Verum cùm ab agente æterno apud ipſos non poſſit prouenire noua actio: niſi alia quædam nouitas præceſſerit, putarunt hanc ſimplicem emanationem totius entis à primo, eſſe æternam non nouam. Ecce ergo quod apud philoſophos non eſt inconueniens, quod aliquod ens emanet à Deo, non per generationem, ſed quod hoc fiat nulla nouitate præcedente, hoc putant ipſi inconueniens: modo nos in ipſa anima humana dicimus, quod eſt à Deo per creationem, uel per ſimplicem emanationem, (idem namque hæc ſunt) mutationibus præcedentibus, & hæ ſunt diſpoſitiones materiæ factæ à ſole & ab homine. quo

D fit, ut quoquo pacto concedere poſſemus, quod ad eſſe animæ concurrant ſol & homo, veluti inſtrumenta quædam valde remota tamen. Hocque modo animæ productio media eſt inter ueram puramque creationem, & generationem: licet enim fiat anima in ſe: fit tamen etiam ſimul in materia, quod pertinet ad generationem; ſine qua materia anima in ſuo primo ortu ſecundum naturam, ut diximus, eſſe non poteſt. quare quoquo pacto actio hominis & ſolis pertingit ad eſſe animæ: cum per alterationes factas à ſole & ab homine fit anima in materia illa: ſine qua ſecundum naturam fieri non poterat. Ecce ergo, quod hoc, quod ponitur de factione animæ, nullo pacto, ſi quis rectè conſideret; repugnat rationi naturali. ſed ſi quis teneret reunitionem illam, argumẽtum nullam haberet vim. Ad decimamtertiam dicendũ,

S quòd

quòd impoſſibile eſt aliqua ad inuicem comparari, niſi conueniant in eo, in E
quo comparantur: quare cum in primo de cœlo Ariſtoteles comparet ea,
quæ ſemper ſunt, ad ea quæ quandoque ſunt, & quandoque non ſunt, neceſ-
ſe eſt ergo, ut conueniant in menſura durationis, in qua comparantur. Cum
autem menſura durationis eorum, quæ quandoque ſunt, & quandoquē
non ſunt, ſi tempus, ut manifeſtum eſt; neceſſe eſt ergo, ut Philoſophus
accipiat ea, quæ ſemper ſunt, & ſunt in tempore; non quòd infinitum poſ-
ſit tempore menſurari: quia nec motus infinitus menſuratur tempore, ut
dicitur in quarto Phyſicorum: ſed quia extenditur ſecundum extenſio-
nem temporis duratio illa. Sed cùm eo modo debeant accipi termini in
concluſione, quo accipiuntur in propoſitionibus: ratio philoſophi hanc F
concluſionem concludet, quod ea, quæ quandoque ſunt, & quandoque
non ſunt, ſiue per generationem non eſſe præceſſerit eorum eſſe: ſiue per
corruptionem non eſſe ſequatur eſſe: non poſſunt ſemper eſſe, id eſt, eo-
rum duratio extendi non poteſt per tempus infinitum. Non autem ſequi-
tur, quod illud quod ſemper eſt, cuius duratio non menſuratur, neque ex-
tenditur tempore, ſed tota eſt ſimul, licet deficiat ab æternitate primi en-
tis: non potuerit, cum prius fuerit in tempore, incipere eſſe & deſinere eſ-
ſe in tempore: poſtea uerò eſſe extra tempus in æternitate. nos ergo de ani-
ma humana dicimus, quod ſi incepiſſet eſſe in tempore, cum prius non fuiſ-
ſet; poſtea uerò nunquam deſineret eſſe in tempore; ſed eius duratio ex-
tenderetur per tempus infinitum: hoc poſſet uideri inconueniens. Sed hoc G
nos non dicimus; immò concedimus, quod ſicuti incipit eſſe in tempore ita
deſinit eſſe in tempore. poſt uerò ſemper eſt æquiuoce: quia non ſubeſt tem-
pori; quod de motu, & ordinatione mundi per motum, Plato dicere non
poterat; quia motus eſt ſub tempore, & extenditur ad extenſionem tempo-
ris. Si uerò teneamus reunitionem illam, argumentum nullam vim habet.
Ad decimamquartam dicendum, quod eſt ſignum demonſtratiuum conclu-
dens, quod intellectus intelligit ſine phantaſmate: Nam ſi ex eo, quod intelle
ctio non eſt in organo corporeo, demonſtratur intellectum per ſe eſſe, & per
ſe ſubſiſtere: poſt ſeparationem à corpore erit; quare & operabitur ſuam
propriam actionem, quæ eſt intelligere; neque cum phantaſmate: quia cor-
pori vnitus non eſt. ecce quomodo ratio hoc conuincit. Sed dicet aliquis, H
hoc ſenſu non comprehenditur aut experimento; reſpondeo, quod ſtul-
tum eſt velle ea experiri ſenſu, quorum non eſt ſenſus; ſicuti ſtultum eſſet,
ſi quis vellet vocem oculis intueri. neque hoc eſt principium; ſed conclu-
ſio, ad quam neceſſe eſt peruenire ratione: quæ concluſiones non uidet in
ſeipſis, ſed in ſuis principiis, & per ſua principia: quemadmodum eſt in hac
re. hæc enim eſt concluſio ſcita per comprehenſionem naturæ intellectus;
naturam uerò intellectus comprehendimus per operationem, quam agit,
dum eſt in corpore. Eſt ergo philoſopho concedendum, quod intellectus
ſine phantaſmate intelligit. Ad decimamquintam dicimus, quod licet hu-
manus animus non ſit intellectus, niſi per participationem, eſt tamen ratio-

A naliſ per eſſentiam: ratio uero eſt operatio, ad quam forma materialis non pertingit, ut oſtendimus; licet ratio ſit intellectus obumbratus. Eſt enim, ut recte inquit excellentia tua, humanus animus medius inter formas materiales & immateriales puras. quare particeps eſt proprietatum vtriuſque generis, neque eſt ita abſtractus ſicuti intelligentia; quia in principio ad ſuam operationem indiget corpore; ſuaque operatio deficit à perfectione intellectus, neque eſt ita immortalis & æternus, ſicuti eſt intelligentia, quia quandoque eſt in corpore, & quandoque non eſt: ſimulque eſſe incipit cum corpore. Eſt tamen abſolutè connumerandus inter formas immateriales; ſicuti conſpicimus in his medijs, per quæ natura ab uno genere in aliud deſcendit ſenſim:
B ea namque omnia media uidemus ſimpliciter pertingere ad genus ſuperius; licet imperfectiſſimum obtineant gradum in eo genere, media illa de quibus dicit Ariſtoteles, quod dubitamus an ſint radices an metalla; abſolute ſunt in genere vegetabilium: licet operationes animæ vegetatiuæ in eis ſint ualdè obſcuræ, & imperfectæ: ſic zoophyta, quæ ſunt inter animalia & plantas, ut ſpongiæ atque vrticæ, abſolutè ſunt in genere animalium, non plantarum: quamuis operationes animæ ſenſitiuæ ſint in illis ualde obſcuræ. quare & intellectus humanus medius inter formas materiales & immateriales abſolutè ponendus eſt in genere immaterialium: licet operationes intellectuales ſint in eo valde obſcuræ & imperfectæ. Huiusque rei ratio in promptu eſt: quia inferius genus nullo pacto poteſt pertingere ad operationes generis
C ſuperioris. Sic ergo concludamus, quod intellectum humanum eſſe abſolute immortalem, multiplicatumque ſecundum hominum multiplicationem, ſciri poteſt rationibus naturalibus. Ea uerò, quæ ad immortalitatem intellectus conſequuntur, ſcilicet quid & quomodo poſt mortem operetur, an fuerit ante corpus necne, nequaquam ratio naturalis attingit; niſi quibuſdam perſuaſionibus probabilibus. quamobrem exiſtimo maximè eſſe ſani hominis; cum in his rebus, quarum cognitio præcipuè facit ad finem ſuum hominibus attingendum, ratio naturalis deficiat, credere quod Deus optimus, cuius intereſt omnibus prouidere, hoc antè eſt, omnia ad fines ſuos conuenientibus mediis dirigere, aliam quandam homini cognitionem dederit harum rerum ex ſupernaturali releuatione, ſuperque naturali lumine fidei; à quo, ut
D reor, nemo niſi aut non intelligens, aut valde arrogans, ob idque non parum perſpiciens, diſſentire poteſt. Nunc, poſtquam rem hanc explicuimus rationi naturali tâtum innixi, nullius uerò auctoritati, videamus quid'nam de hac re Ariſtotelem ſenſiſſe ex eius dictis colligere poſſimus. Cum uerò in omnibus ferè locis Ariſtotelis dicta de hac re non ſint parui facienda: omnium tamen maximè ea ſunt animaduertenda, quæ dicit in tertio de Anima, in eo loco; in quo inueſtigat definitionem & naturam intellectus. ibi ergo, cùm declaraſſet, quod intellectus eſt virtus ſuſceptiua ſpeciei, in quo cum ſenſu conuenit, tanquam in genere quodã, quia intelligere eſt ſicut ſentire: ſtatim inueſtigat propriã differentiã intellectus; per quã differt à ſenſu; dicitque, neceſſe eſt immixtum eſſe, ſicuti dicit Anaxagoras, ut imperet, hoc eſt, ut cognoſcat,

intus namque apparens alienum prohibebit & obſtruet. De nulla uero forma mortali ſiue materiali (idem namque ſunt) vt clamat Auerrois, hoc dici poteſt; quod ſcilicet ſit immixta, neque vlla forma materialis habet eam comparationem ad materialia & corporea, quam habet intellectus apud Anaxagoram. Ex quibus cum poſtmodum concluſiſset, quod nullam habet naturam: niſi quod poſsibilis vocatus eſt, & cætera, ſubdit, quocirca neque cum corpore mixtum eſse rationi conſentaneum eſt; Nam formæ ſenſibiles pertinerent ad illum; & ſic non eſset tantum poſsibilis: neque habet aliquod iuſtrumentum: ſed eſt locus ſpecierum. Paulò inferius deinde inquit, qnod ſenſus ex vehementer ſenſibili fit imbecillior: intellectus uerò ex ualde intelligibili aliquo fit ualidior ad intelligenda minora, inferioraque. cuius rationem ſubdens inquit. ſenſitiuum enim non ſine corpore; at intellectus ab eodem ſeparabilis eſt. quis per Deum non excandeſceret? qnemadmodum Auerrois Alexandro: qui poſitionem ſuam adaptare Ariſtotelis dictis uolebat? inferius deinde declarans quomodo intellectus ſeipſum intelligat: intelligendo alia, inquit, In his enim quæ ſunt ſine materia intelligens, & id quod intelligitur, eſt idem. ac ſi dicat, cum intellectus ſit ſine materia; ſit res intellecta: quamobrem intelligendo rem illam, ſeipſum intelligit. Et hoc reuera ita ſe habet; nam nullus recte iudicium facere poteſt de intellectu: niſi qui multa intellexerit; valdeque peritus ſit; & in diuinis exercitatus; ac puræ mentis fuerit. hic certe conſpicit diuinitatem intellectus in rebus illis, quas contemplatur. qui uerò impura mente eſt, ac circa corporea tantum intendens; iudicat intellectum eſſe eiuſdem naturæ cum rebus, in quibus ſemper verſatur: ac quibus vehementer eſt affectus. Ex quo fit, ut tam diuerſæ ſint ſententiæ de animi natura: eam namque vnuſquiſque talem iudicat, qualem cernit: cernit autem eam in rebus, quas contemplatur; quare ex diuerſitate rerum diuerſum etiam de animi natura iudicium fit. Sed de his ſatis. reuertamur ad Ariſtotelem in ſecundo de Anima, in textu vigeſimo primo ita inquit. de intellectu alia ratio eſt: ſed uidetur hoc genus animæ eſſe diuerſum: idque ſolum perinde atque perpetuum ex eo, quod accidit, ſeiungi, ſepararique poteſt. Et ne quis diceret Ariſtotelem locutum de intellectu intelligentiarum: ſubdit. cæteras autem partes ſeparabiles quidem non eſſe, ut quidam dixerunt, ex his patet; ratione uerò differre non obſcurum uidetur; namque ſenſitiui ratio diuerſa eſt à ratione principij opinandi, ſiquidem ſentire, & opinari ſunt diuerſa. ecce quàm clare dicat quod intellectus, quem dixit ſeparari à corpore, & eſſe perpetuum, ſit principium opinandi; differatque ratione à partibus ſenſitiuis, quæ non ſunt ſeparabiles. Sed quid moror in re tam clara? innumeros certe adducere poſſem Ariſtotelis locos hoc explicantes: ab quibus abſtinere volo. Nunc reſpondeamus ad duos tres've locos, quos adducit excellentia tua. primus locus eſt in tertio de Anima, ubi dicit, quod intellectus agens ſolum eſt immortalis uerè ac ſeparatus; & quod non recordamur poſt mortem, quia intellectus paſsibilis corruptibilis eſt: & ſine hoc nihil intelligit

A ligit anima. Alius locus eſt ex primo de Anima, quod ſi intelligere phantaſia fuerit, aut non ſine phantaſia, non contingit ipſum ſeparari. Tertius verò locus eſt in tertio de Anima in trigeſimo tertio textu, ubi inquit. vtrum autem ipſum non ſeparatum à magnitudine intelligat aliquid abſtractorum, inferius eſt perſcrutandum. ex quo uidetur colligi, quod intellectus non ſeparetur à magnitudine. Ad primum dicendum, quod ea verba adeò ſunt obſcura, ut uariis modis commode exponi poſſint: nulla tamen expoſitio ſit adeò clara, ut aliis repudiatis, poſſimus dicere Ariſtotelem id tantum ſenſiſſe. quomodocunque tamen exponatur; non colligitur ex eo loco animam eſſe mortalem: immò potius oppoſitum. Nam ea verba, hoc ſolum
B eſt immortale & perpetuum, poſſunt referri ad intellectum agentem, uel ad poſſibilem. Si referantur ad poſſibilem, ſunt pro nobis, ut clarum eſt. Si uerò referantur ad agentem intellectum; & intellectus agens ſit pars animæ humanæ, ut clariſſimi ex Peripateticis dixerunt, faciunt etiam nobiſcum. Si uerò referantur ad intellectum agentem: dicamuſque intellectum agentem eſſe uel Deum, uel aliquam ex intelligentiis; rectè intellecta verba illa non faciunt contra nos. inquit enim, ſeparatus uerò, id eſt ſolum quod eſt. ac ſi dicat, cum intellectus poſſibilis quandoque intelligat, & quandoque non: & intellectus efficiatur res intellecta, non eſt ſolum id quod eſt: immò uarias formas ſuſcipit. hic uerò intellectus agens ſeparatus, quia eſt intellectus in actu, & non in potentia; eſt id ſolum quod eſt: quare ſubdit, atque
C id ſolum eſt immateriale, ac perpetuum: quia mutatio ſecundum uarias formas eſt quædam veluti corruptio intellectus ſpeculatiui, ſeu intellectus in actu. iccirco uere ac proprie intellectus agens eſt immortalis & perpetuus; quia ſemper eodem modo eſt intellectus in actu, neque de potentia ad actum uenit, aut ab actu in potentiam; quod contigit poſſibili intellectui; quo fit, ut incipiat eſſe cum corpore. ex quibus manifeſte colligitur, quantum deficiat à uera immortalitate intellectus agentis. Sic ergo, ut diximus, hoc ſolum, id eſt, intellectus agens eſt uere immortale & perpetuum: nō autem ex hoc vult intellectum poſſibilem corrumpi per corruptionem hominis. quod manifeſte & aperte verba, quæ ſequuntur, oſtendunt. dubitat namque cur eſt, quod poſt mortem nullus recordatur amicorum aut filiorū, uel inimicorum. Hæc
D certè quæſtio, ſi concluſum eſſet ſuperius, quod intellectus poſſibilis eſt mortalis; nullo pacto fuiſſet inducta ab Ariſtotele. manifeſtum namque eſſet ex ſe: cur hoc contingeret. ſed quæſtio contingit: quia oppoſitum dictum eſt ſtatim ab exordio tertij vſque ad eum locum. ſed quid moror amplius? ex ſolutione quæſtionis patet hæc res. inquit enim, iccirco non recordamur poſt mortem amicorum, & cætera, quia intellectus paſſiuus corruptibilis eſt: & ſine hoc anima nihil intelligit. quantum autem differant non tantum in ſignificato, ſed etiā in appellatione intellectus poſſibilis ab intellectu paſſiuo; manifeſtum ac notum eſt cuiuis, vel mediocriter in Græcis literis erudito. Non ergo recordamur non ob eam cauſam: quod intellectus poſſibilis eſt corruptibilis; ſed quia corruptibilis eſt intellectus paſſiuus, id eſt, vis interior ſen-

+ ſitiua, in qua ſunt animæ perturbationes. Et per conuerſionem, ad quam E
intellectus per formam intelligibilem intelligit ſingulare. Sine hoc ergo
paſſiuo intellectu neque reſtat amor, aut odium: neque etiam ſingularium
cognitio. Et hoc conſonat illi, quod dicitur in primo Ethicorum, quod in-
ferius tangemus. Ecce quomodo ex hac auctoritate expreſſe colligitur, quod
intellectus poſſibilis remaneat poſt mortem: licet deficiat ab immortalitate
intellectus agentis. nam & ego conſentio excellentiæ tuæ in hoc: quod dicis
intellectum agentem, de quo hoc in loco meminit Ariſtoteles, non eſſe ani-
mæ partem, ſed ſuperiorem quendam intellectum. Ad ſecundam poſſemus
dicere, quod ibi, cum non ſit locus, in quo tractetur ex propoſito ab Ariſto-
tele de intellectu; non eſt facienda magna vis. Hæc enim eſt conſuetudo Ari- F
ſtotelis, ut non loquatur exacte de naturis rerum, niſi in propriis locis. verum
hæc à nobis abſolutio abſit. Dicendum ergo, quod operationes ſeu paſſiones
animæ poſſunt ipſi ſoli attribui duobus modis, uel ſecundum eſſe, quod ſigni
ficat eſſentiam, uel ſecundum eſſe quod ſignificat exiſtentiam, verbi gratia,
ſicuti dicimus formam eſſe actum ut actuare materiam, & dicimus formam
uel generari, uel corrumpi, uel mouere, aut aliquid agere. priora prædicata,
quæ attribuuntur formæ, coniunguntur formæ per eſſe, quod ſignificat eſ-
ſentiam; & iccirco attribuuntur formæ; non autem compoſito; nam forma
eſt actus, non autem compoſitum eſt actus; & forma actuat, non autem com-
poſitum actuat. non tamen propterea conuincunt formam eſſe ſeparatam;
quia licet forma ſola ſit actus & actuet, non tamen actuat; aut eſt actus, niſi G
exiſtendo in compoſito, non autem exiſtendo per ſe: ſi autem attribuamus
poſteriora prædicata formæ per ſe, quod ſcilicet ipſa ſit id, quod mouet, aut
corrumpitur; cum hæ actiones præſupponant exiſtere illius, quod agit, aut
patitur: ſtatim ſequitur, quod forma per ſe ſit actu; & ſeparabilis à compoſi-
to. modo eo in loco, ut palam eſſe poteſt recte intuenti; Ariſtoteles loquitur
de paſſionibus ſeu operationibus, prout attribuuntur animæ, ſecundum eſſe
quod ſignificat eſſentiam; non autem ſecundum eſſe quod ſignificat exiſten-
tiam. Deinde adiungit id, quod pertinet ad exiſtentiam, quod clariſſimum
eſt contextum ipſius conſideranti. inquit enim. non ſolùm oportet conſide-
rare quid eſt anima, ſed etiam accidentia & paſſiones animæ: quæ reuera in
concluſione ſcientifica ſecundum eſſentiam attribuuntur ſubiecto; ſed ex H
paſſionibus & operationibus animæ quædam animæ ſoli attribui non poſ-
ſunt; ut iraſci, lætari, & cætera: ſed ſunt corpori animæque communes: quæ-
dam uerò uidentur attribui ſoli animæ, ut intelligere: modo inquit ipſe; ſi
hoc intelligere, quod attribuimus ſoli animæ, ſit phantaſia, aut non ſine phan
taſia, id eſt, quod licet attribuatur tantum intellectui, non tamen ipſi attri-
buatur, niſi ut eſt phantaſiæ coniunctus; non poteſt ſeparari: ac ſi diceremus
in forma eſſe actum & materiam actuare, licet attribuatur ſoli formæ, & non
compoſito: Si autem alicui formæ non attribuitur ſine compoſito, id eſt
niſi inquantum coniuncta eſt compoſito; quamuis ſoli formæ attribuatur,
non contingit talem formam ſeparari. Non ergo uoluit philoſophus, quod

ſi in-

A ſi intelligere non ſit ſine phantaſia, non contingat intellectum ſeparari, id eſt, quod ſi non ſit ſine phantaſmate, tanquam mouente intellectus non poſſit ſeparari. Hoc enim, ut oſtendimus ſuperius, ſeparationem intellectus non prohibet. Sed ſi intelligere, quod attribuitur ſoli intellectui, non attribuitur ipſi ſine phantaſia, id eſt in quantum eſt coniunctus phantaſiæ attribuitur, (ſic enim intellectus eſſet virtus materialis) non poterit intellectus ſeparari. quod autem ita intellexerit, ex ſequentibus patere poterit; ſtatim namque ſubdit. Namque ſi aliqua animæ operationum propria eſt, contingit ipſam ſeparari. Hic quæro ego an id verbum, ſit, dicat eſſentiam uel exiſtentiam: ſi dicat exiſtentiam, ita quod iſte ſit ſenſus. ſi aliqua operatio propria ſit ani-B mæ, ita quod anima per ſe abſque corpore eam operetur, dico quod falſo dixiſſet, quod contingit eam ſeparari: immò neceſſe eſt eam ſeparari: quod ſi id verbum, ſit, dicat, eſſentiam: tunc reuera dici poteſt, quod posſibile eſt eam ſeparari, non autem neceſſe eſt. quia ſecundum exiſtentiam anima cuius eſt propria operatio, ſi erit per ſe, erit ſeparata; ſi coniuncta & dependens à corpore non poterit ſeparari: ſi uerò nulla operatio tantùm animæ attribui poteſt, impoſſibile eſt ipſam ſeparari: quod ſi anima non ſit ſeparata, eæ pasſiones, quæ tantum ipſi uidentur competere, erunt ſicuti in recto: cui inquantum rectum & per ſe; quod eſt ſecundum eſſentiam: competunt multa, verbi gratia, tangere ſphæram in puncto; ſecundum tamen exiſtentiam nunquam tanget ſeparatum à materia ſenſibili. Si ergo in propoſito intelligere C ſecundum eſſentiam attribuatur tantum intellectui, non tamen ſecundum exiſtentiam exiſtenti ſine phantaſia; vtique ſeparari non poterit intellectus. Ecce quàm clare hoc exemplum, quod adducit Ariſtoteles de recto, nobis indicat, quo nam pacto locutus fuerit ſuperius de intelligere, quod ſcilicet non ſit ſine phantaſia. in tertio uerò declarat, ut oſtendimus, quod intelligere attribuitur intellectui exiſtenti ſine phantaſia, id eſt, per ſe exiſtenti, & immixto materiæ nulloque venti organo; quare erit ſeparatus. poſſumus etiam dicere, quod Philoſophus dixit, intelligere non eſſe ſine phantaſia; ſi non tranſcenderet genus imaginabilium phantaſia: ſic enim non eſſet ſeparatus. Poſſumus etiam dilucidius eam obiectionem ſoluere, nullus eſt, qui ignoret Ariſtotelem gloriæ Platonis æmulum, ingenij vires in eam rem ſemper D intendiſſe, ut ea, quæ Plato dixerat, refelleret, præſertim ſi qua in re non rectè ſenſiſſe Platonem animaduertiſſet. Plato de anima non ſenſit eam eſſe formam & actum corporis, ſed à corpore ſeparatam, non inquam immaterialem & tantum & immortalem, ac propterea ſeparatam: verum etiam ſeparatam, id eſt corpori non inhærentem, neque dantem eſſe, ſed ſe habentem ad corpus ea ratione, qua nauta ad nauem ſe habet. Hoc ergo Platonis placitum ſeu dogma hoc in loco Ariſtoteles vult reprehendere; inquitque, cum vnumquodque operetur eo modo, quo eſt: Si anima eſſet à corpore ſeparata, non ut immaterialem formam dicimus ſeparabilem, ſed ut tu Plato aſſeris animam ſeparatam, id eſt minime corpori inhærentem, vtique aliquam comprehenderemus animæ operationem, in qua corpus partem nullam haberet.

beret. Verùm ſi ſingula opera animæ ſcrutatus fueris, nullam eiuſmodi inueneris: quin intelligere, quod maximè alienum à corpore uidetur, non eſt ſine phantaſia, ut experimur in nobis ipſis; non ergo erit anima ſeparata eo modo, quo Plato ſenſit, ut ſcilicet ſe habeat ad corpus, ut nauta ad nauem. Nam fieri nequit omnino, ut operatio alicuius potentiæ ei immanens adiuuet operationem alterius potentiæ etiam immanentem in ea: niſi vtraque operatio pertineat ad eandem formam, & in ea ſit veluti in radice quadam. Cum ergo phantaſia ſit operatio potentiæ, quæ eſt actus corporis, ut perſpicuum eſt: vtique non poſſet opem ferre, ut ita dicam, neque adiuuare intellectionem, quæ eſt in intellectu: Niſi etiam intellectus eſſet à forma, quæ eſt actus corporis. Manifeſtum ergo eſt intellectum non poſſe eſſe ſeparatum à corpore, ut Plato poſuit, id eſt, ut ſit extrinſecus, non autem ſit actus corporis, ſed ita ſe habens ad corpus, ut nauta ad nauem, per æquiuocationem, ergo peccant hi, qui eo loco Ariſtotelis nituntur. Nam ibi non accipit formam & actum ſeparatum à materia, id eſt immaterialem, & per ſe exiſtentem: ſed accipit ſeparatum actum à corpore, pro eo actu, qui non ſit actus corporis animati: ſed ſe habeat ad corpus, ut nauta ad nauem. Et hæc proculdubio ſententia eſt Ariſtotelis in hoc loco. Ad tertiam dicendum, quod ex eo loco Tertij de anima potius conuincitur intellectum eſſe ſeparabilem à corpore, quàm quod ſit inſeparabilis. Nam ſi eſſet inſeparabilis; Ariſtoteles abſolutè quæſtionem illam propoſuiſſet, dixiſſetq̃ue: an uerò intellectus intelligat aliquid abſtractorum conſiderandum eſt, nullo addito: Nunc uerò cum dicat: vtrum autem contingat intellectum non ſeparatum à magnitudine intelligere aliquid abſtractorum: innuit duos modos eſſendi intellectus, in quorum altero non contingat quæſtio; in altero uerò contingat. Nã quando intellectus ſeparatus eſt à magnitudine; non eſt dubium, an intelligat abſtracta; immò manifeſtum eſſe poteſt, quod intelligat. Sed dubitatio eſt, an intellectus, dum eſt coniunctus corpori, proueniat ad tantam perfectionem, ut aliquod abſtractum intelligat. Hanc enim quæſtionem proponunt etiam noſtri Theologi: apud quos non eſt dubium de ſeparatione animæ. Ex hoc ergo non colligitur Ariſtotelem uoluiſſe intellectum non eſſe ſeparabilem, immò potius colligitur Ariſtotelem oppoſitum ſenſiſſe. Hanc uerò quæſtionẽ puto ego ab Ariſtotele fuiſſe ſolutam in duodecimo Metaphyſicæ in textu trigeſimo nono & quadrageſimo. vbi inquit, diſpoſitio qualis optima nobis quidem paruo tempore, & cætera. Hîc enim exiſtimo Ariſtotelem illud innuiſſe, quod dicit Algazel in ſua Metaphyſica: quod aliquando ſapientum, bonorumq̃ue virorum intellectus adeò eleuatur; ut pertingat ad fulgorem diuinorum quendam capiendum: eiq̃ue diuina appareant, ſed tanquam fulgur quod citò pertranſeat. ſic quoque nos citò decidimus ab intellectione illorum. Nam, ut inquit Auguſtinus in Octauo de Trinitate, ſtatim nobis ſe obijciunt imagines & nubila phantaſmatum, ſicq̃ue ab optima illa diſpoſitione decidimus. in Nono uerò Metaphyſicæ fortaſſe eam quæſtionem ſoluit, ubi inquit, quod ignorantia illa, quæ opponitur ueritati ſimplici, quæ eſt in intelle-

A in intellectione abſtractorum, non eſt in nobis ut cœlitus, & cætera. Locus uerò ille in duodecimo Metaphyſicæ in textu decimo ſeptimo eſt adeò perſpicuus; vt ei, qui textum extorquere non vult, nihil poſſit eſſe clarius: nam ibi loquitur de mente, quæ eſt anima: & de anima, quæ eſt forma ſimul incipiens eſſe cum facto, id eſt compoſito. talem autem mentem inquit ipſe nihil prohibet ſeparari. Ecce quod apud Ariſtotelem nil obſtat, quod ſit actus corporis: quin poſſit ſeparari, neque etiam quia ſimul incipit eſſe cum corpore, propterea ſeparari non poterit. in Primo uerò Ethicorum, ubi dubitat, an fœlicitates ac infortunia amicorum pertineant ad defunctos; quid clarius dicere potuiſſet? inquit enim concludendo. Videntur autem tam B proſperitates, quàm aduerſitates amicorum aliquid defunctis afferre; tale autem ac tantum, ut neque fœlices infœlices; nec quicquam aliud huiuſmodi faciat. Sed aliquis dicet, paulò ſuperius ſub dubitatione locutus eſt. inquit enim, Si aliquis ex his ad illos perueniat; exile autem eſſe bonum aut contrarium. Reſpondeo, quod ſi quis rectè animaduertat, dictum illud ſub dubitatione poſitum eſt propter illud, quod dixit in primo de anima; quod nullus poſt mortem reminiſcitur amicorum; quia amor odiumque, ac ſingularium cognitio eſt in intellectu per conuerſionem ad intellectum poſſibilem; qui intellectus paſſiuus corruptibilis eſt: & poſt mortem non eſt. Et iccirco dixit, ſi peruenit ad illos non, quia non ſint: ſed quia non ſint ſenſui coniuncti: per quem habuit intellectus cognitionem horum ſingularium. C quamobrem vſus eſt hoc modo loquendi: ut diceret, Si peruenit ad illos: tanquam qui diſiuncti ſint à rebus iſtis ſenſibilibus. in ſecundo uerò Phyſicorum in textu vigeſimo ſexto, poſtquam dixit, quod conſideratio naturalis ſtat ad formas, quæ ſpecie ſunt ſeparatæ; ſed exiſtunt in materia, quia ſol & homo generant hominem, id eſt, ad animas intellectiuas hominum, ut etiam exponit excellentia tua; ſubdit, quomodo ſe habeat hæc ſeparabilis, & quid ſit, primæ philoſophiæ eſt opus determinare. Et hoc conſonat ei, quod dicit in primo de partibus animalium, capite primo, quod agere de intellectu ſecundum omnem modum non eſt naturalis: interque alias rationes hanc adiungit, quia intellectus non eſt natura, quæ ſit principium motus, principium enim vegetandi eſt anima vegetatiua; principium alteratio-D nis, quæ eſt ſecundum ſenſum, eſt anima ſenſitiua. Principium delationis eſt aliud ab intellectu, nam delatio eſt in cæteris animalibus; intellectus uerò non eſt; cum dicit intellectum non eſſe in cæteris animalibus, in quibus eſt delatio; ſecludit certè hominem, in quo vult eſſe intellectum; qui non eſt cõſiderationis naturalis ſecundum omnem eius operationem: de quo etiam dicit ſtatim poſtea, quod eſt abſtractus; naturalis autem non conſiderat de formis abſtractis. quomodo autem intellectus ſit conſiderationis Phyſicæ, alterius eſt negotij perſcrutari. In ſecundo uerò de generatione animalium in capite tertio, ubi dubitant, an omnes animæ ueniant in conceptum, qui eſt in potentia ad illas, cum ante fuerint; an nullæ ueniant, cum ante fuerint. an aliquæ aut fuerint, & aliquæ non. Reſpondet his verbis. Cæterum omnes

ante eſſe impoſſibile his rationibus eſſe oſtenditur. quorum enim principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore in eſſe non poſſe certum eſt, verbi gratia ambulare ſine pedibus: itaque ea extrinſecus venire impoſſibile eſt. nec enim ipſa per ſe accedere poſſunt, cum inſeparabilia ſint: neque cum corpore: ſemen enim excrementum alimenti mutati eſt. Reſtat igitur, ut mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina eſt; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. quid clarius dici potuiſſet, quàm hæc mẽtis immaterialitas? Sed dicet aliquis, hic uidetur Ariſtoteles dicere, quod mens præcedit in eſſe corpus compoſitum; & quod uenit in corpus cum ante fuerit. in duodecimò uerò Metaphyſicæ in textu decimo ſeptimo; & eſt locus, quem ſuperius adduximus; videtur dicere, quod ſimul incipiat eſſe cum corpore, ſed remaneat poſt corpus. Ad hoc reſpondeo; quod de illo, ad quod ratio naturalis ex operatione intellectus pertingit, ſcilicet quod intellectus ſit immaterialis, & ex conſequenti immortalis ſimpliciter, Ariſtoteles non dubitauit. de his uerò, ad quæ ratio naturalis non pertingit per certitudinem, Ariſtoteles ambiguus fuit: & icirco uno in loco uidetur dicere, quod anima ſimul cum corpore incipiat eſſe, in alio uerò quod extrinſecus ueniat; in omnibus tamen ſibi ipſi conſentit; quod ſit immixta materiæ, & quod actio ſuà ſit incorporalis; & quod per ſe ſit, neque in ſuo eſſe indigeat corpore. qua de cauſa neque de fœlicitate poſt mortem locutus eſt. quia ad eam non pertingit ratio naturalis, niſi per coniecturas. in Primo uerò Ethicorum loquitur de fœlicitate hominis compoſiti: & præcipuè de fœlicitate politica, ut patet diligenter conſideranti ea, quæ dicit. Hac etiam de cauſa in duodecimo Metaphyſicæ, ubi loquitur non de animabus hominum, ſed de intelligentiis, dixit, tot eſſe, quot ſunt motus cœleſtes, ad plures uerò ratio naturalis non pertingit per certitudinem. Nec tamen propterea aſſeuerandum eſt non eſſe plures: quia hanc negatiuam non demonſtrat ratio naturalis: quamobrem in eo loco dicit, rationabile eſt tot eſſe: neceſſarium uerò fortioribus relinquatur. Quamuis autem præter hos alii etiam loci adduci poſſent ex Ariſtotele, hos tamen puto ſatis eſſe: ex quibus meo iudicio colligitur Ariſtotelem de immortalitate animæ dubium non fuiſſe. Verùm de eius operatione poſt mortem: an antecedat corpus nec ne: cum ratio naturalis ad hæc per certitudinem non pertingat; puto eũm fuiſſe ambiguum, propterea que parum aut nihil de rebus illis locutum fuiſſe: non enim fuit Ariſtoteles tam inſipiens; quemadmodum multi ex his, qui nunc philoſophantur; ut putaret, quicquid neſciret ipſe, non eſſe, ita ut metiretur eſse rerum ſua cognitione ac ſcientia. immò nec naturali hominis cognitione metiendum, eſse rerum dicit ipſe in locis plurimis: nullus ergo miretur, ſi de ſtatu animarum poſt mortem locutus non eſt: quamuis putarit animas poſt mortem remanere: quod ſi putaſset, eas poſt mortem non remanere, nulli dubium, cùm omnes fere oppoſitum crederent temporibus Ariſtotelis, quod in eum retorqueri poſset ratio; quam adducit ipſe in ſecundo Phyſicorum contra antiquos, qui de caſu & fortuna mentionem non fecerunt, inquit enim.

A enim. Si non putarunt caſum & fortunam aliquid eſſe; hoc eis declarandum fuit. cùm omnes contrariam habeant exiſtimationem, putentque caſum & fortunam aliquid eſſe. Sic nos quoque diceremus in Ariſtotelem, ſi non putat animam poſt mortem remanere; cum omnes exiſtiment eam eſſem immortalem; aperiendus fuit hic error viro philoſopho. præſertim cum Plato, quem in omnibus reprehendere conatur; tam clara voce tot & tanta de animabus dicat, cur non aliquo in loco figmenta Platonis ab Ariſtotele non reprehenduntur: Mirum reuera hoc eſſet; ſi putaſſet Ariſtoteles il'a fuiſſe penitus figmenta. At dicet aliquis veritus eſt leges. Reſpondemus: quod Epicurei ac Cyrenaici non verebantur leges; dicebantque ſine periculo animam
B eſſe mortalem: at in alijs Ariſtoteles veritus eſtne leges? in ſecundo Metaphyſicæ, vbi inquit, quantum ualeat conſuetudo, leges oſtendunt; in quibus fabularia & puerilia magis creduntur, quàm per ſe manifeſta. in duodecimo, ubi deridet facientes Deos humana forma; veritus ne eſt leges? minime. Non ergo etiam in hac re veritus fuiſſet leges. Multa adhuc indiſcuſſa ſuperſunt ab excellentia tua dicta. an ſcilicet homo naturaliter appetat immortalitatem: an poſita anima mortali aliquis debeat mortem eligere: an miracula posſint fieri à corporibus cœleſtibus: an impoſsibile ſit homines ad proprium finem dirigere abſque mendacio. Verùm ſatis, ſuperque cenſeo abuſum me fuiſſe humanitate tua: cùm tam longis nugis te detinuerim ac fatigarim: in quibus noui ego multa eſſe, quæ caſtigatione indige-
C ant: quo factum eſt, ut tibi tanquam medico cuidam animorum excellentisſimo noſtrique amantisſimo, quicquid carcinomatis aut vlceris intus geram; palam fateri non erubuerim. quo enim pacto medelam quærat, qui medico vlcus tegit? Tu uerò pro ea, qua me ſemper beneuolentia proſecutus es, benigno animo & ſereno vultu, quicquid id totum eſt accipe: bona tanquam tua cognoſcas: mala uerò tanquam mea caſtiges, ac corrigas. Vale præceptor ac pater honorandisſime.

LIBER SECVNDVS.

LEGI excellentiſsime præceptor magna animi attentione diuinam apologiam tuam, in qua mortalitatem humani intellectus rationibus aſtruere, ſimulque ea refellere conaris, quæ immortalem eſſe animam uidentur aſſerere. Viſum ſanè mihi eſt opus adeò præclarum & inſigne; vt cum in cæteris operibus tuis, quæ edita ſunt, recentiores omnes ſcriptores longe ſuperes; in hoc te ipſum planè ſuperaſſe uidearis. Nam tam magna rationum copia, aculeisque tam acutis vndequaque aduerſarios vrges, ac opprimis: ut nec reſpirandi quidem facultas præſto illis eſſe queat. ingenuè fatebor ego, cui perſuaſiſsimum eſt immortalem eſſe animam, inter legendum ſæpenumero adeò me rationibus obrutum ſentiebam; ut certiſsima res in dubium mihi reuocari uideretur. plurimis uerò in locis mirabar in noſtro tractatu ea fuiſſe, quæ rationibus validiſsimis refelli uidebam. Verùm cum mentem, animumque à lectione reuocaſſem, cœpiſſemque mecum putare hinc inde rationes, dicam ingenuè, (non enim noſtrum eſt opinari, ac aſſentiri cui voluerimus) multa inueniebam, in quibus nondum mihi ipſe ſatisfacere poteram; quod ex tarditate ingenij mei mihi contingere facilè poſſe exiſtimo. quo effectum eſt, ut diutius mecum ipſe ambigerem, an ſcriptis mandanda, tibique mittenda à nobis eſſent quæcunque dubitamus; an potius ſilentio tranſeunda, ne toties abuterer humanitate tua, ineptisque diſputationibus noſtris obtunderem purgatiſsimas aures tuas; cæterùm me animi dubium ad ſcribendum plurima compulêre; in quibus non minima, nec poſtrema ratio fuit, quod in fine primi libri luculentiſsimæ apologiæ humaniſsimis uerbis me ad ſcribendum inuitas; Si quid adhuc ſuperfuerit, quod dubitem; deinde quoniam cùm non ambitionis, ſed indagandæ veritatis gratia huius mihi quæſtionis diſputatio ſit inſtituta, cuilibet licere ſine arrogantiæ nota cenſendum eſt, quid ſentiat, profiteri; quemadmodum in Senatoribus ciuibus, qui de republica conſulunt, nam vtrobique de communi agitur bono, pariterque licere cuique, nulla perſonarum habita ratione, veritatem à quocunque in lucem edita fuerit, amplecti ac venerari. Vnicus namque eius in lucem prodendæ auctor Deus, qui hominibus interdum inſipientibus veluti quibuſdam inſtrumentis vtitur in oſtendenda veritate. quamobrem nullus ex hac re gloriam ſibi deberi exiſtimet, ſed optimo maximo

ximo

A ximo Deo tantùm gratias agat, quas poteſt; ueritatemq́ue à quouis editam,
tanquam à Deo prodierit, veneretur, ac amplectatur. poſtremo ſi in quauis
rectè inſtituta Republica lege ſancitum eſt, ne reus quiſpiam habeatur, niſi
prius ſuam ipſe,alius've eius cauſam egerit; quod ſi quandoque contingat ob
inopiam, reum oratorem ad ſuam cauſam tuendam conducere non poſſe,
tunc publico ſalario oratores ad huiuſmodi munus à Republica conducti,
inopum reorum coram iudicibus, uel in nefandisſimis ſceleribus cauſas
tuentur: certè grauisſimorum virorum ſententiam hanc de animæ mortali-
tate, abſque defenſore ream agi nullo pacto à à viris philoſophis permitten-
dum eſt. Quamobrem præceptor ac pater nunquam ſine honoris præfatio-
B ne appellande, quicquid id erit quod leges, æqui boniq́ue conſules, inſci-
tiamq́ue meam caſtiges ac corrigas; nulloq́ue pacto in animum inducas
tuum, me ambitione motum ad hæc ſcribenda. Nam, ut ſileam de impie-
tate, inſanus proculdubio, furijsq́ue agitatus haberi poſſem, ſi certandi ani-
mo hæc à me prouincia ſuſcepta eſſet: quid enim, ut Lucretius inquit, facere
tremulis artubus ludi conſimili incurſu poſſunt & fortis equi vis. Verum,
ne te multis detineam, ad rem deueniam: & quia infinita ferè adducta ſunt
ab excellentia tua,multaq́ue ſæpius repetita;quæ omnia ſi diſcutienda eſſent,
& longisſimum volumen expoſcerent, & ociosisſimum hominem, nec mo-
dicum tempus:quæ cum ego præſtare nec velim,nec per occupationes fami
liares posſim:iccirco ea tantum breui oratione perſtringam,quæ maximè ad
C rem facere uidebuntur, omisſis interim cæteris, quæ fere omnia in libello
noſtro de animi immortalitate continentur, uerum ſtrictim adeò, ut niſi à
ſolerti lectore colligi nequeant; de quo libello id uere dicam, nequaquam à
nobis conſcriptum eo animo fuiſſe, ut in lucem prodiret, ſed ea tantum ra-
tione,ut abs te legeretur & caſtigaretur. qua de re maxima in eo componen-
do negligentia vſus ſum, paucisq́ue diebus, uel paucis potius horis condi-
tum, ita ut erat primo calamo ſcriptus, tranſcribendum tradidi; nec reco-
gnitum ad te miſi, quo effectum eſt, ut multis in locis multa deſint à ſcri-
ptore omiſſa; nonnullaq́ue perperam poſita. Verùm nunquam mihi per-
ſuaſerim tam negligentem fuiſſe qui ſcripſerit, tamq́ue ignarum: ut is quem
impreſſum uideo, tibi legendum miſſus ſit, in quo plures certè errores con-
D ſpicio,quàm uerba,ut omittam quæ deſunt,nam aliquibus in locis tres, qua-
tuor've lineæ deſiderantur. Sed de hoc ſatis. Ad rem accedam,ne te amplius
morer: eoq́ue vtar ordine, qui accommodatior mihi uidetur. Non inci-
piam ab argumentis tuis, cùm argumenta ac ſolutiones pendeant ex ratio-
nibus noſtris ad aſtruendam animæ immortalitatem.ideo à ſuppoſitis ac ra-
tionibus noſtris ordiar, deinde, an argumenta excellentiæ tuæ procedant,
pauca dicam, poſtmodum nonnulla de philoſophi dictis, poſtremo de ter-
tia illa concluſione, quam excellentia tua erroneam & ridiculoſam appel-
lat: vtrarq́ue quàm maxima breuitate. Primum ſuppoſitum, quod di-
cit excellentia tua nos feciſſe, eſt, quod omnis forma materialis eſt ex-
tenſa ad extenſionem ſubiecti. Hoc uerò dicis eſſe falſisſimum, immò

formæ materiales quædam ſunt indiuiſibiles, ſicuti vox eſt inuiſibilis: quod E probat multorum præclariſſimorum virorum auctoritatibus, deinde rationibus. Nam vegetatiua & ſenſitiua in homine cum idemptificentur, ſecundum poſitionem noſtram intellectiuæ ſunt indiuiſibiles, & tamen ſunt formæ materiales, ut manifeſtum eſt. poſtea ſicuti forma immaterialis, dat eſſe extenſum, cur è contra forma materialis non poterit eſſe inextenſa? deinde ſubdis gradus quoſdam formarum materialium, dicisque quaſdam eſſe extenſas ſecundum eſſentiam & potentias, quaſdam uerò inextenſas ſecundum eſſentiam, extenſas uerò ſecundum omnes potentias, ut brutorum animæ. quaſdam uerò inextenſas ſecundum eſſentiam & aliquas potentias, ut anima intellectiua. illæ uerò formæ, quæ ſecundum eſſentiam & omnes potentias ſunt inextenſæ, ſunt immateriales ſimpliciter; huiuſmodi uerò ſunt intelligentiæ. Hæc fere, quantum colligere potui, dicta ſunt circa hoc ſuppoſitum. in quibus magna mihi dubitatio eſt. Nam nec rationes excellentiæ tuæ cogere, nec rationes probantes hoc ſuppoſitum, facilè ſolui poſſe uidentur. qua in re ualde miror, cum hoc ſuppoſitum apud excellentiam tuam, dum philoſophiam profiteretur in gymnaſio Patauinio, compertiſſimum eſſet; nec centies, ſed decies millies ego ab id ea audiuerim, tanquam axioma quoddam afferri; quid in cauſa fuerit, quod nunc ſententiam mutauerit. Verùm quicquid ſit de hoc, accedamus ad rem hanc diſcutiendam. quantum ad auctoritates pertinet; quia mihi ocium non eſt tot auctores uoluere, (licet uiderim D. Thomam in prima G parte, & in libro contra gentiles) qui nihil loqui uidetur de anima intellectiua, de qua tractat, & per animalia perfecta uidetur mihi intelligere animalia habentia animam perfectam, non partem animæ: huiuſmodi uerò ſunt homines, non bruta; quæ habent partem animæ, non perfectam animam. deinde ſi ſtandum eſt auctoritatibus eorum, quos adducit excellentia tua, cum dixerint omnes illi animam eſſe immortalem: idem quoque profiteamur nos; nec etiam pauciores adducerem ego auctoritates ex Auerroë excellentiſſimo viro oppoſitum dicente expreſſimè, ut nouit excellentia tua. verùm, quoniam non eſt viri Philoſophi auctoritatibus inniti, ſed rationibus: iccirco abſtinebo ab auctoritatibus, ſolisque rationibus contendam. Prima ergo ratio adducta meo indicio non procedit. quia per vegetatiuam, & ſenſitiuam quæ ſunt in homine, uel intelligis potentias & facultates humani animi, uel eſſentiam ipſius animi humani, qui forma ſubſtantialis quædam eſt. Si potentias, falſum eſt, quod aſſumitur, illas ſcilicet eſſe indiuiſibiles; immò ſunt potentiæ quædam de ſecunda ſpecie qualitatis, affixæ organis corporeis; & extenſæ ad extenſionem ſubiecti; quæ etiam corrumpuntur per corruptionem compoſiti: ſi uerò intelligis eſſentiam, à qua fluunt illæ potentiæ, ſic falſum eſt illam eſſe formam materialem: immò forma immaterialis eſt, & iccirco immortalis. Ad ſecundum dico, quod eſſe extenſum non eſt in materia ab ipſa forma, ſed extenſio eſt de accidentibus proprijs materiæ, ipſamque H

inſequen-

A in ſequentibus. nec pertingit ad formam, niſi ea fuerit mixta cum materia, licet extenſionis limitatio & terminatio, quæ ex diuiſibilitate formæ procedit, & veluti indiuiſibilitas quædam eſt extenſionem compeſcens, ſit à forma. Verùm, quia non ſufficit ſoluere aduerſantes rationes: ſed ad aſtruendam poſitionem aliquam non per ſe notam, oportet præterea adducere in medium rationes eam probantes: iccirco, ut puto, firmiſſima adducemus argumenta probantia ſuppoſitum noſtrum. primò igitur nulla forma, quæ habet eſſe non in ſe, ſed mixtum cum materia; eſt indiuiſibilis vt vox inuiſibilis: ſed forma materialis habet eſſe non in ſe, ſed mixtum cum materia; ut manifeſtum eſt ex quid nominis formæ mate-

B rialis: ergo nulla forma materialis eſt eo modo indiuiſibilis. maior probatur ex ratione mixti, à qua ſumpta translatione dixerunt formam aliquam mixtam cum materia, & aliquam immixtam: quomodo enim intelligibile eſt aliquod alteri eſſe mixtum, niſi qualitas & diſpoſitio eius cui miſcetur, ad ipſum pertigerit? nec hoc diſſimile eſt ab eo, ſi diceremus mel mixtum eſſe aceto, non tam acutum illum aceti ſaporem inficere mellis dulcedinem. Poſtea omnis forma materialis eſt hic, id eſt, eſt comprehenſa à certo loco, & veluti digito demonſtrari poteſt; nulla forma indiuiſibilis eo pacto eſt comprehenſa à certo loco, nec digito oſtendi poteſt; ergo nulla forma materialis poteſt eſſe eo modo indiuiſibilis: prima propoſitio eſt nota ex conditionibus formæ materialis; nam

C forma, quæ non eſt hic, eſt forma abſtracta. Altera propoſitio probatur. Nam omne quod comprehenditur à certo loco, & quod digito oſtendi poteſt, determinatam poſitionem habet, ut notum eſt: nam huius oppoſitum eſt intelligibile: omne uerò quod determinatam poſitionem habet, eſt affectum quantitate: quale non eſt indiuiſibile, vt vox eſt inuiſibilis. Poſtea omne accidens, quod eſt non per abſtractionem intellectus, ſed per realem exiſtentiam in ea forma, quæ non eſt per ſe in actu, ſed eſt tantum actus, afficit materiam, quæ illius formæ eſt ſubiectum, & ab illo materia denominationem ſumit. Non enim oppoſitum eſt intelligibile, ſed forma materialis eſt tantùm actus per ſe exiſtens; ergo eius accidens afficiet materiam ut ſubiectum, & ab eo materia denominabitur.

D Si ergo aliqua forma materialis ſecundum realem exiſtentiam ſit indiuiſibilis vt vox inuiſibilis, etiam materia ea indiuiſibilitate afficietur: erit ergo & materia ipſa ſic indiuiſibilis. at ex altera parte eſt extenſa propter quantitatem inhærentem. Simul ergo erit extenſa & indiuiſibilis; quod implicat contradictionem. Poſtea cum vnum & ens eandem dicant naturam ex quarto Metaphyſicæ, illa quorum vnitates ſunt impermixta, nec etiam ſunt mixta ſecundum eſſe, ſed vnitas rei ſecundum realem exiſtentiam indiuiſibilis, vt vox eſt inuiſibilis, nequit eſſe permixta cum vnitate rei exiſtentis continuè, qualis eſt materia, ut manifeſtum eſt & notiſſimum: ergo talis forma non poterit habere eſſe mixtum cum materia. poſtea, ſecundum ea, quæ dicit excellentia tua, potentia & facultas

formæ alicuius, quæ facultas eſt indiuiſibilis vt vox inuiſibilis, eſt imma- E
terialis: cur ergo forma ſubſtantialis, quæ eo modo eſt indiuiſibilis, non
erit immaterialis? certè nulla ratio afferri poteſt. Amplius circa gradus il-
los formarum adductos, demonſtratio octaui Phyſicorum per ſe ſumpta
erit inſufficiens ad probandum abſtracta eſſe, niſi fulciatur per locos topicos
à minori, ut eam fulſit excellentia tua, qui etiam ſunt inſufficientes. nam
quis ſcit, an aliqua potentia alia nobis non nota ſit intelligentia mouens cœ-
lum affixa materiæ? quum adhuc ſumus dubij, an ſecundum eſſentiam in-
telligentia ſit abſtracta. Quamobrem certisſimum eſt apud me nullam for-
mam materialem poſſe eſſe indiuiſibilem, vt vox eſt inuiſibilis. Hæc de pri-
mo ſuppoſito. Poſtmodum inquit excellentia tua nos ſuppoſuiſſe intelli- F
gentiam eſſe formam corporis cœleſtis, quod falſum eſt, primo quia tunc
cœlum eſſet in pura potentia: quorum ſubiectum motus eſſe non poſſet,
cum ex quinto Phyſicorum generatio ideo non ſit motus, quia materia,
quæ eſt ſubiectum generationis, eſt in pura potentia. Poſtea ſequeretur,
quod intelligentia eſſet pars eſſentialis cœli: & ita definiretur per orbem.
Poſtea intellectus quà intellectus, non eſt actus alicuius corporis; intelligen-
tia uerò non habet de viribus animæ, niſi vim intellectiuam & appetitum
inſequentem intellectum. poſtea motum ex ſe diuiditur in partem per ſe mo
uentem, & partem per ſe motam; cœlum eſt motum ex ſe: ergo pars mo-
ta per ſe eſt: quare non poteſt habere eſſe à mouente parte tanquam à for-
mali cauſa. amplius forma & materia ex ſecundo Phyſicorum, ſunt ſibi in- G
uicem cauſæ: Si ergo intelligentia eſt forma cœli; dependeret à materia tan-
quam à cauſa. Sunt deinde plures loci Auerrois hoc dicentis, quòd cœ-
lum eſt medium inter ens ſimpliciter & puram potentiam: quare uerùs
dicetur ſubiectum, quàm materia. quapropter dicit excellentia tua fal-
ſisſimum eſſe intelligentiam eſſe formam dantem eſſe corpori cœleſti,
ut præclarè oſtendit B. Thomas rationibus adductis. Non poſſum etiam
hoc in loco clarisſimè præceptor non mirari; quod etiam hac in re mu-
taueris eam ſententiam, quam clarisſima voce profitebaris in Gymna-
ſio Patauino. immò cum memoria repeto acerrimas diſputationes tuas
cum Antonio Frachanciano de hac re, qui tenebat ntelligentiam non eſ-
ſe formam dantem eſſe corpori cœleſti: nequeo non obſtupeſcere, quod H
ſententiam mutaueris. Cæterum quicquid huiuſce rei cauſa fuerit, ad
rem accedamus. & quia ſatis ſuperque rationum ad hæc probandum ad-
duximus in noſtro tractatu, illæ ſint ſatis. Soluam tantummodo ratio-
nes, quas adducis. Ad primam ergo dicendum, quod recedendo à
non gradu entis, magis diſtat ab eo corpus cœleſte, quàm materia pri-
ma: quare cum receſſus à non ente ſit per actum quendam: corpus cœ-
leſte non eſt in pura potentia; ſicuti materia prima: Sed eſt in actu, ſi
comparetur materiæ. Non tamen habet eſſe completum, ita quod per ſe
exiſtat, ſed ab intelligentia hoc ſortitur. quamobrem habet eſſe ab intel-
ligentia; habet tamen tantum actus, quod ſufficere posſit ad hoc, ut ſit ſub-

iectum

A iectum motus. Ad ſecundum dicendũ,quod cùm eſſe partis ſit eſſe deficiens,
intelligentia uerò habeat eſſe omnino completum,non habet rationem par-
tis: licet det, & communicet ſuum eſſe alteri, nam communicare eſſe non
eſt perfici ſed perficere, quare etiam non ſequitur, quod definiretur per or-
bem. Ad tertiam dicendum, quod cum dicimus intellectum, quà intelle-
ctus, non eſſe actum corporis, noluimus dicere formam ſubſtantialem,
quæ eſt intellectiua, non eſſe actum corporis, id eſt, perficientem corpus:
ſed quod virtus intellectiua non eſt affixa corpori, aut eius parti; tanquam
ab ea in eſſe & in operari dependens. quare hoc non tollit, intelligentiam
poſſe informare corpus cœleſte. Ad quartam dicendum, quod ea ratio eſt
B adducta pro noſtra ſuppoſitione. nam non eſt imaginabile aliquid poſſe dici
motum ex ſe,niſi pars mouens & mota ſint comprehenſa ſub vno eſſe:neque
oportet, quod pars mouens per ſe ſit tanquam ſuppoſitum quoddam, & pars
mota per ſe ſit tanquam alterum quoddam ſuppoſitũ. Hac enim ratione nul-
lum animal poſſet dici motum ex ſe,niſi conſtaret ex duobus ſuppoſitis, quæ
nequeunt eſſe vnum. Sed ſenſus eſt, quod in moto ex ſe aliqua eſt pars mota
per ſe, id eſt diſtincta à mouente, & aliqua eſt pars mouens diſtincta à mobi-
li;quæ ex propria inclinatione non inſequente naturam,ſed cognitionẽ mo-
uet.oportet eas vtraſque partes ſub uno eſſe comprehendi,aliter motum eſſe
dici non poſſet. Ad quintam dicimus, quod ibi Philoſophus inquit non eſſe
inconueniens, cum plura ſint genera cauſarũ,cauſas ſibi inuicem eſſe cauſas.
C non autem dicit quod ſit neceſſe, quod clarum eſt: nã & de materia & forma
loquitur,quæ ſunt inuicem cauſæ, & de efficiente & fine.Modo non eſt neceſ
ſe cauſam finalem actionis dependere ab agente, tanquam à cauſa efficiente,
ut patet de fine operationum totius vniuerſi,cuius cauſa efficiens non eſt ali-
quid agens in uniuerſo:cuius tamen ipſe eſt finis. Verum non inconuenit ali
quãdo efficiens,& finem ſibi eſſe inuicem cauſas in diuerſis generibus. illud,
quod addebat excellentia tua, quod forma & efficiens non coincidunt in idẽ
numero: quãuis ſolui poſſet, quod intelligitur de forma terminante genera-
tionẽ:quia tamen in ſolutione argumenti de creatione, dicis æterna nõ habe
re cauſam efficientem,ſed conſeruantem, non procedit etiam ſecundum ſen
tentiam tuam. Auctoritates uerò Auerrois mirum quàm faciant pro noſtra
D ſententia. Nam uerum eſt,ut diximus,cœlum eſſe medium inter puram po-
tentiam,& ens in actu ſimpliciter.& ſecundum poſitionem tuam eſſet ens in
actu ſimpliciter,quia per ſe exiſteret ſecluſa intelligentia. Verùm ab auctori-
tatibus nobis abſtinendum ducimus in hoc opere,ut diximus in præfatione.
nam quilibet textum videns melius iudiciũ afferre poteſt, quàm ex alicuius
ſcriptis. Cæterum hoc, quod dicitur de B.Thoma; ſcio B.Thomam non aſ-
ſentiri huic ſententiæ: non tamen apud ipſum inconuenit actum per ſe exiſtẽ
tem, qui habet eſſe deficiens, poſſe dare eſſe materiæ. quare ſi eius auctoritati
eſt ſtandum, nil curo de hoc ſuppoſito,an ſit verum necne, dummodo alterũ
concedamus,quod ipſe habet pro cõpertiſſimo.hæc ſatis de his ſuppoſitis: il
lud uerò ubi tota vis eſt, omniſq; de hac re perſcrutatio inniti debet, ſcilicet

quod conſiderandum eſt, an anima intellectiua ſit actus tantùm, an actus E
qui eſt in actu; ad quod etiam omnes noſtræ rationes tendunt. miror omiſſum fuiſſe ab excellentia tua, ibi enim eſt cardo totius huiuſce quæſtionis. Hæc de ſuppoſitis. Nunc accedamus ad ſolutiones argumentorum probantium animam eſſe immortalem. Primum accedis ad ſoluendam rationem, quam adduximus ex Auerroe in tertio de Anima, quod ſcilicet intellectus non eſt ſorma materialis, quia recipit omnes ſormas materiales. ſoluit hanc rationem excellentia tua. licetq́ue multa dicat, in ſumma tamen uideris mihi dicere, quod materialitas circa gradum vegetatiuum impedit cognitionem. Vltra uerò non impedit cognitionem, adeò ut ſecundum auctorem hoius rationis, quam nos adducimos, Auerroêm inquam, in virtutibus F
ſenſitiuis materialibus deueniatur ad virtutem cogitatiuam humanam, quæ comprehendit indiuidua omnium generum; ſubſtantiamq́oe cognoſcit abſqoe ſenſibili; communi & proprio. Ex quo etiam uidetur, quod intelligat vniuerſale. quare ualde miraris qood Auerroes, cum hæc dixiſſet in ſecundo de Anima; poſtmodum in tertio adduxerit eam rationem ad probandum intellectum eſſe virtutem abſtractam. Ego uerò excellentisſime præceptor (ingenuè loquor) quamquam etiam miratus ſum; adeò ut ſui oblitum & ebrium exiſtimarem Auerroem. verum contrà incredibile mihi uidebatur, quod excellentisſimus philoſophos, omniumq́ue iudicio præclarus in eodē opere adeò à ſe ipſo diſſentiret; tanquam futilem rationem adduxiſſet in tantà re: quam ipſe adeo compertam habuerit: ut non ſit veritus fateri intelle- G
ctum homanum eſſe unicum in omnibos hominibus: ne fateretur eum eſſe materialem. quamobrem interius rè proſpecta mihi proculdubio uidetur eā rationem eſſe oalidisſimam, ſi quis eam rectè conſideret. dicimus ergo, quod cum virtus receptiua comparetur ad ſuum obiectum proprium, ut potentia ad actum: de ratione uerò potentiæ eſt; ut ſecundom naturam & eſſentiam ſoam careat actu, quem reſpicit: iccirco virtus receptioa obiecti proprij, quod reſpicit per ſe; debet ſecundom naturam & eſſentiam non eſſe in genere ſui obiecti, (an uerò ſecundum exiſtentiam quoque oporteat, ut obiecti natura careat, in præſens quando breuitati ſtudemus, differatur.) His addamus, quod proprium obiectum intellectus noſtri eſt, quod quid eſt rei materialis, quod ſententia Ariſtotelis in tertio de Anima, ita ſe habet ad intellectū, ſicut H
ſenſibile proprium ad particularem ſenſum: quo fit; ut ſicuti ſenſus ſemper ſit uerus circa proprium ſenſibile, ita intellectus circa quod quid eſt, ſemper ſit uerus. id autem experimento cōprehendimus. nam percepta re quapiam ſentimus impolſum intellectus quærentis quid ſit res illa. Verùm quoniam quod qoid eſt rei; oerè ac propriè eſt forma rei, quæ eſt uerè natura rei: quare & Philoſophus ſemper ferè appellat cauſam formalem, quod quid erat eſſe: iccircò ex his ſequitur, quod intellectus reſpiciat formas materiales tanquā proprium obiectū; quæ ita ſe habeant ad intellectū, ſicuti ſenſibile propriū ſe habet ad ſenſum particolarē. Ex quibus ſeqoitur meo iudicio efficacisſimè, quod intellectus ſecundū naturā & eſſentiā non ſit in genere formarum ma-

A terialium. illud uerò, quod adducitur ex Auerroe de virtute cogitatiua, eſt ualde diſsimile, ut puto. Nam virtus cogitatiua, dato quod deueniat ad cognitionem indiuidui ſubſtantiæ, ex accidentibus id cognoſcit: licetque ipſum diſtinguat ab accidentibus; cognoſcit tamen in quantum indiuiduum eſt, quod eſſe non completur, niſi per aliqua accidentia. verbi gratia, quantitatem; neque de indiuiduo comprehendit, aut inquirit quid ſit, neque ſecundum rationem uniuerſalem, neque ſecundum rationem indiuidualem, ut dicit cōmentator in ſecundo de Anima, commento ſexageſimo quinto: & eſt locus, quem adducit excellentia tua. iccirco non reſpicit formas materiales, tanquam obiectum proprium, ſicuti diximus de intellectu. Hæc de prima
B ſolutione. De alia uerò ratione noſtra, quòd ſcilicet intellectus eſt immaterialis, quia intelligit vniuerſalia, nihil hîc dicam: cum ſatis dictum ſit in noſtro tractatu: conferant qui legerint argumentum ſolutioni, & vt cuique videbitur, adhæreant. Illud tamen non omittendum reor; mirum mihi uideri, quod argumentum illud reflectatur ab excellentia tua: ac ſi idem ſequatur ponentibus animam eſſe immortalem, ſcilicet quod intellectus ſit in materia; nam apud ponentes animam immortalem, anima eſt actus qui per ſe eſt; neque habet eſſe mixtum cum materia: iccirco nil prohibet intellectionem eſſe in intellectu, non autem in corpore tanquam in ſubiecto. Neque anima eſt in materia, niſi tanquam perficiens materiam ſecundum eſse ſubſtantiale: non autem ſecundum eas perfectiones, quas habet in ſe. Sed apud ponen-
C tes animam mortalem, anima eſt forma, quæ non eſt in actu per ſe, ſed eſt tantum actus. modo implicat contradictionem, neque intelligibile eſt, quod ſecundum realem exiſtentiam aliquid ſit in actu, qui eſt tantum actus, non autem per ſe eſt: tanquam in ſubiecto. & eſt ratio, cuius ſolutionem ſæpius quæſiui ab excellentia tua; ob tarditatem tamen ingenij, neque in apologia, neque in priori tractatu tuo eam deprehendere potui. Hæc ſatis de hac ſolutione. Accedit poſtmodum excellentia tua ad ſoluenda ſimul duo argumenta noſtra, quæ reuera eandem habent vim: ſcilicet quòd intellectus eſt reflexiuus ſupra ſe ſuaſque operationes, & ſe intelligit organice: ergo eſt virtus non organica, & per conſequens immaterialis. Hîc dicit excellentia tua vtramque conſequentiam falſam eſse, ſcilicet quod virtus organica non eſt
D reflexiua ſupra ſe, immò ſenſus exterior percipit ſe ſentire, ut dicunt plurimi clariſsimi auctores, in quibus eſt B. Thomas nunquam ſatis laudatus. neque uera eſt illa propoſitio, quod organum ſemper ſit medium inter virtutem vtentem organo, & obiectum illius virtutis. Sed hoc habet veritatem tantum in virtute non affixa organo & obiecto primo, altera etiam conſequentia eſt falſa: non eſt virtus organica, ergo eſt immaterialis: quia apud excellentiam tuam intellectus non eſt virtus organica, tamen ſimpliciter eſt materialis, neque uerus eſt circulus in intellectione, quâ intellectus ſe intelligit: quia non primò, ſed intelligit ſe, intelligendo alia. Nos uerò dicimus vtramque conſequentiam videri nobis neceſsariam. Primò namque prima neceſsaria eſt. ſicut enim omne, quod localiter mouetur, eſt quantum; ita om

 ne,

ne, quod operatur, eſt; at in motu locali corpora, quæ mouentur motu recto, E
ſunt quantitatis rectæ: quæ uerò circulari motu mouentur, ſunt circularis quantitatis. Nam figura, quæ eſt qualitas, in quantitate proportionatur motui naturali locali: qui eſt per ſe in ſubiecto quanto. Cum ergo operari præſupponat eſſe, illa quorum operatio eſt per modum motus recti; eſſe quoque habent per modum lineæ rectæ: quæ ab uno puncto incipit, & ad aliud tendit. Sic in his eſſe incipit à forma rei tanquam à principio, & definit in compoſitum, non autem in formam; nam compoſitum eſt illud, quod eſt, forma uerò non eſt illud, quod eſt, ſed eſt principium eſſendi. in illis uerò, quorum operatio eſt per modū motus circularis, eſſe quoque debet eſſe per modum circuli, ita quod in illud deſinat, à quo incipit. talia uerò ſunt formæ F
per ſe ſubſiſtentes & immateriales. Virtus ergo, quæ eſt reflexiua ſupra ſe, nō poteſt eſſe organica. Poſtea id quod ſe cognoſcit perfectè; oportet ut ſecundum ſe totum ſit intelligibile, & ſecundum ſe totum ſit intelligens; materia uerò cum ſit à cognitione & cognoſcibilitate aliena, nequit eſſe intrinſeca & mixta ei, quod ſe cognoſcit. At in virtute organica cum id, quod operatur & cognoſcit, ſit id quod eſt: compoſitum ex potentia & organo cognoſcit, quia cùm intrinſecam habeat materiam, ſe perfectè cognoſcere non poterit. quod uerò ſubdit excellentia tua, quod ſenſus ſentit ſuam operationem: dato quod hoc eſſet uerum; (dicam tamen paulò infra de hoc) non tamen propterea eſt virtus reflexiua ſupra ſe, & mediante organo ſuam operationē cognoſcit, dato quod ea cognoſcat: mediatque ſemper organum inter id, quod ſenſus co- G
gnoſcit, & ipſum ſenſum. quod probatur ratione primùm, deinde auctoritate philoſophi. primò ergo, cum ſenſus ſentit ſuam operationem, uel vtitur organo uel non. ſi non vtitur, ergo eſſentialiter nō eſt virtus organica: illud enim, quod ſeparabile eſt ab aliquo, eſſentiale non eſt. Si utitur, cum de ratione organi hoc ſit, quod ſcilicet ſit illud, quo agens operatur, de neceſſitate ſequitur organum eſſe medium inter virtutem ſcientem & ipſam ſenſationem. poſtea illud quod intrinſecum eſt eſſe alicuius, magis illi eſt propinquum, quàm eius accidens. ſed in ſenſu organum eſt principium intrinſecum ſui eſſe; eſt enim materia, ſenſatio uerò eſt accidens. ergo magis propinquum eſt organum virtuti ſentienti, quàm ipſa ſenſatio: medium ergo eſt organum inter virtutem ſentientem & ipſam ſenſationem. Ex qua ratione apparet ſecundum ratio- H
nem contingere oppoſitum eius, quod dicis. inquis enim, virtus non affixa organo habet hoc, quod organum eſt medium inter ipſam virtutem, & id, circa quod operatur. at in virtute affixa, hæc propoſitio eſt falſa, ex ratione uerò, quam adduximus, apparet; quod ex hoc quod eſt affixa organo, & non per ſe eſt, ſequitur de neceſſitate, quod organum ſit illi magis proximum, & per conſequens medium inter ipſam, & id, circa quod operatur. Philoſophus etiam dicit in libello de ſomno & vigilia, & in libris de anima ſæpius, quod ſentire eſt motus animæ per corpus, ac ſi corpus ſit medium. nunc reuertamur ad id, quod ſupra dimiſimus, an ſcilicet ſenſus ſentiat ſuam operationē, licet B. Thomas in aliquibus locis id dicat: tamen in ſecundo de anima vult

A ex eoque,quod per ſenſum percipimus nos ſentire,hoc autem non poſsit ſenſus exterior,quod detur ſenſus communis.ſed quicquid ſit de opinione Thomæ; certè philoſophus in libello de ſomno & vigilia adducit hanc rationem ad probandum dari ſenſum communem; dicitque ea ad verbum quæ ſubdo. Eſt autem quædam & communis potentia, quæ ſequitur omnes, ſcilicet quinque ſenſus, quia & quod uidet,& audit ſentit,non enim viſu videt, quoniã uidet & iudicat, itaque poteſt diſcernere alba à dulcibus, &c. Ecce quàm clare dicat philoſophus ſenſu communi; non autem viſu nos iudicare quoniam uidemus. Verùm quicquid ſit de hac re, cùm non multum faciat ad præſens negotium,omittatur. De ſecunda uerò conſequentia, quod non ſe-

B quitur, ſi non ſit organica quod ſit immaterialis, & quod intellectione, qua intellectus ſe intelligit, non eſt perfectus circulus. primo,dicimus de ſecundo.quamuis intellectus intelligat ſe,intelligendo alia,facit tamen perfectum circulum; quia perfectè ſe inquirit & cognoſcit. & hoc eſt de ratione circuli, quod ab uno puncto incipiat; à quo primo dilongetur, poſtmodum uerò ad illud idem perfectè reuertatur; ex quo conuincitur intellectionem, qua intellectus ſe intelligit,eſſe maximè ſimilem circulo. intelligentiæ uerò,quæ ſe primò intelligunt, habent potius modum vnitatis,quàm circuli: cùm à ſe non exeant, ut ad ſe reuertantur:ſed in ſeipſis maneant. De conſequentia uerò quod ſcilicet ſi non eſt virtus organica,eſt materialis;dicam ingenuè,meo iudicio oppoſitum intelligi non poteſt. Nam cùm res eo modo operetur

C quo eſt; ſi qua forma per ſe non ſit, ſed ſi actus tantum quo compoſitum eſt; neque per ſe ſine materia in qua eſt, operari poterit. illa ergo virtus, quæ per ſe ſine vllo corpore,ſeu organo corporeo operatur,mihi uidetur,quod etiam per ſe ſit; quare quod etiam ſit immaterialis; intelligant alij oppoſitum. fateor,apud me non eſſe illud intelligibile. id uerò,quod poſtmodum veluti in tranſcurſu & obiter quærit excellentia tua, cur ſcilicet apud tenentes animã immortalem,ſicuti anima afficitur paſsionibus concupiſcibilis & iraſcibilis, quæ ſunt materiales, non ita poſsit affici quantitate & qualitate. ad quod dico,quod longè eſt diuerſa ratio in vtriſque. Nam iraſcibilis & concupiſcibilis radicantur in anima, cuius ſunt potẽtiæ: & iccirco earum affectiones pertingunt ad animam, licet vi ducere contra imperium rationis eam non poſ-

D ſint. quantitas uerò & qualitates ſunt diſpoſitiones materiæ, à qua anima ſecundum eſſe non dependet. poſt hæc pergit excellentia tua ad ſoluendas rationes noſtras ſumptas ab operatione voluntatis. primò eam ſoluit, quæ ſumitur ab appetitu vltimi finis, in qua nihil mihi amplius dicendum, conferant qui legerint. eique adhæreant,cui libitum erit. Vnum tamen ſubdit excellentia tua ex B. Thoma, de pueris qui ſunt in limbo, in quibus nulla eſt pœna ſenſus, quamuis priuati ſint ultimo fine; quia ſcilicet inquit Thomas is finis ſecundum naturam non ſibi debebatur; ſed eſt finis, qui improportionatus eſt humanæ naturæ. Ad hoc dico,quod finis ultimus intellectus ratione ſuæ receptionis, ſeu, ut clarius loquar, ratione potentiæ receptiuæ, qui ſibi naturaliter debetur, non ſolùm apud philoſophos, ſed etiam apud

Chri-

Chriſtianos, eſt Deus glorioſus, in quo eſt omne bonum. non 'ne, inquit Auguſtinus in libro Confesſionum, Domine creaſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec quieſcat in te. & in pſalmo, Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Verùm quo ad principium actiuum, quod eſt lumen naturale, finis hic ſecundum philoſophos eſt etiam naturæ intellectus proportionatus, ut patet ex Auicenna & Algazel. licet Auicenna poſuerit, quod in Colcotea illi copuletur noſter intellectus. idem etiam patet ex Auerroë: qui uoluit, quod poſt perfectionem intellectus ſpeculatiui curſu naturæ deueniat homo ad eam copulationem. At noſtri Theologi uoluerunt, quod ratione noſtri luminis finis hic ſit naturæ noſtræ improportionatus; requiraturque ad eum attingendum gratia & gloriæ lumen. quare etiam dicunt in limbo pueros propter defectum habilitatis ad gratiam capeſcendam carere pœna ſenſus, licet habeant pœnam damni. De ſolutione argumenti noſtri ſumpta ab electione id tantum dicam. Si intellectus & uoluntas, quatenus materialis eſt, ſubditur corpori cœleſti, caretque libero arbitrio. quatenus uerò immaterialis eſt liber, quod cùm ſimpliciter ſit materialis, & ſecundum quid immaterialis, ſequitur quod ſimpliciter careat libero arbitrio, neque ſit dominus ſuorum actuum, quod, an ſit uerum, alij conſiderent. An uerò ſolutio rationem noſtram ſoluat, iudicent, qui rationem & ſolutionem uiderint, ac inuicem contulerint. Hæc de ſolutionibus noſtrarum rationum. Reliquum modò eſt, ut breuiter ac ſtrictim percurramus deſtructiones noſtrarum reſponſionum ad argumenta tua. quo in loco præfatione mihi utendum duco, qua etiam in noſtro tractatu quodammodo ſumus vſi. Nos ſcilicet ad ea argumenta, quæ directè probabant animam eſſe mortalem, certas etiam dediſſe reſponſiones. ad ea uerò, quæ procedebant ex ſtatu animæ poſt mortem, alijsque quæ circumſtant immortalitatem, dediſſe reſpõſiones non certas, ſed probabiles. huiuſce rei illa ratio eſt, quia meo iudicio animam eſſe immortalem ſciri poteſt ratione naturali. ea uerò, quæ ſunt huic annexa, de ſtatu ſcilicet animæ poſt mortem, de operatione eius an reuniatur corpori necne, non poſſunt ſciri ratione naturali: & iccircò non certæ, ſed dubiæ quædam ſolutiones dantur, quare quædam ex omni parte non ſatisfaciunt. Neque propterea, quamuis ad plenum ſatisfieri non poſſit rationibus, quæ ſunt circa conſequentia ad animæ immortalitatem, debemus dicere repugnare rationi naturali animam eſſe immortalem; quia naturale lumen in plerіſque pertingit ad cognitionem alicuius antecedentis, licet de conſequentibus, ex quibus particularior cognitio haberetur illius antecedentis, ex defectu cognitionis omnium accidentium illius rei, non ſibi ſatisfacere vndequaque poſſit. Quam rem ne quis miretur, clariſſima exempla afferam. Scitur ratione naturali corpora cœleſtia eſſe ſphærica, rationẽ non affero, cùm nullus eam ignoret, quare ſcitur corpus cœleſte, in quo eſt ſol, eſſe ſphæricum. Verùm cùm de definitione ſphæræ eſt, quod habeat centrum, corpus ergo hoc ſolem deferens ſphæricum habebit centrum. Vel ergo centrum huius corporis eſt centrum mundi, uel aliquid aliud punctum. hæc certè diſiunctiua neceſſa-

A neceſſariò ſequitur ex eo antecedente, quod orbis ſolem deferens ſit ſphæricus. quod ſi dicas hoc centrum ſolis eſſe aliud punctum à centro mundi: hoc certè eſt contra principia naturalia. primò quia omnis motus ſimplex, uel eſt à medio mundi, uel ad medium, uel circa medium mundi: quare cùm motus ſolis circularis ſit motus ſimplex, erit ergo circa mundi medium, & ſphæra mouetur circa ſuum centrum: quod eſt penitus immobile; ergo centrum huius ſphæræ eſt centrum mundi; non ergo aliud punctum. poſtea ſi eſſet aliud punctum, uel oporteret eſſe vacuum, uel dari penetrationem corporum, uel oporteret ponere corpora quædam cœleſtia nō verè ſphærica, ſed veluti monſtra quædam ex una parte groſſiora, & altera parte tenuiora. quemad-
B modum ponit Ptolomeus eſſe duo corpora deferentia augem ſolis, quæ omnia ridicula ſunt & repugnantia principijs naturalibus. ergo centrum huius corporis non eſt aliud punctum à centro mundi. At ex altera parte, obſeruatum eſt certiſsimis obſeruantijs, ſolem duos dies (ni fallor) amplius morari in motu, qui eſt ab æquinoctio verno, ſcilicet à primo puncto arietis per æſtatem & cancrum vſque ad autumnale æquinoctium, id eſt, ad primum punctum libræ; quàm à primo puncto libræ per hyemem & capricornum vſque ad vernum æquinoctium. quæ tamen ſpatia ſunt omnino æqualia in octaua ſphæra. Vel ergo motus ſolis eſt irregularis, aliquando ſcilicet velocior & aliquando tardior, quod eſt impoſsibile: uel maior ſui orbis eſt ab ariete ad libram per cancrum, minor uerò à libra per capricornum ad a-
C rietem. quamobrem ſequitur, quod orbis ſolis ſit accentricus, aliud'que centrum habet à centro mundi. Ex illo ergo antecedente, quod ſcimus ſcilicet quod ſit ſphæricus, ſequitur quod ſit excentricus & non concentricus, & quod neque ſit excentricus neque concentricus, quod implicat contradictionem. quia ergo de conſequenti verificari non poſſumus, negemus antecedens. dicamuſque quod repugnat principijs naturalibus orbem ſolis eſſe ſphæricum. certè hæc res eſſet viri immoderanter philoſophia & cognitione naturali vtentis. at ſi quis dicat nos quidem lumine naturali ſcire antecedēs, de diſiunctiua uerò illa conſequente certos eſſe non poſſe, quia ſicut dicit Ariſtoteles in ſecundo de cœlo, pauca habemus accidentia cœleſtis corporis propter diſtantiam, iccirco particularis admodum ſcientia haberi à no-
D bis non poteſt, vniuerſalis tamen habetur. quo fit, ut de illo antecedente ſimus certi, de diſiunctiua conſequente incerti. Hæc certè ſolutio uideri meo iudicio poteſt eſſe viri grauis & eruditi: dignoſcentiſque quid ſciri poteſt ab eo, quod ſciri non poteſt ex defectu cognitionis accidentium rei, de qua eſt quæſtio. Similiter certum eſt ratione naturali aſtra non poſſe moueri, ſed infixa eſſe corpori, in quo mouentur. nam per ſe neque in uacuo, neque in pleno moueri queunt. Nunc rationem omittam, quæ notiſsima eſt. Luna ergo mouetur infixa alteri corpori. Vel ergo hoc corpus, in quo infixa eſt luna, eſt epiciclus, uel orbis ipſam deferens. aliud enim dari non poteſt. ſi dicas quod eſt epiciclus, certè hoc repugnat principijs naturalibus. primò, quia eſſet aliqua ſphæra mota motu ſimplici; quæ circa mediū mundi non moueretur: deinde

quia

quia corpora cœleſtia, orbes inquam, eſſent perforata. poſtea quia cùm ple- E
nilunium contingat, ut etiam concedunt aſtrologi, luna exiſtente quandoque in auge epicieli, quandoque in oppoſito augis, interdum uerò in latitudinibus medijs, ſi luna moueretur in epiciclo, facies in luna non ſemper eodem modo uideretur ſe habere, ſicuti uidetur. non ergo infixa eſt epiciclo. at contra, luna quandoque eſt altior, quandoque depreſsior, quod manifeſtum per eclipſes, nam in eodem puncto longitudinis & latitudinis exiſtens, quandoque magis ſubintrat vmbram terræ, magiſque eclipſatur, quandoque minus: quod certiſsimis obſeruationibus comprehenditur, ergo eſt infixa epiciclo. Aliæ etiam ad hoc validiſsimæ rationes adduci poſſunt, quas dimitto gratia breuitatis. ergo ex illo antecedente, quod ſcilicet non per ſe mo F
uetur luna, ſequitur contradictio, quod ſcilicet ſit infixa epiciclo, & quod non ſit infixa epiciclo, ſed orbi ipſam deferenti. quare cùm de conſequenti certi eſſe non poſsimus: immò vtraque pars cōſequentis diſiunctinæ habeat contradictiones naturales, à quibus neſcimus euadere: deſtruamus ergo antecedens, dicamuſque lunam per ſe vagari, modò ſublimiorem, modò depreſsiorem; certè hoc non eſſet ſani ac grauis philoſophi: immò quilibet ſanus diceret ſe de antecedēte certum eſſe, de diſiunctiua conſequente incertū: quia habet cognitionem huiuſce rei vniuerſalem; particularem uerò habere non poteſt, ex defectu accidentium propter diſtantiam cœleſtis corporis (alia huiuſmodi exempla adduci poſſent, ſed hæc ſint ſatis.) Si ergo hæc ſolutio & reſponſio grauis, ſapientiſque viri eſt in corpore cœleſti, quod eſt corpus G
ſenſibile, cuius motum & lumen ſenſu conſpicimus: quî ergo mirum uideri debet, ſi de humano intellectu dicimus; quod ſciri poteſt ratione naturali ex eius operatione, qua experimur dum uiuimus, eum eſſe immortalem. de ſtatu uerò eius poſt mortem, an uniatur corpori necne, nos illud ſcire non poſſe ex defectu accidentium; quia certiſsimum eſt omnibus, animo exiſtenti immortali, quod eius ſeparati nullum accidens à nobis perſingi poteſt. quo fit, ut certè euadere non poſsimus contradictiones naturales, quæ adduci poſſunt ad ea, quæ circunſtant animæ immortalitatem. Neque propterea debemus deſtruere antecedens, ſcilicet animum eſſe immortalem. Hoc meo iudicio eſt recte ac ſobrie philoſophari: ille uerò qui ex eo, quod in particulari cognitionem habere non poteſt de re quapiam, deſtruit etiam cognitionem H
in uniuerſali, facile deſtruere poſſet omnem philoſophiam, & omnem cognitionem naturalē. Hæc præfatus reuertor vnde digreſſus ſum. Solutiones ergo ad argumenta, quæ directè impugnant animum eſſe immortalem, certæ dantur nec dubiæ meo iudicio. Solutiones uerò, quæ dantur ad argumenta, quæ deſtruunt immortalitatem animi ex conſequentibus ad illud antecedens, non ſunt certæ, ſed probabiles & dubiæ. cuius ratio eſt, quia cum rectum ſit iudex ſui & obliqui, de priori uerò ſimus certi, certæ etiam reſponſiones dantur: de ſecundo uerò cùm ſimus incerti, non certæ, ſed probabiles & dubiæ ſolutiones dari poſſunt. Accedamus ergo ad argumentationes tuas contra ſolutiones noſtras, erimuſque quàm maximè breues. De prima ergo impu-

A impugnatione nil amplius dicam, cum tota pendeat, an ex hoc ſolùm, quod intellectio non ſit in corpore tanquam in ſubiecto, oſtendi poſsit animam eſſe immortalem, necne. De ſecunda impugnatione ſolutionis dicimus optimè conuenire, id quod diximus de vegetatiuo & ſenſitiuo, materiali & immateriali virtute. Nam ſicuti vegetatiuum per ſe ſumptum conſtituit plantam, quæ repugnat animali, quod conſtituitur per ſenſitiuum; tamen anima ſenſitiua continet virtutem vegetatiuam; neque eſſet intelligibile aliquid ſimpliciter eſſe in genere plantæ, & habere potentiam ſenſitiuam. ita ſenſitiuum per ſe ſumptum conſtituit materiale, quod eſt mortale, & repugnat immateriali; tamen forma immaterialis, qualis eſt intellectus, continet virtutem materialem, quæ qualitas quædam eſt ab ipſa anima influens, exiſtens tamen in corpore tanquam in ſubiecto. Non eſt autem apud me intelligibile, quod forma ſimpliciter materialis habeat potentiam immaterialem, quia ſecundùm modum eſſendi nunquam potentia eſt ſupra eſſentiam; ſicuti etiam non eſt intelligibile aliquid eſſe in genere plantæ ſimpliciter, habere tamen potentiam ſenſitiuam. quod uerò dicis, quòd potentia non poteſt ſeparari ab eſſentia, à qua fluit: quod tamen contingit in anima intellectiua ſecundum nos; nam potentiæ ſenſitiuæ & vegetatiuæ corrumpuntur à remanente: dicimus nos quod potentia, quæ eſt in eſſentia tanquam in ſubiecto, non poteſt ſeparari ab eſſentia; at illa, quæ eſt ab eſſentia tanquam à principio, eſt tamen compoſiti ut ſubiecti, & eſt affixa corpori, poteſt ſeparari ab eſſentia, à qua fluit: quod etiam ſecundum poſitionem tuam manifeſtè ſequitur. Nam potentia viſiua cùm ſit affixa oculo, corrumpitur per euulſionem oculi, tamen eſſentia animæ inuiſibilis ab illa remanet. Ecce ergo quod ſecundum poſitionem excellentiæ tuæ idem dici oportet. cætera quæ dicuntur in impugnatione, & an impugnatio procedat, alij conſiderent. De tertia oppugnatione nil dicam, quia ſupponit id, quod eſt in controuerſia, an ſcilicet intellectio, quæ non eſt in corpore tanquam in ſubiecto, cōuincat animam eſſe immortalem: ideò ad eam rationem lector dimittatur. De quarta oppugnatione, hoc in loco applicanda eſt præfatio, quam fecimus. dicendum nos probabiliter, non certè reſponſuros. pro ſolutione uerò aduertendum eſt, quod pars & totum in hoc differunt: quod pars habet de ratione ſui eſſe deficiens, totum uerò habet eſſe perfectum: quare dicitur in primo de cœlo, quod omne, totum, & perfectum ſunt idem ſecundum ideam, licet differant in ſubiectis. quandiu ergo aliquod habet eſſe deficiens, habet ratione partis: quandiu uerò non habet eſſe deficiens, habet ratione totius, non autem partis. Hoc ſuppoſito dicimus probabiliter, quod vtraque pars poteſt ſuſtineri. dicimus ergo quòd dici poteſt, quòd non reunietur. Cùm autem argumentaris, eſt pars, ergo reunietur. dicimus, quod licet in principio habuerit eſſe deficiens, & ideò vnita fuit corpori: quare tunc etiam habuit rationē partis; poſtquam perfecta eſt, amplius non habet rationem partis, ſed totius: iecircò ſecundum naturam non appetit reunitionem: ſicuti ſurculus arboris, cum eſt in arbore, habet rationem partis, quia habet eſſe deficiens: at

V auulſus

auulſus ab arbore ſulcoq́ue traditus; actis radicibus, quia per ſe ſibi ſufficit, non habet amplius rationem partis, ſed totius; neque appetit reuniri arbori. Ad id uerò quod adducitur ex B. Thoma & reliquis Theologis dicentibus oppoſitum, reſpondemus quod Theologi poſtquam per lumen fidei intellexere reſurrectionem futuram, cùm verum vero conſonare debeat ex omni parte, iccircò dixerunt, quemadmodum reuera eſt, quod anima ſeparata habet rationem partis. tamen non poſita reſurrectione, quæ innotuit lumine fidei, ſic dixiſſent, ut Agazel & Auicenna dixerunt. poſſemus probabiliter & alteram partem tueri, quod retinetur per nouam generationem, cùm inceperit habere eſſe deficiens abolitis diſpoſitionibus prius acquiſitis à materia, (licet prior pars ſit mihi magis probabilis) neque iſta transmigratio eſt motus localis, quia non ſunt in loco animæ ſeparatæ, eritq́ue nouus homo quantum ad partem principalem idem homo, licet non abſolutè ſit idem propter uariationem aliarum partium: circunſtantiæ uerò aliæ, quæ quæruntur, ſciri non poſſunt. dicimus tamen non eſſe inconueniens per aliquot tempus animam morari ſine aliqua intellectione, & iccircò non eſt inconueniens, ſi non ſtatim vniatur corpori. Ratio uerò cur potius iſti quàm illi vniatur, aſsignari non poteſt; ſicuti etiam non poteſt aſsignari ratio, cur in determinata aliqua parte materiæ prius fuerit, a, indiuiduum bouis, verbi gratia, & b. indiuiduum alterum fuerit poſterius; niſi quis ponat ordinem eſſentialem in generationibus indiuiduorum; ſicut uidetur ſequi ex dictis Marſilij in quæſtionibus primi de generatione. & ſecundum hanc poſitionem licet anima ſeparata ſit immunis à motu cœli, & ab eo tempore: tamen & ipſa habet ſuas mutationes & menſuram durationis quandam, quæ deficit ab æternitate. Neque inconuenit, quod terminet generationem factam à ſole & ab homine, quamuis ſit immaterialis, ſicuti non inconuenit apud Auerroem, quod intellectus ille vnicus terminet generationem factam à ſole & ab homine. Quod uerò ex B. Auguſtino contra Porphyrium obijcis, quod tali poſita reunitione cùm anima reparata ſciat ſe non eſſe firmam & ſtabilem in ea fœlicitate, in qua fruitur optimo, nunquam ergo erit uerè fœlix. dico, quod hoc maximum mihi uidetur argumentum, neque mihi ſatisfacio in ſolutione. quare alteram partem, ut ſæpe dixi, puto probabiliorem. tamen dici poteſt, quod cùm anima ſciat illud fieri poſt longa ſæcula, noritq́ue etiam ſe non perpetuò priuandam ea fœlicitate, iccircò propterea infœlix tunc dici non poteſt, cùm optimo fruitur; præſertim cùm eius ordini tunc maximè obtemperare cupit. illud uerò quod ſubdit excellentia tua miraculoſum eſſe, animam ſeparatam per ſe exiſtere, ſicut etiam eſt de accidentibus in ſacramento altaris; fateor me nunquam id antehac nec apud Theologum aliquem vidiſſe, neque ſecundùm Chriſtianum dogma dici audiuiſſe. fortaſſe id vidiſti tu, ego nunquam audiui nec vidi. Hæc de hac quarta ſolutione ſatis ſint, de qua re certa ſolutio, ut puto, afferri non poteſt. De quinta ſolutione & impugnatione dicimus, quod vtrunque tempus & ſeparationis & vnitionis ad corpus

V eſt

A eſt animæ naturale, ſicuti naturalis eſt rei grauis, & motus ad centrum, & quies in centro. Quod ſi quæras, cur anima potius definitur per eſſe actum corporis, quàm per eſſe ſeparatum quod habet: dicimus ad hoc, quod cùm definitiones dentur, ut res definita innoteſcat, anima uerò ſecundum eſſe coniunctum ſit nobis nota, ſecundum eſſe ſeparatum ignota; icciteo potius definitur ſecundum eſſe coniunctum, quàm ſecundum eſſe ſeparatum. illud uerò, quod ſubdis, perfectionem rerum non conſiſtere in quiete, ſed in operatione; nos quoque dicimus uerum id eſſe. neque nos per quietem intellexiſſe priuationem operationum; ſed adimpletionem quandam appetitus per conuenientem, & omnino ſibi proportionatam operationem. De

B ſexta ſolutione, impugnationeque nil mihi dicendum amplius iudico: conferant qui legerint ſolutionem noſtram impugnationi, adhæreant quo, cui libitum fuerit, id uerò; quod ſubditur, quod ſi intelligit ſine phantaſmate, tunc non erit rationalis, ſed intellectus; poſſumus & negare conſequentiam, & etiam concedere conſequens. Nam cùm ratio ſit intellectus obumbratus, quid mirum, ſi poſt rationem perfectam anima deueniat ad cognitionem, quæ dici poſſit intellectus? immò ferè hoc accidit in uiris, qui exercitatiſſimi ſunt in ſcientiis, ut dicit B. Thomas in pluribus locis. Hæc de ſexta. Nunc dicendum de ſeptima ſolutione impugnationeque: dicimus quod deſunt quædam verba in ſolutione noſtra, quod ſcilicet potentiæ illæ corrumpuntur, ut manifeſtum eſt, ſunt enim affixæ organis & materia-

C les. quod uerò dicis quod corrumpi nequeunt, quia eſſentia nequit ſeparari à potentia, diximus ſuprà, quod ab illis potentijs, quæ non ſunt in ipſa tanquam in ſubiecto, ſed in compoſito, & ſunt affixæ materiæ, poteſt eſſentia ſeparari, quod ſequitur etiam ſecundum poſitionem tuam. Nam ſi cui eruantur oculi, potentia viſiua corrumpitur, quæ affixa erat illi organo, licet eſſentia animæ remaneat. De eo uerò quod dicis, quod quoniam potentia ordinatur ad actum, eſſet fruſtra, ſi ſemper ſuo priuaretur actu: dicimus, quod quando actus illius potentiæ ad aliquid aliud ordinatur tanquam ad finem, cùm potentia per ſuum actum comparauit ei, cuius potentia eſt, illud, ad quod ordinabatur eius actus, non dicitur eſſe fruſtra, licet poſtmodum careat actu; quia ſuum aſſecuta eſt finem, ut patet de au-

D gmentatiua. De octaua ſolutione impugnationeque ſatis dictum in ſecundo ſuppoſito, quoniam intelligentia det eſſe orbi. iccirco non repeto. Id uerò quod in fine dicis de B. Thoma, qui dixit intelligentiam eſſe formam cœli in ſecundo contra Gentiles, capite ſeptuageſimo, in quo nihil dicit de hac re, ego non ſatis intelligo quid dicas, puto fuiſſe impreſſoris vitium. De nona ſolutione, impugnationeque, quia illa ſolutio, quam impugnat excellentia tua, non eſt noſtra ſolutio, ut manifeſtum eſt legenti, icircò nil mihi dicendum eſt. de eo, quod ſubdis an homo uerè corrumpatur, patet, quod non ita uerè corrumpitur ſicuti cætera, quorum formæ deſinunt eſſe. De ſolutione impugnationeque decima dicimus, quod quamuis Scotus excellentiſſimus vir tenuerit, indiuidua

eiuſdem ſpeciei inuicem diſtingui per proprietates indiuiduales, non autem E
per materiam, & nos eam ſolutionem retulerimus ad eam partem, quam
putamus magis probabilem, quod ſcilicet reunitio non detur: tamen ſuſti-
nendo, quod fiat illa reunitio, & etiam tenendo quod diſtinctio indiuiduo-
rum, in eadem ſpecie fiat per materiam, (hoc enim putamus magis Ariſtote-
licum) dicimus, quod cum per illud, per quod aliquid conſtituitur in ſpecie,
habet etiam eſſe cõpletum; per illud idem eſt hoc aliquid, id eſt indiuiduum;
quare cùm idem nequeat eſſe cauſa, ac principium indiſtinctionis, ſeu idem-
ptitatis & diſtinctionis, iccircò in vna ſpecie vnicum tãtùm eſt indiuiduum.
At quando per illud, per quod aliquid conſtituitur in ſpecie, non habet eſ-
ſe omnino completum, ſed habet eſſe deficiens; cùm defectus ille com- F
pletur per materiam, in qua recipitur, & ſecundum quam habet eſſe omni-
no completum, vtique principium per quod eſt indiuiduum, & per quod
diſtinguitur ab alijs indiuiduis eiuſdem ſpeciei eſt materia; attamen ip-
ſæ formæ ſecundum ſe intrinſecè diſtinguuntur; licet prima radix, origóque
diſtinctionis, ſicut & indiuiduationis ſit ipſa materia, propter eſſe deficiens
ipſius formæ, quod vel habet actu, vel habet aptitudine, id eſt, non quod ha-
bitura eſt, ſed quod habuit ex ſua natura. Hoc ſtante dicimus, quod animæ
ſeparatæ diſtinguuntur ſecundum ſe; origo tamen illius diſtinctionis fuit
materia, quam informarunt: quod ſi fuerit eadem portio materiæ primæ,
nil refert. Nam cùm non ſimul, ſed diuerſis temporibus, & diuerſis diſpo-
ſitionibus affectam materiam informarint, neque materia ſit cauſa diſtin- G
ctionis in eſſe & in conſeruari: nam, ut diximus, diſtinguuntur ſecundum
ſe, ſeparatæ animæ non inconuenit duas animas diſtinctas ab eadem mate-
ria ſumpſiſſe diſtinctionem. ſi etiam teneamus reunitionem, idem dici-
mus, quod animæ quia ſunt aptæ natæ habere eſſe deficiens, quod comple-
tur per materiam, ſunt multiplicatæ in eadem ſpecie, & prius ſecundum
naturam, intelligitur anima vnita corpori, quàm ſeparata, licet neutrum
eſſe ſit altero abſolute prius tempore, poſita mundi æternitate: ſicuti ſecun-
dum naturam gallina eſt prior ouo, quia perfectum quoddam eſt, ouum im-
perfectum, tempore uerò abſolutè neutrum altero prius eſt. nec inconue-
nit, quod eandem uel diuerſam materiam informent. Nam, ut dixi, diſtin-
guuntur ſecundum ſe, licet origo illius diſtinctionis ſit materia: tamen prio- H
rem partem, quod ſcilicet non reuniatur, tenemus magis eſſe probabilem.
Rationes, quas adducis contta tenentes materiam eſſe indiuiduationis prin-
cipium, non eſt noſtri negotij ſoluere. De vndecima ſolutione impugna-
tionéque dicimus, quod ea ratio de infinito procedit directè circa anne-
xa immortalitati. iccirco probabiliter reſpondemus, nam ſecundum ve-
ritatem fidei nulla eſt ambiguitas, dicimus ergo quod infinito eſſe aliquid
maius ea parte, qua finitum eſt, non inconuenit: nec etiam inconuenit duo
eſſe infinita, quæ ſecundum quid ſint finita, ſicuti eſt de præterito tem-
pore infinito, & futuro infinito; quorum vtrumque in æternitate eſt in
actu, licet in duratione hac temporali ſit in potentia. id uerò quod poſtea
ſubdit

A ſubdit excellentia tua de infinitate Dei, & cætera: quia id nos non diximus, neque eam aſſignauimus rationem, ut legens inſpicere poteſt: à oobis omittatur. De duodecima uerò, decimatertia, decimaquarta & decimaquinta ſolutionibus noſtris, oppugnationibusque tuis nil mihi dicendum ſupereſt. conferant qui legerint, adhæreaotque cui libuerit. Nunc accedendum nobis eſſet ad textus Ariſtotelis, in qoibus uel de immortalitate uel de mortalitate loqui uidetur. Sed quoniam ex lectione textus, & ex his quæ antecedunt, & conſequuntur quilibet melius ſibi ſatisfacere poteſt; quàm ex alicuius interpretationibos ſeorſum ſcriptis: icircò lectores ad textum mittantur, ipſique dijudicent vter ſenſus de mortalitate ſcilicet an de immortalitate magis ac-
B commodari queat: oos uerò tantùm quoſdam locos ootabimus, qui ſunt omnes ferè extra textum. primum ergo quod dicas oos dixiſſe eò qood Ariſtoteles in ſecundo de anima dixerit opinatiuum eſſe alterum à ſenſitiuo, voluiſſe ex eo loco intellectum, quo opinamur, eſſe immortalem, reuera non eſt ita: ſed ex ſuperiori textu, ubi dicit de intellectu & perceptiua potentia altera ratiò eſt, &c. nos diximus hoc colligi. Sed quod ibi locutus ſit de intellectu humano, colligitur ex eo, quod immediate ſubdit de opinatiuo & ſenſitiuo, quæ ratione diſtinguuntur. Alter locus, in quo me taxat excellentia tua, eſt in textu vigeſimo tertij de anima, ubi dicitur, quod hoc ſolum eſt immortale. inquis ſi hoc ſolum referatur ad intellectum poſſibile, quemadmodum dicis in vna tuarum expoſitionum, ſequitur quod agens intelle-
C ctus ſit corruptibilis; nos uerò dicimus hoc non ſequi. Nam cùm ſuprà dixerit agens eſſe nobilius patiente, & principium materia, particula ea ſolum licet referatur ad poſſibilem, non habet relationem ad agentem; quem dixerat nobiliorem poſſibili; ſed ad alias partes animæ in eodem textu, ubi nos diximus Ariſtotelem loqui de rèminiſcentia horum ſingularium, id eſt, ſenſibiliom. infinita ferè dicit excellentia tua, cur ſcilicet anima ſeparata per ſpecies hîc aequiſitas noo intelligit ſingulare, ſicut intelligit vniuerſale; cuius rationem dimitto, quia omnibos eſt obuia. quod uerò dicis quod ſe intelligit, & Deum, quæ ſingularia quædam ſunt, miror quod non differeotiam facias inter ſingularia abſtracta & ſeoſibilia, quorum eſt ſenſus, & qoæ intellectus non intelligit niſi per reflexionem ad ſenſum. quare etiam Theolo-
D gi noſtri inqoiunt, quod anima ſeparata intelligit hæc ſingularia ſenſibilia. non per ſpecies acquiſitas hîc, ſed per ſpecies infuſas iotelligunt, ut dicit D. Thomas in prima parte, ubi etiam dicit polcherrimè de intellectione abortorum ac infantium. qoomodo uerò expoſitio noſtra quadret, vnuſquiſque ex Themiſtio colligere poterit; à quo oos etiam ſumpſimus eam expoſitionem. Alter etiam locus notandus, dicit excellentia tua, quod in primo de Anima, ubi philoſophos dicit, ſi anima habet operationem propriam, contingit ipſam ſeparari. quòd accepit, contingit, pro neceſſe eſt. Sed uideat excellentia tua; quòd hoc ſtare non poteſt cum inferius poſitis, ubi inquit, ſi noo habet operationem propriam, non contingit ipſam ſeparari. vbi non contingit, non ſignificat, non neceſſe, quod tamen oporteret ſecundum ex-

poſitionem tuam: ſed ſignificat impoſsibile ſeu non poſsibile. ex quo colli- E
gitur, quod ſuprà acceperat, contingit, pro poſsibile eſt, ut nos expoſui mus.
Alius locus eſt in quinquageſimo ſexto textu tertij de Anima, ubi dicis nos
dixiſſe, quod an ſeparata anima à magnitudine intelligat abſtracta, philoſo-
phus omiſit, tanquam rem manifeſtam. hic dicis nos nobis contradicere, ubi
diximus, quod de operatione animæ ſeparatæ ſciri non poteſt qualis ſit. hic
nos dicimus re uera accepiſſe manifeſtum, pro minus dubio. deinde ſtat,
quemadmodum puto, quod ſit manifeſtum, quod intelligat abſtracta: ta-
men quo pacto hoc fiat, & qualis ſit hæc intellectio, non eſſe compertum
nobis. quare nulla ſecundum rei ueritatem eſt in dictis noſtris contradictio;
licet qui in malum ſenſum omnia trahit, inuenire poſsit nodum in ſcirpo, ut F
dicitur in prouerbio. de eo uerò loco in primo Ethicorum, ubi dicis, nos no-
bis contradicere, non poſſum ſatis mirari, quàm in ſiniſtrum ſenſum dictum
noſtrum acceperis, nec totum ſed partem recites. diximus, quemadmodum
re uera eſt, philoſophum dixiſſe, quod infortunia nepotum & amicorum
non faciunt fœlices & infœlices defunctos, ſi ad eos pertingunt. Hoc enim
ſubditur in textu & à nobis; quam conditionem diximus appoſuiſſe philo-
ſophum; quia in tertio de Anima in textu vigeſimo, declarauit quod non
pertingunt, quia intellectus paſsibilis corruptibilis eſt. Eſt'ne hæc contra-
dictio? repugnant'ne hæc dicta dicenti, quod non reminiſcuntur mortui ſin-
gularium ſenſibilium? Re uera ſi alius noſtra dicta ita perperam interpreta-
tus eſſet, ac legenda in publicum tradidiſſet; non poſſem eum non arguere G
malignitatis & impietatis. Verùm de me potius quàm de te hoc ſuſpicarer,
quem noui mei amantisſimum eſſe. de illo autem loco, quod quidditatem
animæ ſeparatæ diximus pertingere ad primum philoſophum, cum tamen
in alio loco dixerimus, ſola fide hoc ſciri poſſe, neque lumen naturale ad id
pertingere, dicimus nos, quod cum prima philoſophia, ſicut dicit philoſo-
phus in primo Metaphyſicæ, ſit ſcientia de Deo, & quam maxime Deus ha-
bet; multa pertinent ad primam philoſophiam ſecundum ſe conſideratam,
quæ tamen à nobis lumine naturali capi non poſſunt, neque tradi queunt in
philoſophia prima participata ab homine: nam cùm ſit ſcientia de Deo, &
quam maximè Deus habet; præcipuè ad ipſam pertinet tradere quid ſit
Deus; tamen à nobis pertingi non poteſt quid ſit Deus, ut etiam tu in mul- H
tis locis dicis. quare non mireris, ſi hoc ſpectat ad primam philoſophiam ſe-
cundum ſe, ut etiam uidetur dicere Themiſtius in prologo Phyſicorum, non
tamen à nobis pertingi poſsit. de opinione uerò Solonis, quam Ariſtoteles
taxat in primo Ethicorum, & ex quo loco vult excellentia tua non fuiſſe à
philoſopho reprehendendum Solonem, ſi anima eſt immortalis, quia ſecun-
dum hanc poſitionem dictum Solonis eſt uerum, quod ſcilicet *Vltima
ſemper Expectanda dies homini; diciq; beatus Ante obitum nemo, ſupre-
maq; funera debet:* nihil meo iudicio eſt clarius quàm huiuſce rei ſolu-
tio. Nolebat Solon aliquem in obitu eſſe fœlicem, quia poſt obitum ei con-
tingeret fœlicitas, neque de alia fœlicitate locutus eſt, quàm de fœlicitate
politi-

A politica, verùm tunc eum dicebat fœlicem propter exactas operationes & fortunas, à quibus in obitu amplius non poterat decidere in infortunia. & hoc reprehendit Ariſtoteles, & contra hunc ſenſum procedunt rationes ipſius. inquit enim, quomodo in obitu uerè dici poteſt quòd fuit fœlix; cùm nunquam antea de præſenti uerè dici potuerit eum eſſe fœlicem, &c. De eo uerò, quod dicis extaſim eſſe infirmitatem cerebri, quia à præclariſsimis viris diſputatum abunde eſt, quòd interſit inter ægritudinem cerebri, & diuinum afflatum illum, quem præter Paulum & Moyſem, quos ob reuerentiam fidei excellentia tua excipit, plurimis excellentiſsimis viris contigiſſe memoriæ proditum eſt, inter quos Plotino ſummo philoſopho & præclariſsimi no-
B minis viro: nunc à nobis nihil dicendum duco. quod uerò inquis conatum B.Thomæ fuiſſe, ut faceret Ariſtotelem Chriſtianum; mirum quod in octauo Phyſicorum hoc non fuerit conatus; immò reprehendat eos, qui dicunt Ariſtotelem adduxiſſe rationes eas ad probandum motum eſſe æternum, nō tanquam neceſſarias, ſed tanquam probabiles: mirum etiā, quod Theophraſtus eius diſcipulus, quique viuam eius vocem complures annos audiuit, & relictus ſucceſſor in Academia fuerit, Themiſtius innumerique alij conati fuerint Ariſtotelem Chriſtianum facere. quod autem dicas dictum noſtrum, quod ſcilicet anima eſſe immortalis probari poteſt ratione naturali, ſit contra fidem; quia ex hoc probari poſſet reſurrectio. Ergo & B.Thomas, Auguſtinus, omneſque ferè Chriſtiani, qui hoc cenſuerunt, contra fidem ſunt
C locuti. Mirum certè; immò dicimus hoc maximè eſſe ſecundum fidem, quæ profitetur lumen ſupernaturale non eſſe contrarium lumini naturali, ſed eſſe perfectionem quandam defectus luminis naturalis. Maximè ergo ſecundum fidem eſt, ut id quod inchoauit lumen naturale, neque perficere potuit, lumine ſupernaturali fidei perficiatur. Cùm ergo lumen naturale probet animam eſſe immortalem: de ſtatu uerò animarum poſt mortem fluctuet, nihilque certi afferre poſsit; maximè congruum eſt, ut id lumine ſupernaturali perficiatur, neque hoc quod perfectum eſt, diſconuenit ei, quod lumine naturali inchoatum eſt. Ecce quàm pulchrè & commodè conueniant omniā ſecundum noſtram poſitionem: at ſecundum poſitionem oppoſitam, quæ vult lumen naturale perfectum eſſe, nihilque inchoare quin perficiat, ualde pericu-
D loſum eſt ne lumen ſupernaturale ponatur, non perfectionem, ſed deſtructionem naturalis luminis. itaque cùm nobis ſint comperta ea, quæ lumine naturali ſcimus, periculum eſt ne putemus fabulas eſſe ea, quæ dicuntur ſciri lumine ſupernaturali; hocque lumen figmentum quoddam cenſeamus. quòd uerò ſubdis Platonē ſenſiſſe animæ mortalitatem, à quodamque Græco te id audiuiſſe, qui Platonem ac Platonicos uiderit, iudicet. Ego ex hoc, minus miror, quod etiam Ariſtoteli, qui presſius eſt locutus, attribuatur hæc ſententia. In poſtrema parte nequeo ſatis obſtupeſcere, quod dixeris nos poſtremis verbis noſtri tractatus arguiſſe te inſufficientiæ. Mirum certè. dixeram ego quod multa mihi ſupererant, quæ facta fuerant in tuo tractatu: in quibus dubitationes eſſe poſſent. Verùm nolle me abuti humanitate tua:

cùm ſuprà multa feciſſem verba. certè mirandum, quod in tam malum ſenſum omnia noſtra amicè ad te miſſa ut caſtigarentur, interpretatus ſis, notumque poſtmodum omnibus eſſe volueris. Nunc ſupereſt, ut de tertia illa concluſione ridiculoſa & erronea parciſsimè dicam. Primùm ridiculoſa eſt ratio probans concluſionis primam partem, quod ſcilicet non poſsit ſciri ſtatus animarum poſt mortem. Nam dicebamus, quod ratio ducens ad hoc eſſent animæ operationes, ſcire ſcilicet & velle; quæ cùm non ſint ſenſibiles, ex illis ſciri non poterit. Quare inquit excellentia tua: hæc ratio contra auctorem retorquetur. nam cùm nulla ſit via ad ſciendum immortalitatem animæ, niſi ex intelligere & velle, & hæc non ſint ſenſata: ergo fruſtra nitimur ex intelligere, & velle probare animam eſſe immortalem. Erronea ergo & ridiculoſa ratio. per Deum, niſi fortaſſe contradicendi deſiderio hæc ſint abs te dicta; fateor me eſſe ebrium, cui nil ridiculoſum hîc uideatur, admodumque debilis reflexio & ratio longè diſpar uideatur: intelligere & velle, ex quibus infertur animæ immortalitas, eſt illud intelligere & velle, quæ in nobis experimur dum uiuimus, & quæ, licet non ſint ſenſata, ex ſenſatis cognoſcuntur. at intelligere & velle, ex quibus poſſumus eſſe certi de ſtatu animarum poſt obitum, eſt velle & intelligere ipſarum; ad quæ diximus pertingi à nobis non poſſe, quia nec ſunt ſenſata, nec connexionem habent cum ſenſatis, quis non uiderit tam diſparem rationem. Alterum quoque ridiculum eſt, quod diximus, quod ſani hominis eſt credere aliqua fuiſſe diuinitus reuelata, quibus ſimus certi de re dubia, quæ ſcitu tamen neceſſaria eſt. Nos autem diximus hoc eſſe neceſſariò conſequens ad dicta noſtra, & eſſe uerum ſecundum ſe, & eſſe neceſſarium ſecundum dicta excellentiæ tuæ. diximus nos, quod animam eſſe immortalem ſcitur ratione naturali: ſtatus animarum poſt mortem ſciri non poteſt. attamen ſtantibus his, quæ diximus, cum fœlicitas noſtra maximè ſit poſt obitum; cognitio uerò fœlicitatis tanquam ultimi finis omnium operationum maximè ſit homini neceſſaria: Deus autem, cui de omnibus eſt prouidentia etiam ſecundum philoſophos, non deficiat in neceſſarijs: cur ergo non eſt ſani credere fuiſſe aliqua diuinitus reuelata: putet qui velit hoc non eſſe ſani hominis, ego puto, itaque profiteor putare me, ſaniſsimi hominis, hoc eſſe. Amplius hoc eſt uerum ſecundum ſe lumine naturali, intellectus ſe cognoſcit & ſuum lumen, at ex ſuo lumine ſecundum rei ueritatem inchoatio quædam eſt cognitionis, quod perficitur lumine fidei: ergo intellectus comprehendit ſe inchoare cognitionem quandam, quam perficere non poteſt, & ad quam naturalem inclinationem in ſe ſentit. cùm autem nihil ſit mancum in natura, aliquo alio lumine ſibi opus eſſe noſcit. quòd autem dicis ad lumen fidei, ac ad gratiam nullam deberi in homine præparationem; dicimus nos quod quamuis nullam operationem homo operari queat ſine influentia primæ cauſæ; tamen ad habitualem gratiā acquirendā requiritur præparatio in anima ſecundū Theologos, licet & huius præparationis, ſicuti cuiuslibet rectæ actionis, primus auctor eſt Deus. quare dicit dominus per Prophetam, Conuertimini ad me, & ego conuertar

A uertar ad vos. & de hoc uideas B.Thomam in fine primæ ſecundæ hoc pulcherrimè declarātē. Poſtremò ex dictis tuis in tractatu de immortalitate animæ, capite vltimo, nōne hoc expreſsè ſequitur? inquis enim, quod animā eſſe immortalē aut mortalē, ſciri non poteſt ratione naturali. ſubdis poſtea, quod alius ſtatuēdus finis, ſi anima mortalis, alius uerò ſi immortalis. Ex his dictis ſequitur, quod homo ex lumine naturali de ſuo fine eſt incertus; at ſi eſt incertus de fine, qui eſt menſura omniū actionū; erit etiā de aliis actionibus incertus. at cū diuina prouidētia ſecundū Philoſophos vnicuiq; ſpeciei nō deſit in neceſſarijs, ſicut dicit Philoſophus; ergo ſecundum tuā ſentētiā ſcimus nobis opus eſſe aliquo alio lumine à naturali; nonne hoc ſequitur ex dictis excellentiæ tuæ? quin potius hoc quaſi expreſsè dicit: hoc nō appono, verba tua qui legerit, iudicet. Finē hîc faciā, & breuiter colligā in duobus nos inuicē diſcrepare. quantū ad modū abſtractionis intellectus à materia, in omnibus, ut uideo, conuenimus. ponimus unū intellectū ſecundùm eſſentiam eſſe indiuiſibilē, ponimusq́ue unum non eſſe comprehenſum à certo loco & tempore. item ponimus, quod intellectio ſit in intellectu tantùm tanquàm in ſubiecto, non tamen in corpore tanquam in ſubiecto. at apud me qui concedit iſta de intellectu, de neceſsitate debet concedere ipſam eſſe formam, quæ non ſit actus tantùm; ſed ſit actus, qui per ſe eſt, & eſt in actu; quod conſequens, ut credo, euitari nō poteſt. at omnis talis forma de neceſsitate eſt incorruptibilis. Excellentia uerò tua neſcio quo'nam pacto, quamuis eam abſtractionem concedat in intellectu, ponit eum eſſe mortalem. Hoc uerò ego capere nequeo. In altero deinde differimus, quod non putamus inconueniens, lumine naturali nos peruenire ad ſcientiam alicuius antecedentis; cùm tamen de conſequentibus, eodem lumine certificari non poſsimus; de qua re ſuperius longū ſermonem fecimus. Hocq́ue putamus eſſe uerè philoſophari; hancq́ue philoſophiam, quæ ſuum noſcit defectum, perfectionem animi eſſe cenſemus. illam uerò quæ putat lumen naturale ſibi debere in omnibus ſufficere, negatq́ue ſcientiam eius inchoatam, quia nequit pertingere ad perfecta: putamus nos eſſe philoſophiam admodū periculoſam, & quæ inſtillare animo poſsit peſtiferum & noxium infidelitatis impietatisq́ue venenū. & quāuis ſe candidam dicat, atque ſub legibus viuentem, veremur nos ne inflata ſit ac tumida.

D Hæc ferè ſumma eſt eorum, in quibus vicisſim diſſentimus. Qua in re me admodum hinc mouet auctoritas tua, quē philoſophorum noſtræ ætatis principem puto, grauisſimiq́ue iudicij virum; inde verò me rationes cogunt, quas cōmodè ſolui poſſe nō uideo. quāobrē cùm me ipſe colligo, cū aſſentior tuæ auctoritati, opinionē uerā habere me arbitror: & ex altera parte cum me conuerto ad rationes, ignorantiam mihi diſpoſitionis adeſſe puto. quo fit, ut omnibus conſulam tuæ potius auctoritati aſſentiri, quàm noſtris ineptiis; quas, excellētisſime vir, putato tanquam præludium quoddam fuiſſe veræ pugnæ ac certaminis: quod tibi futurum conijcio ex his, quæ dicis in luculentisſima hac apologia, cum clarisſimo philoſopho Auguſtino Sueſſano, cum quo ueram pugnam ineas oportet. Nos ſatis ſuperq́ue præluſimus: tu benigno vultu, quidquid id eſt, perlege ac caſtiga. Vale, præceptor mi honorandisſime.

NON DARI QVARTAM FIGVRAM SYLLOGISMORVM SECVNDVM OPINIONEM

Galeni, Ad Oddum de Oddis.

ET SI (vt probè noſti) ſum publicis adeò occupationi-
bus implicatus, vt vix reſpirandi ſpatium habeam, non
potui tamen manum continere, quin pauca hæc con-
ſcriberem, quæ memoria repetere potui, ex antiquis
ſtudijs meis longo iam diuturnoque temporis ſpatio
intermiſsis; nam euoluendi codicem aliquem tempus
vllum non habeo. Vidi quæ accuratè ſanè docteque abs te ſcripta
ſunt, ut ſententiam Galeni probares de quarta ſyllogiſmorum figura,
C ego è contra pauca quædam conſcribam ſumpta è media Ariſtotelis di-
ſciplina; in quibus facilè cuiuis compertum eſſe poterit, eam termino-
rum complexionem, quam adinuenit Galenus, neque ſecundum natu-
ram eſſe poſſe, neque etiam ex ea complexione, ſeu ſyllogiſmo illam
concluſionem ſequi ſecundum materiam, quam exiſtimauit Galenus:
paucis rem agam, cum parum habeam ocij. Nullus ignorat omnem ar-
tem, omnemque diſciplinam primò verſari circa ea, quæ ſunt per ſe, &
ſecundum naturam; ea uerò quæ ſunt per accidens, non niſi ex ſeque-
la quadam, quatenus ſcilicet ordinem quendam habent ad ea, quæ ſunt
per ſe, & ſecundum naturam à ſcientiis, diſciplinisque omnibus conſi-
derari: Huic addas id, quod dicit Philoſophus in primo poſteriorum,
D ubi probat, quod in terminis non poſſumus in infinitum procedere,
quod etiam tangit in ſeptimo libro Metaphyſices: prædicationes ſcili-
cet eas, in quibus prædicatum formam dicit, & ſubiectum materiam,
eſſe per ſe, id eſt, ſecundum naturam; illas uerò eſſe per accidens, in
quibus aut ſubiectum de accidente prædicatur, aut accidens de acciden-
te alio. homo eſt muſicus, ſiquis dicat, prædicationem per ſe, & natu-
ralem affert, è contra ſi dixerit, album eſſe hominem, aut muſicum eſſe al-
bum, per accidens prædicationes in medium profert; non enim muſi-
cus eſt homo, quia homo inſit muſico; ſed quoniam is cui accidit mu-
ſicum eſſe, eſt homo. ſic item albus eſt muſicus, quia is, cui accidit eſ-
ſe album, eſt muſicus: pari ratione quoniam vniuerſalia habent rationem

for-

formæ, minus vniuerſalia materiæ, ideo ſecundum naturam, & per ſe ſuperiora in eadem coordinatione de inferioribus prædicantur; inferiora uerò de ſuperioribus minimè, ut inquit Porphyrius. quamobrem indirectæ prædicationes dicendæ ſunt, niſi ſecundum quid; abſolutè uerò pronunciandum eſt ſpeciem de genere non poſſe prædicari, neque inferius aliquod de ſuperiori. His addatur tertium in definitione ſyllogiſmi, cum dicitur ſyllogiſmum orationem eſſe, in qua quibuſdam poſitis neceſſe eſt aliud euenire, &c. illud aliud, quod euenit quibuſdam poſitis, nihil aliud eſt, niſi ea conclusio, quæ per ſe primò ſequitur ex præmiſſis illis. quod ſi qua ex conſequenti ſequatur, ac uelnti per primum, non eſt dicendum ſequi ex propoſitionibus illis per ſe, & ſecundum naturam, ſed artificio quodam, neque de ea aliquam conſiderationem eſſe debere, cum figuræ conſtituuntur, ſed tantùm de prima concluſione, quæ primò ſequitur quibuſdam poſitis, &c. hæc omnia ſunt veluti principia quædam logices diſciplinæ; quæ nullus, qui Peripateticus dici velit, ignorare debet: quibus conſtitutis facilè quicunque intelligere poterit, quartam figuram ſecundum naturam eſſe non poſſe, duabus de cauſis: nam neque ea complexione terminis ſecundum naturam, & uera prædicatione diſpoſitis, vllo pacto accommodari poteſt; neque etiam ſi accommodaretur, ex ea complexione terminorum primò, & ſecundum naturam deduci poteſt ea concluſio, quam putat Galenus; ſed alia in prima figura. primum euidentiſſima ratione probatur, nam ſi A. de C. vera prædicatione, & ſecundum naturam prædicatur: impoſſibile eſt, quòd illud, quod eſt conſequens ad A. id eſt quod de. A. ſecundum naturam prædicetur, ſit antecedens ſecundum naturam ad C. ita quod. C. ſecundum naturam de eo prædicetur: nam quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de ſubiecto, ut dicit Ariſtoteles in prædicamentis, & ſi prædicabitur B. de A. prædicabitur etiam de C. non ergo C. de eo poterit ſecundum naturam prædicari; nihil namque eſt prius, & poſterius ſeipſo. ecce ergo quàm euidenti ratione demonſtratum eſt, eam terminorum compoſitionem nullo pacto poſſe accommodari terminis ſecundum naturam diſpoſitis; & iccirco eam figuram naturalem eſſe non poſſe, & ideo ab Ariſtotele omiſſam. non enim fuit philoſophorum omnium princeps tam tardi, ac hebetis ingenij, ut facilè intueri non potuerit, præter tres complexiones terminorum, de quibus mentionem fecit, hanc quartam reliquam eſſe; nam, ut dicit ipſe in primo priorum, ubi tractat de inuentione medij; ſi conſequens maiorem extremitatem repugnabit minori, uel conſequens minorem repugnabit, ac oppoſitum erit maiori, fit ſyllogiſmus in ſecunda figura negatiuus: hæc ergo complexio eſt naturalis, vel medius terminus vtrique extremitati ſubijcitur, & hæc compoſitio eſt tertiæ figuræ, & eſt naturalis; nam antecedens maiorem eſt idem cùm antecedente minorem, & eſt ſyllogiſmus particularis in tertia figura, & vtraque figura eſt ſyllogiſmorum imperfectorum, qui ſcilicet aliquibus egent, ut uideantur neceſſarij. neque ſtatim euidentes ſunt per dictum de omni, & dictum de nullo; naturales tamen, quia

illæ

A illæ complexiones terminorum accommodari poſſunt terminis ſecundùm naturam diſpoſitis. alia complexio terminorum eſt, ſi medius terminus prædicetur de minori, & ſubijciatur maiori, vereq́ue ſit medium inter extremitates poſitus; & complexio eſt primæ figuræ omnium perfectisſimæ, cuius ſyllogiſmi nullo egent, ut uideautur neceſſarij; ſed confeſtim euidentes ſunt per dictum de omni, & dictum de nullo. nec refert, ſi quando hæ figuræ accommodentur terminis etiam præpoſterè, & contra naturam diſpoſitis, ut ſi dicam, omne animal homo, omne corpus animal, ergo omne corpus homo: hoc.n. ſimile eſt, ut ſi re quapiam naturali vteretur aliqua ars, eamq́ue vſui ſuo accommodaret: nec tamen propterea dicendum eſſet, eam rem non B conſtare natura, quamuis arti accommodata eſſet. quartam complexionem reliquam eſſe ex vi terminorum trium, nulli uel tardioris ingenij non compertum eſſe poteſt, ut ſcilicet medius terminus ſubijciatur minori, & prædicetur de maiori. hanc Ariſtoteles reliquit, arripuit Galenus. Omiſit ſummus philoſophus, quoniam illa complexio terminis ſecundum naturam diſpoſitis, de quibus primo, & per ſe agit logicus, nequit vllo pacto accomodari: arripuit Galenus, ut uideretur in medium attuliſſe rem nouam, quæ Ariſtotelem latuiſſet; danda venia tanto viro, nam plerique omnes, & excellentes homines ſtudioſi gloriæ eſſe ſolent etiam plus iuſto. Hactenus probatum eſt eam terminorum complexionem non eſſe naturalem, quia terminis ſecundum naturam diſpoſitis nullo modo accommodari poteſt. nunc perſpicuè C oſtendam, ex ea complexione terminorum non fieri ſyllogiſmum, ex quo primò, & per ſe ſequatur illa concluſio, quam putat Galenus ſequi in quarta figura: verum ut totùm hoc melius intelligatur, paucis repetam ea, quæ dicit philoſophus in ſecundo priorum ſtatim in veſtibulo eius libri, ubi agit de potentia ſyllogiſmorum. inquit ibi, quoſdam eſſe ſyllogiſmos, ex quibus plures cōcluſiones ſequuntur, quoſdam uerò, ex quibus una tantùm concluſio ſequitur. omnes ſyllogiſmi, quibus concluditur concluſio vniuerſalis affirmatiua, ſeu vniuerſalis negatiua, ſeu particularis affirmatiua, plures concluſiones efficere poſſunt, quæ ſecundæ ſunt, & per primam ſequuntur, conuerſæ ſcilicet concluſionis primæ, & ſubalternæ uniuerſalium concluſionum. at ſyllogiſmus, quo concluditur particularis negatiua, in unam tantum concluſionem D poteſt, nam particularis negligentia non conuertitur. Hæc Ariſtoteles. nunc ad rem deueniam, ſi quis ſyllogiſmū hunc cōſtituat, omne. C. eſt. B. omne B. eſt. A. (dicit Galenus) quod ſequitur in quarta figura ſecundum naturā, & per ſe, quod aliquod. A. eſt. C. Nos uerò dicimus, quod cuiuis etiā conniuentibus oculis intuenti perſpicuum eſt, quod per ſe, & primò non ſequitur quod aliquod. A. eſt. C. Sed quod omne. C. eſt. A. & concluſionis ſequela euidens eſt per dictum de omni. per hanc concluſionem ſequitur, & eius conuerſa, ſcilicet quod aliquod. A. eſt. C. non per quartam figuram, ſed per primam; cuius potentia eſt, ut primus eius modus ad plures concluſiones ſe extendat, quarum una tantum per ſe primò ſequitur ex ea terminorum complexione, aliæ uerò per accidens, id eſt, per primam concluſionem. hoc adeò clarum eſt, ut

nulla egeat probatione. quis enim ambigere poteſt vir ſanæ mentis in rē E
tam perſpicua? non igitur hæc quarta figura naturalis eſt, tum quia ea complexio accommodari non poteſt terminis ſecundum naturam diſpoſitis; tūm quoniam ea concluſio, quam putat Galenus, non ſequitur ſecundum naturam, id eſt, per ſe, & primò, ſed alia in prima figura, & hoc per accidens; non in quarta, ſed in prima figura, ut ex his quæ dicit Ariſtoteles in ſecundo priorum, quiuis intueri poteſt. Reliquum eſt, ut pertingam ea, quæ obijcis de quibuſdam ſyllogiſmorum modis; quos, quia inutiles ſunt in tribus figuris, vis tu redūcere ad figuram quartam. nam ſi dicam nullum C. eſt B. omne B. eſt A. proculdubio in prima figura nil ſequitur, ſequitur tamen in quarta, quod aliquod. A. non eſt C. laudo vehementer ingenium tuum, ſingularemq́ue obſeruantiam, qua Galenum medicorum excellentisſimum merito quodam iure proſequeris; vellem tamen ut rationem haberes ſummi philoſophi, quem omnis antiquitas ſemper eſt admirata, cumq́ue ſibi præcipuum magiſtrum aſciuerit. non latuit Syllogiſmorum modus ille Ariſtotelem; nam in primo priorum inquit; ſi altera propoſitionum fuerit uniuerſalis negatiua, & altera affirmatiua, ſiue poſterior hæc uniuerſalis ſit, ſeu particularis, fieri ſyllogiſmum uel per ſe, & ſecundum naturam maioris extremitatis ad minorem in modis vtilibus; uel minoris ad maiorem in modis inutilibus; nam conuerſis propoſitionibus, uel eorum altera, & tranſpoſitis, ſi opus fuerit, omnes modi illi reducuntur ad primam figuram, ad modum ſcilicet quo maior G
eſt uniuerſalis negatiua, & minor particularis affirmatiua: hæc ferè Ariſtoteles. Ad rationem nunc deuenio: ſi dicam nullum C. eſt B. omne B. eſt A. ergo, & C. dico hunc modum, & hanc complexionem eſſe non quartæ, ſed primæ figuræ, & eſſe inutilem; quia mutatis terminis ſequitur concluſio vniuerſalis negatiūa, & vniuerſalis affirmatiua, arte tamen quadam efficitur utilis, ſi fiat ſyllogiſmus minoris extremitatis ad maiorem; ut ſi colligam aliquod. A. non eſt. C. quamuis ergo in concluſione. A. ſit ſubiectum, & C. prædicatum, non tamen in ea complexione terminorum. A. eſt minor extremitas, & C. maior, ſed econtra, quia ſecundum naturam minor extremitas non poteſt medium continere, quod prædicetur de maiori. fit ergo ſyllogiſmus in prima figura inutilis, ſi quæramus concluſionem natu- H
ralem, in qua maior de minori prædicetur; ſed utilis, ſi fiat præpoſtera prædicatio, minoris. ſ. de maiori: neque propterea dicemus hunc modum eſſe in alia figura, quàm in prima; quia eſt inutilis ad concluſionem per ſe, & ideo applicandum eſſe figuræ non primæ; nam pari ratione ſi dicam, aliquod B. eſt. A. nullum. C. eſt. A. ergo & C. vtique modus hic inutilis eſt in ſecunda figura; quia maior propoſitio eſt particularis, neque poteſt colligi concluſio, neceſſariò ſequens maioris ad minorem extremitatem; fit tamen concluſio minoris extremitatis ad minorem ex regula à philoſopho habita, de qua ſuperius memini. an propterea dicemus hunc modum, quoniam artificio quodam efficitur vtilis, non eſſe in ſecunda figura? minimè omnium

A nium : nam non poſſumus modum hunc accommodare quartæ figuræ, ut perſpicuum eſt ; erit ergo in ſecunda figura per ſe inutilis, per accidens vtilis. pari modo ſi dicam omne C. eſt. A. nullum. C. eſt. B. ergo, & C. vtique modus hic ſyllogiſmi inutilis eſt in tertia figura, quia minorem habet negatiuam, & nulla concluſio deduci poteſt maioris extremitatis ad minorem; vtilis tamen eſt in cõcluſione præpoſtera, minoris ſcilicet ad maiorem. erit'ne modus hic in quarta figura, quia inutilis eſt in tertia figura? minimè omnium, ſed erit modus tertiæ figuræ per ſe incommodus, commodus per accidens. pari ergo ratione modus ille primus, ſi dicam, nullum. C. eſt. B. omne B. eſt. A. eſt modus primæ figuræ inutilis per ſe, ad

B concluſionem præpoſteram vtilis. Non ergo propterea concludendum eſt, ergo dari figuram quartam ſyllogiſmorum naturalem. Hæc ſunt, quæ memoria repetere potui ex ſtudijs, quæ per xxv. annos intermiſi. doctiores, & minus occupati, quàm ego, plura præſtare poterunt, vix pauca hæc ego calamo præcipiti conſcribere potui. Vale.

DE HOMOCENTRICIS
AD HIERONYMVM FRACASTORIVM.

IOANNES Baptiſta Rhamnuſius noſtri amantiſsimus,
tuique in primis ſtudioſus, mihi legendum tradidit
opuſculum tuum, in quo præclarè complexus es vni-
uerſam cœleſtium motuum rationem, nullis adhibi-
tis eccentricis orbibus, aut epicyclis ſphæris: cuius
operis lectioni (quamuis ſummopere cupiebam intel-
ligere ea, quæ tu ac Turrius noſter ſummo ingenio, ac ſingulari bona-
rum artium peritia præditi ſupra ea re commenti eratis;) ſuperiori-
bus tamen menſibus dare operam non potui propter maximas occu- G
pationes publicas, quibus detinebar. proximis uerò diebus, cùm à col-
legio noſtro decem virùm impetraſſem, vt rus concedere poſſem, ali-
quotque dierum vacationem haberem; nihil mihi prius fuit, quàm om-
nes hoſce dies conſumere in præclariſsimi huius operis tui lectione. ac
equidem ſatis verbis aſſequi non poſſem, quàm magnam ceperim vo-
luptatem, quantasque Deo immortali gratias egerim, quòd noſtra tem-
peſtate deformitas ea, ac turpis, ut ita dicam, ignominia, quam prio-
rum aſtrologorum auctoritas diuinis corporibus illis inuſerat, opera no-
ſtra ablata ſit. mihi certè, ut uerum fatear, nunquam potuit à grauiſ-
ſimis etiam auctoribus perſuaderi, eam eſſe figuram, eosque motus cœ-
leſtium corporum, quales Ptolmæus cæterique aſtrologi prodiderant H
nobis: ac ex eo motu cuius poli eſſent in Zodiaco, cuique Ariſtoteles
attribuit motum planetarum in latitudinem, præſagibat animus poſſe for-
taſſe quippiam reperiri, quod in hanc rem eſſet. qua de re ſæpe memini
me locutum fuiſſe cum noſtro Turrio. perlegi igitur totum opuſculum
tuum hiſce diebus, quibus ruſticatus ſum cum Marco Antonio Flami-
nio, elegantiſsimi ingenij viro, quem noſti. admiror equidem vniuer-
ſam hanc, quam commenti eſtis, rationem, nihilque omiſſum pu-
to, quod faciat ad perſpicuitatem ordinemque totius operis. verùm, ut
amici officio tecum fungar, ac ne probem ea, quæ non ſatis intelligo; non-
nulla ſunt in tuo opuſculo, quæ mihi non ſatis ſunt explorata. ea paucis

A perſtringam, tum ut tua opera ea ego mellius intelligam, ut tute operam des, ne quid ſit in hoc opuſculo tuo (multos etenim aduerſarios eſt habiturum) quod iure reprehendi queat. ſcis quantopere omnes nouis inuentis, ac aliorum gloriæ ſoleant inuidere, & quàm ægrè illi, qui in quapiam diſciplina conſenuerint, ſenes fateantur ea delenda eſſe, quæ imberbes didicere. Ne ego pluribus te detineam, paucis ſingula quæque annotabo, quæ mihi dubitationem faciunt.

Dicis in prima ſuppoſitione, tres eſſe motus, quibus recta corpora ferantur, ante, & retro, ſurſum, deorſum, deſtrorſum, ſiniſtrorſum; vide ne hoc calumniam patiatur; nam motus hi non uidentur ineſſe natura rectis corpo-
B ribus, ſed animalibus quæ ſecundum locum mouentur; qua ratione anima uidetur quodammodo attingere motum circularem, cum ſecundum omnes differentias poſitionis moueat, ut ex ſecundo libro de cœlo à Philoſopho colligi poteſt.

Dicis item, quod ſecundum naturam tres ſunt motus circulares, diurnus inquam, & is cuius poli ſunt in coluro ſuperiori, isque cuius poli ſunt in Aequinoctijs, motum uerò obliquum, quo nunc mouentur planetæ, eſſe per accidens in natura. Vide ne nonnullis uidearis uti principijs geometricis in demonſtratione concluſionis Phyſices: ſimulque ne uidearis contradicere Ariſtoteli & Platoni ſummis philoſophis, qui cum doceant nos, plures motus cœleſtes eſſe ob generationem, & corruptionem horum in-
C feriorum entium, præcipuè tamen attribuunt viciſſitudinem hanc motui huic obliquo, ſic Ariſtoteles in ſecundo libro de generatione, & Plato in Timæo, qui etiam attribuit animæ totius, poſtquam per numeros harmonicos eam diſtinxerat, figuram græcæ literæ. X. quæ poſtea in orbem connoluta, duos hos motus nobis refert, diurnum inquam, & obliquum ſub Zodiaco circulo: quod ſi Sol Planetæque cæteri per ſe, & ſecundum naturam mouerentur, vel ſub æquinoctiali circulo, uel ſub vtro uolueris coluro, maximè certè incommodus eſſet motus ille viciſſitudini huic generationis, & corruptionis: nam ſub æquinoctiali ſi fuerit, ad nullam inquam partium terræ accederet, nec ab vlla recederet Sol, uerùm eodem modo omnes ſemper reſpiceret. ſi uerò ſub vtrouis coluro moueretur, & æſtate continuus dies eſ-
D ſet habitantibus ferè omnibus citra æquinoctialem plurium menſium, pauciorum've, hyeme uerò continua nox. itidem viciſſim habitantibus ultra æquinoctialem, hic uerò ſolis planetarumque motus, ut quiuis perſpicere facilè poteſt, maximè incommodus eſſet generationi, conſeruationique rerum generabilium. quamuis ergo ratione geometrica propter tres lineas tantùm quæ ſe interſecare poſſunt in centro ad angulos rectos, aliqua coniectura fieri poſſet eius, quod tu dicis, ratio tamen hæc non eſt ex proprijs naturæ principijs ſumpta; immò naturæ officit ob ea quæ diximus, & quamuis Ariſtoteles in primo libro de Cœlo ex figuris ſimplicibus eliciat motus ſimplices, conſonat tamen concluſio ea ſenſui, nam circularem, & rectum motum ineſſe conſpicimus ſimplicibus corporibus, quare non eſt

par in vtraque argumentatione ratio. E

Dicis in ſuppoſitione ſecunda, quod impoſſibile eſt eundem orbem moueri per ſe à duobus Intellectibus, quia idem ſimplexque corpus duas naturas habere non poteſt. vide ne hæc ratio plurimis neceſſaria non appareat. Nam cùm Inferiores intellectus intelligant primùm per eſſentiam primi, quæ eſt in omnibus ſicut forma intelligibilis in intellectu intelligente, nihil uidetur officere, quin intellectus ſeu anima primi orbis, quæ eſt forma aliarum inferiorum, moueat per ſe inferiores orbes, ſiue is motus immediate ſit à prima anima, ſiue à propria cuiuſque orbis, pro ut formatur à prima, præſertim cum motus circulares, quemadmodum dicit Philoſophus in ſecundo libro de cœlo, non differant ſpecie, ſed tantùm numero. F



Dicis in tertia ſuppoſitione, quod inferior ſphæra à ſuperiori non per ſe mouetur, ſed per accidens, & quod motus ille eſt vectio, ad quam in ſphæris illis ſufficit ſolus contactus, cum nulla ſit in eis repugnantia & contrarietas. Vide ne hæc ſuppoſitio, niſi aliud addatur, calumniam patiatur, nam ſecundum ſententiam philoſophi in libello de motibus animalium, id quod mouetur, indiget aliquo quieſcente, nam & niti, ſeu quieſcere oportet rem mobilem in eo, à quo motus immediatè ad ipſam peruenit, atque etiam præter hanc quietem extrinſeco quodam eget quieſcente, cui motor nitatur, niſi in ſe ipſo immobilis fuerit; ſi ergo ſphæra quæpiam inferior moueatur ſuper polos. A. & B. motus uerò ſit in. C. impoſſibile eſt meo iudicio, quod ſuper eiſdem polis vehatur ſphæra hæc in partem oppoſitam, verbi gratia in G D. nam in eo motu vectionis ſecundum nullum ipſius punctum quieſcit, ſeu nititur in ſuperiori ſphæra. Immò ſecundum omne punctum in oppoſitam partem mouetur. quamobrem puto ego motum hunc vectionis accommodari poſſe omnibus ſphæris alijs, præterquam illis orbibus, quos tu ponis, & ſupra octauam ſphæram, ſi mouetur octaua ſuper polis Zodiaci, & in quibuſdam planetis, ne ſcilicet vehantur in latitudinem, illi enim duo motus oppoſiti ſunt ſuper eiſdem polis, & tamen inferior orbis vehitur à ſuperiori immediatè in partem oppoſitam illi, ad quam per ſe mouetur, cæteris uerò accommodari poteſt meo iudicio. Nam poli circumducentis octauæ ſphæræ non ſunt ſub polis primi orbis, qui diurno motu mouet, ſed ſub æquinoctijs; poli item circitoris, qui proximus eſt circumducenti, non ſunt H ſub æquinoctijs, ſed ſub coluro ſuperiori, quare alter alterum vehere poteſt, cum ſecundum polos quieſcat in proximo ſibi orbe ſuperiore, à quo vehitur; at in illis duobus in contrariam partem motis, ne inferior planeta, ſeu ſphæra octaua moueatur, in latitudinem hoc dici non poteſt, ut oſtendimus.

Nollem in xiij. capitulos irrideres eos, qui dicunt Deum pluuiæ cauſam, & quæ ſubdis de prophetis, ne arguaris impietatis ab illis, qui omnia in malam partem accipiunt.

Item reprehendi poſſet id, quod dicis habitates ſub polis, quibus dies eſt ſex menſium, habere certum meridianum.

Item

A Item, quod dicis recedente ſole à Tropico diminuitur calor, quinimmo augetur propter diſpoſitionem poli.

Dicis ne orbis planetæ à circumducente moueatur in latitudinem ſimul cum circitore,eſſe ſupra planetam orbem contranitentem. dubitationem habet motus hic contranitentis, nam cùm omnis motus circularis ſit circa centrum, idq́ue intendat motor, is qui circulariter mouet, ut centrum ambiat; motus hic cōtranitentis nunquam aſſequitur quod intendit: nam nunquam centrum ambit motu ſuo,quin potius retrocedit,ut dicis:hanc enim cauſam ponis,quod declinationes ab Aequinoctiali minuuntur, præter motum octauæ ſphæræ.

B In his quæ dicis de motu ſolis, dubitatio eſt, ſi poli motus proprij ſolis ſunt poli eclipticæ, cur per motum circitoris ſol non pellatur modo in Meridiem ab ecliptica,modo in Septentrionem:nam contranitens nihil officere poterit,cum medius circulus circitoris reſpiciat polos contranitentis, qui ſunt ſub æquinoctijs.

In his quæ dicta ſunt de luna, orbis ille infra lunam poſitus, cuius pars denſior ſicut zona lunæ obuia in quadratis aſpectibus facit lunam maiorem, & nobis propinquiorem uideri, dubitationem habet, cur cùm ſingulis quibusq́ue menſibus ſoli, aliisq́ue ſtellis ſit obuius,non faciat eandem apparentiam,ac nos fallant quemadmodum luna.

In his, quæ de Ioue ſunt dicta, orbis ille ſupremus ſuppoſitus ſaturno ne

C motus Saturni Iouem pertingat,dubitationem habet: nā ſi unius orbis unus item eſt motus,orbis hic vnico per ſe mouetùr motu: unus autem motus nō uidetur poſſe officere niſi vnico Saturni motu,ne is ſcilicet Iouem pertingat. Saturnus uerò pluribus mouetur motibus, ut manifeſtum eſt, cur ergo alii motus Sàturni præter illum cui officit ille orbis non perueniunt ad Iouem? eademq́ue dubitatio eſt in omnibus aliis planetis.

In motu omnium planetarum,qui retrocedunt ob circitoris motum, dubitatio eſt,cur per modum circitoris non moueantur in latitudinem tot gradibus ut minimùm, quot retrocedunt, nam cum æquali, & vniformi motu circitor moueatur,ac circunducatur, item à circunducente motu vniformi, ſphæricaq́ue figura ſibi omni ex parte æqualis ſit, ac eadem: vtique circitor

D motu ſuo deberet in latitudinem vehere planetam, eiusq́ue polos, per totidem gradus, & amplius, quod eum retrocedere facit, nam proprius planetæ motus obſtat retrogradationi, motui uero in latus nihil officit.

Dubitatio eſt in ratione,quam adducis cōtra eccentricos,inquis.n.quòd ſol non æqualiter recederet ab æquinoctiali, in hyeme, cum eſt in antapſide, & in æſtate,cum eſt in apſide:ratio hæc calumniam patitur,nam reſponderet Ptolemæus, licet ſol non æquali ſpatio recedat,recedit tamen æquali,& proportionali parte circuli,ſeu ſphæræ,nam ſi à centro terræ ad antapſidem protrahatur linea, eaq; ſemidiameter deſcribat circulū, itē ſi à centro terræ protrahatur linea ad apſidem,eaq; ſemidiameter deſcribat circulū, longe maior erit hic poſterior circulus priore, quare ſi protrahatur linea à centro terræ

ad punctum prioris circuli, quod eſt ſub æquinoctiali, item ad punctum an- E
tapſidis à centro terræ altera linea, in priore circulo, itidem in poſteriore cir-
culo, qui maior eſt, ſi protrahatur linea ad punctum eius circuli, quod eſt ſub
æquinoctiali, & ad punctum apſidis alteri: vtique pars inter duas lineas in
priori circulo, qui minot eſt, eſt minor, ea quæ intercipitur inter duas lineas,
in poſteriori, & maiori circulo, proportionales tamen inter ſe ſunt, eandem
etenim proportionem vtraque habet ad ſuum circulum, quod ratione ma-
nifeſta probatur. nam ſi priores duæ lineæ fuerint protractæ ad octauam vſ-
que ſphæram, & item poſteriores duæ ad octauam ſphæram, pars meridiani
intercepta inter duas priores ab æquinoctiali ſcilicet & tropico Capricorni,
eſt æqualis portioni Meridiani interceptæ inter duas poſteriores, ab æqui- F
noctiali inquam, & tropico cancri, & hoc uoluit Ptolemæus, cum dixit, quòd
vtrinque recedit ab æquinoctiali per ſpatium æquale, id eſt proportionale:
nam cum moueatur velocius verſus antapſidem, quàm verſus apſidem ſequi
putat Ptolemæus, quòd peragat minus ſpatium, & iccircò etiã quod minus
recedat ab æquinoctiali, proportionale tamen eſt minus illud ſpatiũ maiori.

Hæc ſunt, quæ præſtare poſſum ego pro iure amicitiæ, quæ mihi tecum
intercedit; ego inquam, qui occupationibus multis detineor, & qui iam quin
decim, & amplius annos hæc ſtudia intermiſi, quæ nunc penè oblita, ut po-
tui in memoriam reuocaui. tu pro tua pueritia in omni diſciplinarum ge-
nere acutius rem omnem perpendes, dabiſque operam, ut hoc opuſculum
in lucem prodeat nulli calumniæ obnoxium. quod ut facilius facias, dicam G
quæ mihi addenda uiderentur in ſuppoſitionibus tuis; nam non vereor ne
tecum poſſim tranſgredi pudoris terminos. An motus obliquum ſit per ac-
cidens, an per ſe in natura, tute hoc conſiderabis, hoc namque inuentioni
tuæ negotium nullum facit, ſed quæ magis officiunt, ſunt, ut reor, dubitatio-
nes eæ. cur ſcilicet motus ſuperioris planetæ non pertingant inferiorem, cur
circitor non moueat planetam, in latitudinem per ſpatium per quod retroce
dit, & huiuſmodi alia; iccircò quamuis recte, ut reor, ſuppoſueris vnicum mo
tum ab uno intellectu primo & per ſe eſſe, & quod intellectus moueat mo-
tu vniformi, nam difformi motu mouere non poſſet, neque etiam diuerſo
motu, niſi in mobili, uel in motore eſſet mutatio, maiori etenim nixu, ut ita
dicam, moueret eum velocius citat, quàm cum tardius; hæc rite ſuppoſita H
ſunt; non mihi diſplicet illud etiam, quod ſolo contactu ſuperior orbis ve-
hat inferiorem, cum ſcilicet polus inferioris vehi poteſt à ſuperiori, vellem
tamen illud addi, quod ſicut ſolo contactu vehere poteſt, poteſt etiam non
vehere, nam cum leuiſſimæ ſint ſuperficies eorum corporum, connexa in-
ferioris, & concaua ſuperioris; nihil obſtat inferiorem non vehi à ſuperiori.
vellem itidem aliud addi, cauſæ genus, finalis inquam, nam corpora cœle-
ſtia, ut dicit philoſophus in ſecundo de Cœlo, non mouentur à natura tan-
tùm, ſed ab anima, & intellectu, qui mouet ſecundum præconceptum finem,
totque motibus, & his motibus ſuum quæque orbem citat, quot quibuſque
attingere queat finem præconceptum. his addendum puto, id quod dicit A-

uerroes

A uerroes in duodecimo metaphyſicæ, quod ſcilicet motus vniuſcuiuſque planetæ, eſt ſicuti motus particularis artis quæ deſeruit motui primi motoris tanquam principi arti, & architectonicæ. Hæc ſi quis ſuppoſuerit præter ea, quæ tu ſupponis ex cauſa finali, poterit ſoluere dubitationes, quæ inuentioni tuæ officere poſſunt; quandoquidem non eſt neceſſe ſuperiorem inferiorem vehere, neque ſecundùm omnem partem eodem modo vehere, ſed poteſt in tantum hoc facere, inquantum ratio finis præconcepti id exigat. ideóque planetæ qui veluti artes quædam particulares ſunt inter ſe diuiſæ, proprium quæque finem habentes, non ita ſe habent, ut ſuperioris motus inferiorem attingat, neque etiam neceſſe erit ponere contranitentes, neque

B deduci poterit, quòd in latitudinem moueantur per ſpatium, per quod retrocedunt. Hæc ego adderem; verùm tu perſpicatius totam rem perpendes, mihique reſcribes quid ſentias, nam vehementer cupio exploratum habere, quid ſit ſentiendum de his cœleſtibus motibus.

HIERONYMVS FRACASTORIVS GASPARI CONTARENO S.

QVOD tam benignè, tamque ſedulò commentaria noſtra de ſtellis perlegiſti clariſsime Gaſpar, ego quidem F
& maximas tibi gratias habeo, & mecum magnopere gaudeo: & tu enim maximam quandam, & non vulgarem in me beneuolentiam oſtendis, & ego id mihi cumulatè uideor conſecutus, quod mecum ſemper deſideraui. nam cùm noua admodum ea eſſent, quæ circa ſtellas ſcripſiſſem, in quibus nec mihi ſatis fiendum ſoli eſſet, ſemper quidem optaui aliquem dari mihi, qui ea poſſet, ac vellet diligenter examinare: in quo qui te magis idoneus uideretur, ego quidem neminem cognoſcebam. non ſolùm enim aſtronomo, quod & aliqui alij fortaſſe præſtent, ſed & philoſopho ea res indigere uidebatur, quorum vtrumque in te eſſe longè ſupra communem conſuetudinem pernoſcebam: quamobrem G
ipſe quidem mecum optabam id negotij ad te deferri, poſcere autem nunquam auſus fuiſſem, tum quadam, qua te proſequor, reuerentia, tum quòd in ijs te uidebam occupatiſsimum, quæ ad Reip. adminiſtrationem pertinent, præſertim eo in decemuiratu grauiſsimo, ac laborioſiſsimo conſtitutum. igitur hoc magno quidem, ſed tacito deſiderio plures dies perductus fui: quum tu vltro & librum à me popoſciſti, & otium legendi captaſti, voluiſtique non ſolùm primum legendi laborem ſubire, ſed & ſecundum ſcribendi quæcunque aut à maleuolis carpi, aut vlli ſuſpecta eſſe poſſent, aut demenda, aut addenda uiderentur, ne tu vlla in re aut honori meo, aut beneuolentiæ deeſſes, quo neque humanius quicquam, neque mihi gratius fieri potuiſſet. cum uerò præclariſsimam il- H
lam epiſtolam tuam Ramuſius mihi aliquantiſper ſerus dediſſet, audiuiſſemque iam te Venetias rediiſſe, atque in publicis occupationibus detineri, mecum diu anceps fui, num ad te reſpondens tertium tibi laborem iniungerem, quod certè tum inhumanum, tum temerarium uidebatur, cum nec niſi longiſsima epiſtola fieri poſſet. mecum tamen ipſe conſiderans quanta parſimonia, quantaque diligentia horas partiri ſoleas, eſſeque id ingenij tibi, quod & Reipub. ſimul, & literarum ſtudijs facere ſatis poſſit, volui ad te reſcribere, vt & ſimul ſignificarem, quanto me officio obligaueris, & eorum, ſi poſſem, rationem redderem, quæ tu in dubium reuocaſti,

quæ

A quæ quoniam ſeriè ſcripta à te ſunt, eodem ego ordine recenſebo, ac tecum,
quo potero breuius examinabo.

Scribebam in primis ſphæricorum corporum motus tres principales eſſe,
qui ſeſe ad rectos angulos ſecant ea inter alia ratione, quod ſphærica corpora
termini ſunt rectorum, recta autem cum moueantur, ſecundum tres dimen-
ſiones, & ſphærica ſimiliter moueri. hanc tu rationem infringi poſſe ſcribis,
quoniam ſimilitudo non ſit inter ea recta, quæ ad tres dimenſiones mouen-
tur, & ſphærica: horum enim motus naturales ſunt, illorum autem animales.
moueri enim ad tres poſitionis differentias tantum animalium eſt. illud au-
tem te in primis ſcire velim, me rationes illas induxiſſe, non quidem ut om-
B nes demonſtratiuas putarem, ſed ſi rationi conſonas attuliſſem ſatis viſus
mihi ſum feciſſe; inter quas hæc plurimum probabilis, & conſentanea uide-
tur, in qua ego quidem non ſolùm è natura animalium, ſed à tota rectorum
natura ſimilitudinem, & proportionem capio ſic; rectorum corporum tres
ſunt dimenſiones, igitur & ſphæricorum, qui termini ſunt rectorũ, tres pro-
portionaliter erunt, quaſi uniuerſum ipſum, quod ex rectis & ſphæricis con-
ſtat, atque unum fit, tribus totum dimenſionibus terminetur: ſi igitur huius
totius pars una, hoc eſt tota rectorum natura ſecundum illas tres dimenſio-
nes motus ſuos habet, vtique & altera pars, hoc eſt ſphæricorum natura pro-
portionaliter ſecundum tres illas dimenſiones mouebitur, præſertim quum
pars hæc habeat ad aliam attributionem, conſeruetque, atq; influat in illam,
C quæ omnia mediante motu facit; quod autem non animalia tantum, ſed &
ſimplicia quoque & tota rectorum natura ſecundum tres dimenſiones mo-
ueantur, palam eſt diuiſo toto uniuerſo ſecundũ tres illas dimenſiones: quæ-
libet enim pars ignis, & aeris, quæ aſcendit, & quælibet aquæ, & terræ, quæ
deſcendit, per aliquam illarum mouetur, ad quas omnes alij intermedij mo-
tus reducuntur, ſicut & in motu animalis, vnde, & ad circulum deſinunt: ita
igitur, & tres erunt in ſphæricis motus, qui rectos terminabunt, deſinent au-
tem & ipſi in circulum, ſi in latitudinem circunferantur, ut ponimus, ac ſic
vbique, & vndequaque influent.

Quod autem ſcribis uidendum eſſe mihi ne ex principijs mathematicis
putem naturalem concluſionem deducere, non certè me latet, ſæpe aliter ſe
D habere mathematica, aliter naturalia. neque enim ſi contractus duorum cir-
culorum mathematicus in puncto ſit, ita etiam & naturalis eſſe debet, at in
multis tamen ſe conſequuntur, ut ſi circulus capaciſſima figurarum, & corpo
rum quoque capaciſſimum erit circulare, ita ex natura linearum, quæ ſeſe ſe-
cant, uidetur mihi, & natura, & numerus naturalium axium capi conſimili ra
tione. ſicut enim illæ tãtum tres eſſe poſſunt, quæ terminatæ ſint, illæ ſcilicet
quæ ſeſe ad rectos ſecant, ita & axes qui poſſunt eſſe terminati ac certi tres tã-
tum ſunt, quare & tres tantum motus determinati: plures enim ſi dentur, pa-
ri ratione infiniti eſſe poſſunt in ſphæra, pauciores autem ſi ſint, contra natu-
ram ſphæræ fiet, ſi enim is eſt, qui eſt per a.b. cur non ſit & ille qui per c.d. &c.

Ex quibus ſequitur ſitum, quem nunc planetæ habent, naturalem non eſſe,

neque

neque perpetuum, neque ſolem habere per ſe,ut ſemper per eclipticam feratur, cui & ſenſus conſentit, uidemus enim eum circulum continuè ad æquinoctialem appellere, & arcum inter tropicos interceptum corripi, cum autem dicimus ſitum eius naturalem eſſe ſub æquinoctiali, aut coluro inferiori, non ita intelligimus, ut illic ſemper manere debeat, aut eſſentialem eum habeat ſitum, ſi quidem nullum certum habere debet propter generationes, ſed omnes ſucceſſiuè, ſic enim melius, quàm eo pacto quo ſcribis fient omnia, quæ fieri poſſibilia ſunt. nam certè ſi circulo ſolis ſub coluro conſtituto alia,& longè diuerſa gignenda ſint, quàm nunc fiant, neceſſe quandoque futurum, ut ſol illic ſe habeat, alioquin non omnia fiant, quæ poſſibilia ſunt. E quanquam autem nullus determinatus ſit ſitus,ſi tamen orbes proprie ſituarentur, & naturali ſuo ordine, ſubalterni eſſent planetæ omnes, aut æquinoctiali, aut coluris, fortaſſe autem & temperatiſſimus eſſet ſolis ſitus ſub æquinoctiali, dum nō ſemper illic maneret, vbi paritas horarum vbique eſſet, & aſpectus eius vbique:in coluro autem inferiori ſi eſſet, faceret quidem helicem circa totam terram in anno vno, & bis perpendicularis fieret ad omne punctum. F quod uero ſcribis, Ariſtotelem, Platonemque dicere ſolis circulum factum eſſe obliquum, quo melius generationes fiant: poſſem quidem ego reſpondere eos nihil aliud uoluiſſe, niſi ut is circulus non neceſſariò rectus ſit, cum primo mobili, ſed oportere obliquum fieri propter generationes,quanquam ſic eſſet magis eorum uerba, quàm mētem interpretari: quare puto eos exiſtimaſſe eum ſolis ſitum perpetuum eſſe, quum nondum obſeruata fuiſſent, quæ mox à poſterioribus notata ſunt. G acceperunt autem, & alia aliter, ac mox cognita ſunt, ut quod Aplane eſſet primus orbis, & alia.

Scribebam in ſecunda ſuppoſitione,unum orbem non niſi unum motum habere,quoniam ſimplex quum ſit unum omnino eſt, unum autem unam uiam tantùm habet, una uero natura tantum unum facit, hanc rationem dicis poſſe non neceſſariam uideri, quoniam inferiores intellectus per eſſentiam primi intelligunt,ueluti per formam intelligibilem exiſtentem in intelligēte: quare nihil prohibet & per animam primi moueri inferiorem orbē, & per propriam,ſiue immediate anima primi moueat, ut uidetur Auer.velle, ſiue vtatur alio intellectu ut inſtrumento; at uero ſi neceſſaria ratio noſtra non eſt, uidetur quidem mihi ex ijs, quæ parum abſunt à neceſſarijs,ac primum quidem ex parte mobilis,ſi ſimplex eſt,cœlum unum omnino erit,unum autem H tantum unam inclinationem habet, & ad unum motum, & ad unum motorem per ſe:ex parte autem mouentis,ſi primus intellectus, eo quod ſit forma intelligibilis inferioris mouet eius orbem, mouebit quidem non unum magis quàm alium, ſed omnes,hoc autem impoſſibile uidetur, quoniam ſpecie differunt inter ſe orbes, qui &ſi non mouentur quidem per reſiſtentiam, quam habeant motori, proportionem tamen quandam habent ſinguli ad ipſum indiuiſibilem: impoſſibile autem eſt unum ad multos differentes ſpecie orbes pariter proportionem habere; ſpecierum enim hæc quidē perfectior, illa minus. amplius ſi omnes orbes mouet unus intellectus, nūllū per ſe, aut

ſaltem

A ſaltem nullum primo mouebit, ſed aggregatum, & totum primo, partes autem, aut per accidens, aut ſecundario. oportebit igitur intellectum illum eſſe formam eius aggregati, quod eſſe quidem non poteſt, quum vnum per ſe non ſit; præterea ſi ſecundus intellectus per primum mouet, ſic ergo, & tertius per primum & ſecundũ mouebit, vnde fiet, vt vltimus per omnes moueat: ſi igitur quot ſunt orbes, tot ſunt & intellectus, ſunt autem orbes penè ſexaginta, fiet quidem, vt vnus intellectus modis ſexaginta moueat, & illis quidem per ſe, quod valde quidem alienum à ratione videtur. Quod autem poſtremo inconuincibile videtur mihi, illud eſt, quòd ſi vnus orbis mouetur, & à proprio intellectu, & à communi, alterum certè illorum fruſtrari neceſſe eſt, contrarij
B enim ſunt motus, & in oppoſita inferiorum orbium, & ſuperiorum. neceſſe igitur eſt, aut ſuperiorem ab eo fruſtrari quem intendit, aut inferiorem, aut vtrumque. nec ſoluit, quod dici poſſit, oppoſitos illos motus non eſſe ſubalternos, ſed obliquos, ac ſuper diuerſis polis: primum quidem, quia apparentia ſaluari non poſſunt, niſi ponantur contranitentes orbes, qui per eandem cauſam ſunt; deinde quia mutatio propriorum verſus æquinoctialem oſtendit fore quãdoque, vt ſol feratur per æquinoctialem primo mobili ſubalternus. ſed ut iſta non ſint, dici tamen non poteſt, quin obliquus motus oppoſitionem recto non habeat, obliquus enim quum in latus totaliter nõ ſit ad rectos angulos, partim quidem recti, partim lateralis habet; quanquam inquam recto non opponatur, quatenus lateralis habet; ei tamen opponitur, quate-
C nus recti habet; cuius ſignum eſt, quod planetæ omnes ſimpliciter ab ortu ad occaſum mouentur, & motum ſuum non exercent, niſi quatenus in latus mouentur, quare omnino fruſtrantur aliquo modo; quòd ſi dicas per ſe habere illos ſolum, ut in latus moueantur, quid ergo dicemus de puncto medio interſectiones, hoc eſt de tropico puncto, qui nullo modo in latus mouetur, ſed in rectum ſolum æquidiſtanter æquinoctiali, fruſtrari quidem neceſſe eſt motum eius. quanquam enim velocitati mouere cum intendat intellectus proprius, fruſtra quidem intendet, ſiquidem impedietur à ſuperiori, eſſe autem impedimentum vnius ad alterum in diuinis, & aliquid fruſtra non videtur rationabile. propter hæc igitur neceſſaria mihi videtur ratio à nobis adducta, loquendo quidem de neceſsitate ordinatur, quia intelli-
D gentiæ ordine naturæ mouent orbes ſuos, non de eo, quod per voluntatẽ Dei fieri poſsit. ſcimus enim quando ſibi libuerit firmari etiã cœlos omnes poſſe.

In tertia ſuppoſitione ſcribis te intelligere non poſſe, vehi inferiorem orbem à ſuperiori, proprio tamen motu moueri in oppoſitum poſſe ſuper eiſdem polis ac ſubalternum, quoniam omne quod mouetur, quieſcente aliquo indiget in quo nitatur, & in quo aliquo modo quieſcat, in vecto autem orbe nullus eſt punctus, qui in vehente niti poſſit, ſi in oppoſitum agitur per eandem lineam.

Verùm placet primo ut examinemus, quid eſt, quod dicitur omne motum indigere quieſcente: multiplex enim uidetur mihi, & ſcio uariè accipi. tria autem cum ſint circa motum; termini à quo, & ad quem, id ſuper quo

ſit motus, & motor, poteſt in primis intelligere, quod omne motum indigeat terminis quieſcentibus, hoc eſt, quod terminus à quo, & ad quem rationem habeant firmi: alioquin ſi fixum aliquid non imaginemur, à quo recedat, aut accedat motum, impoſsibile eſt ipſum motum intelligere; & ſic poteſt eſſe dubium quo modo ſphæra vecta poſsit in oppoſitum per ſe moueri. dato enim quocunque fixo in vniuerſo, ad illud neque accedit, neque recedit per proprium motum, ſed ſolùm per vectionem: quo quidem pacto ſi intelligis, ego in eiſdem ſuppoſitionibus declaraui ſimpliciter, & ad comparationem partium vniuerſi verum eſſe non poſſe fieri proprium motum ſphæræ vectæ, ſed tantum ſecundùm quid, & comparatione partium vehentis fieri: & hoc ſufficit ad proprium motum exercendum. nam & qui vehitur à naui, ſi in ea deambulet, quis neget eum per ſe moueri, quanquam ſimpliciter ſolum vehatur, ita & orbis in orbe vehi poteſt, ac per ſe moueri: & ita terminari à quo, & ad quem rationem firmi habent. aliter potes intelligere, quod omne motum indiget quieſcente, eo ſcilicet ſuper quo mouetur, ut recta quidem corpora ſuper ambiente in quo nituntur, firmo quidem quatenus in eo firmantur, ſphærica uerò circa centrum, & terram. ac ſi quoque dubium eſſe poteſt, quomodo vecta ſphæra motum proprium habeat in oppoſitum: cum enim locus ſphærarum ſit centrum, & motus earum circa centrum, hoc autem nunquam acquirat ſphæra vecta per propriũ motum, uidetur quidem per ſe nõ moueri, ſed ſolum vehi; ad quod dicimus, eo dato quod locus ſphæricorum omnium ſit cẽtrum, tamen nihil prohibet per accidens quandoq; fieri, ut non circa centrũ vertantur, dũ non ſemper id ſit. inconueniens enim eſſet, ſed rarò, quum ſcilicet accidit medios circulos ſubalternos eſſe cum primo, ac in oppoſitum duci: tunc enim & ſi finem non conſequantur, fiet tamen vt mox, & ut plurimũ cõſequantur, poſitis circũducentibus orbibus. quod ſi quandoq; eo fine careant, nõ tamen tunc ſequitur, ut non exerceant proprios motus: non enim ſequitur, non vertitur circa centrũ motu proprio, ergo non mouetur proprio motu, ſed ſolùm ſequitur, ergo non mouetur ſimpliciter. diximus enim ad motũ proprium exercendũ ſufficere id, quod ſecundũ quid mouetur; uel dicamus clariùs cẽtrũ eſſe locũ ſphærarũ, quatenus ſimpliciter mouetur, contentarum autẽ proprium locum eſſe continentes ſphæras, in quibus quandoq; ſimpliciter mouentur, quãdoq; ſolũ ſecundũ quid. quod ſi quæras in quo nituntur, cum ſecundum quid mouẽtur, dicimus totũ in toto niti, ſed quodã modo æquiuocum eſt, quod dicimus niti, in rectis corporibus, & circularibus: in rectis enim id niti dicitur, quod per motum ſuum inclinat in certam partem, ſed à cõtinente prohibetur, per quã prohibitionem in eo ſtat. vt graue dicitur inniti terræ, quia ab ea prohibitum deorſum ferri ſtat in ea, & ignis aſcẽdẽs prohibetur ab aere, & in eo ſtat, & in quãtum nititur quieſcit; in circularibus autẽ niti nõ dicitur hoc modo, ut prohibeatur à motu proprio, à continente, ſed ſufficit quod contineantur ſolum, & contingant, & ſic nituntur, non aliter. & ita ſola hæc poſſunt vehi, & moueri ſuis motibus in oppoſitum ſine vlla repugnantia, & contrarietate,

recta

E F G H

A recta autem, ſi vehi debet, violentia indigent; potes quoque intelligere, quòd omne motum indigeat quieſcente ut motore, hoc eſt, quòd motor ſit ſimul cum moto, uel ur forma ſi ſit motus naturalis, uel alligatum ſi ſit motus non naturalis, ut ſagitta alligata eſt aeri vehenti illam; & ambulans in naui alligatus eſt per grauitatem in ea, & ita etiam poteſt eſſe dubium in orbibus: vehens enim neque eſt forma vecti, neque alligatus eſt illi, ad quod eadem dicimus iu ijs non aliam alligationem requiri, niſi contractum & continentiam.

Quod uero ſcribis me in fine xiij. cap. irridere eos, qui dicunt Deum cauſam eſſe pluuiæ, & quod prophetæ non tenent rationem eorum, quæ dicunt, quorum alterum impium eſt, alterum etiam hæreticum; valde quidem indo-
B lui te rem non accepiſſe vti à me ſcripta fuerat; puto quæ abhorrens primo aſpectu viſa ſit, feciſſe, ut non potueris accuratius conſiderare. abſit enim ut ego, & tam impius animo ſim, ut ita putem, & tam ineptus ut ſcribam; aſſimilabam autem pueris eos qui particulares, & proprias cauſas rerum, aut ignorantes, aut nolentes inueſtigare, ad multa reſpondent per primas vniuerſalisſimas, ac remotisſimas, ut pueri, qui ſi de pluuia, aut alio interrogentur, quomodo fiat, à Deo fieri reſpondent, ita, & qui motum trepidationis dicunt ineſſe per ſe octauæ ſphæræ, ſi interrogentur quomodo fiat, reſpondent ita fieri ab intelligentia, eoſdem fortaſſe ſimiles prophetis dicebam, qui ea, quæ futura ſunt prædicunt, neſcientes ea. ita, & qui de motu trepidationis locuti ſunt, de re quidem uera locuti ſunt, neſcientes quo pacto eſſet, & quid
C dicerent, quaſi de ijs per figuram locuti. quaſo hæreticum ne uidetur tibi dicere; eos rationem non tenere eorum, quæ Deus in ipſis loquitur, quæque ipſe ſolus ſcit, an putas neceſſarium, qui de Chriſto prophetizarunt, cognouiſſe ipſum, non ne & prophetæ fuerunt etiam multi alioquin mali? ſimiliter impium ne dices, ſi quis de pueris rideat, qui interrogati quomodo fiat pluuia, à Deo reſpondeant, eſt ne hoc negare Deum facere pluuiã, certè non, immò aſſerere, ſed tamen de quæſitis non eſſe reſpondendum per uniuerſales, & primas cauſas, vt multi faciunt. eorum quippe quæ quærimus, quædam cauſæ ſunt propinquisſimæ & particularisſimæ, quædam uerò uniuerſalisſimæ, ac remotisſimæ, quædam uero inter has mediæ, propinquisſimas igitur & particularisſimas attingere difficillimum eſt, & iu multis vanum inqui-
D rere, vtpote quòd inuentu pene impoſſibile ſit; vniuerſalisſimas autem, & remotisſimas aſſignare, nec ultra quærere, negligentis, aut puerilis ingenij eſt, medias uero perquirere philoſophi eſſe puto, & qui magis proprias tenuere, hos magis philoſophos arbitror; certum eſt Deum, & pluuias, & omnia reliqua facere, qui & uniuerſum fecit, ipſe tamen idem Deus naturas rerum fecit, & ſecundas, & tertias cauſas, quas vult à nobis perquiri, vtpote opera eius. quare in ijs quæ cauſas ſuas habent, ſi quis ob pietatem recurrat in omnibus ad Deum, non ultra cogitans, hunc ego non pium, ſed negligentem dicã in ijs uerò quorum nulla alia cauſa eſſe poteſt quàm Dei optimi, & prouidentis voluntas, impium puto, & ſceleratum Deo non dare, quod nullius alterius eſſe poteſt. quare obſecro, ne me eius impietatis arguas. etenim ſi libellus ille quicquam impij mihi inuſturus ſit, inuram ego potius ipſum.

Rectè præterea id notas, quod contranitentem orbem melius eſt facere E
non æqualem circumducenti, ſed cedentem inſenſibiliter, quæ poſsit finem ſphæræ quandoque conſequi, quòd eſt circa centrum verti.

Id quoque in ſole à te diligentisſimè annotatur, quod ego de induſtria prætermiſi, ne tot orbibus multiplicatis confuſionem, ac faſtidium ingererem. certum enim eſt medium circulum ſolis in punctis æquinoctijs debere in latitudinem pelli à circitore, qui ea reſpicit puncta, niſi illic ponantur duo alij contranitentes, hoc eſt circumducens, & contranitens, quibus poſitis tollitur difficultas: ſed tamen, & non poſitis poteſt eſſe modus quomodo moueantur ea puncta in latitudinem à circitore, nec tamen ſenſibile à nobis ſit. videre enim in ſphæra ſolis eum motum non poſſumus, cum de tota illa F
ſphæra nihil præter ſtellam uideamus, per ſolem autem deprehendere non datur, quoniam ea eſt proportio, ut cum æquinoctium vernum in Septentrionem pellitur, tum & ſol ab eodem puncto in eandem partem per ſe mouetur. quare inſenſibile eſt, ſi vlla mutatio fit eius puncti In latitudinem; ſimiliter fit & in alio puncto, quod cum dici poſſet, prætermitti contranitentes, fortaſſe autem non eſſet malum difficultatem annotare.

In ijs quæ de luna ſcribimus, dubitationem affers in eo orbe, quem lunæ ſupponimus parte denſa in quadraturis. ais enim ſic oportere, & ſtellas quaſdam tunc minores uideri, quæcumque per zonam denſam reflectunt lumen. ad id dicimus oportere hoc obſeruari, necne ſit, quam obſeruationem difficilem admodum puto propter multa, quæ aſpectum euariant, & propter par- G
uitatem ſtellarum, & diſtantiam: dato autem, quod ita non obſeruetur in ſtellis vti in luna, nihil mirum uideri debet. nam media denſa diuerſimode multum repræſentat in diuerſis diſtantijs, quod licet in ſpecillis, ſiue ocularibus aſpicere, quæ ſi prope literas ponas, minores uidebis literas, quàm ſi in media diſtantia ponas, ubi maximæ uidebuntur, minores uerò rurſus ſi propè oculos eadem ſtatuas. ſunt porrò quædam ocularia, quæ prope rem poſita maiorem repræſentant, minorem uerò mox continuè, quantò magis à re amota fuerint. quare ualde uaria eſt denſorum repræſentia in ſibi propinquis, & diſtantibus.

In ijs, quæ de Ioue ſcripta ſunt, ponimus ſub Saturno orbem contranitentem per longitudinem, alioquin uideretur ſimul & ſphæra Iouis circumuerti H
cum Saturno; per hunc autem contranitentē dicis tu ſaluari forte poſſe motum unū Saturni, ne ad Iouem pertingat, quòd ſcilicet ſit in longitudinē directus: alios autē nō quos Saturnus habet, habet enim & in latitudinem motū, & retrogradatione, meminiſſe autē primùm oportet, nos in Ioue ponere circitores duos, & conſequenter contranitentes duos cum eius circunducentibus, alterum per puncta media, alterum per ſectiones; qui igitur fiunt motus in latitudinē à Saturno, nō pertingunt ad Iouem propter contranitentes, qui tam in ſectionibus, quàm in punctis medijs contra operantur, potētiores quidē motu Saturni. qui autē in longitudinē fit motus, ſi quidē medius motus ſumatur, nullo pacto ad Iouē peruenit propter contranitentē; ſi autē uerus motus ſumatur, cuius una pars eſt velox motus, altera motus retrogradus conce

dendum


A dendum fortaſſe eſt in Ioue fieri aliquam diuerſitatem, & cùm velox moue-
tur Saturnus, & cum retrogradus; cuius indicium eſt, quòd obſeruant reuo-
lutiones eius inæqualitatis, quæ directionem, & retrogradationem facit non
æquales eſſe, quod licet ſoluetur, prout accidiit fieri in medietate, vbi eſt pun
ctus mox tarditatis, & medietate ubi eſt punctus maximæ velocitatis, tamen
poſſet contingere, & propter prædictam cauſam motus Saturni, ſed hoc ob-
ſeruari oporteret, nondum enim omnia eſſe obſeruata circa ſtellas arbitror.

Quæris præterea, quòd commune eſt planetis omnibus, cur circitor non
tantùm moueat in latitudinem, quantum in longitudinem retroducit, cum
tamen in latitudinem etiam magis mouere debeat, ubi proprius motus pla-
B netæ non reſiſtit. ad quod dicimus per ſe ita eſſe oportere, per accidens tamē
ſit, ne tantum in latitudinem moueat, immò interdum nihil propter circun-
ducentes orbes, & cōtranitentes, quos ponimus, tum in punctis mediis, tum
in ſectionibus, in quibus fieri latitudo poteſt, ſi igitur circitor motu proprio
tardior, & debilior ſit, quàm contranitens, & circumducens, nihil in latitudi-
nem mouet, ſi uerò fortior, tantum quidem mouet, quantum proportionem
ad ipſos habet modo maiorem, modo minorem, quare neque latitudines
æquales ſunt. quod uerò dicis venerem nonaginta quatuor grad. retrograda-
ri, Mercurium quadraginta octo, non ita eſt, ſed tantùm ſolum abeſt à ſole
vterque, non autem tantùm retrogradatur, quantum abeſt.

Reſpondes poſtremo ad eam demonſtrationem, quam ego aduerſus ec-
C centricum ſolis faciebā, quod ſcilicet ſequeretur tropicos non æqualiter ab
æquinoctiali diſtare, & diem maximā non eſſe æqualem maximæ nocti, quod
cōtra experientiā eſt: huic rationi niteris tu reſpōdere, ſed certè, (vt ruditatē
meā fatear) nō poſſum reſponſionē aptare rationi, quare (niſi moleſtus ſum)
placet rurſus eandē demonſtrationē iterare, ut uideamus qualis reſpōſio ſit;
(ergo ſit æquinoctialis A.B.C. linea apſidis B.D. linea antapſidis B.C. orizon
noſter F.G. protrahaturq; parallelus, quē ſol ducit faciēs diē & noctem, cum
eſt in apſide h.d. K. L. deinde & parallelus facit in antapſidem M.N.E.O. pa-
ralleli igitur apſidis arcus diurnus erit H.K. qui ſupra orizontem eſt, arcus au
tem nocturnus erit K. L. qui eſt infra orizontem, paralleli autem antapſidis
arcus diurnus erit m.n. nocturnus N. O. vide igitur, quod ſequatur poſito ſic
D eccentrico, primum N. minimus dies M.N. inæqualis eſt minimæ nocti K.L.
& maximus dies H.K. inæqualis maximæ nocti N.O. quod aliter eſſe debet,
amplius tropici in quibus noſtro tempore ſunt apſis, & antapſis non æquali-
ter diſtant ab æquinoctiali, quomodo ergo accipiemus quantitatem latitudi-
num ciuitatum, quæ certè inconuenientia ſunt: ſciuntur autem ad poſitio-
nem eccentrici. cum uerò loquimur hic de arcu diurno, & nocturno, intel-
ligimus diem, qui mēſuratur per horas æquinoctiales. ratio igitur noſtra hæc
erat, quam quidem quanto magis conſidero, tanto minus reſponſionem poſ
ſum comprehendere, quæ dicit, licet ſol per minus ſpatium recedat, ab æqui-
noctiale in antapſide, quam in apſide, ſpatia tamen illa proportione æqualia
ſunt, ego quidē non intelligo quomodo æqualia proportione ſint, niſi quod

reſpectu zodiaci,æqualiter diuidunt ipſum, quamuis ipſa inæqualia ſint: ſed E
hoc non ſoluit quod dicebam; procedebat enim ratio de arcu diurno, & nocturno in apſide facto,& antapſide,qui æquales eſſe non poſſunt,quoniam alter magis diſtat ab æquinoctiali, quare ad orizontem inæqualiter ſe habet, &

F



G

in altero nox erit horarũ ſeptem,dies horarum xvii. in altero nox horarum xv.dies horarum nouem, quæ ſecatur dato eccentrico in ſole, niſi fallor ego.

Mones poſtremò ſuppoſitiones duas addendas eſſe noſtris, quæ ſi additæ fuerint difficultates, omnes tollant; quarum altera eſt, quod orbis ſuperior inferiorem vehat,non tamen neceſſariò,ſed poſſit & non vehere, cum expedit; altera eſt, quòd motus à propriis intellectibus nõ merè naturaliter fiant, ſed per intellectum & voluntatem, prout præconceptus expoſcit finis. quas ſuppoſitiones ego quidem diligentius cõſiderabo: amplexandæ enim quàlibetisſimè erunt,ſi cunctas difficultates ſoluant,ſed vereor,ne prioribus contradicant,& cum ĩus non cõcordent; conſiderabimus tamen, & de hac re uel unà aliàs loquemur,uel ad te ſcribam quid ſenſerim.fecit autem epiſtola tua, H
ut libellum relegerim,& multa auferenda decreuerim, nonnulla addenda indicauerim,quædam aliter ordinanda, alia melius declaranda, nuper quoque, & duas dubitationes à D. Federico Aſtronomicæ lectore accepi: alteram de orbe lunæ ſuppoſito, quòd ſibi uidetur fruſtra eſſe, cũ nihil aliud facturus ſit, niſi diuerſitatem aſpectus lunæ in quadraturis. alteram, quod ſibi uidetur citorem debere in longitudinem circumducere contranitentem ſibi ſuppoſitum: quod non ſequitur, ut ſcilicet circumducatur, ſed ſolummodo deprimatur,modò eleuetur quantum & orbis planetæ.Hæc ſunt,quæ ad te ſcribẽda putaui, ignoſces autem, ſi aut importunus, aut audax tibi uidebor, cui me plurimum commendo. Vale, è Capliys die 1.Iulij M. D. XXXI.

GASPAR CARDINALIS CONTARENVS

IOANNI GENESIO SEPVLVEDAE S. D.

ACCEPI opuſculum tuum de ratione anni, ſimul cum epiſtola mihi ſcripta plena ſingularis cuiuſdam erga me beneuolentiæ, & eximiæ humanitatis: quandoquidem ſeriò iudicium meum de tuo hoc opere requiris; nec ludis, vt plerique noſtra hac ætate facere conſueuerunt, qui poſt libros publicatos, & editos laudari potius volunt, quàm fidum conſilium habere. Quamobrem meas partes eſſe duxi, (quamuis
C parum peritus, ac propterea minus idoneus ſim, afferre iudicium de operibus præclarorum hominum, qualem te eſſe omnes nouerunt) ſi non doctum, ſaltem tibi fidum me amicum præſtare. Mihi viſum eſt opuſculum tuum hoc multis in partibus illuſtre. Ea quoque, quæ in calce dicis de Aera, mihi ualde uериſimia uiſa ſunt, ac diligenter notata: cauſa etiam illa prior, cur annus noſter euariet, ueriſsima eſt, & quam nullus negare queat. Altera uerò, quam addis, ac miraris præteritam eſſe ab aliis, non mihi uidetur ſatis conſtans. Ego diu ſæpenumero dubitaui hoc in loco, in quo uideo te hærere, cur ſcilicet annus, cùm à Bruma ſumat initium, non etiam cœperit à die Brumæ, ſed octaua poſt Brumam die, iam à temporibus Auguſti. Rebar ego id, quod tu reris, erratum fuiſſe neſcio qua ra-
D tione: nec tamen conijcere poteram, quæ fuiſſet errandi cauſa. Poſt nonnullos annos tandem deprehendi id, quod Foroſempronienſis Epiſcopus Aſtrologiæ peritiſsimus mihi illuſtre fecit. Iulius Cæſar, Geneſi, in anno conſtituendo habuit rationem ſolis, in menſibus uerè putauit habendam rationem Lunæ, à qua etiam dicti ſunt menſes: aureumque numerum xix. annorum collocandum putauit in menſibus ſui anni. Iccirco poſt Brumam, nouam Lunam expectauit, à qua primum menſem inchoaret, quæ fuit octaua die poſt Brumam. Sicque in ſuis faſtis conſtituit aureum numerum, unum inquam, poſt xx. dies Ianuarij ad diem pridie Cal. Februarij, ſicque ſecundum aureum numerum, unum inquam poſt xxix. dies men-

ſe imperfecto, ſeu octauo Cal. ſcilicet Martij. Hæc ergo ratio fuit, cur calen- E
dæ Ianuarij fuerint protractæ octo diebus poſt Brumam. Tuum erit iudicium. Ego cum Foroſempronienſi Epiſcopo ſentio hac in re. Id uerò, quod affers de anno corrigendo, ut ſcilicet ſtatim, ac ſimul tot diebus annum unum minorem faciamus, quot errauimus, cùm non vulgaris turbatio tum faſtorum, tum negotiorũ uideri poſſit, ſi id fiat: minùs mihi probatur, quàm ſi dimiſſa diei intercalatione totidem annis, quot ſufficiant ſarciendis diebus illis, quibus anteuertimus, ſenſim ratio anni uel inſtituta à Iulio Cæſare, uel quæ extabat Nicæni Concilij tempore, reſtituatur; multo minore turbatione, hoc pacto (vt reor) res tota proceſſura eſt, verum non ita
tueor ſententiam meam hanc, quin facilè ſim conceſſurus F
tuæ. Hæc notanda viſa ſunt in tuo præclaro hoc opere. Tu pro ſingulari tua eruditione rectius omnia iudicabis, & ſtatues. Vale. Romæ.

Vij. Cal. Maij. Anno M. D. xxxix.

GASPAR CONT. IOANNI GENESIO

SEPVLVEDAE S. D.

B NVLLO pacto tibi perſuadeas velim, Sepulueda doctiſſi-
me, vlla negligentia, aut obliuione tui factum eſſe, ut
tam diu reſpondere diſtulerim tuis literis amoris, & of-
ficij erga me plenis. verùm cùm nonnulli amici mei,
tui nominis ſtudioſi, à me legenda petijſſent, atque ha-
buiſſent, eiſque per manus traditas, cùm mihi reddi-
tas eſſe arbitrarer, ſedulò inter meas ſchedas inquirens, nuſquam repe-
riſſe: ea in re dum ego, & mei diligentiam adhiberemus, demum ad
hanc diem res eſt protracta, nec tamen literæ inuentæ. Quamobrem
duxi non amplius mihi differendum eſſe: ne, dum vellem officioſus eſ-
C ſe, & ſingulis earum partibus reſpondere, tibi iure uideri poſſem parum
officio ſatisfaciens. Legi igitur, & Galeni locum in primo Epidemia-
rum, quem citas, & Ouidij in primo Faſtorum. in Græco codice Gale-
ni res eſt magis expreſſa, quàm in Latino: ibi enim Februarius δεύτερος μετὰ
τὰς χειμερινὰς τροπάς menſis dictus eſt, & Ianuarius, primus: ubi planè uide-
re poteris, noſtræ ſententiæ locum illum nihil obſtare. Etenim nos quo-
que putamus, prima poſt Brumam Luna fuiſſe Cal. Ianuarij. in Ouidij ue-
rò verſu, quod ſol nouus, & annus nouus eat Cal. Ianuarij non fuiſſe ſerua-
tum exactum illud quod Græci dicunt, ut ſcilicet propterea velimus eam
fuiſſe diem Brumæ, cum ſol Capricornum attingit, perſpicuum oſtendit
auctor idem inferiùs, qui ſcribit ſecundo poſt Carmentalia die, xvj. ſcilicet
D Cal. Februarij ingreſſum ſolis in Aquarium, qui vtique eſſe nulla ratione
poſſet, ſi ipſis Cal. Sol primum attigiſſet Capricornum. Columella grauis
auctor, qui floruit tempore Auguſti non multo poſt Iulium Cæſarem, libro
ix. de re ruſtica cap. xiiij. inquit ab occaſu Vergiliarum Brumam, quæ ferè
conficitur circa viij. Cal. Ianuar. in octaua parte Capricorni condito melle
vtuntur examina. Dicit octaua parte Capricorni octauæ ſphæræ, quæ proceſ-
ſerat Orientem verſus. Libro xj. eiuſdem operis. cap. altero, verſus finem,
idem dicit iuxta obſeruationē Chaldæorum, licet in codice impreſſo ſit ſcri-
ptum xj. Calend. Ianuar. Brumam eſſe, quem locum puto legendum viij. Cal.
Verùm vtro modo legatur, nihil refert, cōſtat Brumā fuiſſe, ante Cal. Ianuar.
Plin. libro xviij. cap. xxv. de quatuor cardinibus anni loquens, cùm dixiſſet

fieri

fieri illos in octauis partibus ſignorum ea de cauſa, quam ſupra tetigimus. E
ſubdit, Bruma Capricorni octaua ſcilicet parte ab viij. cal. Ianuar. mihi certe loci hi, præter ea quæ priori epiſtola ad te ſcripſi, magnopere perſuadent, Iulium Cæſarem non inchoaſſe annum à Bruma, ſed à prima Luna poſt Brumam. Poteris tu & peritiores melius totam hanc rem diiudicare. Foroſempronienſis Epiſcopus non citat auctorem quempiam antiquum. Hæc pro iure amicitiæ noſtræ volui tibi afferre, ut tota cauſa diligenter perſpecta, ſtatuas quid tibi ſit ſentiendum, & agendum de opuſculo illo tuo eruditionis pleno, quo me honeſtare (quæ tua eſt humanitas) voluiſti. Nos bene ualemus, ac tibi omnia bona optamus. Vale. Non. Februar. M. D. XL. F

IOANN. GENESIVS SEPVLVEDA
GASPARI CONTARENO
S. R. E. Cardinali ampliſſimo. S. P. D.

QVOD tam longum fuerit mearum literarum interuallum, G
& de quæſtione corrigendi anni ſilentium, mallem equidem aliqua mea deſidia, uel obliuione commiſſum fuiſſet, & in eo culpam agnoſcere, & deprecari, quàm ex veſtra, hoc eſt, ſacerdotum Romanorum (ut liberè loquar) negligentia, ueram cauſam afferre, quos nimirum frigere, & nihil minus, quàm de cogendo Concilio cogitare uideo: cuius ut ſpes me prius acuebat, & incitabat, ſic deſperatio iam pridem hebetat, atque retardat. Quos enim maximè in publicam Eccleſiæ ſalutem excubare, atque eius dignita- H
tis augendæ nullam occaſionem prætermittere oportebat, ab ijs Concilij, rei ſalutaris, & ſi vnquam aliàs, nunc maximè neceſſariæ mentionem fieri non alio tẽpore uideo, quàm cùm bellum aut geritur inter Principes Chriſtianos aut impendet: ad ſummã cùm ſpes certa eſt horum diſcordia impediri poſſe. Nam cum pax redijt, & firma concordia, de nulla re maius eſt ſilentium: ut quid intempeſtiuis edictis alieno tempore captent, neminem, quamlibet tardum, ad intelligendum, dubitare patiantur. Sed quoniam in tanta multorum deſidia, tua mihi ſingularis Reipublicæ cura explorata eſt, & ſtudiũ boni publici perſpectum, redibo ad quæſtionem de ratione menſium & anni, quam, ad te miſſo libello, complexus ſum: reſpondeboque ad ea, quæ obſtare meæ

ſententiæ

A ſententiæ tibi viſa eſſe, proximis literis ſcripſiſti; uel hoc ipſo nauaturus operam, quòd tecum viro doctiſsimo, religionis Antiſtite grauisſimo, de rebus honeſtisſimis, & ad bonum publicum pertinentibus tantiſper colloquar. Scio (quod ſcribis, & admones) traditum eſſe tum à Columella, tum à Plinio Brumale ſolſtitium, in octaua parte Capricorni confi i ad octauum Cal. Ianuar. Sed illud non ignoro, quod te quoque meminiſſe oportet, hæc eos non à Iulio Cæſare, aut Iuliano Soſigene ſumpſiſſe, ſed, ut ipſe Columella declarat, ab Eudoxo, & Metone veteribus aſtrologis, hoc eſt à Græcis auctoribus, apud quos diuerſa ratio erat tum anni, quem à ſolſtitio æſtiuo inchoabant, tum menſium, quos ad Lunæ motum accommodabant: vt hi, ſine magno

B gno errore, & inconſtantia, ad Romanorum Cæſariſque menſes interpretando referri nequaquam posſint. Vnde Ouidij quoque manauit inconſtantia, qui planè teſtatus (id quod erat cõſuetudine Romanorum indubitatum) initium anni ſumi à ſolſtitio brumali, & ut par erat, Cal. Ianuar. in cuius menſis principio, de faſtis ſcribens, cùm hæc traderet, verſabatur, paulò poſt ad Græcorum obſeruationes redit, de tranſitu ſolis in Sagittarium xvj. Cal. Febrna. in quo ut Columella docet, ſecutus eſt Hipparchum, cui placuiſſe refert ſolſtitia & Aequinoctia nõ in octauis, ut Eudoxo, & Metoni, ſed in primis partibus ſignorum cõfici, & Brumale ſolſtitium in xvj. Cal. Ianuar. incidere; tãta Græcorum varietas eſt atque diſſenſio. Hæc cum ita ſint, uideo tamẽ difficile factu fuiſſe, ſeptẽ illos dies Brumæ, & Cal. Ianuar. interiectos publico morta-

C lium errore, latẽter obrepſiſſe. Itaq; admonitu tuo re diligẽtius, & accuratius inſpecta, uenit mihi in mentẽ ſuſpicari, id quod ipſe initio tibi placere cõſcripſeras, Iulium Cæſarem, uel potius Soſigenem, principium anno ſolſtitium brumale feciſſe. Ianuario uerò nouam Lunam, quæ proximè ſecuta eſt, octauo ſcilicet poſt die, idque non ob eam cauſam, quam ipſe priore tua epiſtola, auctore Foroſempronienſi Epiſcopo propoſueras; quod Cæſari oportére viſum fuerit, ut menſium initium ad motum lunæ, unde ſcilicet nomen accepe runt, accommodaret, quemadmodum anni ad ſolis circumactum. Hæc enim cauſa, quod ad menſes attinet, inanis prorſus (quod pace Foroſempronienſis Epiſcopi dixerim) mihi ſemper viſa eſt; & ab inſtituto Cæſaris abhorrere: qui uarietatem ſuperioris rationis, & inconſtãntiam pertæſus, quæ in men

D ſibus conſtituendis lunæ curſum ſequebatur, ut annum, item menſes ad ſolis motum referri uoluit: ut annus intelligatur, ſpatium temporis, quo ſol totum ſigniferum peruagatur, menſis uerò unius ſigni ſolis eiuſdem peragratio. Nõ igitur hanc cauſam, quæ nulla eſt, ſecutus Cæſar eſſe, uel Soſigenes uidèri poteſt, ſed illã, quã ſolã mihi uenit in mentem ſuſpicari, quòd tum ad Faſtorum ſibi cõficiendã rationẽ accõmodatius, tum inueteratæ ſacrificiorum cõſuetudini cõuenientius viſum eſt Cæſari, à noua Luna Ianuarium menſem inchoari, ſaltẽ eo anno, unde xix. annorum circuli ab ipſo traditi, principium ſumendum, ac repetendum erat. Cui conſuetudini quantopere ſoleant auctores interdũ ſeruire, docet Columella, qui libro de re ruſtica IX. cùm Hipparchi ſententiã ſolſtitia, & Aequinoctia in primis ſignorũ partibus cõfici docentis

proba-

probaret: ſe tamē profitetur, icci rco Faſtos Endoxi atque Metonis vetuſtio- E
rum Aſtrologorum in octauis tradentium, ſequi, quod hi publicis ſacrificiis
eſſent aptati,& notior illa vetus agricolis concepta opinio. itaque Cæſari uel
maximè fuit optandum, ut Lunæ cum ſole congreſſus eo anno in Brumale
ſolſtitium incideret,ne ſcilicet quæ natura indiſcreta ſunt diſtraherentur,vt-
que annus naturalis,& ciuilis,eiusque primus menſis ab eodē principio repe
terentur. Sed aliter cadente, non putauit prorſus ſibi eſſe à more maiorum,
& ſacrificiorum temporibus recedendum. Erat enim vetus Romanorum
conſuetudo, (vt ſatis me puto in meo libello ex Ouidio,Simplicio,& alijs bo
nis auctoribus docuiſſe) vt à brumali ſolſtitio annum inchoarent. primum
uerò menſem,hoc eſt Ianuarium,à noua Luna, quæ proximè Brumam ſeque F
retur: Februarium, à ſecunda, & cæteros eodem modo: vt Hebræi menſem,
primum,à noua Luna poſt Aequinoctium vernum,qnod eis erat initium an-
ni, & Athenienſes à noua Luna poſt ſolſtitium æſtiuum, vnde principium
anni capiebant: quo fieri neceſſe erat etiam in maxima ſacerdotum fide, ac
diligentia, ut non ſemper in octauum poſt Brumam diem, aut alio certo nu-
mero Calendæ Ianuarij, ſed plerunque citiùs, aut tardiùs pro varietate tem-
poris Lunæ ſilentis inciderent. Cùm igitur accidiſſet eo annò, quo noua ra-
tio eſt à Cæſare inſtituta, vt viij poſt Brumam die eſſet noua Luna: quo die
ſuperiore conſuetudine Ianuarius hoc anno erat inchoandus: itidem ſibi Cæ
ſar faciendum ob eam, quam dixi cauſam, putauit: quæ ut illi Pontifici Ma-
ximo propter vanæ religionis iam abolitos faſtos grauis eſt viſa,ſic apud no- G
ſtræ religionis Antiſtites nullius debet eſſe pōderis,cum nihil faciat ad Chri-
ſtianorum Faſtos: aut ſi quid facit, leue incommodum maxima commodi-
tate penſetur: ut obſtare non debeat, quò minus in correctione anni, Calen-
dæ Ianuarij,ad anni naturale principium,& diem Chriſti natalem,& hæc om
nia ad brumale ſolſtitium renocentur, plana,luculenta, & plena dignitatis ra
tione inita: quæ nec à ſumma veteris Romanorum inſtituti abhorreat, & ſit
piæ chriſtianorum conſuetudini à natali Chriſti, quem natum conſtat in ip-
ſa Bruma, caput anni repetentium aptisſima, ſublata quorundam errorum
occaſione. De quo quid ſentias, erit humanitatis tuæ, & mihi gratisſimum,
ut reſcribas. Nam ſi tibi probabiles cauſas, cur illud dierum, ex quacunque
certè parum, aut nihil ad nos pertinente cauſa interiectorum, interuallum H
multifariam importunum tolli debeat,attuliſſe uidebor: poterit fortaſſe non
inutiliter libellus edi, paucis mutatis de ſpatij temporis interiecti cauſa, de
qua nobis fuit adhuc, nec erit amplius diſſenſio. Sequar enim te quocunque
duxeris, hac in parte, modo ipſe mihi in ſumma cauſæ ne refrageris. Vale.

GASPARIS
CONTARENI,
DE MAGISTRATIBVS
ET REPVBLICA
VENETORVM.

DE MAGISTRATIBVS ET REPVBLICA VENETORVM,

LIBER PRIMVS.

SAEPENVMERO animaduerti complures aduenas, prudentes homines, nec bonarum artium ignaros, quum primum Venetias veniſſent, atque amplitudinem eius vrbis contemplati eſſent, tanta eſſe admiratione & veluti ſtupore quodam perculſos, ut nihil mirandum magis, aut illu-
C ſtrius ſe vnquam uidiſſe præſeferrent, ac totius oris ſignificatione oſtenderent. Non tamen omnes eiuſdem rei capiebat admiratio. nã quibuſdam mira quædam res, ac prorſus incredibilis eſſe uidebatur, tam magnam mercium omnium copiam ex omnibus terrarum oris ac regionibus, perpetuo quodam ac conſtanti tenore, in hanc unam ciuitatem inuehi, indeque in longe diuerſiſſimas gentes terra mariq́ue deduci. At alios detinebat vrbis frequentia, & omnium propemodum gentium conuentus, veluti commune orbis emporium, vna Veneta ciuitas eſſet. Nonnulli mirabantur magnitudinem imperij, latamq́ue & terra & mari ditionem: at plerique omnes politioris & acrioris ingenij homines, hanc nouam ſitus vrbis rationẽ adeò
D ad omnia opportunam, ut deorum immortalium potius, quam hominum opus atque inuentum fuiſſe arbitrarentur, & ob hanc potiſſimum cauſam Venetam vrbem omnibus alijs præſtare, quæ aut hoc tempore vſquam gentium ſint, aut vnquam fuerint. Ac nimirum, ſi ſuperiora perſpexeris, etiam hac tempeſtate nonnullas vrbes inuenire facilè poteris, quas cum hac noſtra conferas; non paucas uerò ſeculis retroactis, quæ & imperij magnitudine, & frequentia populi, rerumq́ue omnium copia & magnificentia vrbi Venetæ longè præſtitere. verùm poſt hominum memoriam, nulla vſquam gentium ciuitas extitit, quæ tam opportuno, tam tuto ſitu, atque adeò ſuperante omnium fidem condita fuerit. Plerique in condenda vrbe ſatis ſe feciſſe arbitrati ſunt, ſi locum delegiſſent, ad quem difficilis & incommodus

hoſtibus acceſſus eſſet ad eam inuadendam atque obſidendam. inde euenit, E
ut complures ciuitates conditæ ſint, aut in editioribus & præruptis, aſpero
difficilique acceſſu, aut paluſtribus demiſsiſque locis. diuerſa quadam ratio-
ne nonnulli nihil præferendum cenſuere cōmodo, oportunoque ſitui ad im-
portanda exploranda que omnia, ſine quibus ſufficere ciuitas ſibi nequeat, tū
ad neceſsitatem, tum ad molliorem atq; elegantiorem quendam vitæ cultū.
Qui uerò vtriq; rei ſtuduerint, paucos admodū inuenias, pauciores uerò qui
id præſtiterint, nullos autē quos ſciā, qui omni ex parte id fuerint aſſequuti.
At Venetiarum ſitus diuino potius quodā conſilio, quam humana induſtria
præter fidem eorum omnium, qui eam ciuitatē non uidere, cū ab omni impe
tu terra mariq; tutisſimus eſt, tum etiā aptisſimus omniū ad cuiuſque rei co- F
piā, ſiue ex mari, ſiue ex continente ciuibus ſuggerendā, atq; ad cōmercia om
nis generis mercium, cum omnibus penè nationibus habenda. Nā in receſſu
penetralique Adriatici pelagi eſt ſita, unde quà mare attinet ad continentem,
magna æſtuaria panduntur, miro artificio naturæ munita. Nam xij. millibus
paſsiuum à continente mare incipit eſſe vadoſum: intra vadoſa breuiaq; lit-
tus aſſurgit, veluti agger quidam. Hæc fluctibus impetuique marino obſiſten
tia, uniuerſam eam ſtationem interiorem, longe lateque fuſam adeò tutā red
dunt, ut nō tantū maris impetus, quum aſſurgit, ualida tēpeſtate actus, fractis
fluctibus retrocedat, verumetiā neq; nauibus aduētātibus liber aditus pateat.
Quin potius opus eſt, niſi leues admodū fuerint, ut his in locis, vbi vadoſum
mare eſſe incipit, in anchoris conſiſtant: hactæ deinde tranquillā tempeſtatē, G
à peritisque gubernatoribus, ſeu potius vadorū exploratoribus circumactæ,
anguſta quadam & implicata via, quà ſcilicet altior eſt vnda, (hæc uerò ſingu
lis ferè diebus æſtu maris mutuatur & uariat) tandē ad vrbem perueniāt. Lit-
tus illud, quod aſſurgit poſt vada, ſexaginta fermè millibus paſſuum extendi-
tur, atq; interiora æſtuaria concludit. Non ita tamen continuum eſt, ut non
ſeptem locis diruptum mari aditum ad internam ſtationem præbeat. Diſtat
autem à continente ſex millibus paſſuum. Hac ergo ratione Venetæ vrbis
æſtuaria hæc partim continente terra, partim littore ac vadis cōcluſa ſunt; in
quibus medijs, ea regione quæ Riuoaltus dicta à maioribus, in hunc vſq; diē
nomen ſeruauit. Cōdita vrbs fuit Veneta quo tēpore Hunni duce Attila totā
oram Venetam, inſignem Italiæ prouinciam, quæ hiſce æſtuariis finitima eſt, H
igne ac cædibus deuaſtabant. in qua calamitate Patauij, Aquileiæ, Opitergij,
Concordiæ atq; Altini, illuſtrium Venetiæ vrbium, ciues, qui & nobilitate,
& diuitijs alijs præſtitere, primum ſe cum familiis recepere in nonnullas in-
ſulas, ſeu potius tumulos, qui in æſtuarijs hiſce paululum è mari eminebant:
ibidemque oppida extruxere, in quibus tanquam in tutisſimo portu turbulē-
tisſimam illam Attilæ tempeſtatem effugerent. eodem autem tempore in lit
tore, (de quo ſupra meminimus) nonnulla oppida condita fuere, eò cōuenię̄
tibus eiuſdem oræ incolis, qui patrias item ſedes reliquerant, ab Hunnis di-
reptas, ac dirutas: tutumque locum quæſierant vxoribus, liberisque, atque
(ut ita dicam) diis penatibus. Poſtmodum Caroli Pipinique regum tempori-
bus

A bus communi conſilio omnes in Riuoaltum cõuenere, veluti in locum omnium tutisſimum, & maximè commodum. ita eò conuenientibus omnibus, quicunque vexationem & deuaſtationem eam Italiæ ab immani illa barbarorum illuuie illatam, effugere potuerunt, in eam magnitudinem, quam nunc cernimus, excreuerunt Venetiæ. Vrbis igitur Venetæ ſitum maximè tutum eſſe liquere omnibus poteſt, uel ex ipſa ratione eius vrbis conſtituendæ, quum ſibi homines illam condiderint, qui eam Italiæ cladem atrocisſimam effugere: ibique incolumes cum familijs in tantis calamitatibus perſtitere. quin poſt ea tempora (quod nulli vnquam ciuitati legimus contigiſſe) à prima vrbis origine ad hæc vſque tempora per mille ferè ac cen B tum annos integra ſemper ab hoſtili vi vrbs Veneta perſeuerauit, quum tamen opulentisſima ditisſimaque auri argentique, ac rerum omnium ciuitas ab extremis etiam orbis regionibus barbaros ad prædam potuerit inuitare. Quo fit, ut non male ſentire exiſtimem eos, qui una hac ratione Venetias cæteris ciuitatibus præſtare cenſuere. Verùm aliud quiddam eſt in hac ciuitate, quod longe omnium præſtantisſimum cenſuerim ego: mecumque omnes, qui ciuitatem, non tantum mœnia ac domos eſſe putant, ſed ciuium conuentum, atque ordinem potisſimùm hoc ſibi nomen uindicare exiſtimant. ea eſt Reipublicæ ſcilicet ratio & forma, ex qua beata vita hominibus contingit. hoc ego reor eſſe eximium illud ac præclarum, quo Venetiæ maximè enitere, atque omnem antiquitatem ſuperare uideantur. C nam & ſi compertum eſt, nonnullas Reſpublicas extitiſſe, quæ imperio, ditione, tum militiæ diſciplina ac bellorum gloria Reipublicæ Venetæ longè præſtiterint, nulla tamen fuit, quæ inſtitutione ac legibus ad bene, beateque uiuendum idoneis, cum hac noſtra conferri posſit: quo effectum eſſe perſpicimus, ut neque adeò diuturna vlla vnquam perſtiterit. Quam rem cum mecum ipſe conſidero, magnopere mirari ſoleo maiorum noſtrorum ſapientiam, induſtriam, excellentem animi virtutem, atque adeò incredibilem erga patriam charitatem. Fuere Athenis Lacedæmone ac Romæ nonnulli ciues vitæ probitate, atque in rem publicam inſignes pietate viri: ſed adeò pauci, ut multitudine obruti non multum rei patriæ profuerint. At maiores noſtri, à quibus tam præclaram Rempublicam accepimus, omnes ad D unum conſenſere in ſtudio patriæ firmandæ, & amplificandæ, nulla propè priuati commodi & honoris habita ratione. Huiuſce rei coniecturam facere quiuis facilè poterit, minimè inquam ambitioſos fuiſſe Venetos homines, ſed patriæ commodo tantum ſtuduiſſe: quòd nulla, aut admodum pauca, antiquorum monumenta Venetijs extant, cum tamen domi foriſque præclarè ſe geſſerint, optimeque de Republica meriti fuerint: non ſepulchra, non equeſtres aut pedeſtres ſtatuæ, non roſtra nauium, aut vexilla ab hoſtibus direpta, ingentibus prœlijs ſuperatis. Vnum ex innumeris gentilis mei Andreæ Contareni Ducis exemplum afferam. Genuenſi bello grauisſimo, ac longè omnium periculoſisſimo, cum Dux hic noſtræ Reipublicæ præeſſet, incredibili ſapientia, animique magnitudine ſingulari

rem patriam ſeruauit, hoſteſque iam victores maxima clade illata profliga- E
uit, omneſque ad unum, aut trucidauit, aut captiuos fecit. conſeruata pa-
tria, re aucta confirmataque Republica diem extremum clauſit, ac teſta-
mento cauit, ne eius ſepulchro, quod ad hunc vſque diem viſitur iuxta tem-
plum diuo Stephano dicatum, vlla Ducis inſignia, vlla've gentis noſtræ affi-
gerentur. ne nomẽ quidem ibi tam magni Ducis inſcriptum uideas. qua eius
modeſtia effectum eſt, ut viri celeberrimi illuſtriſſimique Principis monu-
mentum plerique ignorent. certiſſimum hoc reor argumentum eſſe, non
ambitionis ventoſæque famæ maiores noſtros ſtudioſos fuiſſe, ſed patriæ
tantum bono, communique vtilitati conſuluiſſe. hac ergo incredibili virtu-
te animi, maiores noſtri hanc Rempublicam inſtituere, qualem poſt homi- F
num memoriam nullam extitiſſe, ſi quis hãc noſtram cum celeberrimis an-
tiquorum conferat, facilè animaduertat. quin aſſerere auſim, neque monu-
mentis inſignium philoſophorum, qui pro animi voto formas Reipubli-
cæ effinxere, tam recte formatam atque effictam vllam contineri. Quam-
obrem putaui ego exteris hominibus rem minimè ingratam, atque inutilem
me facturum, ſi tam præclaræ Reipublicæ inſtitutionem literis mandarem,
quum præſertim nullum his temporibus uideam ex quamplurimis doctiſſi-
mis viris, qui multum ingenio, eruditione rerum omnium, ac eloquentia va
lent, hanc rem literis illuſtrauiſſe. Cui licet nihil luminis ex oratione noſtra
afferri poſſe certò ſciam, per ſe tamen eſt adeò illuſtris, ut non tantum ſibi,
uerumetiam orationi alioquin tenui multum ſplendoris & dignitatis ſit al- G
latura. Quamobrem cum de hac noſtra Republica ſcribere inſtituerim, ut
quilibet facilè dignoſcere queat, rectè ne an perperam ſe habeat, hinc mihi
potiſſimum exordium ſumendum reor. Hominem ſcilicet à natura ciuile
animal effectum eſſe, ſolum uerò nedum rectè uiuere, ſed nec uiuere poſſe:
id quod quotidiana neceſſitas, ac victus veſtituſque ratio planè oſtendit: ac
ob eam cauſam, & à principio homines conueniſſe in hanc ciuilem ſocie-
tatem, ac deinde perſeueraſſe, ut benè beateque uiuerent, hoc eſt, ut mutuo
adiumento atque opera ſummum hominis bonum aſſequerentur, quo-
ad fieri poteſt donec mortalem hanc uitam degimus. Quamobrem etiam
uniuerſa ratio ciuilis inſtitutionis eò pertinet, ut qua faciliori via id fieri
queat, ciues faciat fœlicis vitæ compotes. At fœlix beataque vita vſu vir- H
tutis præcipuè contineri à ſummis philoſophis perhibetur, quod etiam pro-
bant certiſſimis rationibus, & argumentis euidentiſſimis. Verùm vſus vir-
tutis & in muneribus bellicis elucet, & in functionibus pacis. Atqui quam-
uis laus bellica, totaque militaris ratio tum neceſſaria ſit ciuitatibus pro
conſeruanda libertate, ac finibus tuendis, tum etiam dignitatis & ſplen-
doris plurimum habeat; nihilominus reſpuit communis hominum ſen-
ſus officia bellica, (quibus cædes ac mortalium detrimenta in primis procu-
rantur,) eſſe per ſe expetenda, atque ad ea cætera omnia ciuilia munera eſſe
referenda. ac crudelis quidem ingenij, uel potius ab humanitate abhorren-
tis hominis eſſet, optare prœlia, cædes, incendia, hac duntaxat de cauſa,

A ut in re militari clarus ſit; adde etiam ſi libeat, ut ſummi Imperatoris laudem
conſequatur. Quare omnes philoſophi inſignioris notæ in hanc ſententiam
cōſenſere, bellum propter pacem expetendum eſſe, omnemque functionem
virtutis militaris atque uniuerſam laudem bellicam ad pacis officia eſſe re-
ferendam. Quamobrem is reipublicæ inſtitutor, qui laude dignus haberi, &
ut dici ſolet, omne pūctum tuliſſe uideri vult, eam moderationem adhibeat,
ac eum ordinem tueatur, ut ad uirtutem accommodata tota reipublicæ in-
ſtitutio uideatur: atque ad pacis functiones magis quàm ad bellica munia ſpe-
ctare exiſtimetur, bellicis interim & militaribus non neglectis. Nam ple-
runque & finibus tuendis & propagandis, (dummodo id ſine iniuria fiat) ne-
B ceſſaria eſt militaris uirtus. Cæterum ijs, quæ diximus, conſtitutis; illud ſta-
tim in controuerſiam reuocari ſolet, gubernationi ciuitatis rectius've unus,
an pauci præſideant, an potius uniuerſa multitudo: qualem plerique effin-
gunt ſtatum illius, quæ propriè reſpublica uocari debeat. mihi quidem egre-
gie ſtatutum, ſapienterque dictum uideri ſolet, hominum gubernationē per-
peram homini cuipiam demandari, ſed diuinius aliquid eſſe oportere, cui of-
ficium iſtud incumbat: quod cognoſci facilè poteſt ex pleriſque generibus
animantium. gregem enim ouium ouis non regit, nec equorum aut boum
armentum bos equus've aliquis moderatur, ſed animal quoddam longè ma-
gis eximium tuetur, ac regit brutas animantes: homo inquam, qui quantum
brutis antecellat, eſt omnibus compertiſſimum. Itaque non diuerſa ratione
C hominem moderari, ac regere debet quippiam homine præſtantius & diui-
nius, ſi ex animi ſententia res ſucceſſura ſit. Sed cùm in mundanis rebus, quæ
ſenſu percipiuntur, inueniri minime poſſit melius ac præſtantius homine, ac
homo uarium quoddam ſit animal, & longè diuerſis partibus conſtet: infe-
rioribus quippe animi viribus cum belluis communionem habet, at ſupre-
mis quodammodo deos immortales attingit: id rectè inter homines guber-
natoris atq; moderatoris locum tenere debet, quod eſt in homine diuinum.
id uerò omnium conſenſu eſt mens, diuini tanquam ſplendoris radius quidā
à natura inſitus hominum animis. Non ergo ſatis reipublicæ conſultum erit,
ſi gubernatio homini committatur, quem brutæ illæ vires ſæpe perturbant,
atque à recta ſemita reuocant rationis, ſed menti puræ ac motionum animi
D experti, id munus deferendum eſt. Quamobrem diuino quodam conſilio,
cum alia ratione id fieri non poſſet, inuentis legibus hoc aſſequutum huma-
num genus uidetur, ut menti tantum ac rationi nullis perturbationibus ob-
noxiæ, hoc regendi hominum cœtus officium demandatum ſit. Quod ſanè
deorum munus, neſcio an nullo inferius exiſtimari debeat, ſi quis accurate
ſecum reputet legum cōmoda. Primo nanque in ſanciendis, plurimi ſapien-
tes viri conueniunt, qui multarum rerum experientia docti, inuentis aliorū,
exemplisque veterum collatis, tandem poſt diuturnam conſultationem de-
cernunt id, quod optimū viſum fuerit: neque odio tunc, aut amicitia, alia've
animi perturbatione à uirtute deduci poſſunt, quum nullius priuati cauſa a-
gatur in legibus conſtituendis, quod in forenſibus iudicijs ſemper accidere

Z iiij ſolet.

ſolet. Póſt uerò leges ſancitas, ſi quis contra eas feciſſe deprehendatur, easq́ue E
pœnas dederit, quas leges iuſſerint, iure nullum habere odio poterit. Proin-
deq́ue metuendum non erit, ne qua ſeditio aut ſimultas inter ciues contra-
hatur, maxima & periculoſiſſima rerum publicarum labes. Contrà plerun-
què cum hominum iudiciis non vi legum quiſpiam plectitur, diſcordiæ ini-
micitiæq́ue graues proueniunt. Nam fieri vix poteſt, ut non male affecti in
eum ſimus, qui nobis detrimentum attulerit. quo circa haud ſcio, an homi-
num generi à natura omnium parente nihil hac legũ inuentione maius con-
ceſſum fuerit, quæ etiam iure dijs immortalibus fuit ab antiquitate conſe-
crata: quin quod magis mirum uideatur, Ariſtoteles philoſophorum facile
Princeps in eo libello, quem De mundo ad Alexandrum Macedonum re- F
gem ſcripſit, nil aliud reperit, cui ſimilem Deum optimum faceret, præter
antiquam legem, in ciuitate recte inſtituta: ut id propemodum tam magni
philoſophi ſententia ſit Deus in hac rerum uniuerſitate, quod antiqua lex in
ciuili ſocietate. Ac in libris, in quibus de republica tractat, legem inquit eſſe
mentem ſine appetitu: perinde ac ſi diceret mentem puram, lucidam, nullis
affectuum morbis infectam, ex quibus effici illud, quod ſuperius diximus
maxime opportunum atque optimum eſſe, quilibet perſpiciat homo etiam
tardioris ingenii, ut ſcilicet diuinius quippiam homine cœtus hominũ mo-
deretur ac regat. Quòd ſi huic gubernationis muneri præficiatur homo,
quum rari admodum ſint & prudentia & probitate præditi, ijq́ue plerunque
ob affectuum animi vim cum in iudicando errent, tum maximè à recta ani- G
mi ſententia dimoueantur, non ſine turbatione magna, ingentiq́ue periculo
res proceſſura eſt. quod etiam ſi fieri poſſet, ut hominem inueniremus, adeò
ſapientem atque probum, atque adeò propoſiti tenacem, ut nulla animi per-
turbatione ab officio reuocaretur: vtique neque hac conditione optandus
eſſet pro legum principatu hominis dominatus, qui mortali fragiliq́ue na-
tura præditus, diutius eo munere fungi nequiret, quum leges æternitatem
(vt ita dixerim) æquare poſſint. Ex his iam perſuaſum eſſe reor, ſummam im
perij cõmendandam eſſe legibus, non homini: quàm pauciſſima uerò, quan-
do legibus comprehendi non poſſunt, hominis arbitrio permittẽda. Verùm
neceſſe eſt, ut cuſtos quiſpiam ac veluti vicarius & miniſter legibus conſti-
tuatur, qui pro legis imperio rempublicam regat: &, quoniam neque legibus H
comprehendi poſſunt omnia, tum quæ in iudicium ueniunt, tum quæ con-
ſultanda ſunt, arbiter ſit huiuſmodi omnium. rurſusq́ue eadem controuer-
ſia redit, quæ ex legum ſanctione ſoluta eſſe alicui uideri potuiſſet: an ſcili-
cet unus melius, an pauci, an potius multitudo tuendis legibus, & his diiu-
dicandis, ad quæ ſatis eſſe leges non poſſunt, præferenda ſit. Ac, quamuis mul
torum ſententia regius dominatus alijs habeatur præſtantior, crediderim ta-
men ego, tametſi unius principatus, qui uere regiam dignitatem ac iure ſibi
uindicaret, ſi res per ſe conſideretur, optimus omnium eſt, nihilominus pro-
pter ſæpius in deteriorem partem labile ingenium hominis, ac uitæ breuita-
tem, optimum omnium ſtatum minimè eſſe ſub regio principatu, ſed mul-

titudi-

A titudinis gubernationem ciuili ſocietati magis conuenire: idque experientia rerum omnium magiſtra luculenter docet. Nam nullum regium principatũ apud veteres extitiſſe unquam legimus, neque noſtra tempeſtate conſpeximus, qui non breui in tyrannidem lapſus ſit. Contrà plurimas reſpublicas multis ſeculis perduraſſe, ac pace & bello floruiſſe. Ac multitudo quidem omnis gubernationi per ſe inepta eſt, niſi in unum quodammodo coaleſcat: quandoquidem neque multitudo vlla eſſe queat, niſi unitate aliqua contineatur. Qua de re ciuilis quoque ſocietas diſſipabitur, quæ unitate quadam conſtat, niſi quapiam ratione multitudo unum efficiatur. Quo fit, ut præclariſſimi philoſophi, qui de reipublicæ inſtitutione accurate ſcripſerunt, tem-

B perandam rempublicam cenſeant ex optimatium & populari ſtatu, eo adhibito temperamento, ut incommoda uniuſcuiuſque gubernationis uitentur, commoda uerò comparentur. Quocirca rempublicam Lacedæmoniorum ſummopere laudant, in qua Reges, & Ephori, & Senatus effecerint mixtionem quandam, ut bene dignoſci nequeat, ſub qua'nam gubernationis ſpecie fuerit ea reſpublica collocanda. Id tamen reprehendunt, quòd dumtaxat ad belli munera inſtituta fuerit, nulla interim habita ratione officiorum pacis, atque otij, ex quo effectum eſſe, ut reſpublicà illa multis & clariſſimis virtutibus inſignis, ubi primum in otio eſſe cœpit, in deterius lapſa ſit, ac demum corruerit. quod etiam Romanis accidiſſe eadem propè cauſa compertum eſt: nec id eſſe eventurum latuit præcipuos Romanos Senatores. ex quibus

C Naſica cenſuit Carthaginem, tametſi Romani nominis æmulam, uel potius inimicam ſempiternam, minimè diruendam eſſe: ut ſemper Romanus hoſtem haberet, cum quo agendum armis eſſet: ne inimico atque æmulo ſublato ea reſpublica inſtituta ad bellum, iuuentusque in armis educata in ſeſe arma conuerteret. Quod Naſicæ conſilium, quamuis à Senatu tunc repudiatum fuerit, contràque eius ſententiam decretum, rerum tamen ipſarum euẽtus prudentiſſimũ fuiſſe oſtendit. nam euerſa Carthagine continuo ferè bella ciuilia exarſere, quibus tandem florentiſſima, ac potentiſſima omniũ, quæ unquam fuerunt, reſpublica concidit, ac demum in Barbarorum prædam ceſſit opulentiſſima, ſeu potius rerum domina ciuitas. Sed ut aliquando ad inſtitutum opus ueniamus, maiores noſtros, qui Venetam rempublicam inſti-

D tuerunt, mira quadam ſapientia atque egregia probitate præditos fuiſſe appàret, qui nihil prætermiſerint, quod ad rectam reipublicæ inſtitutionem pertinere uideretur. Primum namque ad vſum muneraque virtutis inſtituere omnem uitam, functionemque ſuorum ciuium, ſemperque eis fuere potiora ſtudia pacis quàm belli. Et in eam curam potiſſimum incubuere, ne qua ratione concordia ciuilis ſolui poſſet, non neglectis interea officijs bellicis, his inquam quæ noſtræ ciuitati maxime conuenirent. nam is eſt vrbis ſitus, ut ualde idoneus ſit maritimæ militiæ, terreſtri uerò parũ aptus. Neque enim huic vrbi aliquo pacto accommodari queunt, aut equitum turmæ, aut peditum acies, ut ex his, quæ ſupra de vrbis ſitu à nobis accurate diximus, perſpicuè conijci poteſt. Eam uerò in hac repub. moderationem ac tem-

pera-

peramentum adhibuere, eamque mixtionẽ omnium ſtatuum, qui recti ſunt, E
ut hæc una Reſpublica, & regium principatum & optimatium gubernationem, & ciuile item regimen referat: adeò ut omnium formas pari quodam libramento commiſcuiſſe uideantur, quod clarè ex operis proceſſu liquebit. Verum, ut tandem Reipublicæ Venetæ inſtitutionem aggrediamur, ſumma totius ciuitatis auctoritas, & ex cuius decretis & legibus, tum Senatus, tum magiſtratus omnes ius poteſtatemque habent, penes illud conſilium eſt, in quod nobiles omnes ciues conueniunt, qui annum XXV exceſſere, nam plerique alij qui nondum id ætatis habent, ubi tamen annum XX peregerint, hoc ius ſortis beneficio adipiſcuntur: de cuius rei uniuerſa ratione inferius dicemus. Nunc à nobis illud primum omnium ſtatuatur, probè à maioribus noſtris cautum fuiſſe, ne plebs admitteretur ad conuentum F
hunc ciuium, in quo eſt ſumma reipublicæ poteſtas. Deinde non minore prudentia factam fuiſſe ciuium hanc definitionẽ generis nobilitate potius quàm facultatũ cenſu, quemadmodum fieri conſueuerat in priſcis rebuſpub. ac plerique veteres philoſophi præcipiunt eſſe faciendum. Ciuitas nanque ciuium ſocietas eſt: nec tamen omnes hi homines, quibus indiget ciuitas, aut qui intra mœnia vrbis habitant, ſunt habendi pro ciuibus, neque iure in ciuium numero ſunt collocandi. Opificibus enim cuiuis ciuitati eſt opus, alijſque permultis qui mercede operam ſuam locant, ac priuatis demum ſeruis. at nullus horum ciuis uere dici poteſt. nám ciuis liber eſt homo: hi uero omnes ſeruitutem ſeruiunt, uel priuatam, uel publicam. Mercenarij namque & opifices G
omnes veluti ſerui publici haberi debent. Etenim non diſſimili modo à natura conſtitutum fuiſſe animal putandum eſt, ac ciuitatem ab hominibus cõſtitui oportere. In animante uerò multæ ſunt partes, quæ animatæ non ſunt, illis tamen indiget animal, ut uiuat: ſic in ciuium cœtu multis hominibus eſt opus, qui tamen minimè partes ciuitatis aut eſſe, aut haberi debeant, nec in ciuium numero collocari. Quamobrem ſapienter à maioribus noſtris cautum eſt, ne uniuerſus populus ſummam poteſtatem habeat in hac republica, quam longe optimam uoluerunt. Summa enim turbatio. populareſque tumultus frequenter concitantur in illis ciuitatibus, in quibus ſumma rerum eſt apud populũ: quod etiam in quibuſdam rebuſpublicis obſeruatum fuiſſe legimus, & à nonnullis philoſophis præceptum. hoc tamen rectè ſe poſſe aſ- H
ſequi arbitrati ſunt, ſi ius hoc adminiſtrandæ reipublicæ definiretur cenſu atque copia rei familiaris. Verum in maximas difficultates, nec mediocria incommoda incidere, nam frequenter euenit, ut infimæ plebis homines comparent ſibi ingentes facultates: quippe qui plerunque ſordidis artibus, officijſque minime liberalibus dant operam augẽdæ rei, neque vnquam ſibi parcunt, quin potius genium fraudant, ut opes accumulent. Contrà ingenui ciues ac liberaliter educati pauperes fiunt, ſeu aduerſa fortuna, (ut frequẽter accidit) ſeu quòd liberalibus ſtudijs addicti uniuerſam hanc augendæ rei familiaris operam negligunt. qua ratione fit ut ſordidi homines, qui nil aliud ſapiunt quàm lucrum, bonarum uerò artium expertes ſunt, paulatim rempublicam capeſſant: ingenui uerò ac liberaliter educati opibus ſenſim deficientibus

A çientibus à iure ciuium decidant. Inde maximas ſeditiones oriri, ac rempu-
blicam turbari neceſſe eſt. Ideo maiores noſtri ſapientisſimi homines, ne ſua
reſpublica quandoque in has calamitates incideret, hanc definitionem pu-
blici iuris, generis nobilitate longe melius fieri cenſuerunt, quàm magnitu-
dine cenſus: ea tamen temperatione, ne tantùm ſupremæ nobilitatis viri hoc
ius haberent, (illud enim paucorum potentiæ fuiſſet, non reipublicæ) ſed etiã
quicunque alij ciues non ignobiles. Itaque omnes qui aut genere nobiles ex-
titere, aut virtute inſignes, aut de republica bene meriti, principio hoc ius ci-
uitatis regendæ adepti ſunt. Quòd ſi poſt eum primum ciuium conuentum
nobiles alij fuere, qui tum opibus, tum ſtrenuis geſtis rempublicam auxe-
B rint, nimirum illis omnibus ius adminiſtrandæ reipublicæ conceſſum fuit,
id quòd & temporibus noſtris uidimus. nam nonnulli etiam aduenæ, exter-
niq́ue homines in hunc numerum ciuium aſciti ſunt, uel ob eam cauſam,
quòd nobilisſimi, uel quòd officioſi erga rempublicam fuerint, eamq́ue inſi-
gni quopiam facinore honeſtarint. Vniuerſus ergo hic ciuium conuentus,
ſeu (ut dicitur) magnum hoc conſilium, penes quod ſummum totius reipu-
blicæ ius eſt, & à quo etiam Senatus magiſtratuumq́ue omnium auctoritas
pendet in hac republica vicem refert popularis ſtatus. Dux uero qui præfi-
nitum imperandi tempus non habet, ſed dum vixerit, præſidet, regiam præ-
ſefert poteſtatem, præſertim cum regiam ſpeciem habeat, ac grauitatem di-
gnitatemq́ue regis ſeruet. Reliqui uerò ciues regia ueneratione Ducem pro-
C ſequuntur, omniaq́ue decreta & leges, tum etiam publicæ literæ, ſub Ducis
nomine prodeunt. At Senatus, X viri, ſeniorumq́ue ſeu præconſultorum col
legium, qui apud nos vulgò ſapientes appellantur, eorum inquam qui præ-
conſulunt, ac de republica ad Senatum referunt, oſtendunt quandam opti-
matium ſpeciem. Quæ cùm ſint præcipuæ reipublicæ huius partes, antequã
ad inferiores magiſtratus deueniamus, de ijs primo ſigillatim dicendum eſt.
Initium uerò ſumatur à maiori conſilio, à quo uniuerſa pendet reſpublica.
Omnes ordinis patricij iuuenes, qui XX annum exegere, ad magiſtratum,
qui vulgò Aduocatorius dicitur, accedunt, cui præcipuè legum tutela de-
mandata eſt, coram quo conſtituti cum patre, aut matre, ſi pater deceſſerit,
aut proximiore generis cognato, ſi vtroque parente orbati fuerint, adhibitis
D duobus teſtibus, honeſtis viris, ſed alienis à matre, probant ſeſe natos ex eo,
quem patrem profitentur, non ſpurios: ſed matrimonio legibus ſtatuto &
ex matre honeſta muliere. Teſtes uero in hæc uerba iurant, ſibi id comper-
tum eſſe ex omnium quos nouere atteſtatione, atque ex omnium aſſenſu.
Deinde pater ſeu mater, uel conſanguineus genere proximus, ſi fuerit is iu-
uenis vtroque parente orbatus, iureiurando aſſerit adoleſcentem XX annos
excesſiſſe. Quæ quum rite à ſcriba magiſtratus illius in codicem fuerint re-
lata, diem quartam menſis Decembris operiuntur: eademq́ue die omnium
horum adoleſcentum nomina, qui nondum ſortis beneficio ius ciuis adepti
ſunt, nec vigeſimum quintum annum exceſſerunt, in vrnam conijciuntur, &
ad Principem deferuntur: ibiq́ue coram Conſiliarijs ea vrna conſtituitur. Pe

nes

nes quam eſt & altera, in qua tot ſunt pilulæ ſeu globuli, quot nomina in priori fuerint, ſuis quæque notata ſyngraphis. Pilularum quinta pars aurea eſt, reliquæ omnes argenteæ. Extraxit Princeps ex priori vrna nomen, mox & ex altera pilulam: quæ ſi aurea fuerit, iuuenis is cuius nomen exierat, confeſtim publicæ poteſtatis ius habet, & in maius conſilium admittitur: ſin argentea, ſorte decidit, ac inſequentis anni ſortem operitur, niſi eo temporis ſpatio XXV annum exegerit. nam quicunque patricius ad id ætatis peruenerit, continuò ius habet ciuis, publicæque poteſtatis eſt particeps, atque in hoc conſilium maius admittitur. Hac igitur ratione quinta pars candidatorum iuuenum quotannis recipitur ad ius ſuffragij ferendi cum alijs ciuibus. Quòd ſi accidat ut cuiuſpiam patricij pater atque auus, uel propterea quòd abſentes fuerint, uel ob aliam cauſam nunquam hoc iure ſuffragij ferendi ſint vſi, eorumque nomina nunquam fuerint relata in publicos codices, in quibus patriciorum omnium nomina ſunt deſcripta: ne qua fraus confici poſſet, ne've quiſpiam degener furtim obrepat in hunc nobilitatis cœtum, noluerunt arbitrio tantum Aduocatorij magiſtratus eam rem conſtitui ac decerni: ſed lege cautum eſt, ut hi referentibus Aduocatoribus ad XXXX viros agnationem patriciam probent, atque teſtibus & ſcripturis publicis: ſicque cauſa cognita diſcrepantibus quadraginta viris decernitur, an ad ordinem patricium admittendus ſit. Ne autem quiſpiam impune tentare huiuſmodi iudicium audeat, itidem decretum eſt, quicunque referre de nobilitate ſua uoluerit, ad eos iudices, priùs ad magiſtratum afferat quingentos nummos aureos, qui in ærarium referuntur, ſi ille deciderit à cauſa. Ea fuit maiorum noſtrorum diligentia, ne qua labe nobilium hic cœtus inficeretur. qua de cauſa etiam illi ciues, qui vigeſimumquintum annum exceſſerunt, non prius adipiſcuntur ius ſuffragij ferendi, quàm coram Aduocatoribus conſtituti iureiurando patris ſeu matris, aut proximioris conſanguinei probauerint, ſe ad id ætatis deueniſſe: ac duobus item teſtibus, ſe ex eo patricio genitos quem parentem profitentur, non ſpurios nec matre pudenda. Poſtquam omnis ferè ratio à nobis expoſita eſt, qua ciuibus ad ius publicæ poteſtatis aditus fiat, illud animaduertendum exiſtimo, maiores noſtros ſenſiſſe plurimum ad amicitiam & vnionem ciuium conciliandam & conſeruandam conferre, ſi ſæpius in unum conuenirent. quare tum legibus, tum veteri conſuetudine inoleuit mos ille, ut octauo ferè quolibet die, interdum etiam frequentius, Conſilium magnum cogeretur. Huius præcipuum munus eſt, ut omnes magiſtratus creet, tum eos, qui in vrbe ius dicunt, & alijs reipublicæ muneribus funguntur, Senatum quoque & decem viros, tum etiam prætores, præfectos, quæſtoreſque oppidorũ atq; vrbium, quæ in ſocietatem Veneti imperij ſunt aſcitæ, necnon cuſtodes arcium, claſſis Imperatorem, Legatos, item claſſis triremium præfides, ac demum (vt vno complectar verbo) quoſcunque qui domi vel foris ius habeant publicæ poteſtatis. Leges item omnes, quæ ad conſtitutionem reipublicæ pertinent, huius conſilij auctoritate ſanciuntur. quod præcipuè fieri conſueuit tempore interregni, cum ſcilicet mortuo Duce nondum alius ei

E

F

G

H

ſuffectus

A ſuffectus ſit. ſed inferius de interregno. Nunc omnis comitiorum habendorum ratio à nobis exponetur. Circa Meridiem, quibuſque ferè diebus feſtis conſilium hoc cogitur ſub amplo ſpatioſoque tecto, quod liceat appellare comitium. in eo decem ſunt ſedilia longisſima, vtpote quæ longitudinem comitij penè æquent. ciues omnes, ut quiſque eò loci peruenerit, ſeſſum eunt, ut cuique libuerit. nulli enim ſtatutus eſt locus in comitio, præterquam quibuſdam magiſtratibus, qui comitijs præſunt. ij uerò ſunt Dux, Conſiliarij, & XXXX virorum præſides tres, qui in elatiori ſuggeſtu ſedent, atque ſoli ius habent referendi ad magnum conſilium. Poſt hos in mediis ferè ſubſelliis, quæ paulò elatiora ſunt ad parietes comitij poſita,
B certis ſtatutiſque ſedibus, Aduocatores ſedent, treſque decem virûm præſides, ac demum quàm longisſime à ſuggeſtu Ducis ſunt ſubſellia Auditorum veterum, ac recentium, de quibus omnibus magiſtratibus à nobis infrà dicetur. cæteri uerò ciues omnes (ut dicebam) promiſcuè pro animi arbitrio ſedent. ſtatuta deinde hora fores comitij clauduntur, feruntúrque claues ad ſuggeſtum Principis, & ad eius pedes locantur. tunc ſcriba primus, qui honos eſt non patriciorum, maximæ tamen dignitatis, aſſurgit, atque elatiore loco conſtitutus voce magna pronunciat magiſtratus, quorum ſunt eo die habenda comitia. pronunciatis magiſtratibus, continuo ex eo loco confert ſe ad ſuggeſtum, in quo eſt Princeps, altaque voce citat magiſtratus, præſides comitiorum quos ſupra memorauimus, ut ad Prin-
C cipem ſeu Conſiliarios, ſi Princeps abſuerit, accedant. iusſi confeſtim accedunt, ibíque iureiurando interpoſito pollicentur operam ſe daturos, ut leges comitiorum ſeruentur, pronunciaturoſque ciuem eum, qui contra decreta aliquid egerit, ac pœna legibus conſtituta punituros. His peractis ad ſua quiſque loca reuertitur, præter unum ex Aduocatoribus, ac unum ex præfectis decem virûm, qui ad extremam partem atrij ſe conferunt aduerſam Principis ſuggeſtui, ibíque deſtinatis ſedibus conſident. reliqui uero Aduocatores in dextro latere comitij, duo uerò reliqui decem virûm præſides ſiniſtro latere è regione Aduocatorum ſe item locant. Conſimili ratione Auditores veteres & recentes extremo loco comitij, quem dicimus longisſimè diſtare à ſuggeſtu Principis, oppoſitis lateribus conſident, dextro
D inquam ac ſiniſtro: ut huiuſmodi magiſtratuum conſeſſu uniuerſo ciuium conſilio omni ex parte appoſiti cuſtodes eſſe uideantur, ne quis impune quippiam agere posſit, contra leges & comitiorum decreta. Magiſtratibus hunc in modum diſpoſitis tres vrnæ iuxta Principis ſuggeſtum ſtatuuntur, in quibus conduntur globuli aurei argenteíque: hocque modo diſpoſitæ, ut in medio ſuggeſtu ſit una, ex vtroque latere itidem una, in quarum vtraque triginta tantum ſunt globuli aurei, innumeri uerò argentei. in media uerò vrna LX. tantum globuli conduntur, quorum triginta ſex aurei, argentei uerò uiginti quatuor: ſuntque aurei omnes globuli, certis literarum notis inſcripti, quas ſingulis comitijs ſorte educunt, ne qua poſſet ſubeſſe

Aa fraus.

frans. Locatis vrnis tres Conſiliarij cæteris iuniores è ſuis ſedibus ſurgũt, E
ac ad extremam partem ſuggeſtus iuxta tres eas vrnas ſeſſum eunt, ea ratione ut ſingulis ſinguli conſiliarij asſideant. his ita actis & diſpoſitis ſortes ducuntur, atque is ordo ciuium, cuius ſors exierit, conſurgit ex vtroque comitij latere. Per atrium enim quod longum eſt, decem ſunt ſedilium ordines diſpoſiti, in quibus pro cuiuſque arbitrio conſidere ciues ſuprà diximus, unaque tantum ſors duobus ordinibus inſeruit, ijs ſcilicet qui ex vtroque latere comitij ſibi reſpondent. is ergo ordo, cuius ſors exierit, magna præconis uoce citatur, & ex utroque latere comitij, eo ordine quo ſorti libuerit, conſurgitur: ciuesque eo quo ſederint ordine, ad eas ſe vrnas conferunt, quibus iuxta ſuggeſtum Principis conſtituti Conſiliarij asſident: ac manu impoſita quiſque globulum unum educit: qui ſi argenteus ſit, diuerſo itinere ad ſedile, vnde ſurrexerat, reuertitur. at qui aureum eduxerit, confeſtim Conſiliario, qui vrnæ illi præeſt, conſpiciendum tradit: ille diligenter notam agnoſcit. illa notæ inſcriptio ea ratione eſt inuenta, ne quiſquam efferre domo ſecum poſſet aureum, quem manu furtim impoſitum uideretur ex vrna eduxiſſe, ſicque per fraudem elector fieret. Is ergo cui ſors aurei obtigerit continuò ad mediam vrnam ſe confert, indeque alium globulum extrahit. qui ſi argenteus fuerit, impos voti reuertitur ad eundem locum unde diſceſſerit; ſin uero aureus fuerit, ſuggeſtum aſcendit, atque è regione Principis deſtinato loco ſeſſum it. F
ſecundus qui eadem ſorte vſus fuerit, eodem etiam ſe recipit, ac item tertius: ſicque deinceps cæteri, quouſque nouem fuerint, qui primum electorum ordinem complent, atque ita eo in ordine diſponuntur, ut ſolius ætatis ratio habeatur, præterea nullius rei. Hoc loco inſtitutum illud minime prætereundum eſt, illos qui ſortis beneficio electores ſunt facti, ſtatim alta voce à ſcriba pronunciari ſolere, adeò ut omnes audiant: neque amplius facultatem vllam eſſe cuipiam eius conſanguineo, aut affini arcta neceſſitudine coniuncto tentandi ſortem, qua elector fieri queat: neque etiam pluribus quàm duobus gentilibus aditus patet ad ordines electorum, quod ſumma prudentia maiores noſtri inſtituere, ut ſcilicet ad plures agnationes ac familias hoc munus eligendi perueniat, publicumque hoc beneficium latius pateat inter ciues: ſatis enim haberi debet, ſi ex una familia ſors duobus contingat, qui publicæ auctoritatis compotes efficiantur. Sed eò reuertatur, unde noſtra diuertit oratio. primus hic ordo electorum ciuium eueſtigio ut completus fuerit, è comitio egreditur, ſimulque nouem illi ſe in certum conclaue recipiunt. Hic ſcriba vnus à ſecretis Reipublicæ adeſt: primum electoribus nunciat ea, quæ legibus præſcripta in magiſtratibus eligendis ſeruari debeant. leguntur item Senatuſconſulta, ac cæteræ leges quibus cauetur, ne pecunia corrupti electores, ſeu quapiam mala arte & fraude eligant, uel, ut rectius dixerim, nuncupent eos, qui competitores futuri ſunt, ac ſuffragijs conſilij proponendi, diſpo-

nuntur

A nuntur deinde nouem illi electores, pro cuiuſque ætate, ſeniores ſcilicet digniori loco, prioriq́ue ſede. nullum enim aliud diſcrimen, præterquam ætatis, inter ciues Veneti eſſe uolunt, quod ſeditionis nullius aut ſimultatis vnquam id cauſa fuerit: neque à ſummis philoſophis, Ariſtotele inquam in Politicis, & Xenophonte in Cyri Perſarum Regis inſtitutione, opere longè celeberrimo, eſt prætermiſſum. Electoribus eo ordine diſpoſitis, nouem item globuli in vrnam conijciuntur, numeris in quoque notatis, ab uno ad nouenarium. In pagina uerò paululum longiore inſcripti ſunt magiſtratus, quorum habentur comitia ſuo ordine. Maximus natu electorum, ex vrna ſortem educit, numerus ſorti inſcriptus inſpicitur, ac quotus fue-
B rit numerus, in eo etiam magiſtratu, qui in pagina illo fuerit numero deſcriptus, pronunciandi quem uoluerit ciuem ius habet. Idem contingit ſecundo, tertio, ac deinceps omnibus, ut ſcilicet ducta ſorte quiſque electorum proprii magiſtratus beneficio & arbitrio ſortis ſit pronunciator effectus. Poſtmodum is, cui primi magiſtratus ſors obtigerit, eum ciuem pronunciat quem uoluerit. Itur in ſuffragia à nouem electoribus, ſi ſex ſuffragia, uel plura tulerit electus ab eo electorum ordine, in eo magiſtratu renunciatur, ac eius nomen in pagina ea oblonga, in qua magiſtratus omnes, quorum habentur comitia, ſunt inſcripti, ab uno electorum ſubſcribitur notæ primi magiſtratus. quòd ſi pauciora quàm ſex ſuffragia tulerit, quod rariſsimè euenit, iterum alius ab eodem electore proponitur. atque eadem ratione res,
C deinde peragitur, & ſic deinceps, quouſque aliquis proponatur, qui approbetur ſex electorum iudicio. Idem eligendi modus in ſecundo, tertio, omnibuſque aliis ſeruatur, quoad ille electorum ordo in ſingulos magiſtratus ſingulos ciues elegerit. Interim uerò dum hæc in conclaui aguntur, reliqui ciues ordinem ſortium in comitio cœptum non intermittunt. ſed ad vrnas ſe conferunt, prout cuique ſedilium ordini ſors contingit: deinde globulos educunt, donec nouem alii ſortem vtramque auream ex vrna extraxerint, hi complent ſecundum electorum ordinem, qui habita (vt dictum eſt) ætatis ratione, & ipſi in conclaue deſtinatum ſeorſum ſecedunt: quo in loco adeſt & alius ſcriba à ſecretis, qui ratione nulla in re diſpari à priore, tum leges ac Senatuſconſulta quæ ſeruanda illis ſunt, recitat palàm, tum ſuo
D quemque loco collocat; paginamq́ue defert eiſdem magiſtratibus, eademque ſerie, qua prior illa, quam in conclaui primi electorum ordinis delatam fuiſſe ſuprà diximus. Itidem ſortes ab electoribus educuntur, ut quiſque ſuam educit, à ſingulis pronunciantur ciues ſinguli in magiſtratibus, quorum comitia fiunt, prout cuiuſque electoris ſors tulerit. ac eodem fermè modo poſt hos tertii nouem eadem ratione tertium ordinem complentes, in priuatum quoque conclaue ſecedunt, in quo eadem adamuſsim obſeruantur. Sic etiam quarti nouem in ſuum, atque hoc pacto explent numerum triginta ſex ciuium. totidem enim fuerant globuli aurei in vrna medio ſuggeſtu conſtituta. Quamobrem ex ſexaginta ciuibus, quibus ex primis vrnis ſexaginta pilulæ aureæ contigere, triginta ſex electores fiunt, in quatuor

claſſes diſtributi: quatuor uerò & viginti, qui ex media vrna globulos ar- E
genteos eduxerunt, ſpe fruſtrati ſeſſum redeunt. Non me latet, per quam
arduum eſſe minuta hæc à veterum Romanorum vſu longe remota, literis
illuſtrare, ſed potius inepti culpam mihi cenſco ſubeundam, quàm parum
diligentis. ideo minima quæque etiam accurate ſanè à nobis recenſebuntur,
adeò ut nihil amplius etiam ab homine diligenti deſiderari queat. Nunc
reuertamur, unde digreſſa eſt oratio. Cùm ergo in quolibet magiſtratu, cu-
ius eo die habentur comitia, à claſſibus quatuor electorum quatuor item
ciues electi ſunt, à ſingulis inquam ſinguli: niſi fortè contingat unum ali-
quem à duobus, aut tribus ordinibus electorum renunciari, quod interdum
accidit, ſed plerunque cuiuſque magiſtratus quatuor fiunt competitores: F
in nonnullis tamen paruæ dignitatis, ac inferioris notæ magiſtratibus duo
tantum fiunt competitores: duæ nanque priores electorum claſſes ius ha-
bent eligendi, ac pronunciandi competitores, in illis minoribus magiſtra-
tibus, cum poſteriores claſſes eo iure ſint priuatæ. poſtquam magiſtratuum
omnium competitores electi fuerint, ea quam ſupra expoſuimus ratione,
confeſtim electores dimittuntur, neque ſuffragari ea die cuipiam poſſunt,
nec etiam comitijs intereſſe. ac ſcriba magnus, qui (ut dixi) patricius honos
non eſt, ſed tamen maximæ eſt exiſtimationis, ex ſuggeſtu magna voce pro-
nunciat competitores primi magiſtratus: ac ſigillatim recitat, quis, & à
quo electorum ordine electus ſit, necnon quo electorum auctore, & in
quo ordine unuſquiſque competitorum nominatus fuerit. Quo mihi in lo- G
co illud nequaquam prætereundum exiſtimo, legibus ſancitum eſſe, ut ele-
ctor ille, quo auctore quiſque competitorum pronunciatus ac electus ſit,
ueluti fideiuſſor eius habeatur: ac ſi contingat pronunciatum ciuem ſu-
peratis competitoribus voti compotem magiſtratum eum adipiſci, quem
petebat, ac in eo magiſtratu pecuniæ publicæ quippiam auerterit, ac dam-
natus fuerit peculatus, nec ſoluendò ſit, is elector, quo auctore pronun-
ciatus eſt, in ærarios referatur. igitur alta voce à magno ſcriba pronuncia-
tis competitoribus primi magiſtratus, continuò pronunciati, ſi affuerint,
cum gentilibus quiſque ſuis, ac maxime neceſſarijs cognatis è comitio egre-
diuntur, & in conclaue deſtinatum ſe conferunt. ibique opperiuntur, do-
nec illius magiſtratus habeantur comitia. His peractis idem magnus ſcri- H
ba omnes admonet, diuinis atque humanis legibus vnumquemque teneri,
ut ei ſuffragetur, qui omnium optimus ac Reipublicæ vtiliſſimus fore ui-
deatur: deinde primum competitorem nominat, à primo ſcilicet electo-
rum ordine electum, pro quo in ſuffragia eundum ſit. continuò iuuenes
tot conſurgunt, ut unicuique ſedilium ordini bini inſeruiant. Hi vrnas
quaſdam manibus geſtant, miro artificio inter ſe coagmentatas, exterior
eſt uiridis, interior alba, unico fornice ſuperius tectæ: in quem cum ma-
num inieceris, liceat tibi in vtrum volueris ſuffragium demittere: cum
tamen nullus, etiam qui adſit, ac diligenter inſpiciat, dignoſcere queat, in
vtram vrnam ſuffragium ſiue calculum conieceris. nec fabis ſuffragantur,

ſed

A ſed pilulis quibuſdam linteis, ne qua ratione ex ſono, quem cadentes in vrnam fabæ facturæ ſint, dignoſci posſit, in vtram vrnam calculus ſit iactus. nam maiores noſtri maximè Reipublicæ conducere exiſtimauere, ſi libera iudicia fierent: ieccircoque ſummam operam dedere, ut ſuffragia quàm occultisſima eſſent. Iuuenes ergo illi cum ſuis quiſque vrnis inuicem coagmentatis ad ſedile ſuum concedunt, ac cuique ciuium eo quo ſederunt ordine, vrnas offerunt. quilibet uero ciuis palàm oſtenſo calculo manum in fornicem imponit, ac in vtram voluerit vrnam, eum demittit: ſi ſuffragari uelit, in interiorem albam: ſi uero refragari, in exteriorem viridem. ſimul in unoquoque ſedilium hac ratione atque eo quo diximus modo, in ſuffragia itur.

B Quo fit, ut breui admodum temporis ſpatio ab uniuerſo conuentu ciuium ſuffragatum ſit. tunc vrnæ deferuntur ad ſuggeſtum Principis, ibique collecta ſuffragia effunduntur in duo vaſa patula, ea videlicet quæ fuerunt in vrnis albis, & quæ fauerint, in vas candidum. at quæ in viridibus vrnis collecta ſunt ſuffragia, quibus repellitur competitor ille ab eo magiſtratu, itidem in viride vas conijciuntur. Deinde ad Conſiliarios numeranda deferuntur, inter quos medius ſedet Princeps. candidi vaſis ſuffragia, competitori fauentia, ab eis Conſiliarijs numerantur, qui dextro Principis latere aſsident. At collecta in vaſe viridi, quæ ſcilicet refragantur, ab his qui ad læuam Principis ſederint, recognoſcuntur. ſcribæ publici Conſiliarijs adſtant, ſtatimque perſcribunt numerum ſuffragiorum. Interea dum primi ſuffragia recenſentur,

C eadem ratione pro ſecundo in ſuffragia itur, qui à ſecunda electorum claſſe fuerit electus. deferuntur itidem ſuffragia ad Conſiliarios. numerant illi, ſcribæ autem numerum ſuffragiorum ſcriptis mandant. ſic pro tertio, ac demum pro quarto, ſi tot fuerint competitores, in ſuffragia itur. Numeratis ſuffragijs, is qui plurima tulerit, dummodo dimidia excedant, pronunciatur electus à magno ſcriba, quum peractis omnium magiſtratuum comitiis conſilium dimittendum eſt. Sin autem eius magiſtratus competitorum nullus plura ſuffragia quàm dimidia omnium tulerit, præteriti hi omnes habentur, differturque electio ad altera comitia. Poſt primi magiſtratus comitia peracta pronunciantur nomina electorum in ſecundo. diſcedunt in conclaue competitores cum gentilibus ac cognatis. At illi qui con-

D cluſi erant, primorum ſcilicet competitorum gentiles atq; cognati, in comitium redeunt. Eadẽ ratione nulla in re diſpari à priori, eodẽ ordine itur in ſuffragia pro ſecundi huiuſce magiſtratus cõpetitoribus. atque item numerãtur à Conſiliariis. is electus habetur, qui ſuffragiis alios ſuperauit, dũmodo plura dimidijs ſint. ſic pro tertio, item deinceps pro quarto, hoc demum in omnibus aliis magiſtratibus ſeruatur. Comitiis confectis, electorum nomina magna voce pronunciantur à ſcriba magno, poſtea dimittitur conſilium: neque omnino ultra ſolis occaſum protrahi comitia queunt. Quòd ſi ea ſolis occaſus interceperit, ſtatim renunciatur, qui ad eam horam fuerint electi: eorum, qui reſtant, nulla ratio haberi poteſt. Itaque beneficio, quod eis cùm ſors, tum electorum claſſes attulerant, excluſi tempore, minime frui queunt. fuit-

que hoc ſumma ratione decretum. nam haud facile factu eſſet, ſi res in no- E
ctem protraheretur, ut tam magna ciuium multitudo à magiſtratibus, qui
comitijs præfecti ſunt, in officio contineri poſſet, ut tenebris fauentibus non
aliquid contra leges agerent. iccircò maiores noſtri ſapientisſimi viri, qui exi
mia prudentia, & animi ſolertia omnia proſpexiſſe uidentur, ſtatuêre vltra ſo
lis occaſum comitia ne protrahi liceret, ne've vllo pacto lucernam vllam in
atrium illud inferri, dum comitia haberentur. Hæc eſt omnis comitiorum
habendorum ratio. in qua minime eſt prætereundum, ita inter ciues diſtri-
bui magiſtratus, ut tamen duo eiuſdem gentis, aut etiam conſanguinei maxi
me neceſſarii, in eodem magiſtratu eſſe non posſint. Quemadmodum neque
ijſdem comitiis duo gentiles, aut agnati, maxime neceſſarii, ſortis beneficio F
electores eſſe queunt, ut ſuprà oſtendimus. quod ſumma quidem ratione ſta-
tutum eſt, ut ſcilicet ius publicæ poteſtatis ad plures pertineat, non autem ad
paucos neceſſarios contrahatur. nam hi poteſtatem adepti moliri aliquid fa-
cilè poſſent, rempublicamque turbare. plurimi præterea, honorum facti ex-
pertes, rempublicam oderint, rebusque nouis ſtudeant, neceſſe eſt. Eam ue-
rò rempublicam quam pars ciuium, eaque magna non probat, diùtius conſi-
ſtere poſſe, non uidetur eſſe ualde ſperandum. magis autem reipublicæ pro-
prium nihil prorſus eſt, quàm publicam poteſtatem ad plures pertinere: nam
cum Reſpublica ex ijs planè ciuibus conſtet, quos inter ſumma ſit æqualitas,
ut in honoribus adipiſcendis diſpares ſint, minimè conuenit. Etenim pau-
corum ſtatum, quem Græci ὀλιγαρχίαν dicunt, facilè conſtituunt, qui ius publi- G
cum contrahunt ad paucos neceſſarios. Quamobrem in republica Veneta ita
magiſtratus inter ciues diſtribuuntur, ut quoad fieri poſſit, omnes familiæ
agnationesque honorum, munerumque Reipub. ſint participes: ea tamen ra
tione, ut nõ quiuis, ſed hi tantùm viri, qui & probitate & prudentia excellũt,
Rempublicam adminiſtrent, ac muneribus publicis fungantur. Prior illa in-
ſtitutio populare quiddam ſapit: altera uerò optimatium gubernatione. qua-
rè luce clarius intueri licet, omnes rectas gubernationes ciuitatũ in hac una
Repub. eſſe cõmiſtas. nam quãuis hoc magnum conſilium ſpeciem quandã
referat popularis ſtatus, nihilominus in eo perſpicitur cõmixtã eſſe rationẽ
optimatiũ gubernationis cũ populari. nam ſorte eligi magiſtratus, populare
eſt, in eo enim ſtatu ciuitatis iuſtũ atq; æquũ æqualitate Arithmetica metiun H
tur: atq; ita reputant, quum vnuſquiſque è populo unus ſit ciuis, & liber, ac pa
ribus paria debeantur, unumquemque ex populo pari iure ac cõmodo frui de-
bere in Republica: neq; eſſe cauſam, cur alius minus alio magiſtratus conſe-
qui poſſit. quum uerò omnes ſimul nequeant imperare, ſed per vices, æquum
eſſe exiſtimant, ut res ſorti cõmittatur, vtque imperent ij, quibus illa fauerit.
Contrà in paucorum potentia, quæ aberrat à Repub. optimatium vſu venit.
quippe arbitrantur, cum imparibus imparia debeantur, diuiteſque ſuperent
alios ciues copia rei familiaris, eis quoque ſupremos honores deberi. in quo
vtrique falluntur, longeque à uera ratione recedunt, licet veriſimili nitantur.
nam quod inquiunt, paribus paria, aut imparibus imparia deberi, rectè ſta-

A tuunt. In eo uerò, quòd paritatem priores numero tantum, poſteriores imparitatem ſolum diuitijs metiuntur, proculdubio perperam iudicat. Etenim qui numero pares ſunt, aliqua in parte pares ſunt, non omnino pares. Et qui diuitiis impares, non omninò impares cenſendi ſunt, ſed aliqua tantùm ratione impares. Verùm cum ciuilis ſocietas ad bene uiuendum ſit inſtituta, virtus ſola diſcrimen hoc efficit. his ergo qui virtute præſtant, tanquam imparibus ac potioribus, ſupremi etiam honores in republica debentur: æqualibus uerò uirtute ac ciuili induſtria æquales etiam honores. hic modus, hæc norma optimatium eſt. Sicuti ergo populare eſt, vti ſorte in electoribus conſtituendis: ita eſt optimatium, ut is qui uirtute præſtare iudicio conſilij exi-
B ſtimatus fuerit, potior habeatur, ac reliqui repulſam ferant, qui indigniores habiti ſint. Qua ex re facilè perſpici reor, in hac comitiorum habendorum ratione commixtam eſſe cum populari ſpecie optimatium formam: eo tamen tēperamento, ut id quod eſt optimatium. ſuperet rationem popularem. nam ſors in electoribus tantùm conſtituendis dominatur: cuius poteſtatis nequam etiam homines reipublicæ abſque detrimento compotes eſſe queunt, parque ius habere cum optimis ciuibus. at in mandandis honoribus nil ſortis eſt, totum in electione & iudicio poſitum eſt. Quo in loco non omittendum illud inſtitutum cenſeo, in comitijs magiſtratuum, qui exigunt viros præcipua quadam bonitate ac ſolertia præditos, quatuor ordinibus electorum, de quibus ſupra memini, ſenatum velut quintum ordinem exple-
C re. nám dum ordines illi in conclauibus ad hoc munus deſtinatis eos pronunciant, quos uoluerint competitores, ſi fiant comitia cuiuſpiam horum, quos dixi, magiſtratuum, cogitur Senatus in minus atrium: ibique vnicuique Senatori licet eum, quem uoluerit, in certis illis magiſtratibus nominare, pro quibus in ſuffragia itur. at is qui plura attulerit, pronunciatur electus Senatus ſcrutinio, fitque quintus competitor. quamobrem liquidò apparet, præſtantiorem eſſe in noſtra Republicà formam optimatium, quàm ſtatus popularis. Cæterum huiuſcemodi comitiorum modus, ac ratio ſatis hactenus diligenter à nobis expoſita eſt. Accedamus ad eam Reipublicæ partem, veluti in fidibus ad conſtituendam διὰ πασῶν conſonantiam vox grauis propor tione quadam acutæ reſpondet, ſic etiam ſpecie quadam regia parti populari
D reſpondeat, ac demum in unum concentum optimæ Reipublicæ, iniectis medijs magiſtratibus, coaleſcat.

LIBER SECVNDVS.

NVLLVS eſt, qui ignoret Principem in vrbe Veneta perſonam regis, ac ſpeciem regiæ gubernationis præſeferre. ideò non abſque ratione, poſtquam is à nobis conuentus ciuium eſt deſcriptus, qui populi formam habeat, ſi non ſatis pro rei ipſius dignitate, pro tenuitate tamen noſtra non indiligenter: ſequitur ut explicare aggrediamur, qua ratione ducti maiores noſtri, optimi atque ſapientisſimi homines, Principem unum reipublicæ præeſſe uoluerunt, tum uerò, quibus temporibus ac qualis fuerit huius Principis præficiendi origo. Neminem puto latere, id quod à nobis ſæpius hoc toto opere eſt repetendum, ciuitatem ciuilem quandam ſocietatem eſſe, quæ per ſe ſufficiat ad bene beateque uiuendum. Omnem uerò ſocietatem unitate quadam contineri, quis ambigat? contrà autem diſtractione ſolui. Quo effectum eſt, ut diſcordia ciuilique disſidio, maximæ & opulentisſimæ ciuitates breui corruerint, funditusque euerſæ ſint. vnitas uerò commode contineri non poteſt, niſi ab uno, qui multitudini ciuium ac uniuerſis magiſtratibus, quibus certæ quædam functiones ſint demandatæ, præſit, atque multitudinem quodammodo diffluentem colligat, atque in unum conciliet. quod philoſophi ſummi ac præcipui naturæ indagatores, cum in uniuerſi conſtitutione, tum etiam in microcoſmo hoc, id eſt animali, animaduertêre. Nam perſpexerunt in hac rerum uniuerſitate multos ac difformes motus, prout ſcilicet uniuſcuiuſque natura fert, ab uno cœleſti, ac diuturno contineri: omnes etiam cauſas ab una prima omnium cauſa: demum in uno animali plurima ac longe diuerſa membra, quorum functiones uariæ difformesque ſint, una tamen amica & unico membro, corde ſcilicet, comprehendi, atque in unitatem quandam colligi. pari propemodum ratione multitudo ciuium ni ita fuerit legibus inſtituta, ut unum quempiam præſidem velit, cui bonum commune omnium, ac unionis ciuilis conſeruandæ cura præcipue incumbat, quò vniuſcuiuſque ciuis, tum priuati, tum magiſtratu fungentis, actiones, tanquam ad ultimum finem & præcipuum referri debent; nimirum diutius non poterit conſeruari, ſed in diuerſas partes diſtracta decidet. quod ut nullius ciuis culpa aut iniuria contingat, ex ſingulorum quidem ſedulitate circa proprium, priuatumque munus accidere neceſſe erit, cum commune bonum nulli præ-

cipuę

F

G

H

A cipue ſit demandatum. age rem ſpectemus in rei frumentariæ præfectis: hi potiſsimum in hanc curam incumbent, ut opera ſua magna frumenti copia ex omnibus partibus inuehatur in vrbem, ſitque tritici annona vilis. At hoc fortaſſe publicis vectigalibus officiet. Naualis quoque rei præſides, quod pulcherrimum habemus, nõ diſsimili ratione maximè ſtudebunt, vt quamplurimas triremes ædificent, omnibusque bellicis & nauticis inſtrumentis exornent egregiè, atque pecunias publicas vndique coactas in eum uſum expendant: ex qua forſitan ſedulitate reliqui redditus publicis,& reficiendis arcium & oppidorum mœnibus, & cuſtodibus regionum ſatis eſſe non poterunt. quamobrem ſolutis compagibus Reſpublica diſtracta dilabitur, non
B uitio, ſed ſtudio ciuium, dum quiſque perquam egregiè munus ſuum obire ſtudet. quòd ſi hiſce incommodis effici uidetur, ut operæpretium ſit boni cõmunis curam alicui præcipuè demãdare, cuius nullum ſit certum quoddam officium, ſed ſolum moderetur, & dirigat cuiuſque functionem ad commune bonum, & ad reipublicæ unionem: pluribus æquè hoc negotium committi non reor expedire ciuitati. Etenim id,quod pariter plures curant, omnes pariter negligunt, ut inquit Ariſtoteles, neque ſi quid perperam agatur culpa,poteſt in unum quendam præ aliis conferri.vt interim omittam æmulationem ac ſimultates, quæ inter pares plerunque eſſe ſolent. ſin uerò unus huic rei præficiatur, qui temporaneum hunc magiſtratum gerat, vtputa annuum aut ſemeſtrem, non autem quoad vixerit: hic nimirum bene ſecum
C agi putabit, ſi tantiſper Reſpublica feliciter agat, donec defunctus fuerit magiſtratu,ſecurus quid poſtmodum ſit euenturum, ac quo res caſura ſit. Quare contigit, ut male plerunque res cedat. Id quod certiſsimo experimento compertum eſſe poteſt, à pleriſque rebuſpublicis ſumpto, quæ hoc gubernationis genere noſtris tẽporibus vſæ ſunt. Ideo à noſtra ciuitate ſapientiſsime inſtitutum fuit, ut in hac republica conſtitueretur quædam ſpecies regiæ gubernationis,adeò legibus temperata,vt quouis incommodo ac periculo,quæ reipublicæ imminere poſſent, amotis, vtilitate verò & commodo, quod regia gubernatio habere ſolet, aſcito; nihil relictum eſſe uideretur, quod eſſet deſiderandum,ac ſimul rempublicam liberrimam,& regem præſidem haberemus. Vnus ergo Princeps eligitur,qui etiam habet Ducis nomen. is quoad
D uixerit,reipublicæ præeſt: præcipue curam boni communis habet; quo maxime ciuitates contineri ſuperius à nobis efficaci ratione probatum eſſe reor. Huius nulla certa functio tamen eſt in uniuerſa Republica, cuius expers eſſe debeat. hic cum unumquemque priuatum, tum etiam quoſcunque magiſtratus ita debet in officio continere, atque ea ratione moderari, vt veluti quadam harmonia omnia conſonent communi bono,atque ad unionem ciuilem referantur: ne qua ſcilicet functio aut nimia ſedulitate magis quàm opus ſit intenta, aut negligentia remiſſa utilitati cõmuni officiat. hoc igitur eſt Principis munus,ut tanquam in quadam reipublicæ ſpecula poſitus conſpicetur, quid unuſquiſque rerum agat, eorum præſertim qui publica auctoritate ornati fuerint: ac ſi quem perſpiciat, qui officio ſuo deſit, accerſitum

coram

coram uniuerſo collegio uerbis primùm caſtiget, ac ſi res ita tulerit, adhibitis Aduocatoribus, ſeu x virûm præfectis, mandet culpam eius dignoſci, ac de conſilii ſententia puniri. Ipſe quoque Dux ſi uelit, tum Aduocatoris, tum præfecti x virûm auctoritate vti poteſt, atque de cuiuſque crimine, & de mulcta infligenda ad conſilium referre. Id quo more fieri ſoleat, infrà docebimus, quum de iudiciis criminum agemus. Eam enim Princeps obtinet poteſtatem, ut in quouis ciuium collegio ſeſe adiungere collegam poſſit magiſtratui præſidi, parque cum aliis præfectis ius habeat: ut hac potiſſimum ratione omnibus conſulere queat. Verùm poteſtas hæc adeò eſt legibus contracta, ut nihil ſolus poſſit, aliis magiſtratibus adiunctus non amplius auctoritatis obtineat, quàm quiuis unus eorum, qui eo magiſtratu funguntur. Quin etiam magiſtratuum ius adeò modicum eſt, ut nullus quamuis ſummus ſit, quidquam ſtatuere poſſit, quod alicuius momenti haberi debeat, niſi de conſilii ſententia. ſed de his ſuo loco luculenter dicetur. In quouis præterea conſilio Princeps unius tantùm ſuffragii tanquam unus ex illis ius habet: in magno item conſilio in conuentu omnium ciuium dum comitia magiſtratuum fiunt, neque gentili, neque conſanguineo competitori ſuffragari poteſt, uerùm eodem parique iure cum omnibus utitur. Ex his igitur puto quemcunque facilè intellecturum, Venetorum Principi omnem ademptam eſſe facultatem Principatu abutendi, & pro tyranno ſe gerendi. Quæ res diuturna, vetuſtiſſimaque conſuetudine, à primis originibus vrbis ad hæc uſque tempora perducta, adeò inoleuit, ac confirmata eſt, ut nihil minus vrbi Venetæ timendum ſit, quàm Principem reipublicæ libertati vllum vnquam negotium faceſſere poſſe. Verùm enimuero, cum maximos labores, atque ingentem ſollicitudinem animi ni aliqua tanquam merces adderetur, uniuerſi reiecturi eſſent, poteſtatis diſpendium Principi repenſum eſt, adhibitis honore, dignitate, ac ſpecie regia. Nam ornatus corporis regius eſt, purpurea enim veſte aut aurea ſemper vtitur. Capite geſtat velamen linteum pro regio Diademate: id ſupra geſtat capitium purpureum, limbo aureo ornatum, cuius pars, quæ occiput tegit, in cornu formam aſſurgit. ſedem in ſuggeſtu habet veluti regiam. omnes ciues tum priuati, tum magiſtratum gerentes, detecto capite, ac ſtantes, ſedentem Principem alloquuntur, honoris hac tempeſtate præcipuum ſignum. Nulli Princeps aſſurgit. publicæ literæ omnes ſub nomine ipſius prodeunt, obſignanturque. Orator quiuis, prætor, præfectus, aut quilibet alius, qui ad Senatum ſcribere uoluerit literas, ad Principem deſtinat: decretorum, legum, ac Senatuſconſultorum promulgationes nomine Principis fiunt. Nummi omnes tam aurei quàm argẽtei cum nomine, atque imagine Principis excuduntur. Tandem ut paucis abſoluam, vbique regis ſpeciem intueri poſſis, poteſtatem nuſquam. ſapientiſſimè hoc quidem in republica Veneta, ut cætera omnia, conſtitutum fuiſſe, nullus ſanæ mentis infitiari auſit. Nam hac honoris mercede laborioſum alioquin Principis munus rependitur, quod ſolum virtutis præmium eſſe vulgus prædicat, & ſummi Philoſophi prodidere. Ex quibus Ariſtoteles in Ethicis

A inquit. Quum hi qui rectè & ſanctè magiſtratum gerunt, non ſuæ ſed
aliorum utilitati conſulant, nulla alia ratione æquum eis præmium tri-
bui poſſe, præterquam ut honore alios antecellant. Præterea huiuſce Princi-
pis dignitas in primis facit, ut omnes ciues & caſtigationem eius maximè
uereantur, & iniuncta munera maiori ſedulitate perficiãt. Adiuncti ſunt Prin
cipi ſex Conſiliarij, ex ſenis tribubus, in quas diuiſa eſt uniuerſa ciuitas, dele-
cti ex ſingulis ſcilicet ſinguli. hi octimeſtrem magiſtratum gerunt, perpetuo-
que aſſident Principi. omnia cum Principe audiunt, nullæ literæ publicæ
exeunt, niſi ex ſententia quatuor Conſiliariorum, qui etiam nomina ſua lite-
ris aſcribunt, non his tamen quæ prodeunt, ſed illis quas ſcribæ reipublicæ
B primum ſcripſerunt, atque poſt exempla edita ſeruãt. in qua quidem re illud
haud quaquam eſt prætereundum, haſce literas, quæ non ex decreto conſilij,
ſed iuſſu Principis & Conſiliariorũ datæ ſunt ad quempiam, ut res parui mo-
menti, modicæ eſſe auctoritatis. ſanè illud ſæpius nobis repetendum eſt, om-
ne ius, omnemque poteſtatem conſilijs eſſe duntaxat attributam: nullum ue
rò magiſtratum per ſe amplam poteſtatem obtinere. ſed de Conſiliarijs infrà
dicetur. nunc ad Principem, ſeu Ducem, quidem oratio redeat. Hac igitur ſpe
cie regia Principi adfixa, quoniam plerunque contigerat, ut priuatæ opes ſa-
tis non eſſent ad tuendam eam dignitatem, atque ad eum locum honeſtan-
dum, ex publico ærario conſtituta ſunt in ſingulos annos Duci, tria millia &
quingenti aureorum nummûm. ac ne fortaſſe quiſquam paulo auarior in rẽ
C familiarem, neglecta dignitate atque utilitate publica, eam pecuniæ ſummã
cõuertat, iniuncta ſunt illi munera quædam, quæ ſuis impenſis obeat, ſuæque
ipſius dignitati & vſui Reipublicæ conſulat. quæ ſi ut pecunijs parcat, negli-
gat, hæredibus adeò ingens pecuniæ mulcta eſt impoſita, ut dum rei familia-
ri augendæ Princeps ſtudere uelit, & hæredibus prodeſſe; magnam eius ia-
cturam faciat, ſi ob auaritiam dignitati ſuæ deſit; hæreditariam quandam præ
terea ignominiam & dedecus poſteris relicturus. Complures ſtipatores alit,
inermes tamen: ſericis ueſtibus ſemper utitur: domum habitat aulæis mi-
rifice inſtructam: ſupellectilis argenteæ copiam habet, cæteraque id genus,
quæ Principi viro conueniunt. Singulis annis quater prandium parat, ſexa-
ginta & amplius ciuibus, laute atque opipare inſtructum. qua in re peruetu-
D ſtum Lacedæmoniorum morem atque Cretenſium (quorum reſpublicæ il-
luſtres fuere) moderatum tamen, maiores noſtri in hanc noſtram rempubli-
cam tranſtulere. Nam quia ſummopere conducebat ad beneuolentiam ci-
uium conciliandam, conuentus ciuium frequens, conuiuia quædam publi-
ca impenſis ærarij fieri uoluerunt, tum Lacedæmonij, tum Cretenſes: ad quæ
cum ciues conuenirent, & unuſquiſque facilè quemuis dignoſcere poterat,
& neceſſitudine quadam arctiori ex conſuetudine illa communi inuicem
vinciebantur. verùm cum omnes promiſcue cõuenirent, neceſſe erat plerun-
que in conuiuiis illis turbas, ac tumultus excitari: quumque ij, quorum ea cu
ra erat, pro ſe quiſque ciues laute excipere uellet, pecuniæ publicæ magnam
iacturam faciebant. Quapropter correctione quadam modoque adhibito

vetus

vetus illud inſtitutum etiam ad Venetos deductum eſt, omneque id negocium principi demandatum. Quater ergo ſingulis annis ciues à Principe adhibentur, lautis ſanè ſed non inuidioſis epulis. nec vnuſquiſque promiſcuè accedit, ſed hi tantùm quos princeps aſciuerit, præter Conſiliarios & Aduocatores, præfectos quadraginta virûm, ac x virûm præſides, qui iure quodam eorum magiſtratuum ſemper conuiuijs principum interſunt. cæteri ciues omnes inuitati accedunt. Hac autem ratione quatuor hæc conuiuia diſtributa ſunt, ut ſeniores digniores que ciues inuitati, circa brumam die diuo Stephano protomartyri dicato ſummo mane conueniant in ædes publicas, habitationi Principum deſtinatas, ac ſolenni pompa domo Principem deducant in ædem diui Marci: ſimulque ibi ſacris interſint, quibus peractis ad ædes ſuas Principem reducant, ibique ſimul epulentur. Aprili etiam menſe die Marci Euangeliſtæ, cuius numen Veneti præcipuum habent, & quem patronum ſibi aſciuerunt, poſteaquam corporis eius reliquiæ ex Alexandria, illuſtri vrbe Aegypti, Venetias delatæ ſunt, ciues ætate & dignitate minores inuitati à Principe, eodē more ac pompa celebratis ſacris, ad Principis prandium ſe conferunt. Aſcenſionis quoque die feſto, quo die nundinæ Venetiis fiunt, adhibentur à Principe hi, qui virilem ætatem attigerunt. Hi item ſummo mane deducunt domo Ducem, unaque cum eo nauem conſcendunt quàm ornatiſſimè ad hos vſus conſtructam, quam Veneti Bucentaurum uocant: poſtquam uerò æſtuaria ſunt egreſſi, cum primum liberum apertumq; mare intueri licet, anticuorum Pontificum beneficio, qui hanc rem publicā pro rebus quamplurimis fortiter & egregiè geſtis contra communes nomines Chriſtiani hoſtes, honeſtare uoluerunt, Princeps iacto anulo aureo in mare, inquit totidem ferè uerbis, ſe in ſignum veri perpetuique imperij eo anulo mare deſponſare. his adduntur ab vrbis præſule cærimoniæ quædam, quibus peractis deſcendunt in ædem diuo Nicolao dicatam, vetuſtam ſanè, & quæ in littore condita eſt, quod mare ab æſtuarijs diſterminat. ibi ſacra myſteria celebrantur, quibus rite peractis, conſcenſa rurſus naui, Venetias reuerſi, Principem domum reducunt, ſimulque conuiuantur. Quarto epulæ pertinent ad iuuenes ciues, qui duodecimo Calendas Iulias die dicata Vito & Modeſto Martyribus, ſolenni pompa cum Principe ad eorū templum accedunt, quod quidem templum ultra riuum magnum, qui vrbem mediam diuidit, eſt ſitum, qui quidē riuus ponte iungitur ſupra triremes ædificato, pro temporis ratione, ne immenſo ferè circuitu iter illud conficiendum ſit. Templum igitur inuiſunt, ſacris interſint, ac demum à Principe domum reducto lauto ſanè excipiuntur conuiuio. Atque ad has epulas frequenter adhibentur ſaltatores, mimi, cantatores egregij, qui conuiuas oblectent: intermiſcentur interdum ludi nonnulli, quibus mirifice ſpectatores tenentur. ſic igitur vetus illud inſtitutum in Venetam rempublicam conceſſit, moderatum tamen. nā hac ratione cuiuſcunque ferè ordinis ciues, pares tamen cū paribus, ad epulas accerſuntur, ſicque cum dignitati Principis, tum etiam maximè cōciliandis inuicem ciuibus egregiè conſultum eſſe uidetur. Cæterum, quoniā

ciues

A cives patricij ſingulo quoque anno hiſce epulis honeſtari non queunt, ne vllus præteritus uideatur, ueteri inſtituto ac lege conſtitutum eſt, ut hyeme unicuique ciui, qui in maiori conſilio ſuffragandi ius habeat, à Principe mittantur quinque marinæ anates, veluti conuiuij quædam publici portio, quod etiam ad conciliandos ciues Duci non parum adiuuare cenſeri poteſt. hiſce impenſis inſumitur magna pecuniæ pars, quæ ex ærário Principi quotannis numeratur. Quo fit, ut etiam ſi propter auaritiam uelit, nequeat tamen Dux vllis auaritiæ ſordibus fœdare dignitatem, atque amplitudinem loci quem tenet. Hoc loco quoniam ferè omnis poteſtas, atque auctoritas Principis eſt à nobis explicata, referre operæpretium eſt, quo initio quibus've tempo-
B ribus Ducis huiuſce creandi Venetiis conſilium initum fuerit: ac demum, quænam ſit ratio comitiorum in Duce eligendo. A prima ſtatim vrbis origine cum nobiliſsimi quique Venetæ prouinciæ ciues, Aquileia, Altino, Concordia, Opitergio, Patauio, ac pleriſque alijs vrbibus ampliſsimis atque opulentiſsimis, Hunnorum impetu euerſis, qui rege Attila Duce maximam Italiæ cladem attulere, in ea æſtuaria maris Adriatici conueniſſent, in quibus poſtea Veneta vrbs condita eſt, ac in vicinioribus patriæ locis, quam liquerant, unuſquiſque ſedes ſuas poſuiſſent, ædificata fuere circiter duo & viginti oppida, partim in littore eo, quod interiora æſtuaria claudit, partim in tumulis quibuſdam, qui ex æſtuarijs eminebant. ac primis initijs cum ea oppida, neque per ſe ſatis munita eſſent, neque nauigiorum copia alicui oppi
C do tanta ſuppeteret, ut piratis ac prædonibus pro ſe quiſque obſiſtere poſſet, optimum fore cenſuere, ſi de omnibus in commune conſulerent, cum omnium eadem etiam fortuna eſſet: ac communi conſilio proſpicerent, cum annonæ, tritici, vini, frugumque omnium, quæ victui neceſſariæ ſunt, tum maximè propriorum larium ſecuritati: ne quam iniuriam ſeu detrimentum acciperent à piratis, quibus nondum ſatis oppidis munitis expoſiti erant. Quamobrem cum prius vnumquodque oppidum præfectum ac præſidem ſibi ex ſuis ciuibus delegiſſet, quem Tribunum uocabant, conſtitutum eſt inter omnes, ut certis diebus tribuni hi conuenirent, ac de re communi decernerent. Paulò poſt vſu compertum eſt, cum vlli nemini præter cæteros cura hæc incumberet, ac propterea multa incommoda paterentur, commodiſſi-
D mam & utiliſsimam rem omnibus fore, ſi uni cuipiam communis boni procuratio demandaretur, quem omnes alij vti Principem agnoſcerent. Itaque decretum eſt omnium oppidorum conſenſu, ut Dux ſeu Princeps unus eligeretur. huic principio cōſtituta eſt ſedes in oppido Heraclea nuncupato. ſitum id erat in intimis æſtuariis, in inſula quadam iuxta Plauis fluminis oſtium, quæ noſtris temporibus alluuione fluuij continenti coniuncta eſt. Poſtmodum uerò cum locus is non ſatis idoneus uideretur: nam cùm in receſſu eo eſſet, ſæpenumero priuſquam mali fama eò perueniſſet, piratæ iam intra æſtuaria penetrarant, ac uel imprudentes oppidanos oppreſſerant, uel nauigia diripuerant: iccircò ſtatuerunt ſatius fore, Principem relicta Heraclea Melamochum cōcedere, oppidum in medio littore ſitum, ex quo Dux facilè

Bb præ-

præſentire poſſet, ſi quid inſidiarum à piratis ſtrueretur, ac paruo negotio adeſſe ubicunque opus fuiſſet. E Demum quo tempore Pipinus cladem & ſeruitutem initiis illis & quaſi elementis Venetæ vrbis minabatur, cum omnes Riuoaltum ex omnibus oppidis concesſiſſent; Principis etiam ſedes eò loci translata eſt; quo cunctis oppidanis conuenientibus in eam amplitudinem, quam cernimus Venetiæ excreuere. ſic igitur perpetuo quodam tenore à primis ſtatim vrbis originibus unus Princeps reipublicæ Venetæ præfuit. primi illi aliquanto maioris auctoritatis fuére. poſteà uerò uſu docente paulatim ſanctioribus inſtitutis, ac legibus poteſtas Principis ad hanc, quã cernimus, temperationem deducta eſt. Ratio uerò eligendi Ducis, qui priori vita functo ſucceſſurus ſit, primum quidem ſimplex fuit; F nam cum maiores noſtri ſingulari quadam bonitate præditi, atque ab ambitione penitus alieni eſſent, vnuſquiſque pro ſe eam ſolicitudinem recuſabat. quapropter acclamatione populi, is qui omnium optimus ac prudentisſimus haberetur, Princeps renunciabatur. Poſt prima ea tempora aucta ciuitate & populo ampliore effecto, inutile fore reipublicæ uiſum eſt, ſi temeritati atque auræ populari res tam magna committeretur. decretum itaque eſt, ut eligerentur XI viri omnium probatisſimi, qui creandi Ducis poteſtatem haberent. deinde quum aliquantum ſimul cum imperio etiam ambitio excreuiſſet, inſtituta ſunt noua quædam atque inuſitata comitia, ac perplexa quædam Ducis eligendi ratio inuenta. hanc nos, ne quid incœpto operi déſit, paucis exponemus. G Defuncto Principe ac iuſtis piè, honorificeque perſolutis, Conſiliarii, qui interregni illius tempore ſe in ſedes publicas habitationi Principis deſtinatas, continuo poſt Principis obitum receperunt, magnum conſilium uocant. in eo primo poſt interitum Ducis conuentu, ea ratione comitiorum quàm ſuprà narrauimus, quinque ciues creantur; qui defuncti Principis res geſtas diligenter ſcrutari debeant; ac de conſilij ſententia, ſi quid ab eo contra leges ac decreta ſit factum, reſcindant, ſi à quopiam etiam munus acceperit; ac ſtatutæ pepercerit impenſæ, ea quinque hiſce referentibus irrogatur hæredibus à conſilio mulcta, quam leges iuſſerint. Pecuniaria ea eſt. eaque ſumma æris de hæreditate Principis publicatur, atque in ærarium refertur. Eiſdem comitijs eliguntur quinque alij ciues, qui eodem momento quo renunciati ſunt, recipiunt ſe in conclaue comitio adiunctum: H neque inde diſcedunt antequam inter eos re conſultata, ſtatuant quid ipſis de poteſtate Principis detrahendum, aut addendum uideatur. Re inter eos diſcuſſa, iterum cogitur conſilium, quo coacto egrediuntur illi è conclaui, (nam prius non licet) ac ſuam quiſque ſententiam ad conſilium refert de Principis iure, atque uniuerſis ciuibus diſceptantibus ſuffragijs decernitur, id quod maximè reipublicæ vſui fore viſum fuerit. Id decretũ inter leges, quas Principes ſeruare debeant, ſtatim refertur. conſtituta Principis poteſtate, poſtridie initur perplexa illa comitiorum ratio, quibus Princeps creari ſolet. conueniunt ciues omnes, qui xxx. annos exceſſerint. nam iuniores eaque ætate minores veteri Reipublicæ inſtituto ad ea comitia non admittuntur

A tũuntur.numerantur deinde uniuerſi ciues,ac totidem globuli in vrnam conijciuntur, quot ciues fuerint. ex his triginta ſunt aurei, cæteri omnes argentei ea vrna ſtatuitur ante ſuggeſtum comitii,ubi Conſiliarii conſident. adſtat vrnæ puerulus, qui ſortes educat. ſubſella ciuium uocantur. ad eam vrnam accedunt omnes eo, quo ſederunt,ordine, nullus tamen quod in aliis comitiis fieri conſueuit,in vrnam manum imponit, ſed puer qui aſtat, pro ſingulo quoque globulum unum educit. Ij, quibus argenteus obtigerit, ſtatim egrediuntur è comitio. at is cui ſors fauerit, eductó aureo globulo, à ſcriba alta voce pronunciatur.Continuo ille in certum conclaue ſecedit:eius uerò gentiles & conſanguinei omnes arcta neceſſitudine coniuncti ex ſuo quiſque lo-
B co aſſurgit:uniuerſique in partem atrij concedunt. numerantur ibidem,ac totidem globuli argentei ex vrna extrahuntur: exceduntque hi ex comitio. hoc pacto triginta,quibus ſortis beneficio aureus globulus obtigerit,deligũtur ex uniuerſo ciuium cœtu. quo peracto conſilium dimittitur. Poſtquam omnes diſceſſere, triginta illi è conclaui egrediuntur, ac coram Conſiliariis denuo ſortem ſubeunt, ita ut nouem quibus ſors fauerit electores fiant, cæteriſque dimisſis in conclaue ſecedunt, huic muneri deſtinatum: ibique ſoli concluduntur,nullo prorſus, ne miniſtro quidem admiſſo:nulli copia fit eos alloquendi, neque inde diſcedere poſſunt, priuſquam xxxx viros elegerint: nullusque referri poteſt ab eis electus,niſi ſex ſuffragia tulerit.quo fit,ut quatuor refragantibus nullus electus pronunciari queat. quum primum qua-
C draginta hoſce viros elegerint, per internuncium cuſtodem ac ianitorem publicum certiores Conſiliarios faciunt ſe munus ſuum obiiſſe. eueſtigio Conſiliarij, niſi hora diei fuerit ualde intempeſtiua, conſilium magnum uocant. Poſtquam ciues omnes in curiam conuenere profertur ſyngrapha ex conclaui,in qua nomina deſcripta ſunt ciuium electorum. Ac ſcriba primus aſcenſo ſuggeſtu magna uoce pronunciat xxxx deſignatos ciues. horum quiſque ſi interfuerit,cum primum audierit ſe pronunciari,à loco ubi conſederat ſurgit, & ad ſuggeſtum Conſiliariorum, indeque in conclaue deſtinatum concedit. ſin autem eorum quiſpiam abſens fuerit confeſtim ab uno ex Conſiliariis, item ex xxxx virũm præfectis, uel per totam vrbem conquiritur. Iuuentus primum ab iiſdem magiſtratibus in comitium, dein-
D de in conclaue ad collegas deducitur, nulla interim aliquem conueniendi aut alloquendi data facultate, ne vlla ambitioni occaſio, aut aditus in his comitiis concedatur, quæ ſanctisſima omnium maiores noſtri eſſe uoluerunt. hac ratione xxxx ciues deſignati de improuiſò conueniunt, ubi conuenerint, eueſtigio dimittitur conſilium. tunc quadraginta hi egrediuntur è conclaui, atque in atrium comitij amplisſimum Conſiliarios adeunt:ibique eodem ſortium modo, quem ſuprà oſtendimus, x i i ex ipſis decernuntur,uiginti & octo qui ſuperſunt ex quadraginta viris repudiatis. hi x i i viginti quinque viros eligũt,quorum quiſque neceſſe eſt,ut octo ſuffragia ferat,paucioribus nãque nullus eligi poteſt. re expedita Cõſiliarios per internuncium

admonent. hi ſi tempeſtiua hora fuerit, conſilium cogunt, eodemq́ue mo- E
do viginti quinque illi de improuiſo coguntur. ac dimiſſo conſilio eodem
genere ſortis nouem eliguntur, ſexdecim reliqui diſcedunt. nouem hi qua-
draginta quinque creant, ſenis item ſuffragiis: qui pari pacto coacto conſilio
à ſcriba pronunciantur, & in conclaue coguntur. ij ſortis eiuſdem beneficio
rediguntur ad vndecim, qui eligunt quadraginta & unum, omnes viros ex pri
mariis Senatoribus. qui ſubito ut pronunciati fuerint, ſecedunt in atrium
deſtinatum: hiq́ue Ducis deligendi facultatem obtinent. non tamen duos
eiuſdem familiæ, aut arcta neceſsitudine coniunctos in hanc electorum claſ-
ſem admitti leges ſinũt, qui mos perpetuus eſt apud Venetos in omnibus ma
giſtratibus. Tam perplexam & multiplicem eorum comitiorum rationem F
maiores noſtri viri ſapientisſimi, atque optimi homines eſſe uoluerunt, ne ci
uium multitudo omnino expers eſſet poteſtatis Ducis creandi. Nã primi or-
dinis electores ſorte fiunt, quæ omnibus ciuibus communis eſt. poſt eum or-
dinem miſcuere ſorti electionem, ita tamen ut electio ſortem antecelleret.
nulli enim fauere ſors poteſt, niſi iudicio prioris ordinis fuerit cõprobatus.
at in poſtremo ordine à ſorte receſſerunt. ſtatuerunt enim, qui Principem ele
cturi eſſent, non eſſe omnes ſortium temeritati cõmittẽdos. ideoq; neq; mul
titudo omnino expers eſt huiuſce auctoritatis, neq; etiã prorſus ius hoc mul
titudini imperitæ tributum eſt, apud quã plerunq; plus inanis quædam aura,
quàm optimorum ac ſapientisſimorum hominum iudicium ualet. Præterea
cum nulli certi ſint Principis electores, ſed res omnis ex eorum ſententia pẽ- G
deat, qui ſortis beneficio vſi ſint, nullus ambitioni locus relinquitur. nam fie-
ri facilè poteſt, ut hi nullum ius ſint habituri, quos tu egregiè ambieris. Nunc
ad rem redeo. Peracta tandem ratione comitiorum, ubi iam creati fuerint
xxxxi viri Principis electores, ſtatim omnes, nullo interea ciuium ſalutato,
nedum compellato, conueniunt in eam curiam, in quam cogi Senatus ſolet.
ibi primum omnium ſanctè ac piè diuina myſteria celebrantur, uniuerſiq́ue
tactis altaribus iureiurando Deo Optimo, ac Reipublicæ pollicentur, eum
ſeſe Ducem electuros, quem ſanctitate, in patriam charitate, ſolertia, ac pru-
dentia aliis præſtantiorem eſſe duxerint. amotis deinde ſacerdotibus, ſoli in
curia concludũtur, neque famulo, neq; quopiam alio miniſtro accito. tunc
tres, qui cæteros ætate anteceſſerint, veluti præfecti, reſident ad paratam men H
ſam quandam ad hoc munus: ſuper qua vrna quædam eſt conſtituta: hinc
unuſquiſque elector notat in ſyngrapha nomen eius, quem Ducem pronun-
ciat, ac notatam ſyngrapham in vrnam iacit. iniectis omniũ ſyngraphis una
educitur, quæ ſorte in manũ uenerit extrahentis: lecta à præfectis ſyngrapha,
is, cuius nomen exierit, ſi præſens adſit, ut plerunque cõtingit, continuò egre
ditur è curia. tunc ſi quis eorum exiſtimauerit eum ciuem minus idoneum,
qui tam magnam dignitatem ſuſtineat, aut ob quampiam aliam cauſam, non
fore è Republica eum Ducem eſſe, conſurgit, ac primo modeſte præfa-
tus ingenuè profert, quid de eo ciue ſentiat, & quamobrem putet non

eſſe

A eſſe in rem patriæ, eum Ducē fieri. vbi finem is dicendi fecerit, præfecti nuncupatum adhibent: atque ex his maior natu omnia illi compendio repetit, quæ ei obijciuntur, auctore tamen ſuppreſſo. nam ſacramento antea omnes perpetuo ſilentio ſe obſtrinxere. refellit ille obiecta ut libuerit. Deinde iterum recedit è curia. quod ſi prior aut alius quiſpiam nouis rationibus adhuc arguere & accuſare hominem velit, poteſtatem habet. rurſus accerſitus ille reſpondet, ſicque vicisſim res tractatur, donec accuſatoribus nihil amplius relictum ſit. tum demum in ſuffragia itur. ante hæc tempora, ſi is vigintiquinque ſuffragia tuliſſet, nulla amplius aliorum ratio habebatur, ſed ſtatim ille Dux renunciabatur. noſtra tempeſtate in comitiis, quibus Andreas B Grittus, ampliſsimus Senator, creatus eſt Dux, hæc ratio immutata eſt. nam, tametſi nullus electus Princeps habeatur, niſi ſuffragia vigintiquinque tulerit; res tamen in eo non conſiſtit, qui primus eum numerum ſuffragiorum expleuerit, ut antea fieri ſolebat: ſed progreditur ad alios, ut, ſi quiſpiam eum numerum ſuffragiorum exceſſerit, non ille prior, ſed hic Dux renuncietur. Poſtquam itum eſt in ſuffragia pro eo, cuius nomen primum exierat, alia item ſyngrapha ex vrna educitur, atque omnia eodem, quo antea, modo adminiſtrantur. ſic in tertio, quarto, ac omnibus deinceps. quòd ſi nullus ad eam ſummam ſuffragiorum peruenerit, niſi hora diei fuerit intempeſtiua, iterum eadem ratione comitia repetuntur: ne multa, electoribus non prius exeundi, conueniendi, alloquendi aliquem, qui aliunde adueniat, po-C teſtas ſit, quàm vigintiquinque eorum in Principe eligendo conuenerint: quo renunciato confeſtim Conſiliarij in curiam uocantur: hi omnium primi nouum Ducem ſalutant, ac venerantur. Poſt id fama per vrbem vagatur, vbique diſcurritur. ciues omnes gaudere, à Deo Optimo Maximo ſupplices petere, ut reipublicæ felix fauſtumque id ſit. familiares ac conſanguinei Ducis in curiam properant, nouo Duci gratulantur. eodem temporis veſtigio nummi cuduntur, inſcripto nomine Principis, atque imagine expreſſa: parantur omnia, quibus ad pompam opus eſt. interea Dux, electoresque omnes ibidem operiuntur. inſtructis omnibus, deſcendunt è curia, ædemque D. Marci ei loco propinquam adeunt, auguſtum templum, magniſque opibus ornatum: Deum immortalem primò religioſè uenerantur, D & ſuggeſtum, ex porphyritide lapide confectum, omnes aſcendunt. ex electoribus qui cæteros ætate anteit, is verba ad populum facit, denunciat creationem noui Ducis, eumque modeſtè laudat. Poſt illum item Dux orationem habet, ac pauca de ſe prudenter præfatus, ſeruaturum ſe pollicetur omnia, quæ bonum Principem deceant, bonoque reipublicæ, nullius priuati commodi habita ratione conſulturum, in primis iuſtitiæ munus ſanctè obiturum, daturumque operam, ut æquum ius omnibus adminiſtretur: non rei familiari, non labori vlli, non denique vitæ parſurum, ſi reipublicæ ſuis incommodis proſpici posſit. demum Deum Optimum Maximum, D. Marcum (ſub cuius numine ciuitas Veneta eſt) atque diuos omnes precatur, ut ſibi faueant aſpirentque læti, in tam magni muneris functione obeunda.

da. Verba Ducis uniuerſus populus magno plauſu excipit. Poſtquam Dux E
perorauit, omnes ex eo ſuggeſtu deſcendunt, Ducemq́ue ante aram maxi-
mam templi ſtatuunt, ibi tactis euangeliis iureiurando Deo immortali ac
reipublicæ fidem ſuam aſtringit, ſe nil eorum omiſſurum, quæ legibus Dux
Venetus præſtare teneatur. His actis electores, qui eatenus cum Duce per-
ſtiterunt, diſcedunt omnes: at ipſe ligneum pulpitum conſcendit, adſcito
ex conſanguineis eo, quem omnium habet cariſsimum. Nautæ, qui in pretio
habentur, pulpitum humeris attollunt, magnoq́ue plauſu inſidentem Du-
cem per totum forum D. Marci deferunt. Dux uerò ex pulpito pecuniam
ſuo nomine excuſam iacit. ſumma nulla certa ſtatuta eſt pecuniæ effunden-
dæ, ſed is modus tenetur, quē rei familiaris copia, anguſtia'ue, aut ipſius Du- F
cis ingenium ſtatuerit, iactam plebs ſtudioſe colligit. tandem circunluſtra-
to foro cum ad ſcalas ædium publicarum Principis uentum eſt, pulpitum ſi-
ſtunt, è quo deſcendit Princeps. mos inualuit, ut ueſtes, quibus Dux eſt in-
dutus, vaſq́ue argenteum, in quod populo effundenda pecunia congeſta
fuerat, nautis, qui pulpitum humeris ſublatum geſtauerunt, dono dentur.
Dux ſcalis aſcenſis excipitur à Conſiliariis, qui ibidem operiebantur, & ca-
pitio, quod Principis inſigne ſuprà eſſe diximus, coronatur, hæc ſeries eſt
totius pompæ. Poſtridie Senatu in curiam coacto Dux orationem habet,
Deo, ac patribus gratias agit, quod ad id munus atque ad eum honorem eue-
ctus ſit, ſimulq́ue operam ſuam pollicetur nulli reipublicæ commodo defutu
ram. eiuſmodi ferè orationem habet coram uniuerſis ciuibus, primis ſtatim G
comitiis, quæ poſt ſe creatum Ducem fiunt. Hactenus de Principe, ſeu Duce
reipublicæ noſtræ dictum ſit, Illud proximum eſt, ut de Conſiliariis pauca
perſtringamus, quæ tamen ſatis exploratam facient omnem illius magiſtra-
tus auctoritatem. aſsident Principi Conſiliarii ſex, quod ſuprà quoque di-
ximus, ſinguli inquam ex unaquaque vrbis regione, in ſex enim regiones,
ſiue tribus diuiſa eſt uniuerſa ciuitas. harum tres ſunt citra magnum riuum,
qui mediam vrbem diuidit, tres uerò aliæ ultra. ex unaquaque vrbis regio-
ne Conſiliarius unus eligitur eadem comitiorum ratione, quà omnes magi-
ſtratus creari ſuprà abunde ſatis explicuimus. eſt magiſtratus iſte octime-
ſtris, ſimulq́ue cum Principe omnium rerum, quæ ad rempublicam ſpectant,
curam habet, verùm inſtituto admodum veteri vniuerſa comitiorum ra- H
tio Conſiliariis potiſsimùm incumbit. ſi qua etiam de re ad magnum con-
ſilium referendum, eiuſq́ue auctoritate ſanciendum ſit, res tota Conſilia-
riis referentibus decernitur, vtpote qui ſoli id iuris obtineant. his tamen in-
terdum adiunguntur quadraginta virûm præfecti, quibus tamen ſolis refe-
rendi ius non eſſet. nulli præterea magiſtratui (Ducem ſemper excipio)
conceſſa eſt ea poteſtas. poſſunt etiam ſi eis libeat de re omni, & ad Sena-
tum & ad decem uiros referre. Cæterum præconſultoribus ea præcipue cu-
ra demandata eſt, ut & Senatum cogant, & ad Senatum referant: quemadmo
dum & x virûm præfectorum officium eſt, & x viros cogendi, & ad eos refe-
rendi

A ſendi:de quibus à nobis infrà tractabitur. At Conſiliarij ampliori auctoritate ſunt præditi, vtpote qui in Senatu par ius habeant cum præconſultoribus, & in Collegio decem virûm cum illius collegij præfectis. Octo menſibus Duci asſident, eoque munere funguntur, quod iam explicui. Quatuor uero menſes interſunt, uel potius præſunt, quadraginta viris, quibus capitis grauiores cauſæ ſunt demandatæ, eisque decernentibus iudicantur, de quibus ſuo quoque loco dicetur. Nunc, poſtquam de magno conſilio, quod popularem ſtatum in hac Republica refert, & de Principe, qui regiam perſonam gerit, ſi minus eleganter, diligenter quidem tractatum eſt: inſtitutum opus poſcere uidetur, ut de reliquis partibus huiuſce gubernationis B referamus, quæ optimatium regimen repræſentant. huiuſmodi enim gubernatio in Veneta ciuitate cæteris facile præſtat, quam ſequenti volumine Deo annuente integre explicabimus.

LIBER TERTIVS.

OMNIS hominum inſtitutio, quæ quidem rectè ſe habitura ſit, naturam optimam rerum omnium parentem F imitari debet: quæ totius mundi vim, rationemq́ue omnem ita diſpoſuit, ut res ſenſus intellectusq́ue expertes, ab ijs, quæ mente præditæ ſunt, gubernentur. idem igitur ſeruandum eſt in hoc hominum cœtu, quem ciuitatem appellamus: ſenes enim iunioribus prudentia antecellunt, perturbationibus animi non æquè obnoxij atque illi, & rerum plurimarum, quas in longiori uita experti ſunt, vſu præditi. quare ſapientisſimè Ariſtoteles in Politicis ait. In unaquaque Republica, quæ naturæ ſolertiam & ſapientiam æmulari uoluerit, ſenes præficiendi ſunt ſummæ rerum: iuuenum uero officium eſſe debet, ea facere quæcunque iuſſerint ſenes. neque, quando hoc inſtitutum maximè ſecundum naturam eſt, ſeniorum imperium iuniores G detrectare poſſunt, aut ob hanc rem ſeditionem vllam concitare, quoniam in diſcrimine hoc, quod ætas facit, nullus inuidiæ locus eſt, nullaq́ue querela eſſe poteſt, quandoquidem iuniores certò ſperent ſibi à minoribus vicem repenſum iri. Hanc Ariſtotelis ſententiam comprobant omnes Reſpublicæ, quæ quidem alicuius nominis fuerunt. in ijs enim gubernationi ciuitatis, rerumq́ue omnium publicarum, ſeniorum conſilium præfectum eſt, quem Senatum etiam à ſenioribus nominarunt. hoc loco leges atque inſtituta Romanorum proferrem; etiam Athenienſium, & Lacedæmoniorum, & Carthaginienſium, plurimarumq́ue aliarum ciuitatum leges, ni res notior eſſet, quàm ut teſtibus indigeat. Pari igitur ratione in noſtra Repub. inſtitutus fuit Senatus ac Decemuirûm conſilium, qui in Veneta ci- H uitate (cuius Rempub. mixtam eſſe dixi ex regio ſtatu, populari, & optimatium) referunt optimatium ſtatum, ac media quædam ſunt, quibus extremæ partes. ſtatus ſcilicet popularis, magnum conſilium, ac Princeps, qui regis perſonam gerit, inuicem vinciuntur. Sic inquit Plato in Timæo extrema elementa, terram ac ignem mediis elementis vinciri: ſic in diapaſon conſonantia, extremæ voces mediis diateſſaron ac diapente vocibus, inuicem nectuntur. Vt ergo cœptum iter peragamus, Senatus Venetus centum & viginti legitimos ſenatores habet: multi tamen præterea magiſtratus obtinent ius ſenatorium, adeò ut noſtra tempeſtate ducenti & viginti, & amplius ius habeant ferendi ſuffragium in Senatu. Senatores legitimi ſinguli

annis

A annis ab uniuerſo ciuium cœtu(quem magnum conſilium nominari ſæpius
eſt repetitum) creantur. Nec tamen hic honos uacationem vllam habet,
quemadmodum omnes alii magiſtratus: ſed ijdem,ſi ita ſors tulerit, & ma-
gno conſilio viſum fuerit, quod plerunque fit,ſingulis quibuſque annis in eo
munere verſari queunt. Modus & ratio electionis ſupra à nobis expoſita eſt,
cum formam omnem comitiorum explicaremus. Eo igitur pacto, Augu-
ſtô ac Septembri menſe ſingulis comitijs ſex Senatores eliguntur, quæ de-
cies reperita,ſummam ſexaginta electorum explent. ſexaginta reliqui adiun-
cti, ſeu adſcripti ſunt prioribus, omneſque hi ſimul proprijs quibuſdam co-
mitiis eliguntur. nam ad tertium Calendas Octobris cogitur Senatus, atque
B vnuſquiſque Senatorum & quiuis alius, cui ſuffragii ius eſt, in Senatu unum
ciuem nuncupat. Poſtridie illius diei mane ad horam diei tertiam conue-
niunt uniuerſi ciues in comitium: prælectiſque à ſcriba magno omnium ci-
uium nominibus, quos pridie Senatores nominauerint, coniecta in vrnam
omnium nomina ſorte educuntur. mox in ſuffragia pro unoquoque itur, ex
omnibus his ſexaginta, qui plura ſuffragia tulerint quàm cæteri, dummodo
etiam dimidia exceſſerint, eo anno adſcripti Senatui ſunt, ea tamen lege, ne
plures, quàm duo eiuſdem gentis in eorum numero ſint. ſic in numero le-
gitimorum Senatorum tres tantum ex eadē gente eſſe queunt: qua lege opti-
me conſultum fuiſſe Reipub. exiſtimari debet. nam nulla pernicioſior peſtis
in Rempublicam obrepſerit, quàm ſi quæpiam eius pars cæteris præualue-
C rit. vbi enim æquum ius non ſeruatur,fieri nō poteſt,ut ſocietas vlla concors
inter ciues conſiſtat. quod vſu euenire ſolet, vbicunque plura Reipub. mu-
nera in unum conueniunt. ſic ſoluitur mixtum, ſi quodpiam elementorum,
ex quibus corpus conſtat, alia ſuperauerit: ſic omnis conſonantia diſſonans
fit,ſi fidem unam ſeu uocem plus intenderis,quàm par ſit. Non impari ratio-
ne, ſi ciuitatem aut Rempublicam conſtare nolueris, neceſſe eſt in primis
ſeruari, ne qua pars aliis efficiatur potentior, ſed omnes, quoad fieri poſſit,
publicæ poteſtatis participes ſint. Quocirca perquam egregie maiores no-
ſtri ſancitum eſſe uoluere perpetuum hoc ius in Republica noſtra,non modo
in Senatu, ſed neque in aliis magiſtratibus pluribus gentilibus locum eſſe,
quàm ad ſeruandam æqualitatem opus eſſe uideatur. Nec minus prudens
D inſtitutio eligendi Senatus habenda eſt, ut ſcilicet ſexaginta Senatores more
comitiorum ſolito, ſorte inquam electioni ac iudicio admixta, eligerentur,
ſexaginta uerò adiuncti ratione diuerſa,in qua ſcilicet nil eſſet ſortis.Etenim
ſi in omnibus par ſorti locus eſſet, facilè accidere poſſet, ut aliquando præci-
puorum ciuium ratio non haberetur, atque in eligendo Senatu prætériren-
tur non ſine Reipublicæ detrimento. Iccircò ſexaginta patres aſcriptos nul-
la ſorte, ſingulis tamen annis eligi placuit. Senatus igitur primum ex hiſce
centum ac viginti conſtat, quorum ſexaginta proprio vocabulo Senatores,
reliqui adiuncti appellantur,quorum comitiis integra dies conſumitur.præ-
ter hos centum & viginti legitimos Senatores pari iure in Senatum cum Se-
natoribus ueniunt,(ut Ducē & Conſiliarios prætercam)decem uiri,quadra-

ginta

ginta viri iudices capitalium cauſarum & criminum grauiorum, ſalis & annonæ frumentariæ præfecti, diui Marci procuratores, multique præterea magiſtratus, adeò ut noſtris temporibus ſumma omnium ducentos ac viginti excedat. hi omnes ius Senatorum obtinent. uniuerſa gubernandæ Reipublicæ ratio ad Senatum pertinet. quicquid Senatus auctoritate decretum fuerit, id ſanctum & ratum habetur. eo diſcrepante & decernente & paces fiunt, & bella ſuſcipiuntur. pecunia Reipublicæ, eius iuſſu exigitur, & impenditur. ſi res poſtulat, noua etiam tributa & decumæ, ex decreto tamen Senatus, tum imponuntur ciuibus, tum etiam exiguntur. ſi quando etiam uiſum ſit è Repub. eſſe, ut nouus quiſpiam magiſtratus pro tempore inſtituatur, is à Senatu eligitur. Præterea Senatus quibuſcunque temporibus perpetuum ius obtinuit eligendi oratores, qui ad Principes exteros à Republica deſtinantur, eorum etiam collegium creandi, qui ius habent & cogendi Senatum, & ad ipſum referendi. hos Ariſtoteles præconſultores nominat, noſtri homines Sapientes, arrogantiore uocabulo uocant: quo interdum nobis quoque utendum eſſe duximus, ne à communi loquendi conſuetudine penitus abhorrere uideamur. Comitia tamen hæc Senatus, quibus & oratores & præconſultores eliguntur, minus habent ſortis, quàm ea quæ ſupra deſcripſi, magni ſcilicet conſilii, uniuerſique ciuium cœtus. vnuſquiſque enim Senatorum nominat quem uoluerit, deinde pro ſingulis in ſuffragia itur: iſque cui plura contigerint quàm reliquis, dummodo dimidium totius ſummæ excedant, electus renunciatur. Quòd ſi quandoque neceſsitas & vſus Reipublicæ popoſcerit, ut inuito cuipiam munus aliquod publicum iniungatur, vnuſquiſque Senatorum clàm in ſyngrapha eius nomen notat, quem maxime idoneum duxerit: deinde in vrnam ad id paratam ſchedulam eam iacit. inde à ſcriba extrahuntur, palamque leguntur omnes, ac demum pro quolibet itur in ſuffragia: iſque pronunciatur electus, cui plures ſuffragati fuerint, dummodo etiam ſint plures dimidiis. Hic ſchedularum modus inuentus eſt, ne quiſpiam veritus inimicitias ſibi alterius ciuis, aut odium parare, illum ad aliquod munus uocando, quod probè quidem ſuſtinere ille poſſit, ſed tamen imponi ſibi iniquo animo ferat, abſtineat ab eo nominando: ſicque priuati commodi gratia Reſpublica detrimento afficiatur. Nunc modus nobis recenſendus eſt, quo Senatus conſulitur, eaque decernit & ſancit, quæ facienda ſunt: & quo Senatuſconſulta fieri conſueuerunt. Non latuit maiores noſtros, ſi unuſquiſque Senator promiſcuè tum referre ad Senatum, tum ſententiam dicere poſſet, atque hoc officium proprium nullius eſſet, magnam ſemper in Senatu turbationem fore. Præterea ita vſu compertum eſſe, ut id, quod omnes pariter curant, omnes etiam pariter negligant. Ideo legibus noſtris ſtatutum eſt, ut à Senatu ſedecim ciues eligãtur, quos vulgus, propterea quòd maxime omnium ſapere uideantur, Sapientes appellat. nos Ariſtotelem imitati, eo quòd præconſultant illa, de quibus conſulendus eſt Senatus, Præconſultores merito appellare poſſumus. hi ius habent & cogendi Senatum, & ad Senatum referendi. magiſtratus hic ſemeſtris eſt. Cæterum hi Sapientes

A pientes in tres ordines ſunt diſtributi, qui longisſimo interuallo inter ſe diſferunt. In primo enim ordine ſex ſunt Senatores, primarij ciues, qui cùm vſu rerum, tum dignitate, atque exiſtimatione alios facilè antecellunt. horũ præcipuum munus eſt, ut de adminiſtranda Republica, de bello, de pace, atque aliis maioribus negotijs præconſultent, atque Senatum conſulant. In ſecundo autem ordine quinque ſunt ciues, qui tametſi parem auctoritatem referendi ad Senatum habeant de rebus omnibus cum illis, qui ſunt primi ordinis, nihilominus ſunt dignitate atque exiſtimatione ſuperioribus longe inferiores. ad eos pertinet in primis, cura militum, qui Reipublicæ ſtipendio aluntur, & merent ſub Venetarum copiarum Imperatore. Tertii quoque or-
B dinis quinque ſunt, quibus demandata eſt rei maritimæ cura, neque ijs præterea ius eſt vlla de re ad Senatum referendi: hic ordo apud maiores noſtros in pretio habebatur, quo tempore apud Venetos res maritimæ florebant. Verum re maritima diminuta, noſtrorumque ſtudiis ad continentis imperium conuerſis, cœpit hic quoque magiſtratus non magni æſtimari: adeò ut ætate noſtra adoleſcentes, ac vix puberes ad eum ordinem eligantur. hi ergo ciues ſedecim, quorum conuentus apud Venetos proprio vocabulo Collegium appellari conſueuit, ſummò mane conueniunt cum Principe ac Conſiliariis: primumque ad tertiam uſque diei horam priuatos homines audiunt, quibus aliquid rei eſt, aut cum Republica, aut cum aliquo magiſtratu; easque cauſas decernunt omnes ſimul, vel, ſi ita res poſcere uideatur, ad Senatum de
C illis referunt. ſub tertiam diei horam omnes priuati è curia dimittuntur, confeſtimque ab aliquo ſcribarum, qui à ſecretis Reipublicæ ſit, leguntur omnes epiſtolæ ad Senatum miſſæ: poſtmodum, niſi ab oratore alicuius Principis, qui ad Ducem & Collegium admitti velit, aut à quopiam maioris momenti negotio, quàm ut in aliud tempus differri poſſit, interpelletur, ſecedunt hi Sapientes, ſiue præconſultores in certum conclaue conſultaturi de publicis negotijs. Poſtquam conuentum eſt, & conſederunt omnes, is qui præfectus eſt (nam eorum vnuſquiſque ſeptenos dies vicisſim rerum adminiſtrandarum primum locum obtinet) rem proponit, de qua ſit conſilium ineundum. Deinde ſingulos ſententiam rogat, eo ſeruato ordine, ut primæ claſsis præconſultores, primarij ciues, primi etiam ſententiam rogentur, di-
D cantque poſt eos quinque illi, quos in ſecundo ordine conſtituimus. Poſtremi, ſi res propoſita maritima ſit, ſententiam dicunt tertiæ claſsis præconſultores, quibus earum rerum cura demandata eſt. Quòd ſi ea res, quæ in conſultationem uenit, non ſpectet ad rem maritimam, hi poſtremi ſilent. in unaquaque uerò claſſe primus ſentẽtiam dicit, qui ſeptem proximis diebus præfuit. deinde is qui natu maximus, deinceps alij prout ætate præſtiterint. poſtremus omnium, qui alios rogat, remque deliberandam propoſuit, quique per eos ſeptem dies præfectus fuerit, ſententiam dicit. Re tandem inter ipſos propè diſcuſſa ac deliberata, ſiue omnes in eandem ſententiam conuenerint, ſiue in duas aut tres diuerſas, ut uaria ſunt hominum ingenia, diuiſi fuerint, Principem & Conſiliarios conueniunt, priuſquam Senatum cogant. Ibique omnium

omnium ſententiæ recitantur: quibus ſi Princeps, aut Conſiliarius quiſpiam aſſentiri uoluerit, ſuaque auctoritate fauere, aut aliam nouam inuenerint, re iterum inter eos deliberata, tandem omnium ſententiæ ſcriptis mandantur. id muneris ad eos ſpectat, qui uniuſcuiuſque horum trium ordinum ſunt ſcribæ. ſic negotijs, quæ Senatus auctoritate decernenda ſunt, conſultatis, Senatum cogunt. ubi Senatores in curiam conuenerint, primum recitantur omnes literæ, quæ alicuius ſint momenti, quæ've poſt dimiſſum proximum Senatum Principi & præconſultoribus redditæ fuerint. poſtea de his rebus, quæ à collegio præconſultorum deliberatæ fuerint, primum ſententiæ leguntur, ſiue illæ concordes ſint, ſiue inter ſe diuerſæ, eodem ferè pacto, quo Plato ſignificare uidetur, apud Athenienſes rogationes populi fieri ſolitas fuiſſe. Nullus uerò præter eos, quos à Venetis Sapientes vocari admonui, referendi ad Senatum ius habet, ſuamque ſententiam illius ordinis auctoritate confirmandi & ſanciendi. Ducem tamen, & Conſiliarios, & quadraginta virûm præfectos, de quibus infra dicemus, excipio. Lectis in Senatu omnium ſententiis, primi ordinis ſapientium hebdomadæ præfectus, ſi uoluerit, ſurgit. ſin minus, natu maximus, aut is, cui dicere uolenti, alij conceſſerint. is elatiorem ſuggeſtum ad id factum conſcendens, verba ad Senatum facit: rationes omnes, quibus ſententiam ſuam confirmet, diſſidenteſque refellat, in medium affert: modeſtè tamen & grauiter, ut Senatorij ordinis virum decet. poſtquam is perorauit, ſurgit præconſultor alius, qui à priori diſſentiat, ſuamque ipſe ſententiam confirmat, priorem uerò confutat, aliaſque, ſi quæ ſunt præter priorem, quæ à ſua diſcrepent. ſurgit deinde tertius, ſi tot ſententiæ fuerint, eaque in medium adducit, quæ ſecum facere uidentur: ſicque deinceps res inter eos diſcutitur, quoad nullus eorum reliquus ſit, qui verba facere velit: nulli enim ſenatori locus dicendi datur, quouſque præconſultores omnes, qui id muneris ſubire uoluerint, dicendi finem fecerint. ſed, poſtquam vltro citroque quantum viſum fuerit, & orationibus & argumentis hi contenderint, aliis quoque Senatoribus dicendi facultas datur. quòd ſi Senatorum aliquis cuipiam ex dictis ſententijs contradicere, aut earum quãpiam tueri, ſiue nouam afferre velit, dicendi copiam habet. nullus tamen Senatorum de ea ſententia, cuius ipſe eſt auctor, ius ad Senatum referendi habet: ſed plerunque contingit, ſi conſilium eius Senatoris è Republica eſſe uideatur, ut aliquis ex Collegio ſiue Conſiliarius, ſiue quadraginta virûm præfectus, de ea ſententia ad Senatum referat. Hoc ergo pacto re bene diſcuſſa & deliberata, ſuffragiis omnium, qui ſunt eius ordinis, Senatus decernit, quam nam ſententiam potiſſimum probet. nõ tamen pedibus in ſententiam eunt, aut in contrariam partem diſcedunt, quem morem Romanos ſeruaſſe memoriæ proditum eſt, neque palàm ſententiam dicunt: ſed vrnis ac ſuffragiis rem decernunt, non diſſimili ratione ab ea, quam in comitiis ſeruari ſuprà docuimus. Scribæ, qui à ſecretis Senatui ſunt, ferunt totidem vrnas, quot fuerint ſententiæ, de quibus conſulitur Senatus: unamque viridem, quæ eorum ſuffragia excipiat, qui ſententias eas omnes repudiant. præterea unam rubei colo-

A coloris, in quam iaciunt ſuffragia Senatores, quibus nondum liqueat. vnuſquiſque autem Senatorum ſuffragium in eius vrnam demittit, cuius ſententiam præ aliis probat. ſi uero omnes reijciat, in viridem vrnam. quòd ſi nondum liqueat, atque ambigatur, vrna rubea præſto eſt. Conſiliarij ſuffragia numerant. id uero pro decreto habetur, cui plures, quàm dimidia Senatorum pars fuerint ſuffragati. quòd ſi nullius ſententia dimidium ſummæ exceſſerit, primum ea reijcitur, cui paucisſimi fuerint aſſenſi: de cæteris repetuntur ſuffragia, eodem modo poſtrema ſemper reiecta, controuerſia ad duas deducitur: quarum altera neceſſe eſt, ut plura dimidijs ferat ſuffragia; in quam Senatuſconſultum factum fuiſſe pronunciatur. re una
B expedita de aliis refertur, niſi hora diei intempeſtiua fuerit, idem in omnibus aliis modus ſeruatur. Si uerò cuiuſpiam Principis orator ad Rempublicam Venetam acceſſerit, à Principe, Conſiliariis, uniuerſo Collegio excipitur, auditurque ab eis: deinde conſultandi tempus petunt. quo dimiſſo, reque à præconſultoribus eo, quem ſuprà diximus, modo deliberata, Senatus conſulitur. Princeps primum Senatui narrat, quæ petierit orator. deinde omnium, qui ius referendi ad Senatum habent, ſententiæ leguntur. eadem ratione fit Senatuſconſultum, quo petitioni oratoris reſpondetur. quo accito legitur ei Senatus decretum, ſicque dimittitur. Hæc eſt ferè ſumma eorum, quæ tum ad Senatuſconſulta, tum ad uniuerſam rationem atque ordinem conſulendi ad Senatum pertinere uidentur. Atque hactenus quidem
C à nobis explanata ſunt cuncta membra, quæ maioris conſilij ſunt: quod in Veneta ciuitate formam habet ſtatus popularis: tum ea, quæ ad Ducem ſpectant, qui quodammodo ſpeciem quandam regiam in hac Republica præſefert: ac demum uniuerſa ratio habendi Senatus. de decemuiris deinceps dicendum uidetur. Decemuirûm hoc collegium apud Venetos ſummæ eſt auctoritatis, & à quo non immeritò quis aſſerat Reipub. incolumitatem præſtari: cuius origo, ut eius magiſtratus ratio omnis facilius intelligi poſſit, longius à nobis eſt repetenda. Diuina quadam animi prouidentia maiores noſtri perſpexere, quemadmodum in corpore humano, putreſcente humore quopiam, innumeri ac periculoſisſimi plerumque morbi accidunt, qui ſæpe etiã interitum afferunt: ita etiam in Rebuſpublicis exiſtere interdum improbos
D ciues, qui negotium Reipub. faceſſant, dum potius praue imperare uolunt, quàm legibus parere, ſiue adducti ambitione ac regnandi cupiditate, ſiue ære alieno oppresſi, ſeu etiam ſcelerum conſcij, pœnæque ne à ſe exigantur, metuentes: quales Romæ legimus fuiſſe, Catilinam, Syllam, Marium, ac demũ Iulium Cæſarem, qui tyrannide potitus Rempub. penitus euertit. In Græcorum etiam Rebuſpublicis & quidem illuſtribus, eiuſmodi ciues nõnullos extitiſſe memoriæ proditum eſt. Noſtris uero temporibus compertum eſt, omnes ferè ciuitates Italiæ, quæ populari ſtatu, aut etiam optimatium vtebantur, tandem in cuiuſpiam ſuorum ciuium tyrannidem deueniſſe. Quamobrem omnibus viribus maiores noſtri ſibi nitendum ſtatuêre, ne pulcherrime inſtituta Reſpubl. optimiſque legibus confirmata, à quopiam huiuſ-

modi monſtro vexaretur. Nihil enim magis ſibi metuendum eſſe duxerunt, quàm inteſtinum hoſtem & ciuium inter ſe ſimultatem. quare cum animaduertiſſent in Republica Lacedæmoniorum Ephoros ſummæ auctoritatis fuiſſe, Athenis Areopagitas, Romæ decem viros, qui etiam leges condiderunt; operæpretium ſe quoque facturos crediderunt, ſi, horum exemplum imitati, in diſpari tamen cauſa, magiſtratum ſummæ poteſtatis in hac noſtra ciuitate inſtituerent; cui prouidendi præcipuè cura eſſet, ne qua inter ciues diſcordia, quæ ſeditionem faceret, oriretur: ne qua factio, aut ne quis pernicioſus ciuis Reipublicæ inſidias moliretur. quòd ſi quiſpiam huiuſmodi morbus malo fato in ciuitatem obreperet furtim, ſummam haberet auctoritatem in eos animaduertendi, ac procurandi, ne quid Reſpublica detrimenti pateretur. tam magna uerò poteſtas, neque paucisſimis ſine periculo committi poterat, neque formidabilis, ſi multis committeretur, furta erat. quocirca, ut ab vtroque incommodo cauerent, hoc inſtituerunt decemuirale Collegium. annuum hi gerunt magiſtratum, eamque vacationem habent, ut is, qui uel per diem in eo magiſtratu fuerit, non tantùm eo anno, ſed futuro etiam eius muneris vacationem habeat, neque fas ſit eius in comitiis decemuiralibus rationem haberi. quibus decemuiris Principem quoque & Conſiliarios adiunxere: ita ut uniuerſum Collegium ſummam decem & ſeptem ciuium expleret, quibus hæc ſumma poteſtas tributa ſit. ex decem uiris, ſingulis menſibus tres dicuntur ab illis, quibus ſors obtigerit: hi Principes Collegii ſunt, maternaque lingua Capita decemuirûm appellari conſueuerunt. ius habent cogendi decemuirale Collegium, atque ad illud referendi; certum conclaue habent, in quod quotidie conueniunt: certos etiam miniſtros, ianitores, apparitores, ac ſtipatores: adeò ut nullius magiſtratus ſubſellia cum maiori obſeruantia adeas. adeunt uerò omnes, quibus cum decemuiris negotium eſt. literas quoque ad Collegium ſcriptas legunt, & de illis ad idem referunt. ne tamen temere Senatus ille conſulatur, non unus tantùm ex his Principibus referendi ius habet, ſed duo ſint, opus eſt, qui referre de eadem re uelint, ſeu quatuor Conſiliarij. ob eandem etiam cauſam, ne quid temere à paucisſimis ciuibus immutari posſit, illud inſtitutum eſt, ne, ſi quippiam, quod iam ſancitum ſit, abrogare uelint, id habeatur pro rato atque decreto, niſi duæ Collegii partes ſuffragatæ ſint. illum quoque morem obſeruant, ne reum, cum de eo iudicium laturi ſunt, in Collegium admittant, neque cognitorem, aut oratorem quempiam, qui eius cauſam agat: quod tamen ius, cum apud alium magiſtratum cauſam dicunt, reis conceſſum eſt. ratio autem, quam in iudiciis exercendis ſeruant, hæc eſt. à Principibus Collegij reus auditur, eiuſque dicta omnia ſcriptis mandantur. Cùm autem cauſa ad Collegium defertur, ipſi Collegij Principes, aliique iudices, qui interſunt, & accuſatoris & rei vicem agunt: reſque decernitur maxima ſemper adhibita iudicii moderatione. Initio decemuiri huic tantum rei operam impendebant, ne quid exiſteret, quod Reipublicæ ciuilique concordiæ poſſet officere. poſtea ue-

A ea uerò grauisſima quædam crimina & enormia ſacinora huiuſce iudicij ſe-
ueritati ac cēſuræ cōmiſſa fuere,ut ſi qui rei facti eſſent,uel quòd numos adul
terinos cudiſſent,vel quòd venere maſcula vſi eſſent. noſtra etiam tempeſta-
te additum fuit,ut ab his iudicibus conſtitueretur multa,ac iudiciū exercere-
tur in quoſdam ſceleſtisſimos homines, qui maledictis Deum optimum uel
beatam Virginē inceſſere auſi eſſent,nonnulla etiam,quæ maxime arcana eſ-
ſent,& ad ſummam Reipub.pertinerent,ut ad decemuiros deferrentur, inſti
tutum eſt,qui tamen nihil, quod maioris momenti ſit, niſi de ſentētia totius
Senatus, decernunt. res quoque pecuniariæ ab ipſis pleræque adminiſtrātur.
quocirca ne de tot,tamq́ue arduis negotiis poteſtas paucioribus,quàm par eſ
B ſet, ciuibus permitteretur, accerſiti ſunt in hoc Collegium Sapientes primi
ac ſecundi ordinis, Aduocatores quoque & Procuratores ſancti Marci, qui
magiſtratus ſummæ eſt venerationis: ſuntq́ue præter hos huic Collegio a-
ſcripti quindecim Senatores, quos adiunctos vocant, vniuerſi tamen hi ius
ſuffragij non habent, ſed tantummodo decem & ſeptem priores, & quin-
decim his adiuncti, adeò ut omnes ſummam expleant XXXII ſuffragan-
tium. Cæteri etſi omnibus negotiis interſunt, hoc iure priuati ſunt. adiun-
cti quindecim neque à Senatu, neque comitiis magni conſilii eligi ſolebant:
ſed decemuiri, quos uoluiſſent, Senatores quindecim collegas ſibi adiun-
gere conſueuerant, qui tamen neque gentiles eorum, neque arcta neceſſitu-
dine coniuncti ſuiſſent. nunc uerò comitiis magni conſilij eliguntur hi quin
C decim adiuncti. Maximam ex decemuirali Collegio Reipub. Venetæ vtili-
tatem extitiſſe,ipſa experientia rerum omnium magiſtra compertum eſt. nā
anno ab hinc decimo ſupra ducenteſimum, Marinus Faletrus Dux, qui ty-
rannidem moliebatur, magnamq́ue Reipublicæ turbationem allaturus fue-
rat, continuo decemuirûm auctoritate ac prudentia oppreſſus, temeritatis
ſimul & ſceleris pœnas dedit: diſceptanteq́ue hoc Collegio capite mulcta-
tus eſt unà cum pleriſque nobilisſimis ciuibus, qui cum eo in perniciem li-
bertatis conſpirauerant, perpetuaq́ue ignominiæ nota fuit affectus. in ea e-
nim curiæ parte, in qua pictæ ſunt imagines omnium Principum cum elo-
giis rerum, quas optimè pro Republica geſſerint, Marini Faletri ſedes, ima-
gine vacua, verſiculis quibuſdam inſcripta eſt, quibus declaratur eum Du-
D cem pro criminibus, (vt nihil immutem) ſecuri percuſſum fuiſſe. Pernicio-
ſisſima certe, & quæ facile perniciem & exitum Reipublicæ allatura fuerat
conſpiratio, ni decemuiralis Collegij auctoritate ſtatim oppreſſa ſuiſſet.
Nonnulli quoque ciues,qui ambitione ducti periculoſas quaſdam leges pro-
mulgauerant,ut auram popularem aucuparentur, continuo decemuirûm ſe-
ueritate oppresſi pœnas temeritatis atque immodicæ ambitionis Reipubli-
cæ dederint. Qua ratione effectum eſt Deo Optimo fauente, ut nullus hu-
iuſmodi morbus noſtram in ciuitatem auctoritate huius Collegij confir-
mata inuaderet. Iam præcipuæ Reipublicæ Venetæ partes, quibus uniuer-
ſa ferè gubernatio continetur, à nobis expoſitæ ſunt. Verum, ut omni ex

parte inſtitutum à nobis opus perfectum ſit, de reliquis quoque magiſtra- E
tibus dicemus, à quibus tum iura dicuntur, tum pecuniæ publicæ admini-
ſtrantur: necnon de gubernatoribus ciuitatum, quæ ſub Veneta ditione ſunt,
deq́ue claſsium, exercituumq́ue præfectis. Poſtremò nonnulla inſtituta ex-
ponam, quibus optime meo quidem iudicio cautum eſt, ne populus & plebs
minutior ægreferat nullam ſibi in hac Republica gubernationis partem eſ-
ſe. Docebimus item haud quaquam omiſſam fuiſſe, ut plerique exiſtimant,
publicam ad rem bellicam iuuentutis inſtitutionem. Verum, antequam ad
hanc rerum inſtitutionem explicandam ueniam, non ab re eſſe exiſtimo, ſi
lectorem admonuero, in ea ratione, qua ſupra dixi Senatum conſuli ſole-
re, ipſumq́ue decem virûm Collegium, apparere perſpicue mixtionem, quan F
dam legum popularis ſtatus, & Reipublicæ optimatium. Nam quòd nihil
posſit Senatus decernere, niſi de eo prius ad ipſum Senatum à præconſul-
toribus relatum ſit, ſtatus optimatium eſt. Quòd uero præconſultores nul-
lam habeant poteſtatem, niſi conſulant Senatum, eorumq́ue ſententia il-
lius auctoritate confirmata ſit, profectò eſt popularis gubernationis inſti-
tutum. Itaque non modò in uniuerſa hac noſtra Republica, uerumetiam
in quacunque eius parte, qui recte perpendet, inueniet hanc, quam dixi,
mixtionem & temperiem, qua rectæ illæ gubernandi rationes, in unam for-
mam atque ſpeciem Reipublicæ noſtræ coaluerint. Sed illuc, unde egreſſa
eſt, noſtra reuertatur oratio. Omnium ergo prima ea pars nobis exponen-
da eſt, quæ ad ius dicendum pertinet. Vniuerſum igitur ius, quod à magi- G
ſtratibus reddi ſolet, biſariam diuiſum eſt. Nam aut in ſuppliciis cōſiſtit, quæ
ſumenda ſunt de hominibus facinoroſis, qui patriam aut ciuem aliquem
inſigni iniuria affecerint, uel in deos immortales impij extiterint; aut poſi-
tum eſt in cauſis forenſibus iudicandis. Icciréò etiam Venetiis duo genera
iudicum ſunt. horum alterum cauſis forenſibus, alterum uerò iudiciis re-
rum capitalium præficitur. Primum itaque de criminoſorum hominum
iudicibus, mox de forenſibus dicemus. ex delictis quædam minutiora, uel
ſuapte natura, uel peccantium hominum conditione habentur. nonnulla
grauiora & maioris momenti, aut genere ipſo peccati, ant peccantium no-
bilitate. qua de cauſa duplices quoque ſunt capitalium rerum magiſtratus
inſtituti. ad horum alteros grauiores cauſæ & inſigniora crimina deferun- H
tur, ad alteros uerò leuiora. In Republica quidem Veneta iudicia uniuerſa
ad eam rationem, quam propoſuimus, perquàm egregie diuiſa atque con-
ſtituta reperientur. nos de inſignioribus primo: mox de aliis dicemus. Præ-
ter delicta, quæ decem virûm cenſuræ commiſſa eſſe ſupra diximus, grauio-
ra omnia crimina Aduocatoribus referentibus, collegioq́ue quadragintauira-
li diſceptante, diſcerni ſolent, iiſq́ue pro crimine pœna conſtitui, qui in eis
deprehenſi fuerint. quadraginta hi viri, qui criminum cauſis præfecti ſunt, cri
minales vulgò appellari conſueuerunt. De vtriſque tractādum, ſed primo de
Aduocatoribus. Aduocatorius magiſtratus priſcis temporibus magnæ fuit

aucto-

A auctoritatis incredibilisque exiſtimationis. præcipuum eius monos eſt, legũ
cuſtodia, ne aliqua ſcilicet in parte legibos officiatur. Qoamobrem qoilibet
eorum, qui in eo ſunt magiſtratu, eam propè intercedendi poteſtatem habet,
quam apud Romanos Tribuni plebis obtinebant: ſed illi ut tuerentur liber-
tatem plebis Romanæ, noſtri oerò ut uim legum tueantur: quare non im-
meritò Tribuni legum uocari poſſent. Nos uerò, ne perſpicuitati, cui præci-
pue operam damus, vlla in parte officiamus, à communi vſitatoque vocabu
lo non recedemus. Illi ad populum ſeu plebem referebant, noſtri uero Ad-
uocatores ad quadraginta viros quidem de lenioribus cauſis, de maioribus
ad Senatum, de maximis interdum, ſi ita eis viſum fuerit, ad maius conſilium
B referunt. Quamobrem antiquitus magna erat huios magiſtratus auctoritas.
Nunc uerò, quoniam decem virûm poteſtas latios ſe dilatauit, ideo Adooca-
torum auctoritas diminuta, exiſtimatio obſcurata eſt. Cæterum, qoom is
magiſtratus tam amplam obtineat intercedendi poteſtatem, legumque cu-
ſtodia ad eum potiſſimum pertineat, qui autem facinus aliquod perpetra-
rint, maximè contra leges feciſſe uideantur, illuſtres præſertim ciues, ad quos
præter alios attinet, Reipublicæ conſeruandæ operam dare: iccircò peculia-
ri quodam modo huiuſmodi delicta cenſura Aduocatorum viſa ſunt eſſe
corrigenda, licet ipſi nullam habeant poteſtatem quippiam contra reos ſta-
tuendi, præter quam in paruis quibuſdam cauſis. cætera omnia de conſilii
ſententia ſtatuuntur. Hoc in loco non ab re futurum duco, ſi omuem iudi-
C ciorum capitalium rationem explicuero, qoæ Aduocatoribus referenti-
bos fiunt: quandoquidem nullibi, quod ſciam, modus hic ſeruari ſo-
leat: ſimulqoe (ot arbitror) perſpicuum faciemus, quam'nam auctoritatem
habeat hic Aduocatorius magiſtratus. Quum crimen aliquod ad Aduoca-
tores delatum fuerit, ſi res digna cenſeatur eorum cenſura, confeſtim uel ab
omnibus, uel etiam ab uno tantum (nam tres ei muneri præfecti ſunt) inter-
ceditur, id eſt, reos efficitur ille, cuius nomẽ delatum ſit. deinde ab interceſſo-
re refertur de eo crimine ad conſilium illud, qood maluerit Aduocator, qui
interceſſerit, quamuis plerumque conſulatur XL virale Collegium, quod io-
diciis capitaliom criminum præfectum eſt. Ibique cauſa recitata, de conſilii
ſententia decernitur, an reus ſit in carcerem conijciendus, & quæſtioni adhi-
D bendos, an potius ſolutus cauſam dicere debeat. reus poſtea ex conſilij de-
creto accerſitur, oel ab apparitoribus magiſtratus Aduocatorum clàm depre
henditur, caoſam dicit oel ſolotus, uel ex oinculis: de crimine interrogatur:
reſpondet, teſtes vtrinque citantur: quæconque ille dixerit, ſiue ſponte, ſiue
tormentis coactus, tum quæ teſtes adducti coram magiſtratu ſe ſcire faſſi fue
rint, ſiue pro reo, ſiue contra reum, omnia ſcriptis mandantur. Hac ratio-
ne tota cauſa in codicem publicum relata, omnium, quæ ſcriptis mandata
ſunt, reo fit copia: conſtituiturque tempus, quo docere cauſam poſſit ad-
uocatos atque oratores, quos ſibi adhibuerit, illique poſſint omnia diligen-
ter perſpicere, quæ reo patrocinentur, & meditari qoo pacto obiectum cri-
men, teſtimoniaque reo aduerſantia diluere poſſint. tandem cauſa incipit a-

gitari. Hac in parte non eſt reticendus mos maiorum ad noſtra vſque tempora perductus. ſi enim fortè quiſpiam reus factus tam tenui rei familiari fuerit, ut ſumptum facere nequeat in conducendis aduocatis, qui partes ſuas tueantur, duo oratores, qui Reipub. ſtipendio conducti, id muneris habent, ſuſcipiunt inopis illius rei partes tuendas. ſic enim lege cautum eſt, ne vllus indicta cauſa puniatur. Poſtquam uerò ſatisfactum fuiſſe reo uidetur, neque ad eius defenſionem quippiam amplius requiri, Aduocatores conſilium indicunt, diemque reo conſtituunt, quo cauſam dicturus ſit. Conſilio coacto magiſtratus hic Aduocatorius accuſatoris vice fungitur: eosque qui in eo ſunt magiſtratu, maxime decet, ut accuſatores acerrimos agant, qualis (dum modo id aſſequi poſſunt) fuit Cicero in Verrē & in M. Antonium, ira tamen ut maledicta caueant, neque extra cauſam maledicendo vagentur. Nam is, qui maledictis indulget, potius inimici & praui hominis officium facere, quàm Reipublicæ cauſam agere uidetur. Hac enim in parte apud Venetos longe ſecus res ſe habet, quàm apud Romanos. Olim Romæ quiuis ciuis alteri diem dicere poterat, eumque quàm acerrimè accuſabat apud iudices. Venetiis uerò nemo priuatus hoc munus obire poteſt, ſed ex Reipublicæ lege officium illud eſt Aduocatorij magiſtratus. Qua in re magis naturam rerum imitati, ſapientiusque concordiæ ciuium conſuluiſſe maiores noſtri uideri debent, quàm Romani. Nam quoniam qui facinus aliquod perpetrauit, maxime leges & Rempublicam læſit, ideoque præcipuè Reipublicæ pœnas dare debet, iure magiſtratus is, qui tuendis legibus præeſt, à facinoroſo homine pœnas poſcere, atque ad id omni ſtudio eniti debet. Contrà priuati officium eſt illatas ſibi iniurias obliuiſci, facileque reo concedere. Præterea nullus priuatus ciuis poteſt accuſatoris perſonam ſibi ſumere abſque maxima inuidia & incredibili odio eius, cui diem dixerit: ex qua re facilè ſeditiones oriuntur inter ciues. hoc igitur incommodum à nobis perquam egregiè vitatum eſt, vniuerſo hoc accuſandi munere magiſtratui demā dato, qui non priuata ſimultate ductus, ſed ex legis præſcripto id agar. quo effectum eſt, vt numquam ferè auditum ſit Aduocatorum cuipiam vicio datum fuiſſe, quòd vehementius in reum ſit invectus, aut nimis acrem accuſatorem ſe geſſerit. immò, qui acriter in hoc officio verſatur, magnam ſibi laudem comparat apud uniuerſos ciues. Sed ad inceptam iudiciorum rationem redeamus. Agit ergo coacto conſilio Aduocator partes accuſatoris, orationemque in reum habet acerrimam. crimina & facinora obijcit primum, deinde teſtibus obiecta confirmat, ac veriſimilibus coniecturis corroborat. Poſtquam dicendi finem fecerit, agitur cauſa rei ab eo patrono, quem ſibi aſciuerit. deinde ſi Aduocatorum quiſpiam antequam iudices ſententias rogentur adhuc vrgere reum voluerit, locum dicendi habet: ſimiliter aduocati rei reſpondendi, & obiecta crimina diluendi facultatem habent: eaque ratione cauſa vtrinque agitatur, donec alter eorum, ſiue reus ſiue Aduocator, cui dicendi locus incumbit, ſe amplius dicere nolle pronunciauerit. Perorata cauſa reus eiusque patroni diſcedunt è curia iudicum. cum

indi-

A iudicibus clauduntur in conclaui Aduocatores eorumq́ue ſcribæ, præterea nullus. Aduocatores primum de puniendo reo ad iudices referunt, ſententiaſq́ue rogant, an puniendus uideatur, nulla tamen adhuc conſtituta certa pœna; quem morem Athenienſes ferè ſeruabant. Athenis enim iudices duplices ſententias ferebant. primis aut abſoluebant reum, aut condemnabant: ſecundis, ſi prioribus condemnatus fuiſſet, pœna conſtituebatur, ut ex Apologia Socratis apud Platonem perſpicue intueri licet. conſimili iudiciorum ordine, & propè pari nos quoque vtimur ratione. Refertur igitur primum ab Aduocatoribus de condemnando reo. iudices in ſuffragia eunt. omnia enim conſilia apud Venetos res omnes ſuffragiis decernunt. tres vrnæ defe-
B runtur, quarum una reus condẽnatur, altera abſoluitur penitus abſque mulcta, tertia colliguntur ſuffragia eorum, quibus nondum liquet, vtrum ſit ſtatuendum. Prima vrna qua condemnatur reus, albi coloris eſt; ſecunda, qua abſoluitur, viridis; tertia, rubei. vnuſquiſque iudicum, ſiue cauſa diſceptantibus XL viris (vt plerunque) agatur, ſiue Senatus cõſulatur, quod raro accidit, in grauioribusq́ue cauſis tantum fieri ſolet, ſiue ad magnum conſilium ab Aduocatoribus relatum ſit, quod rariſſime accidit, grauiſſimiſq́ue in cauſis fieri conſueuit, ne quis ſuffragium ſuum perſpiciat, pilulam linteam in eam vrnam, quam maluerit, demittit. Poſtea à præfectis conſilij ſuffragia numerantur. Quòd ſi plures dimidijs reum abſoluerint, confeſtim pronunciatur abſolutus: eſtq́ue Aduocatorum rogatio repudiata. ſin plures dimidiis dam-
C nauerint, illico pronunciant damnatum. At ſi neutri dimidium excedant, quòd multi ſint iudicum, quibus nondum liqueat, pronunciant reum comperendinatum fuiſſe, iudiceſq́ue cauſam amplius diſcuti velle. ſi abſoluitur, nihil amplius negotii habet, ſed e veſtigio liber dimittitur. ſi comperendinatur iudicibus, & reo dies ſtatuitur, qua denuo cauſa, Aduocatoribus accuſantibus, patroniſque obiecta crimina diluentibus agatur. Poſt dictam & peroratam cauſam iudicum ſuffragia repetuntur. Quod ſi etiam tum nihil decernatur, quòd ſuffragia, quæ neutram in partem uenerint, dimidium ſummæ non excedant, iterum pronunciant reum comperendinatum, & tertio conſilium indicitur. Conſtituta die, qua tertio quoque cauſa eodem modo repetatur, demum in ſuffragia itur, nec tamen amplius ratio vlla eorum ha-
D betur, quibus nondum liqueat. Iccirco, niſi paria fuerint ſuffragia, neceſſe eſt reum uel damnari, uel abſolui. ſi abſoluatur, nihil amplius ei negotii eſt, ut dixi. ſin pronuncietur damnatus, decernitur qua'nam pœna in eum ſit animaduertendum. de genere pœnæ referunt, tum Aduocatores, tum præfecti Collegio iudicum. mos tamen eſt, ut Aduocatores eam pœnam proponant, quæ pro genere criminis uideatur acerbiſſima. etenim huius magiſtratus officium eſt, ut ad ſeueritatem inclinet. Alii uerò, Conſiliarii, inquam, ac præfecti quadraginta virûm, quibus ius eſt ad id conſilium iudicum referendi, leuiores pœnas proponere conſueuerunt, niſi crimen fuerit adeò atrox, ut clementiæ nullus ſit locus, ſeu Aduocatores lenius egerint, quàm eum magiſtratum deceat. propoſitis omnium ſententiis eodem fermè modo decer-

nitũr pœna, qua reus ille ſit afficiendus, quo ſoprà diximus Senatuſcõſultum E
fieri ſolere, ubi præconſultorum ſententiæ uariant. qoam rationem ſi hoc in
loco repetere oellem, importuneq́ue tædio afficere lectorẽ; merito ineptus
haberi poſſem. hoc tamen dixiſſe ſatis eſt, eam ſententiam iodicum pronon-
ciari, qoæ reiectis aliis plura dimidiis ſuffragia tulerit. Hoc in loco mihi vi-
deor non ab re facturus, ſi bina inſtituta annotauero prudentisſimè à maio-
ribus nobis tradita. Primum eſt, qoòd nollius rei ſeo iudicii quempiam ma-
giſtratum ne dum ciuem ſine prouocatione arbitrum eſſe uoluerunt, ſed
omni in re ſummum ius atqoe arbitrium eſſe Conſiliis, ſeu Collegiis tribu-
tum. Alterum uerò ſuperiore illo non minos utile eſt, idq́ue eſt tale, quòd
ooluere iudices non ore ſententias dicere, aut palàm ſtatoere quid'nam ſen- F
tiant, ſed clàm ſuffragijs decernere quod maluerint. vtrumque ſanè meo iu-
dicio, prudentisſime. nam, quod ſumma aoctoritas nulli magiſtratui conceſ-
ſa ſit, recte ſe habet. etenim, præter quam quod periculoſum eſt, ſummam ali
cuius rei, quæcunque ea ſit, committere paucis ciuibus: tum illud caoetur, ne,
ſi fortè res deliberata male ceſſerit, ciuitas de paucis ciuibos queri poſſit. Vt
uerò clàm decretà iudiciaq́ue fiant, non minore prudentia ſancitum eſt. iu-
dices enim, huiuſmodi ſuffragiorum inſtituta ratione, liberius iodicãt, quàm
ſi palam atque ore ſententiam ferrent. ex quo interdum, uel propter ambi-
tionem ab æquitate abducerentur, uel amici ac bene de ſe meriti ciuis of-
fenſionem vererentur, vel potentioris indignationem extimeſcerent. Illod
quoque prouiſum eſt, ut quiſq́ue iudicum iudicium ſoom ſequatur, nec ab G
alterius iudicis aoctoritatis pendeat: quod facilè accidere poſſet, ſi ille qui
prior dixiſſet ſententiam prudentisſimus, ac ſcientisſimus haberetur. quocir
ca nec etiam ab excellẽtisſimis philoſophis genus hoc iudiciorum omiſſum
eſt. ſed ad rem redeo. Poſtquam omnis iudiciorum ratio à nobis expoſita
eſt; ad xxxx capitalium cauſarum iudices, de quibus dicendom inſtitueram,
reuertar. Horum collegium à ciuitate noſtra, ad quod Aduocatores de cauſis
capitalibus referant, eoq́ue deliberante ſontes puniantur, inſtitutũ eſt. Ideo-
q́ue nõ niſi in cauſis grauisſimis, ubi etiam Reipublicæ intereſit, in vtram par-
tẽ iudiciũ ceſſerit, Aduocatores Senatũ conſulunt, rarisſime uerò maius con
ſilium. Verùm omnes capitales cauſæ ad hoc quadragintauirale Collegium
deferuntur: cuius ſententia rata eſt, nullusq́ue ab ea amplius eſt prooocationi H
locos. gerunt hi magiſtratum octimeſtrem, poſtquam ſedecim menſes ex-
pleuerint in forenſibus cauſis iudicandis. Tria nanque Collegia in Republi-
ca Veneta ſunt, quodlibet ex xxxx iudicibus conſtat. duo forenſibus cauſis
iudicandis præfecta ſont, tertium, de qoo agitur, capitalibus. hac tamen di-
ſtributa ratione ſunt, ut cum primum functi fuerint magiſtratu capitales hi
iudices, in ordine ipſi redigantur, alijq́ue XL viri magni conſilij comitiis
ſufficiantur. Non tamen hi ſuffecti confeſtim ad iudicandas capitales caoſas
accedunt, ſed Collegium illud xxxx virale, quod vrbanis cauſis decernendis
octimeſtri eo temporis ſpatio præfectum fuit, ſubit in locum capitaliom, qui
iam defuncti ſunt magiſtratu. his uerò forenſibus atque vrbanis iodicibos

ſuccedunt

A ſuccedunt tertij xxxx viri, qui item eo octimeſtri interuallo exterorum cauſas iudicarunt, in eorumque locum illi nuper ſuffecti ſubeunt. ſicque per vices ijdem iudices, & de forenſibus cauſis tum vrbanis tum exteris, & de capitalibus decernunt, ac totum biennium in his iudicijs verſantur. Tria hæc Collegia iudicum proprias habent appellationes. primum, ad quod exteræ cauſæ deferuntur, nouum nominatur. ſecundum, quod vrbanis præficitur, vetus dicitur. tertium, quod de capite ſontium iudicat, criminale à criminibus nuncupatur. hi quadraginta viri criminales nũcupati, præterquam quòd in cauſis criminalibus, ſiue capitalibus ſummam iudiciorum habent, admittuntur etiam in Senatum, & ius ſuffragij in eo ordine obtinent. Habent præ-

B terea triumuiros ex ſuo ordine, qui ſinguli binis quibuſque menſibus ſorte educuntur, ac per vices ſemper asſident Duci & Conſiliarijs, paremque illis auctoritatem ad Senatũ referendi de quacunque re voluerint, habent; itemq; ad magnum conſilium, eo tamen modo quem ſuprà tetigi. nec abſque ratione xxxx hi iuniores viri Senatoribus, qui plerunque ſenes eſſe ſolent, commixti ſunt, ut ſcilicet naturalis ſenum frigiditas iuuenum calore tẽperetur. Non tamen iuniores hi ſenibus numero pares ſunt, ſed longe pauciores; tot tamen, ut aliquod caloris veſtigium in Senatuſconſultis apparere, atque ineſſe queat: quod quandoque in rebus agendis, perquam neceſſarium eſt. accedit etiam illud, quòd ſenatoria auctoritate his xxxx viris conceſſa, Reipublicæ adminiſtratio aliqua ex parte inferioris notæ ciuibus communica-

C ta uideri poteſt, quales plerunque hi ſunt, qui quadragintauiratum gerunt, in quo ordine populari quadam lege maiores noſtri vſi ſunt. Nam tribus his xxxx virûm Collegiis ſingulis quibuſque diebus, quibus conueniunt, certum ex ærario ſtipendium conſtitutum eſt. Ideoque raro admodum diuites ciues hunc magiſtratum petunt, facileque, ſi petierint, repulſam ferunt. verùm egenis ciuibus, probis tamen hominibus, facilis eſt ad hunc honorem acceſſus. Qua ratione tùm inopiæ proborum ciuium aliqua ex parte conſulitur: tum etiam Reipublicæ adminiſtratio non ſolum diuitibus & inſignioribus ciuibus, quod optimatium eſt ſtatus, & paucorum potentiæ commiſſa eſt, verùm etiam aliqua ex parte, mediocri tamen, ciues inferioris ordinis ad Rempublicam acceſſum habent: qui mos pertinet ad popularem ſtatum. Ex

D his cuilibet compertum eſſe poteſt, in omni parte Reipublicæ Venetæ temperationem illam apparere, cui plurimum ſtuduiſſe maiores noſtros, in huius opuſculi exordio diximus, ut ſcilicet popularis ſtatus ratio optimatium gubernationi permixta eſſet: eo tamen temperamento adhibito, ut plures optimatium partes eſſent. ſatis itaque iam à nobis tum de Aduocatoribus, tũ de xxxx viris cauſarum capitalium iudicibus dictum arbitror, qui ideo inſtituti ſunt, ut in crimina, ſeu genere peccati, ſeu conditione peccantiũ inſigniora, animaduerterent. Nunc tẽpus poſtulat, ut de nõnullis inferioribus magiſtratibus, qui minutioribus, & genere ipſo & hominũ fortuna vlciſcẽdis delictis & maleficiis præſunt, pauca quædã perſtringamus. Hi quoque duplices ſunt. alteri ius capitis habent, alteri non habent: quorum poteſtas eo tantum extenditur,

tenditur, vt in viliſsimos homines, atque in meretrices animaduertat: quos E
vel virgis cædi iubent, uel in carcerem conijci, prout quemque peccaſſe conſtiterit. Potior uerò ille magiſtratus, qui capitis iudicium ferre poteſt, rurſus bipartitus eſt. Nam nō ijdem iudices quærunt de crimine, & quæſtioni reum adhibent, ac ſententiam ferunt: ſed priores, noctis ſcilicet præfecti, totā prius cauſam reorum agitant, ac ſcriptis mandant, quæ teſtes dixerint, quæque rei vel ſponte vel coacti tormentis confesſi fuerint: demum omnem cauſam ad iudices proprietatum deferunt. diuerſus à priori hic eſt magiſtratus, hique ſentētiam ferunt, ubi de cauſa capitis agitur. quòd ſi leuius fuerit delictum, vt tantum virgis cædendus, aut carcere aliquot menſes coercendus reus eſſe uideatur, noctis præfecti totam cauſam expediunt, neque Collegium quadragintauirale conſulunt, ſiue conijcere quempiam in carcerem uoluerint, F
ſiue quæſtioni adhibere. quod ipſum ius tamen Aduocatorius magiſtratus non habet, uerùm opus eſt, ut prius Collegium conſulat, atque auctoritate decreti illius Collegij nitatur. neque ſine magna ratione hoc ita inſtitutum uidetur fuiſſe. Nam ſi pro quolibet crimine & pro ijs reis, qui homines nullius pretij ſunt, conſilium conſulendum eſſet, incredibile negotium Reipublicæ adminiſtrationi conflaretur: ſontibus etiam viris maior peccandi licentia tribueretur ſpe impunitatis maiore propoſita. Vt ergo iudicia huiuſmodi expeditiora eſſent ac breuiora, Præfecti nobis etiam auctoritatem, q a Aduocatores priuati ſunt, obtinent. Hi noctis præfecti ſex ſunt: ſex item in minimo eo magiſtratu, cui infimos tantum homines, leuibusque in criminibus ius eſt. Capita tribuum ciuitatis appellantur hi, qui eum magiſtratum gerunt. quoniam ex vnaquaque tribu (in ſex enim tribus tota ciuitas diuiſa eſt) tum præfectus noctis, tum caput tribus eligitur: quo more etiam in Conſiliarijs eligendis vti ſolemus, quod ſuperius à nobis minime omiſſum fuit. Vtriuſque præterea magiſtratus officium eſt, ut nocturnas excubias per ſuas tribus agant alternis noctibus, ac vicisſim modo præfectus noctis, modo caput tribus, ſuam tribum circumeant ad gallicinium vſque, cum publicis ſtipatoribus & apparitoribus armati, prouideantque ne per nocturnas tenebras, quæ maiorem licentiam præſtare hominibus ſceleſtis ſolent, cuipiam fiat iniuria: ne've fur clàm domum quampiam fodiat, aut ne latro vllas per vias graſſetur in quenquam. in primis Venetæ vrbis originibus vterque H
hic magiſtratus magnæ exiſtimationis erat. poſtmodū adiunctis nouis Reipub. magiſtratibus, prout ratio temporum & commoditas exigebat, horum dignitas & auctoritas eſt obſcurata: ſummaque poteſtate ad nouos magiſtratus translata, parua quædam & viliora negotia veluti feces in eorum ſubſellijs reſedere. Hactenus de magiſtratibus, qui capitales cauſas decernunt, dixiſſe ſufficiat. De forenſibus in ſequenti volumine dicetur.

LIBER

LIBER QVARTVS.

MOS ille in Republica Veneta perpetuus ſemper fuit, ne
B quiſquam magiſtratus in maioribus cauſis ſummam au-
ctoritatem haberet: ſed ſummum illud ius Collegio-
rum ſeu conſiliorum, vt vſitatius loquar, eſſe uolue-
runt. Ideo in forenſibus quoque cauſis, quæ ſummam
quinquagintaquinque nummorum aureorum exceſſe-
rint, nullius magiſtratus iudicium eſt, à quo non ſit prouocatio ad au-
ditores vrbanarum cauſarum, qui lingua vernacula veteres appellan-
tur, & ad Collegia quadraginta virûm, de quibus ſuprà commemora-
uimus. Sed, ut perſpicue tota hæc iudiciorum forenſium ratio intelli-
gatur, ab auditoribus, qui quidem duplices ſunt, ordiemur. noui enim
ſiue recentes, atque veteres ſunt. Veteres à vetuſtate nomen ſortiti,
C quòd hic magiſtratus apud Venetos multo vetuſtior ſit, quàm alter: qui
non prius in hanc Rempublicam inductus eſt, quàm continentis impe-
rium habuerit; multis ſeculis poſt vrbem conditam. Veteres hi audito-
res eandem fere auctoritatem obtinent in iudiciis cauſarum forenſium,
quæ vrbanis iudicibus diſceptantibus diiudicantur, quam Aduocatores
in pleriſque omnibus rebus, ſi qua in parte legibus officere uidentur, in-
tercedendi, inquam, poteſtatem habent. cum ergo à iudicibus vrbanis con-
tra aliquem ſententia lata fuerit, licet illi ab eorum iudicio ad auditores
prouocare. Cauſa ad eorum ſubſellia deducta, & vltro citroque agitata
ab his, inter quos controuerſia fuerit, niſi ſummam excedat quinqua-
ginta aureorum nummûm, omneſque iudices in eandem ſententiam con-
D uenerint, poſſunt ipſi abſque quadraginta virûm Collegio rem decerne-
re. quòd ſi inter ſe diſſenſerint, uel unus eorum poteſt intercedere: cau-
ſaque illa apud minimum quoddam Collegium agitatur, in quod vterque
auditorum magiſtratus, treſque alii iudices conueniunt, qui præfecti ſunt
iudiciis de inuentis rebus; ibique minores hæ cauſæ diiudicantur. Quod
ſi uniuerſa cauſa eam ſummam excedebat, ante noſtram ætatem non pote-
rat ad quadraginta virûm Collegium res deduci, niſi aliquis auditorum la-
tæ à iudicibus ſententiæ interceſſiſſet, de eaque ad quadraginta viros retu-
liſſet. Noſtra uerò tempeſtate lata lex eſt, qua conceditur illi, con-
tra quem priores iudices ſententiam pronunciauerint, ut poſt tres ex-
actos menſes, quamuis nullus auditorum interceſſerit, poſſit diem aduer-

ſario

ſario dicere, & ad Collegium prouocare. qua lege auditorum auctoritas ual- E
de eſt imminuta; quæ tamen, cum intercedunt, nonnihil ad cauſam obtinen-
dam ualet. nam neque tres menſes operiri oportet, eorumque interceſſio
uelut prærogatiua iudicij uidetur eſſe. Si auditor interceſſerit prioribus iudi-
cibus diem dicit, Collegium quadraginta virûm aditur. Ante noſtram ætatẽ
vterque magiſtratus orabat coram Collegio, ſententiamque vterque ſuam
tuebatur. paulatim uerò ſegnitie quadam factum eſt, ut priores iudices, quo-
rum ſententiæ interceſſum ſit, non modo orent, ſed ne interſint quidẽ, cum
apud quadraginta viros cauſa agitatur, dictaque illis per tabellionem die, ut
id, quod ius poſtulat, ſtatuatur, reſpondeant. mos uerò ille, ut auditores pri-
mum referrent ad Collegium de cauſa, cui interceſſiſſent, orationemque ha- F
berent, ad noſtra uſque tempora deductus eſt. Nunc uerò penitus intercedit,
ſed patroni tantum eorum, inter quos controuerſia fuerit, hoc munus defun
guntur, tuenturque ſuorum clientum cauſas: quibus rebus effectum eſt, ut di-
gnitas auditorii magiſtratus, quæ diu illuſtris fuit, noſtris temporibus obſcu
ra admodum & imminuta ſit. Quadraginta hi vrbanarum cauſarum iudi-
ces eundem ferè morem ſeruant in iudicando, quem à iudicibus quadragin-
ta capitalium cauſarum ſeruari ſolere diximus. hoc tantum diſcrimen eſt,
quod in cauſis, in quibus de capite agitur & fortunis reorum, nullum certum
orandi tempus ſtatutum eſt. In his verò vrbanis litibus præſcriptum eſt tem-
poris interuallum, vltra quod orationem protendere nõ poſſunt: hora enim
cum dimidia tantum cuilibet oranti conceſſa eſt. neq; in forenſibus ijs cauſis G
iudicandis variæ referuntur ſententiæ, ut eam Collegium eligat, quam ma-
luerit, quemadmodum in ſumendis pœnis de nocentibus & parui pretij ho-
minibus fieri ſolere ſuperius dictum eſt: ſed tantum refertur, ân lata prius à
iudicibus ſententia confirmanda ſit, uel potius abroganda. de abrogatione
refertur, ſi auditor quis interceſſerit. quod ſi non fuerit interceſſum, ſed ſine
interceſſore cauſa ad Collegium fuerit deducta, præfecti Collegij perorata
vtrinque cauſa non de abroganda, ſed de confirmanda lata ſentẽtia referunt.
iurati iudices omnes in ſuffragia eunt. Tres item vrnæ deferuntur. viridi ab-
rogatur id, de quo relatum fuerit: candida approbatur: rubea uerò eis deſtina
ta eſt, quibus nondum liqueat, ſed uelint cauſam ampliari. nihil autem de-
cretum habetur, niſi plures quàm dimidij abrogauerint, aut approbauerint. H
quod ſi iudicibus nondum liqueat, & in neutram partem iudicium factum
ſit, cauſa ampliata pronunciatur ad alteram diem, qua eadem ferè repetũtur.
quòd ſi etiam eadem die iudicium pendeat, tertio cogitur Collegium, cauſa
repetitur. qua perorata vtrinque itur in ſuffragia, neque amplius vlla eorum
iudicum, quibus nõdum liqueat, habetur ratio. quare niſi paria fuerint ſuffra-
gia, in alteram partem fit decretum, ſiue de abroganda, ſiue de confirmanda
ſententia lata. Abrogata ſententia nequaquam adimitur poteſtas actori,
quin de eadem re iudicium repetere poſſit. nihil enim abrogatione ſtatui-
tur, ſed tantum lata ſententia antiquatur. confirmatione uerò & approba-
tione rata fit ſententia, quam priores iudices pronunciauerunt, neq; amplius

A prouocationi eſt locus, neque iudicium repeti poteſt ſuper eadem re, niſi cauſæ quippiam noui accedat. Atque ſatis hactenus de auditoribus veteribus dictum ſit:nunc pauca de recentioribus perſtringamus. Hic magiſtratus in noſtra republica non fuit prius inſtitutus, quàm in continentem æſtuariis hiſce finitimam Venetum imperium extendi cœpit. Ad hos à prætorum iudiciis prouocatio eſt, aliorumque magiſtratuum, qui extra vrbem populis, qui in noſtram venerunt ſocietatem, ius dicunt. Veteres enim auditores vtriſque cauſis vrbanis ſcilicet & exteris, haudquaquam ſatisfacere poterant. Quamobrem eam appellationem etiam ſortitus eſt, ut nouorum ſiue recentium diceretur. Nam poſt conſtitutam rempublicam imperium Vene-
B tum extendi cœpit in Venetiam oram, quæ ad veteres dominos, veluti quodam poſtliminio volens ac libens rediiit. Etenim, ut in exordio operis oſtendimus, nobiliſsimi quique prouinciæ Venetiæ barbarorum impetum, Italiæque totius deuaſtationem fugientes ſe in noſtra æſtuaria receperunt, vrbemque hanc opulentiſsimam condidere. Cui etiam nomen Venetiæ indiderunt multitudinis numero: ut poſteris teſtatum eſſet, florem nobilitatis omnium ciuitatum Venetiæ regionis eò cõueniſſe. Igitur cum breui imperium Venetum creuiſſet in immenſum, vnus haudquaquam magiſtratus vrbanis & exteris cauſis ſatis eſſe poterat. Iccirco nouus hic inſtitutus eſt, nouumque quadragintauirale Collegium. Prouocatio quoque, quæ ab aliis, qui foris ius dicunt, fit, ad horum ſubſellia defertur. atque hoc demum Colle-
C gio diſceptante omnes eiuſmodi cauſæ diſcernuntur. eadem in omnibus ratio eſt, parque modus huius magiſtratus & Collegii, quem paulo ante docuimus, ab auditoribus veteribus & Collegio quadragintauirali, vrbanarum cauſarum iudice, ſeruari ſolere. illud tantum ius auditoribus recẽtibus additum eſt, quòd in cauſis, quæ ſummam quadraginta nummorum aureorum non exceſſerint latam ſententiam, de qua ad eos ſit prouocatũ, moderari queunt, eiuſque partem, ſi ita ipſis uideatur, abrogare, partem uerò comprobare, dum modo omnes in eandem ſententiam conueniant. quod ea de cauſa inſtitutum eſt, ut exteri homines & aduenæ, quorum præcipue rationem haberi debere ſummi philoſophi tradidere, moleſtia leuarentur, & ſine magno rei familiaris diſpendio litium exitum inuenirent. Hoc iure veteres priuati
D ſunt. neceſſe enim illis eſt, ut aut totam ſententiam approbent, aut totam reſcindant, atque irritam faciant. Si noui parti intercedere poſſunt reliquis non intercedere: at veteres contrà: aut enim toti intercedunt, aut uniuerſam integram dimittunt. Hocque pacto exterorum lites breuiori ſpatio dirimuntur, quàm cauſæ vrbanæ: quamuis patronorum & iuriſconſultorum verſutia, quæ nihil contra fas intactum relinquit, in immenſum quæuis lites protrahuntur, quod vbique gentium fieri ſolet, ubi non temere, ſed ſtatuto ordine iudicia fiunt. Explicata ferè à nobis eſt iudiciorum ratio. ſupereſt, ut paucis perſtringamus eos magiſtratus, qui primi in cauſis vrbanis ius dicunt, à quibus ad veteres auditores prouocationes fiunt, & ad Collegiũ quadraginta virorum, quorum iudicum ſex ſunt ſubſellia pro qualitate cauſarum & perſo

Dd narum

narum diſtributa, nam aut lites ſunt de mercatura rebusque ad negotiatores E
ſpectantibus, uel de ædibus & fundis, quæ intra æſtuaria fuerint: aut de poſſeſſionibus & agris, quæ in cõtinenti ſunt, aut de quibuſnis aliis contractibus ſtipulationibusque: perſonæ autẽ, quæ lites inter ſe conferunt, aut ſunt ciues, aut exteri, iique aut alterutri inter ſe, aut alteri cum alteris experiuntur: denique uel cum pupillis res habetur, aut agunt uiduæ fœminæ poſt obitum mariti de dotibus recuperãdis. ne ergo inter tot diuerſorum generum iudicia turbatio eſſet, ne've aliud alii impedimentum afferret, plura inſtituta fuere iudicum ſubſellia: ita ut quantum fieri poſſet vnuſquiſque pro ratione negotii, & litis ſuos iudices cognoſceret. quæ enim lites ad ædes ſiue fundos intra fines Venetiarum, id eſt in æſtuariis poſitos pertinent, hæ omnes à iudicibus, qui F
proprietatum nominantur, diiudicãtur, quos etiam adeunt viduæ ab hæredibus maritorum defunctorum, dotes repetere volentes. Hancque appellationem habuerunt, quòd maiores noſtri ea tantum ciuium ſuorum propria exiſtimarunt, quæ in æſtuariis ſita eſſent, vtpote quæ ad alienos dominos nõ facile transferri poſſent. Cætera uerò in continenti exiſtentia ſiue agri ſiue domus fuiſſent, ut quæ facile inuitis dominis poſſent auferri, iniuriæque magis expoſita eſſent, mobilia dici uoluerunt. quòd ſi de fundis continentis oræ controuerſia fuerit, iudices procuratorum ſunt adeundi. iiſdem iudicibus cũ pupillis, qui adhuc tutores habent, contenditur. qua ex re ipſi iudices nomen obtinuerunt: nam apud Venetos curatores & tutores, & procuratores appellari conſueuerunt. Si item lis de mercimoniis inciderit, & ad mercaturam G
ſpectet, ſubſellia iudicum adeuntur, qui ex ea re iudices, ſeu Conſules mercatorum nominantur. hi maiori quodam compendio iudicant, quàm alii forenſes magiſtratus: quod ea ratione inſtitutum eſt, ne longioribus litibus impedimentum mora've fieret negotiis mercatorum, quæ aſſiduam quandam operam exigunt. At ſi inter exteros homines lis fuerit, uel quiſpiam ciuium hoſpiti diem dixerit, opus eſt ad eos iudices accedat, qui ab aduenis nomen habent. Cæteræ uerò omnes cauſæ contractus ac ſtipulati, ex quibus quiſpiã ab alieno ſibi aliquid deberi cõtendat, idque iudicio petat, iudicibus ueniunt, qui petitionũ nuncupantur: hique prætoris vrbani vicem gerunt. Sunt præterea minimæ quædam, quibus diiudicandis præfecti ſunt iudices mobilium dicti. Eſt & præter hos magiſtratus alius, qui ſi quid inuẽtum fuerit, aut olim H
reconditum aut nuper amiſſum, num ad ærarium aut ad priuatum quempiam, aut ad eum qui repetit, res ea pertineat, decernit, omneſque huiuſmodi controuerſias diiudicat. Expedita uniuerſa iudiciorum ratione ad eos magiſtratus tranſeundum eſt, qui ærarii curam habent, quibus've pecuniæ publicæ adminiſtratio commiſſa eſt. Hi fortaſſe plures, quam par ſit alicui, eſſe uidebuntur, cum pauciores uniuerſæ rei pecuniariæ ſatisfacere poſſent. Verum hoc loco animaduertendum eſt patres noſtros ſummam diligentiam adhibuiſſe, ne in adminiſtrandis pecuniis publicis aliqua fraus fieret. arbitrati enim ſunt, ex ærario veluti alimentum uniuerſis reipublicæ partibus ſuppeditari, quo deficiente ſeu imminuto deficere quoque rempublicam,

aut

A aut minui opus eſſe. Quocirca lege ſanxerunt, ut ſi quis ciuis peculatus dãnatus fuerit, perpetua ignominiæ nota ſingulo quoque anno repetita inureretur. Maiori enim conſilio coacto in concione ciuium omnium ſtatuta die ab Aduocatore omnes illo crimine damnati pronunciantur: ut, qui tantum ſcelus auſi ſunt, perpetuæ ignominiæ pœnas luant. Sed, ne ab inſtituto longius digrediamur, magiſtratus, qui ærarij curam habent, duorum ueluti generum ſunt. Quã ratione publicæ quoque pecuniæ diuiſæ ſunt. nam, uel ex publicis, uel ex vectigalibus in ærarium conferuntur: uel interdum, cum reditus reipublicæ impenſis uidetur ſatisfacere non poſſe, à ciuibus pro cuiuſque cenſu exiguntur. id quod non raro fieri neceſſe eſt, bellis, quibus ciuitas no-
B ſtra frequenter vexari ſolet, aut mari aut terra ingruẽtibus, uel cum Turcæ in noſtram ditionem irruunt, quorum impetum non ſine maximo detrimento complures annos ſuſtinuimus, acerbiſsimumque hoſtem in uniuerſam rempublicam Chriſtianam ſæuientem continuimus, uel cum Principes Chriſtiani, quibus imperii Veneti amplitudo quandoque officit, in perniciem noſtram conſpirant: quemadmodum anno ab hinc xv accidit, cum omnes ferè Chriſtiani Principes inito inter ſe fœdere in exitium imperii noſtri conſpirarunt. ſed dijs bene iuuantibus omnes eórum impetus ſunt repreſſi, resque pene collapſa in integrum reſtituta eſt. Duplex ergo cum ſit publicæ pecuniæ genus, duplices quoque magiſtratus ei rei ſunt præfecti. Quidam enim pecuniæ ex cenſu ciuium collatæ præficiuntur: alii uerò reditibus & vecti-
C galibus reipublicæ. Vectigalia quidem exiguntur ex iis, quæ exportantur ex vrbe, aut in eam importantur. Quædam uerò ex ciuitatibus, quæ in ſocietatem imperij Veneti ſunt adſcitæ. Vrbana porrò vectigalia, cum propter maximam mercium copiam mercatorumque conuentum, tum ob ingentem hominum multitudinem, qui hanc ciuitatem incolunt, omni omnium opinione maiora ſunt. ac mercium quidem, rerumque vrbanarum varia ſunt genera: ideo diuerſi quoque magiſtratus ſunt inſtituti, prout ſcilicet commodum uiſum fuit iis, qui his locandis atque exigendis uectigalibus præſunt: quos ſingulos enumerare ſanè putidum eſt, faſtidiumque potius afferret, quàm uoluptatem: quam ob cauſam illos etiam magiſtratus, qui perpetui non ſunt, ſed cum res poſtulat, tum denique creantur, prætermittendos eſſe duco. In
D ſumma, horum omnium magiſtratum officium illud eſt, ut caueant, ne per dolum aliquid pecuniæ publicæ auertatur, aut per inertiam pereat. omnes quoque controuerſias, quæ ad id genus pecuniæ pertinent, ipſi diiudicant. pecuniam uerò omnem, quàm exegerint, continuo ad Gubernatores redituum publicorũ deferunt. eam enim appellatiõe is magiſtratus obtinuit, qui huic rei præfectus eſt. Sed ea procuratio, quoniam magna, atq; ampla eſt, non niſi inſigni oribus ciuibus deferri ſolet. qui, ut libentius hoc munus ſibi depoſcerent, ne ue demandatum reijcerent, oneri magno atq; graui magnum emolumentũ adiunctũ eſt, ſumma quoq; tributa eſt auctoritas. hi enim apparitores, uiatores, lictores, omneque id genus miniſtrorum reipublicæ creant. quibus omnibus ex ære publico ſtipẽdium perſoluitur. id uerò, quod reliquũ fuerit,

ad quæſtores vrbanos defertur, ad quem denique magiſtratum peruenit om E
nis ſumma æris publici, à quibuſcunque quæſtoribus ſiue magiſtratibus, ſeu
illi extra vrbem, ſeu in vrbe pecuniæ publicæ exigendæ curam habeant, allata
fuerit. at vrbani hi quæſtores eam pecuniam ex Senatus decreto in vſus publi
cos impendunt, eamq́ue in codices accepti & expenſi referunt. quod munus
quum operoſum ſit, laboriſq́ue non exigui, ideo ciuibus iunioribus commit
ti conſueuit: qui tamen, tum nobilitate generis, tum innocẽtia vitæ clari ſint,
ne ſcilicet æs publicum vllo pacto in rem priuatam auertatur. Quocirca vr-
banis quæſtoribus ius ſenatorium eſt, idem propemodum, quod legitimi Se-
natores habent. pecunia uerò, quæ in reipublicæ anguſtiis ex cenſu à ciuibus
confertur, quamuis tandem ad quæſtores vrbanos omnis confluat, proprios F
tamen quoſdam magiſtratus habet. Interdum enim de conferenda ex cenſu
pecunia ea ratione fit Senatuſconſultum, ut nulla mentio habeatur, neque de
reſtituendo eo ære, nec de aliquo emolumento ciuibus erogando, qui ex ſua
re priuata eam pecuniam contulerint. Quod tamen raro admodum fieri con
ſueuit: nam plerunque, immò potius ſemper, niſi res cõtrarium poſtulet, Se-
natus reipublicæ ita conſultum eſſe vult, ut priuatorum res non negligantur.
Promulgato igitur Senatuſconſulto, de pecunia ex cenſu conferenda facto,
temporeq́ue, quod commodum viſum fuerit conſtituto, vnuſquiſq́ue ciuiũ
intra id tempus eam ſummã perſoluit, quã ex cenſu debet. exigunt autem Gu
bernatores redituũ, deferuntq; ad quæſtores vrbanos. at multo ſæpius eiuſ-
modi Senatuſconſultum fit de pecunia ex cenſu conferenda, ut poſt certum G
temporis ſpatium ciuibus, qui eam perſoluerint, reſtitui incipiat, aliquo etiã
emolumento adiuncto: certaq́ue in eam rem delegãtur vectigalia. Interdum
uerò Senatuſconſultum de collatitia ex cenſu pecunia ante noſtrã tempeſta-
tem, ita fieri ſolebat, ut de reddenda nulla fieret mentio, neque vllum certum
tempus conſtitueretur, niſi id commodum reipublicæ fuiſſet. ſed magiſtra-
tus, qui præfectus mutuis dicebatur, quod nomen adhuc quoque retinet, acce
ptam ab uno quoque ciuium eã vim pecuniæ in codices referebat: interim-
que donec reſtitueretur, ſingulo quoque anno quini nummi aurei pro cente-
nis collatis, veluti vectigalis loco, ciuibus creditoribus numerabantur: quem
in uſum multa vectigalia erant aſſignata. Qua ratione priſcis bellis facilis
erat pecuniæ exactio, quæ ex cenſu ſoluebatur. neque uerò iniquum exiſtima H
ri debet, ciuibus, qui rem familiarem temporibus reipublicæ neceſſariis con
ſumpſerant, aut magna ex parte imminuerãt, viciſſim aliquid impendi ex re-
ditibus publicis. Nam, quemadmodum partes totius incolumitati con-
ſulere debent, ita natura comparatum eſt, ut totum curam habeat, ne par-
tes magnum incommodum patiantur, ſed pro viribus prouideat, ut inco-
lumes perdurent, alimentaq́ue illis parata ſint, quibus reficiantur, & con-
ſeruentur. Verùm noſtra ætate hoc æs alienum reipublicæ adeò ingens
erat, ut in illud emolumentum, quod diximus ciuibus erogari, trecen-
ta ferè nummorum aureorum millia ſingulis quibuſque annis impenderen-
tur. Quorum ſolutio proximis annis propter anguſtiſſima reipublicæ tem-

pora

A pora quum intermiſſa fuiſſet,tandem quarto ab hinc anno,referentibus Dominico Triuiſano Senatore ampliſsimo, atque Andrea Gritto, cuius Ducis auſpiciis nunc Reſpublica Veneta regitur, ſapientiſsimo atque integerrimo Senatore, factum eſt Senatuſconſultum, ut nulla amplius emolumenti erogandi mentio fieret,neque in codicibus publicis poſt id tempus id æris acceptum à ciuibus referretur. verum, ne omnino à republica fraudati eſſe uiderentur, capitis reſtitutioni, necnon etiam emolumenti, quod ad eam diem eis debeatur, cum multa vectigalia aſsignata ſunt, tum reipublicæ poſſeſsiones omnes in agro Rodigienſi poſitæ,ſunt diſtributæ. Cuius muneris maxima parte nos functi ſumus, qui illo tempore magiſtratum gerebamus, qui B ante noſtra tempora inſtitutus præcipue fuerat ad huiuſmodi æs alienum reipublicæ minuendum, aut ſi fieri poſſet extinguendum: de quo pauca infrà dicemus. ſicque magna pars ingentis,atque incredibilis ferè publici æris alieni imminuta fuit,necnon priuatorum ciuium facultatibus ſatis cōmode cōſultum,ita tamen,ut prior ac potior ſemper fuerit reipublicæ ratio,quàm priuati commodi. quod inſtitutum à maioribus noſtris ad hæc vſque tempora per manus deductum eſt. Vt ergo redeamus, unde diuertit oratio; Præfecti mutuis eam pecuniam exigunt, quæ à priuatis ex cēſu in reipublicæ vſus neceſſarios confertur: acceptamque in ſuos codices referunt, ac demum vrbanis quæſtoribus numerant. Iidemque præfecti curam habēt exigendi à quæſtoribus vrbanis eam ſummam pecuniæ, quæ quotannis erogari ſolebat in C vicem reditus ciuibus priuatis: eamque & acceptam, & expenſam in ſuos codices referebant. Pecunia uerò, quæ ea lege ex Senatuſconſulto erogatur, à priuatis, ut certo tempore reſtitui debeat, à proprio quodam magiſtratu & exigi, & reſtitui ſolebat. nunc vniuerſum hoc munus Gubernatoribus reditus demandatum eſt. Alius etiam præter hos eſt pecuniarius magiſtratus minime prætereundus, qui in eam curam incumbit, ut ciues ærarios factos, eoſque,qui conſtitutam non perſoluerunt pecuniam,quam ex cenſu debent, inueſtiget: eorumque bona publicet, & tandem ſub haſta vendat. Nonnulli ſunt præterea magiſtratus pecuniarii,à quibus ærarij ciues inueſtigantur: rationeſque in publicis codicibus priuatorum, ac reipublicæ diligenter inſpiciuntur, ne qua fraus publicis reditibus atque ærario fieri poſsit: quos conD ſulto prætereo,ne tædio lectorem afficiam. neque enim momenti quippiam habent ad eam, quam potiſsimum hoc opere mihi exponendam reipublicæ gubernationem inſtitui. Præter hos magiſtratus nonnulli etiam ſunt, qui ad ciuitatis commodum, & ad bene, beateque uiuendum plurimum ualent, ideoque à nobis minime ſunt omittendi. Primi nobis ſe offerunt monetæ aureæ, argenteæque præſides, qua cum externis hominibus ciuium commercia,& ipſorum inter ſe maximè cōtinentur: deinde annonæ triticeæ præfecti, itemque ſalubritati Venetæ ciuitatis præfecti, ſine quibus uita conſtare non poteſt, præterea ampliſsimi Naualis præſides, Aediles quoque, qui viarum & pontium, & huiuſmodi rerum reſarciendarum curam habent, qui perquam neceſſarii ſunt: poſtremo ampliſsimus magiſtratus, quem Procu-

ratorum Veneti appellant, ciuitati noſtræ longè opportuniſsimus. De præ- E
fectis monetæ nihil eſt,quod plura dicamus. eius magiſtratus illa cura eſt,ne
argentum aut aurum imperfectius, aut impurius cudatur, quàm lex ſtatuit:
ne've nummi ſint minores pondere, quàm lex iubet. quod ſanctiſsime apud
nos obſeruatum fuit. quamobrem maximo in pretio apud omnes nationes
barbaras, nedum apud Chriſtianos, Veneti nummi ſemper fuerunt, hodieq;
ſunt. Cæteri namque Principes plerique omnes impurius aliquanto argen-
tum & aurum cuderunt; ut facilius impenſis ſatisfacere poſſent. At noſtri
conſtantiſsime ſemper hac in re dignitatem à maioribus acceptam retinue-
re. Magiſtratus uerò, qui annonæ triticeæ præfectus eſt, ciuitati Venetæ per-
quam neceſſarius eſt. etenim, cnm nulla propè frumenti vis ex agro Veneto F
colligatur, quod omni ex parte vrbs æſtuariis ampliſsimis continetur, ciui-
tasque hominum multitudine abundat, opus eſt rei frumentariæ magnam
haberi curam: nequando populus, cuius commodo maiores noſtri maximè
conſultum eſſe uoluerunt, rei frumentariæ inopia laboret, nimiaque anno-
næ charitate prematur. Iccirco rei frumentariæ tres ſunt præfecti, qui XVI
menſibus magiſtratum gerunt. horum eſt officium prouidere, ne ciuitas
vnquam frumenti inopia laboret. quæ ſi quando timeatur, Principem, Sa-
pientumque Collegium adeunt, reque inter eos diſcuſſa decernunt, quæ ad
frumenti copiam comparandam vſui eſſe uidentur. Quandoque etiam ſolet
certa merces ex ærario his conſtitui, qui ex longinquioribus prouinciis fru-
mentum Venetias aduexerint. Interdum ære publico triticum mercantur à G
negotiatoribus, qui polliceantur certam vim frumenti ſtatuto tempore, atq;
ex certis etiam prouinciis ſe Venetias delaturos: quod niſi præſtent, pecu-
niaria multa plectuntur: quod autem Reſpublica magno pretio emerit, vi-
li vendit, vt commodo populi atque inopiæ conſulatur: qua in re magnam
interdum iacturam ærarium facit. De re frumentaria præterea plurimæ ſunt
leges pulcherrimaque inſtituta: quæ ſi in præſentia recenſerē, longius quàm
par ſit, ab inſtituto digrederer. ſequitur magiſtratus is, cui vrbis ſalubritas
eſt curæ. huius præcipuum munus eſt, prouidere ne aliquo pacto ex conta-
gione tabes in ciuitatem ſerpat. quòd, ſi clàm quandoque obrepſerit, ut non-
nunquam ſolet accidere, ſedulo operam dat, ne longius vagetur. Quare ædes
publicæ ampliſsimæ in æſtuariis ædificatæ ſunt, interuallo trium millium H
paſſuum ab vrbe: quibus finitimi ſunt horti lætiſsimi. eas in ædes, ſi quis
ex plebe eo morbo ægrotare cœperit, confeſtim cum tota familia defertur.
hi uerò, qui cum ægrotante conſuetudinem aliquam habuerant, opus eſt,
ne alios inficiant, vt proprios lares deſerant, concedantque ad alias ædes pu-
blicas, itidem extra vrbem in eum vſum conditas, regione à prioribus longè
diuerſa; ibique XXXX dies detinentur: in quibus ſi ſani perſtiterint, ciuitati
ac domeſticis laribus reſtituuntur. ſupellectilis quoque magna cura habetur,
ne eius contagione quiſpiam inficiatur. hic quoque magiſtratus prouidet, ne
quid putridū, aut quod incolumitati ciuitatis officere poſsit, uendatur: demū
id ſedulo curat, ut quàm ſaluberrime Venetiis degatur. atque hoc præfectorū

genus

A genus non multo ante noſtrã tempeſtatem inſtitutum fuit: cùm quidẽ antea
creberrime vrbs peſtilentia laboraret, adeò, ut plerique omnes vi tabis ſæuiẽ
te proprios quandoq; lares deſererent, & in continentẽ proximã ſecederent.
ſed, poſtquam nouo huic magiſtratui hæc cura demandata eſt, numine diui-
no ſauente, nulla penè peſtilentia fuit. interdum quidem, quod in magna ho-
minum vndique confluentium frequentia uitari nõ poteſt, nonnullæ domus
infectæ fuerunt, cura uero huius magiſtratus, Deique auxilio, latius vagari
malum non potuit. Nunc de ampliſſimi Naualis præfectis dicendũ eſt: quod
certè non ſolùm Venetæ vrbi magno eſt ornamento, ſed etiam uniuerſæ Ita-
liæ non mediocrem dignitatem affert. immenſum opus eſt & admiratione
B digniſſimũ, in ea vrbis regione, quæ præter alias mari vicina eſt, & præterea
maxime commoda, ædificatum, ac in tres ſinus, ſeu, ſi malueris, receſſus ex-
cauatum: intra quos mare recipitur vnico tantùm oſtio tam lato, ut etiam ſa-
tis ſit ad maximas triremes capiundas. Munitum eſt oſtium duabus turri-
bus ex vtraque parte, ſuntque hæ ponte ſublicio iunctæ, portiſque cancella-
tis; quæ nunquam reſerantur, niſi quum opus ſit triremes educere, ſeu in Na-
uale inducere. nullibi etiam aditus ad interiora Naualis patet, præterquam
hoc uno oſtio ingredientibus. primus occurrit omnium quidem minimus,
ſed amplus tamen ſinus, tectis circum ac contignationibus in modũ fornicis
vndique extructus: huc ſubducuntur è mari triremes, ibique ab omni vento-
rum ac pluuiarum iniuria tutæ, ſi ita acciderit, vt illis vtendum non ſit, mul-
C tos annos incolumes & illæſæ permanent. Nouas item ſub eiſdem tectis
ædificant, veteres ſubducunt & reſarciunt: magnum ſanè opus, & maximi
ornamenti, & ad naues fabricandas vtiliſſimum. Poſt hunc ſinum alius eſt
interior ampliſſimus, omni ex parte circum eiuſmodi tectis, ut dixi, inſtru-
ctus: nec vllum ex eis inſpicias triremibus vacuum, ſed aut binis plenum, ſi
tecta fuerint latiora; aut ſingulis, ſi anguſtiora. Tertius uerò non minor ſe-
cundo, paulò ante noſtram ætatem ſuperioribus additus fuit, iſque mœni-
bus pulcherrimis circunſeptus. in eo autem plura ſunt tecta ædificata, quam-
uis non ſint omni adhuc ex parte perfecta: uerum ſumma cum diligentia o-
pera datur, ut illi ædificationi manus imponatur extrema. Tres hi receſſus
inuicem ſunt peruij, atque unico muro ambiuntur nonnullis turribus diſtin
D cto, in quibus vigiles excubias noctu agunt; ne quid detrimenti tam inſigne
opus vi ignis iniecti, ſeu dolo ſacinoroſi cuiuſpiam, ſeu caſu quopiam, ut in-
terdum euenire ſolet, accipiat. Intra mœnia tabernæ ſunt armamentorum
ampliſſimæ, uniuerſæque nauticæ ſupellectilis ſabri ſuas ibi omnis generis
rerum, quod ad rem Naualem pertineat, officinas habent. Ibi funditur æs ad
tormenta conficienda: magnaque in vſum tormentorum vis pulueris confi-
citur. vt totum in pauca conferam, nihil ad rem nauticam pertinet, quod nõ
in eo Nauali reperiatur. ibi uidere licet ingentem fabrorum multitudinem,
quorum quiſque ſuo munere fungitur. Sunt præterea nonnulla atria bene
ampla, in quibus ingens armorũ copia, tormentorum ſcilicet ac telorum, ad
vſus bellicos ſeruatur; ingens etiam velorum, remorum, armentorumque

omnium, in ſuis quæque cellis condita eſt: vt cùm Senatus armandam claſſem decreuerit, omnia, quæ requiruntur ad eam rem, prompta, atque parata habeantur. His rebus, officiiſque omnibus præfectus eſt magiſtratus, de quo dicere inſtitueram, cuius conſilio ac diligentia omnia, quæ ad Nauale pertinent, adminiſtrantur. is fabros deligit, cum lignarios, tum ærarios, cæteroſq; opifices, qui ad opus faciundum admitti debēt, ac ne quiſpiā deſit officio ſuo, diligētisſime curat. Huic magiſtratui pecunia ex ærario ad ſuſtinendos ſumptus Naualis numeratur, Collegio tamē prius cōſulto, rationibuſque apud illos patres relatis. Apud maiores noſtros, penes quos res maritimæ magno in pretio erāt, hic honos magnus habebatur: tēporibus tamen noſtris magiſtratus huius dignitas eſt imminuta, ac penè cecidit. itaque, ſi quando aliqua res extiterit, quā diligētius adminiſtrare oporteat, alios ciues ac Senatores, ſummæ dignitatis homines, Senatus Nauali præficit, qui ius in priores habeant, eiſq; veluti miniſtris utantur. Poſtremo loco ſunt à nobis recenſendi D. Marci Procuratores, amplisſimus omniū præter Ducem magiſtratus: quippe, qui præfinitum tempus non habeat, ſed unà cum vita terminetur. Huic honori coniuncta eſt perpetuā Senatorii ordinis dignitas, ac ius ſuffragii ferendi æquum cum legitimis Senatoribus. illud etiam præ aliis omnibus magiſtratibus obtinuerunt. nam, cum cæteris à ſenioribus ciuibus non cedatur, niſi certis locis, certiſque ſubſelliis, Procuratoribus vbique idem honor præſtatur. quocunq; enim loco ſedeatur, illis ſemper ceditur, digniorique ſede ſemper honeſtantur: non ſecus, ac ſi quouis in loco ſui magiſtratus munere fungerentur. horum officium eſt tutelam pupillorum habere, quibus propter ætatem tutela indigentibus, nullus defuncto parente ex teſtamento tutor eſt inſtitutus. veluti ergo publici quidam tutores à Republica ſunt inſtituti. hi D. Marci Procuratores dicuntur, quod munus cum egregiam fidem, ac ſanctitatem vitæ præcipuam requirat, hi ciues huic officio delegantur, qui iam publicis ferè omnibus muneribus defuncti, ſpectatæque ſunt probitatis: in quo verſantes tanquam milites emeriti perpetuam obtinent Reipublicæ adminiſtrationem. Priſcis temporibus tam magna fuit non tantum Venetiis, verum etiam apud exteras nationes, huius magiſtratus exiſtimatio, ut plerique exteri homines, nedum indigenæ, teſtamento ſuo hoſce Procuratores hæredum ſuorum tutores, ac totius rei domeſticæ curatores inſtituerint. eorum fidei magna pecuniæ vis pauperibus eroganda commiſſa eſt. adeo, ut noſtris quoque temporibus ingentes opes ab hoc magiſtratu adminiſtrentur, ac pro eorum arbitrio in uſum pauperum diſtribuantur. hic magiſtratus initio inſtitutus fuit, ne hæreditates ciuium, qui pro tuenda, ſeu etiam pro amplificanda Republica apud exteras nationes decederent, aut ſtudio rei familiaris negotiis, ac mercimonijs occupati peregrè morerentur, nullo condito teſtamento, per fraudem quampiam ab hæredibus pupillis auerterētur. Qua de cauſa effectum eſt, ut ciuibus illis publice ea cura demandetur, de quorum probitate omnibus compertum ſit. Principio tres fuere. deinde aucta ciuitate tres alii additi, hac tamen ratione diſtributi, vt veteres pupillorum,

qui

A qui citra riuum magnum,qui vrbem mediam interfluit, habitant, curam habeant: tres item curent eos, qui vltra riuum magnum proprios habent lares: dimidiam vrbem alteri, item dimidiam poſteriores curent. Tres uerò præter hos patroni ſunt ampliſsimi, atque auguſtiſsimi templi, quod D. Marco Euangeliſtæ dicatum eſt, ſub cuius numine Veneta Reſpublica bonis legibus aucta eſt, in ditionemq́ue imperij creuit. ab his poſtremis tanquam à nobilioribus nomen in omnes deductum eſt, ut D. Marci Procuratores appellentur. De huius templi ſtructura,de marmorum, columnarumq; copia, de porphyritide ac praſio lapide,de opere teſſelato atque aurato, quo tum laquearia, omnesq́ue fornices confecti, tum uniuerſum pauimentum ſtratum
B eſt,quia nemo ferè mortalium eſt, quin uel uiſu cognouerit, uel fama perceperit, nihil mihi ſtatui eſſe dicendum. huic inſtaurando tēplo, ſi qua in parte labaſcit,eiusq́ue ſacerdotibus,tres hi Procuratores præſunt, operamq́ue dāt, ut pro ciuitatis dignitate, & pro amplitudine patroni D. Marci Euangeliſtæ Deus optimus in eo templo pie, atque magnifice colatur. hi ſunt, qui præter cæteros magiſtratus meo iudicio perquam neceſſarii uideri debent ad bene, beateq́ue uiuendum. Nam, & monetæ cudendæ cura nequaquam negligenda eſt,qua omnium commercia ciuium continentur,annonæq́ue triticeæ copia ſedulo procuranda; nec minor bonæ valetudinis ciuium cura habenda, minimeq́ue omittenda viarum ac pontium; idq́ue genus ædificiorum inſtauratio. hæc communia cuique ciuitati. iſta uerò ad Venetias magis atti-
C nent,rei ſcilicet maritimæ procuratio ac pupillorū tutela,cum multi ciuium tum propter publica negotia,tum propter mercaturæ induſtriam peregrè profecti diem obeant. iccircò magiſtratus, qui his muneribus incumbant publicè, inſtituti ſunt, ut nullà in parte maiores noſtri communi bono defuiſſe uideantur, ſi quis diligenter omnem huius Reipublicæ inſtitutionem animaduertat.

LIBER QVINTVS.

POSTQVAM omnis fere ratio gubernationis Reipublicæ à nobis expoſita eſt, omnesq́ue recenſiti magiſtratus vrbani, non importunam, alienam've ab opere rem facturus uidebor, ſi de magiſtratibus exteris verba fecerò: ijs ſcilicet, quibus ciuitates, quæ in noſtram venerunt ſocietatem, regi ſoleant: poſtea de militaribus imperiis, ac demum de muneribus aliorum ciuium, qui patricij non ſunt ordinis. His etenim expoſitis, extrema manus commode operi inſtituto impoſita uideri poterit. Inſignioribus ciuitatibus, quæ in Veneti imperij ſocietatem uenerunt; quatuor magiſtratus præficiuntur. prætor unus omnibus ius dicit, & forenſes lites diiudicat, atque in ſontes animaduertit. habet is prætor in iudiciis proferendis aſſeſſores homines iuriſperitos, quorum cónſilio vtitur. licet apud prætorem ſit omnis auctoritas. præter hunc eſt præfectus, qui militibus præeſt, qui vrbem vel agros vrbis coluerint. in hos prætori nullum eſt ius, ſed præfectus tantum ius in eos habet. Arcis præterea, mœnium portarumq́ue cura præfecto eſt demandata, vectigalium etiam ac redituum omnium tum vrbis, tum agri totius. præter hos quæſtor vnus, ac duo. hic magiſtratus pecuniam publicam adminiſtrat, impendit, & exigit, habetq́ue codices rationum publicarum. nihil tamen ferè agit, niſi ex mandato præfecti. ac interdum utriuſque, ſcilicet prætoris & præfecti. Ea enim ratio adminiſtrandæ utilior uiſa eſt, quàm ſi penes eundem eſſet, & auctoritas & adminiſtratio ærarij. facilius namque liceret per fraudem ærarium peculari. id uero pecuniæ, quod reliquum fuerit ab impenſis, Venetias ad quæſtores vrbanos defertur, ad quos, ut ſuprà diximus, vndique pecuniæ publicæ conferuntur. Quartus, qui in unaquaque vrbium magiſtratum obtineat, eſt cuſtos arcium. alibi unus, alibi plures ſunt: hiq́ue militibus præſident, qui arcem tuentur, curamq́ue habent armorum, commeatus, & tormentorum, quæ ad munitionẽ contra hoſtes in arce poſita ſunt. neque tamen cuſtos ita præeſt arci, quin præfecti imperio ſubiectus ſit: cui quidem omne ius, omniſq́ue poteſtas in huius generis rebus curandis tributum eſt. In minoribus uerò ciuitatibus, ſeu vrbibus nullus eſt præfectus, ſed prætor vtriuſque partes agit. in oppidis quoque, quæ in agris maiorum vrbium frequentia ſunt, ſolus prætor eſt, qui ius oppidanis dicat, nullus præterea magiſtratus. nam quæſtores

ac præ-

A ac præfecti Principum vrbium in uniuerſo quoque agro ius obtinent. A prætoribus omnibus ad auditores nouos prouocatio eſt. Aduocatores etiam quandoque ſententijs capitalibus prætorum intercedere ſolebant: ſed, quoniam vſu plerunque euenire ſolitum erat, ut iudicia protraherentur, neque ſontes criminum, ac ſcelerum pœnas darent: lata fuit lex à decemuirûm collegio, minime id iuris Aduocatoribus amplius in ſententiis eſſe, quæ à prætoribus asſidentibus iuriſperitis, quos ſecum comites ducunt, ut ſuprà dixi, pronunciatæ eſſent. Et hactenus quidem ſatis de magiſtratibus, quibus Reſpublica tum domi tum foris adminiſtratur. Verum, quoniam non tantùm pacis, ſed etiam belli gerendi ratio habenda eſt, quam uniuerſam qui neglexere, ut inquit Plato in Politico, libertatem diutius tueri nequiuerunt: ideo qui recte Reipub. inſtitutionem poſteris tradiderunt, illud in primis admonuerunt, ut ciues inſtituantur ad utrunque munus, ut ſcilicet bello gerendo idonei ſint, & domi in pace legibus ſubiecti, inſtitutiſque patriis in præclara aliqua functione uiuant, ita vtramque rem amplectẽtes, vt virtutes arteſque bellicæ referant ad ſtudia pacis, tanquam ad potiora. vnaquæque etenim res eam habet à natura inſitam vim, ut primum bonum ſibi quiſque conueniens appetat: deinde ut contrario obſiſtat, nitaturque quãtum posſit à ſe iniuriam propulſare: quæ res in animante natura omnium perfectisſima, dilucidius dignoſcuntur. Nam vnicuique animali tributa eſt vis appetendi, quà proſequatur id, quod naturæ ſuæ conſentaneum fuerit. præter hanc unicuique adiecta fuit vis iraſcendi, quam Plato in corde atque in præcordijs collocauit, ut ſcilicet animal quodcunque, eius virtutis ſtimulis actum, contrarium naturæque repugnans repelleret. Vtriuſque igitur partis uirtutes, quarum ſemina in animis hominum natura indidit, ciuilem virum fouere oportet, & ad frugem perducere, ſicque & belli & pacis gerendæ rationem habere. Quæ ratio à maioribus noſtris non fuit neglecta, ut quibuſdam uideri ſolet: ſed, quoniam initio in mari ædificata ciuitas, quæ multis annis imperium contempſit continentis, terreſtris belli ſtudiis detineri non potuit, uniuerſam ſe ad maritimum bellum conuertit: in quo egregie operam nauauit, & pro tuenda libertate & in hoſtibus vlciſcendis: multaque præclara Venetorum geſta priſcis monumentis memoriæ prodita ſunt, plurimique triumphi ex deuictis hoſtibus, & eorum clasſibus ſuperatis reportati: ex quibus facile quiuis intellexerit Venetos in re maritima longe præſtitiſſe. Victa tandem poſt longum tempus ſuperioris conſilii ſententia precibus finitimorum populorum, quorum quiſque ſui reguli tyrannidem, quam diutius pasſus fuit, amplius tolerare poterat, adhibuit animum Senatus ad continentis imperium: uniuerſamque Venetiæ regionem pulſis tyrannis, ac pasſim ciuibus deditionem facientibus, veluti poſtliminio recuperauit: quæ libenti animo redibat ad ueteres incolas, eiectis tyrannis exteris, quæ ex reliquiis barbarorum in tota regione cõſederant, durisſimaque ſeruitute uictos eos populos premebant. Prolato igitur imperio in continẽtem, præterquam quod bonis legibus, & pacis ſtudijs ij populi erant recreandi, qui nuper ue-

nerant

nerant in noſtram ſocietatem, danda etiam opera fuit, ut tueri libertatem B
poſſent, in quam ſe aſſeruerant. Cæterum Venetæ vrbis ſitus, vtpote, quæ condita eſt in mediis æſtuariis, minime patiebatur noſtros ciues impenſius operam dare bello terreſtri, illius've ſtudio diutius detineri, ſine magno periculo ſeditionis ciuilis. nam ciues illos, qui terreſtris belli ſtudiis ſe dediſſent, maiorem anni partem agere in continenti, ibique & equos alere, & terreſtribus certaminibus ſe exercere opus fuiſſet: quin ut peritiores rei militaris fierent, opus fuerat, ſi quando domi otium ab armis fuiſſet, externa bella audiuiſſent, in ijsque animum pariter & corpora duraſſent, ut in ea functione cum laude uerſari poſſent, & patriæ prodeſſe: ſecus autem ſi feciſſent, inepti profecto non tantùm Imperatores, verum etiam milites fuiſſent. Hæc uero fre- F
quens conſuetudo continentis, vrbanæque intermisſio factionem quandam ciuium facile peperiſſet ab aliis ciuibus diſiunctam. quapropter proculdubio res Veneta breui ad factiones, ac bella ciuilia deducta fuiſſet. Omitto interim quàm magnos ſpiritus animi ciuium concepiſſent, cùm plurimum armis potuiſſent, habuiſſentque frequentes aſſectatores: vt hominum natura ſemper ad malitiam pronior eſt. quæ res, ut ex priſcorum monumentis facile intelligi poteſt, ſemper Romanam Rempublicam vexauit, contumaceſque non paucos Romanos ciues Reipublicæ legibus & Senatus decretis reddidit, ac demum Iulium Cæſarem tyrannum Romani imperij fecit. Ne ergo huiuſmodi quiſpiam morbus in Venetam ciuitatem obreperet, ſatius maiores noſtri eſſe ſtatuerunt, ut continentis imperium externo potius, ac conducto mi G
lite quàm Veneto defenderetur. ſtipendium uerò illis ſtatuit ex vectigalibus totius prouinciæ. æquum enim erat eius regionis impenſis militem uiuere, qui ad eam tuendam accerſitus fuerat. in hanc militiam plurimi ſocij ditionis noſtræ adſcripti ſunt: quorum nonnulli ad ſummam imperii in noſtro exercitu deuenere, atque ob res egregie geſtas Veneta ciuitate, patricioque iure donati ſunt. Viget adhuc noſtra ætate nomen Bartholomæi Coleonij Bergomenſis, viri illuſtrisſimi & ſummi Imperatoris, qui multa præclara bella confecit, ac Venetam ditionem auxit: quapropter equeſtri ſtatua in celebri vrbis loco à Republica honeſtatus fuit. Ciues igitur Veneti ea de cauſa, quam retuli, terreſtres militiæ gloria priuati ſunt, eaque ad exteros delata eſt. ſiquidem lege cautum erat, nullum patricium Venetum pluribus quàm H
xxv militibus præeſſe poſſe. hæc tamen lex noſtra tempeſtate ob bella frequẽtia, quibus vexati fuimus, vi conſuetudinis tanquam abrogata eſt. Cùm autẽ terreſtre bellum ingruit, nonnulli patricij ordinis ciues in exercitum mittuntur, qui, dum bellum vrget, temporarium magiſtratum gerunt. quæſtores hi ſunt, item legati, qui Imperatori exercitus externo homini ſemper adſtant. neque ei quidquam aut facere aut decernere licet, niſi ex legatorum conſilio. Bello finito vterque magiſtratus domum reuertuntur, ac in ordinem rediguntur, nec quidquam amplius iuris habent. hæcque eſt belli, terreſtris've militiæ ratio apud Venetos. Bello uerò maritimo, ac nauali noſtra ciuitas natura magis idonea eſt, cuius ſtudiis ſemper Veneti ſtuduere, nam vrbs in

mari

A mari condita parum timere poterat terreſtres copias, quæ ei negotium faceſſerent: ac non modo iniquum, ſed etiam ualde incommodum erat, comparare exercitum ex ciuibus, quem in continentem traijcerent, ac finitimos populos bello laceſſerent. Verum à mari quoniam iniuria timenda erat, quodq́ue illatam propulſare non erat difficile, ideo uniuerſa ciuitas ad ſtudia rei maritimæ conuerſa eſt, eoq́ue iuuentutem legibus inſtituit, ac totius vitæ conſuetudine firmauit. hic enim mos inſtituendi patricios homines ſemper fuit, vt à teneris annis vſque ad pubertatem ſub pædagogi diſciplina degerent, ac Latinis literis imbuerentur pro cuiuſque captu: ab ea ætate, præter paucos quoſdam, qui literarum ſtudiis ſe manciparant genio natu-
B raq́ue ducti, omnes ferè rei maritimæ, ac familiari operam darent, ac alij quidem nauigabant ad longinquas oras, ubi mercaturæ induſtria rem domeſticam augebant, ſimulq́ue efficiebantur periti morum ac conſuetudinis, legumq́ue multorum hominum. plurimi conſcendebant triremes armatas, atque à teneris annis & corpus laboribus firmabant, & animum excolebant rei maritimæ diſciplina, ac naualis belli peritia: quibus artibus ſemper Veneti excelluere. Quin lege cautum fuit, quæ vſque ad noſtra tempora peruenit, ut in unaquaque triremi armata ſtipendium ex ære publicò non exiguum duobus adoleſcentibus daretur ordinis patricii: quorum officium nullum aliud eſſet, præterquam imbui diſciplina rei maritimæ: vtq́ue id facilius aſſequerentur, quædam illis aſsignantur exigua munera, quibus curan-
C dis ſe exercentes proficiunt, & ad maiora capeſſenda idonei fiunt: grauibus uero triremibus ſiue ad claſſem, & rem bellicam inſtructæ fuerint, ſiue priuatim ciuibus locatæ ad mercaturam, octoni cuique iuuenes patricij quandoque attribuuntur: nec mediocre eis ſtipendium conſtituitur, uel ex pecunia publica, uel ex ære priuato, ſi ad mercaturas locentur, qui nauticis ac bellicis ſtudijs in eis aſſueſcant. Quin etiam priuatorum nauibus hoc onus legibus impoſitum eſt ad publicam utilitatem, ut ex ære domini priuati hominis, uni ſeu duobus, ſi nauis maior fuerit, patriciis adoleſcentibus ſtipendium ſoluatur, quorum aliud nullum officium ſit, præterquam exerceri muniis nauticis. Conceſſa quoque ab his adoleſcentibhs facultas eſt, ut in triremibus onerariis, ac in nauibus priuatorum, quibus adſcripti ſunt, ferre
D queant certam mercium ſummam nullo naulo ſoluto: quam ſi non habeant, ius hoc ſuum aliis concedunt, ac locant. Qua lege conſultum fuit non ſolùm exercitationi iuuentutis, verum etiam vtilitati tenuiorum ciuium, qui anguſtia rei familiaris premerentur. Quare facile intelligi poteſt, rationem inſtituendæ iuuentutis minime à maioribus noſtris neglectam fuiſſe, ut nonnullis uidetur: immò in ea nauium triremium copia ducenti, & amplius nobiles adoleſcentes, legis iſtius beneficio, alienis impenſis ad rem nauticam inſtruebantur: præterquam quod ciuili conſuetudine, ac more patrio quilibet patricius iuuenis, aut literis aut ſtudiis rei maritimæ operam dabat: in qua exercitatione tum ſibi plurimum, tum rei do-

meſticæ nonnihil conſulebat, ac prodeat. Hæ priſcæ leges, & huiuſmodi E
inſtituta etiam noſtra tempeſtate perdurant, licet plerique adoleſcentes ambitione, aut luxu poſt ampliatum imperium corrupti patrias inſtitutiones neglexerint: ac ciuium copia adeo creuit, ut noſtra ætate ingruentibus bellis, ac rerum domeſticarum diſpendiis longe plures effecti ſint pauperes, quàm, ut ſatis conſuli illis queat iſtius legis beneficio. Ita namque natura comparatum eſt, ut nihil inter homines perpetuum eſſe poſsit: uerum cuncta, quamuis initio perfecte conſtituta eſſe uideantur, poſt aliquot annos natura in deterius labente inſtauratione indigent: adeò, ut quemadmodum corpus prandio ſaturatum diutius incolumitatem ſeruare non poteſt, niſi poſt aliquot horas cœna ſucceſſerit: ſic in unaquaque re opitulari oporteat naturæ ad interitum labenti, atque inſtaurationem adhibere. Huiuſmodi rationem nos F
quoque Deo bene iuuante imitabimur; ac aliquod remedium excogitabimus. quo fit, ut hac etiam in parte nihil ſit in noſtra Republica deſideràdum. ſed de his hactenus. Nunc à nobis recenſendi ſunt magiſtratus, qui præficiuntur rei maritimæ. Vnaquæque triremis ad bellum inſtructa præfectum habet uirum patritium, qui in ea triremi omnium poteſtatem obtinet, præterquam vltimi ſupplicij inferendi. veluti in terreſtri militia Centurio, ſeu aciei præfectus eorum curam habent, qui fuerint in ſua acie. Hic triremis præfectus nautas, cunctàque, quæ in ſua triremi ſunt, & quæ ad eius apparatum faciunt, diligenter curat. Quotannis quamuis nulla neceſsitas, Veneti aliquot triremes armant, quæ reddant mare tutum nauigantibus, ſecu- G
ramque nauigationem compreſsis piratis præſtent viris bonis, qui res ſuas agunt ſine alicuius iniuria. Præter triremium præſides eſt totius claſsis legatus, qui imperium habet in uniuerſam claſſem, & in cunctos triremium præfectos. hic veluti legatus exercitus, niſi adſit Imperator, ius habet & capite mulctandi, quos uelit, & dirigendi claſſem, quò maluerit. hic quoque magiſtratus ſemper ferè etiam pacis tempore creatur, præficiturque his triremibus, quæ armatæ ſunt. Quòd ſi tempora Reipublicæ ita poſtulent, ut magna claſsis paranda ſit, tunc uniuerſæ claſsi præficiunt Imperatorem, qui tum in claſſe, tum in cunctis prouinciis maritimis amplisſimam poteſtatem habet; ac eam propè, quam olim in Romana Republica Dictator, retinebat; niſi quod omnibus in rebus paret auctoritati Senatus, & Reipublicæ de- H
cretis. ſummum tamen illi ius tributum eſt, cum in claſſem, præfectos, legatos've claſsis, tum in prætores ac magiſtratus omnes, qui cum imperio ſunt in locis inſuliſque maritimis, ac munus publicum exercent: adeò ut, cum claſsis Imperator ad aliquam ciuitatem acceſſerit, continuò ei ſacerdotum clerus obuiam prodeat, claues portarum & arcium ei dentur, iura prætorum ſileant, ab omnibus magiſtratibus ad Imperatorem liceat prouocare. Quin, ſi ita ei libuerit, poteſt ſolus ius dicere, ſolus adminiſtrare pecuniam publicam, ac denique ſolus omnium poteſtatem habet. nullus eſt apud Venetos magiſtratus maioris auctoritatis, iccircò raro admodum claſsi Imperator præficitur. Non enim temere, niſi rerum neceſsitas ita exi-

gat

A gat, alicui conceditur tam magna poteſtas, vt omnia vnius ciuis arbitrio pendeant. Hoc in loco ea lex non eſt à nobis prætermittenda, Imperatorem, Legatum, præfectum've claſsis vllum non poſſe cum triremibus armatis ingredi Venetam vrbem, neque etiam tunc cum in patriam redit: ſed cum primum Iſtriam peruenerit, quæ prouincia centum ferè milibus paſſuum ab vrbe diſtat, ſtipendium nautis ex legis decretis ſolui debet, ibique omnes dimitti: deinde triremes à paucis Venetias deduci ſolebant, ac in nauale ſubuehi ſub tecta in eum uſum ædificata, ubi tutæ ſeruantur à ventorum & pluuiarum iniuria: nunc lex hæc non ita omni ex parte ſeruatur, quemadmodum patrum noſtrorum temporibus ſeruabatur. Recenſiti à nobis
B ſunt omnes ferè magiſtratus, quibus, veluti coronam & apicem maiores noſtri impoſuere eos, quos vernaculo vocabulo à Græca appellatione deducto, ſyndicos dicere conſueuimus. nos eos appellamus recognitores, nouo fortaſſe nomine, ſed ſatis idoneo ad idem munus explicandum. Hi poſt quatuor, quinque've annos creari ſolent, ac mitti tum in continentis oram noſtræ ditionis, tum in regiones maritimas ac inſulas: recognoſcuntque geſta omnium prætorum atque aliorum, qui foris publicam poteſtatem habuerint. In quos animaduertunt ea propemodum auctoritate, quæ Aduocatoribus tributa eſt. Nam, ut ſapienter Ariſtoteles inquit, hi, qui in poteſtate ſunt, niſi ex aliis pendeant, ægrè in officio perſiſtunt propter ingenitam cuique malitiam. Peregimus iam omnes patritiorum hominum
C magiſtratus, quibus Reſpublica Veneta domi foriſque adminiſtratur: reliquum eſt, ut ea ratio à nobis referatur, qua prudentiſsimi homines maiores noſtri ſemper in officio plebem, ac uniuerſum populum continuerunt, rem certè ſuprà omnium fidem, tot annos populum gubernationis publicæ expertem nunquam patritiorum imperium detrectaſſe aut ægrè tuliſſe, nec quippiam vnquam molitum eſſe, ut mutata Reipublicæ forma ipſe quoque ad ius publicum admitteretur, immò ſemper amantiſsimũ atque obſequentiſsimum nobilitatis ſe præſtitiſſe. Verum, ſi quis præter ſitus opportunitatem ualde commodi ad Rempublicam tuendam, moderationem noſtram in regendo animaduertit, comperiet populum non omnino repudiatum fuiſſe: ſed ad ea munera fuiſſe admiſſum, quæ ei committi poterant abſque
D rei communis detrimento. Ideoque facile perſpicere poterit id in hac Republica temperamentum extitiſſe, quòd cæteris hominibus tum priſcis tum iunioribus ſemper defuit. Quamobrem eueniſſe etiam comperiet, ut in cunctis aliis tumultus populares frequenter fuerint excitati, qui tandem omnes Reſpublicas euerterint. contra in noſtra ciuitate ob eam cauſam nullum vnquam tumultum popularem, aut ſeditionem extitiſſe. etenim neceſſe fuit, ut in exordio operis dixi, ſi recte Reſpublica inſtituenda erat, populum à gubernatione Reipublicæ excludi. qua in parte maiores noſtri non tantùm auctoritatem ſummorum philoſophorum ac rationem ſecuti ſunt, verumetiam imitati ſunt Seſoſtrim antiquiſsimum Aegyptiorum legislatorem. qui, ut in Politicis Ariſtoteles perhibet, genere diſtinctos voluit

 luit

luit eſſe eos, qui armis regionem tuerentur, qui've de bono publico conſul- E
tarent, ac iudicia exercerent, ab agricolis mechanicasque artes exercentibus,
mercenariam operam locātibus. Verum inſtitutum hoc facile euertere rem-
publicam poterat, niſi temperatio ea adhibita fuiſſet, quam maiores noſtri
ſapientisſimi homines adhibuere. Primum ergo apud Venetos conſtantisſi-
me hoc obſeruatum fuit, ut omnibus æquum ius eſſet, neque vlli impunè li-
ceret quenquam, ne de plebe quidem uel infima, iniuria afficere: patricium
uerò hominem contumeliam facere plebeio pro ſacrilegio, ac ſcelere ma-
ximo ſemper habitum fuit. Quòd ſi quis temerarius huiuſmodi quippiam
perpetrare auſus vnquam fuit, is ſenſit ſe impunè non abiiſſe: tantoque gra-
uiores pœnas dedit, quanto maioris exiſtimationis, dignitatis've fuit. Præ- F
terea diligenter à Senatu conſulitur, tum annonæ triticeæ, tum omnium re-
rum copiæ, quæ faciunt ad victum ciuium, & ad incolumitatem totius popu
li: adeò, ut magna interdum diſpendia faciat publicum ærarium, ne ciuitas
penuria laboret. quod cuilibet exploratum eſſe poteſt ex his, quæ ſuprà à no-
bis dicta ſunt, cum de præfectis annonæ triticeæ, ac de curatoribus publicæ
ſalubritatis ageremus. Ac populi quidem hæc duo potisſimum requirunt à
rectoribus ciuitatum, ut ſcilicet commode uiuant in rerum copia, neque
obnoxij ſint iniuriæ potentisſimorum ciuium: quæ cùm aſſecuti fuerint, res
ſuas agunt cæterorum ſecuri. Nihil uerò à maioribus noſtris omiſſum fuit,
quod ad ea duo pertineret. quin potius multa præterea addita ſunt, quibus
mirifice conſulitur populi commodo, atque eorum hominum inopiæ, qui in G
ſtudiis honeſtis Reipublicæ vtilibus verſantur, aut olim verſati ſunt, nec am-
plius per ætatem aut imbecillitatem ualetudinis id muneris obire queunt.
Nam Venetiis innumeræ domus ædificatæ ſunt ſatis idoneæ, aptæque rei do
meſticæ, quæ hominibus iiſce gratis conceduntur, in quibus cum familia de-
gant quoad vixerint ſine rei familiaris diſpendio. His adde, quòd in Naua-
li amplisſimo, quod vicem oppidi obtinet, conſtitutum ſtipendium eſt non
medioeri hominum multitudini: qui tamen nil agunt, ſeu propter ſenium,
ſeu ob incommodum acceptum; cum tamen tunc eum in florenti ætate eſ-
ſent, ſuum munus in ædificandis triremibus, aut in huiuſmodi quopiam mu
nere Reipub. vtili obierint. Præterea veteri inſtituto in cōtractibus emptio-
nis, venditionisque mercium pretioſarum alteruter, emptor ſcilicet aut ven H
ditor, certum quippiam ſoluunt pro ſumma mercium: quod pauperibus nau
tis impartitur, qui amplius ei officio ſatisfacere minime posſint propter æta
tem, quam tamen in ea functione conſumpſerint. Cæterum præter hæc opti
ma inſtituta ad continendam plebem in officio Reipublicæ nonnullas alias
leges recenſebimus, quæ ſapientisſime mihi à maioribus noſtris inuentæ ui-
deri ſolent, ut pro eorum hominum conditione ſatisfactum pulcherrime ſit
ambitioni & honoris cupiditati, quæ in cunctorum animis natura inſita eſt,
nec tamen propterea gubernatio nobilitatis vlla in parte perturbetur. Vni-
uerſus populus in duo genera eſt diſtributus: nam quidam honeſtioris ſunt
generis, alii uero ex infima plebe, ut artifices, & id genus hominum, quod ab

Ariſto-

A Ariſtotele in Politicis ſeruorum publicorum eſſe perhibetur. vtriſque meo iudicio conſultum eſt, nec incommodè nec iniquè. Nam plebeiis hominibus, qui ſuapte natura parum honori ſtudent, ſed potius rei familiaris ſtudio inſeruiunt, ſua quædam iura conceſſa ſunt, ſuíque honores. in tot enim claſſes diſtributi ſunt, quot ſunt artificia, in quibus degunt, ac vnicuique claſſi propriæ quædam datæ ſunt leges, ſub quibus ſua quiſque exercet officia. His præficiuntur totius claſsis ſuffragiis ex eorum numero nõnulli, qui non incommodè artificii illius præfecti appellari poſſunt. horum iuſſu multa præſcribuntur, nonnullæq́ue leuiores lites horum arbitrio dirimuntur. Quo fit, ut plerique omnes artifices cum eius honoris compotes fuerint facti, in B eo munere ſibi placeant, putentq́ue ſe non parum dignitatis eſſe aſſequutos, cum eò peruenerint, ut à ſui ordinis hominibus ea præfectura digni habiti fuerint. Sunt præterea in vnaquaque claſſe quidam præfectis inferiores, qui tamen nonnullius exiſtimationis ſunt. hoc igitur modo magna in parte ſatis fit honoris cupiditati, quæ indita eſſe uidetur animis etiam plebeiorum hominum, atque infimæ plebis. Alterum populi genus honeſtius in Veneta ciuitate honoratiorem quoque locum habet, cui priuata quædam, ac propria munera ſunt conſtituta decora atque honeſta, quibus patritii ordinis viri priuati ſunt, nec ad ea vlla ratione acceſſum habent. quorum multa ſunt, ut nec patricium hominem, tum propter emolumentum, tum honoris titulum eorum pœnitere poſſit. Scribarum ordo honeſtiſsimus eſt, qui magi-C ſtratibus quibuſque aſsident. id munus plebeiis tantum hominibus datur, patricio nulli: quod quamuis illuſtre non ſit, eſt tamen honeſtum. eorum namque fidei & ſolertiæ codices, ſcriptaq́ue publica, quibus res omnis priuata & publica continetur, commiſſa ſunt. qua prouincia atque munere, qui dignus habetur, is iure optimo & probi viri & induſtrij nomen habet, commendationemq́ue apud homines non mediocrem. id autem eorum pleriſque ſtipendium conſtitutum eſt, ut rei domeſticæ non tantum tuendæ, ſed etiam amplificandæ ſatis ſit. Illi autem, qui ſunt à ſecretis Senatus, omnes ex populo ſunt, patricius nullus. Hic ordo ſuperiore honeſtior eſt, iccirco illi ex populo, qui nobiliori genere orti ſunt, eo munere fungi ſolent. reditus habent ex ære publico non mediocres, neque vllum Senatuſconſultum hos D latet. ſemper nanque interſunt & Collegij & Senatus conſultationibus; ex qua re in magno pretio ab omnibus habentur. Ex his nonnulli ſeliguntur, qui decemuiris miniſtrant, eorumq́ue acta in codices referunt, ac conſcij omnium ſunt, quæ à Collegio aguntur. quo in honore verſantur quoad vixerint, non per vices, quemadmodum patricij viri in ſuis magiſtratibus, quorum nullus præter Procuratorium perpetuus eſt. Horum qui à ſecretis Senatus ſunt, vnus primas partes tenet, ac Cancellarius Venetiarum nominatur, qui in maximo eſt honore. Nam à quouis patricio ei loco ceditur, præterquam à Procuratoribus. nullum is Reipublicæ ignorat arcanum: magni quoque ſunt ei reditus ex ære Reipublicæ conſtituti: ac cum diem obierit, funebri oratione honeſtatur: quæ dignitas nulli in Veneta ciuitate defer-

ri conſueuit, præterquam Duci, aut cuipiam ciui qui ſit extra aleam, ut dici E
ſolet, præterea nemini, quaſi Cancellarius Duce ex populo referat. hic unus creatur comitijs magni conſilij. cæteri omnes qui à ſecretis ſunt, à decemuiris eliguntur, atque ſubduntur eorum cenſuræ, ſi quid in functione publica, quam habent, deliquerint. Omnes etiam populares cœtus, ut artificum claſſes & cuiuſque artificii præfecti, nonnullique alii, de quibus infrà dicemus, ex arbitrio decemuirûm pendent, atq; eorum ditioni ſubiecti ſunt: illiusque Collegij auctoritate & initio conſtituti fuere, & nunc continentur. quod ſapientisſime inſtitutum fuit, ut is magiſtratus prouideat, ne huiuſmodi cœtus, qui ad bonum publicum ſunt inſtituti, quandoque ſimulatione officii aliquid in Rempublicam moliantur: qui ad eius morbi cautione initio creatus F
fuit, ne qua ſcilicet malorũ ciuium conſpiratio faceſſeret negotium Reipub. Sunt præterea Venetiis quinq; ſocietates initæ ſub diuorum quorundam nomine & religione, in quibus innumeri homines ſunt, & plebeij & patricii ordinis. Harum ſuas quæque veſtes habent ſuaque inſignia, quibus tamen non ſemper ac paſſim vtantur, ſed cum ſimul coacti prodeunt, aut ad honeſtandũ cuiuſpiam funus, aut ad ſacrum quodpiam munus. Feſtis diebus ſtatutis cuncti ferè in ſuam ſocietatem coguntur. ibi ſacris primum interſunt. deinde inuiſunt templa deorum immortalium, deumque optimum ſupplicationibus, pompaque ſolenni venerantur. harum quæque ſocietatum propriam ædem habent, in qua amplum atrium ædificatũ eſt, quò ſtatutis diebus conueniunt, ut exhibeant officium religioni, quod debent. Etenim celebrant quandoque G
ſacra myſteria, interdum ſimul coacti templum cuiuſpiam diui inuiſunt, ſæpius exequias ac funus fratris exornant, cum eorum quiſpiam diem extremũ clauſerit: cuius etiam delicta expiant ſacrificio, ac precibus identidem repetitis. Præter ampliſsima illa atria ſingulæ deſtinatum conclaue habent, in quod coguntur ſocietatum præfecti. qui magiſtratus eſt annuus, atque inter plebeios non mediocris dignitatis. hi ſimul congregati de agẽdis conſultant, dantque operam, ne qua in parte deſint bono ſocietatis. eorum quoque fidei magna vis pecuniæ pauperibus erogandæ commiſſa eſt. nam priſcis temporibus tam ingentis fuerunt exiſtimationis hæ ſocietates, ut plurimi, qui rem ſuam teſtamento legauerant in vſum pauperum diſtribuendam, hos potiſſimum tutores fecerint, quorum arbitrio ea pecunia erogaretur. quo effectum H
eſt, ut harum ſocietatum aliquæ copia facultatum, quæ in hos vſus quotannis erogandæ ſunt, Procuratoribus D. Marci minime concedant: qui magiſtratus patricius ampliſsimus eſt. Ad hunc honorem, præfecturam ſcilicet iſtam ſocietatum, patricijs viris nullus eſt acceſſus, quãuis ſint è numero fratrũ, ſed plebeij tantum homines illius dignitatis compotes eſſe queunt, ut hac etiam in parte populus nobilitatem æmularetur. hi enim ſocietatum præfecti quodammodo in populo referunt Procuratoriam dignitatem. Verum, ne qua ratione huiuſmodi ſocietates, atque hi præfecti Reipublicæ officerent, omnes ſub poteſtate decemuirûm continentur, vt ne quid immutare queant, aut in unum cogi præter tempora ſtatuta, niſi ex eorum arbitrio atque auctoritate.

Huiuſ-

A Huiuſmodi honores in noſtra Republica viris plebeiis vtriuſque ordinis cōſtituti ſunt, ut omnino expertes non eſſent iuris publici ac ciuilium munerū, ſed ſuæ honorum cupiditati ambitioni've hac ratione ſatisfacerent, neque ſtatum mobilium aut odio haberent, aut perturbarent. Quo gubernationis temperamento Reſpublica noſtra id cōſecuta eſt, quod priſcarum nulla alioquin illuſtrium. nam à primis initiis vſque ad hæc tempora mille, ac ducentis annis tuta permanſit, non tantum ab exterorum hominum dominatu, verumetiam à ciuili ſeditione, quæ fuerit alicuius momenti. quod adepta eſt non vi vlla, aut armatis ſatellitibus, ſeu munita arce, ſed æqua, ac tēperata ratione regendi: adeò ut populus libenti animo pareat nobilitati: neque vllam
B mutationem rerum optet, quin potius egregie ſit affectus erga nobiles. Quæ res noſtra tempeſtate potuit eſſe compertisſima. Nam, cum omnes Chriſtiani Principes conſpiraſſent in perniciem atque exitium nominis Veneti, fūſusq; noſter exercitus fuiſſet à Ludouico Gallorum rege iuxtà Caſſanum oppidum agri Cremonenſis ingenti clade, imminerentque inde Germani, hinc Iulius Romanus Pontifex, atque uniuerſa penè continentis ora ab imperio Veneto deſciuiſſet: ea rerum anguſtia perturbatus Venetus populus, adeò nihil in nobilitatem eſt molitus, ut lachrymantes omnes ſe, ſuaq́ne obtulerint ad Reipublicæ defenſionem, req́ue ipſa præſtiterint. Nam Pataujo vrbe propter incolarum animum erga nos egregie propenſum nullo negotio recuperata, cum Maximilianus Imperator vndique contractis auxiliis ingenti
C exercitu eam vrbem obſediſſet, quàm plurimi non tantum patricii, verumetiam plebeij ordinis ſponte cum militibus ſtipendio eorum priuato conductis ad tuendam illàm ciuitatem profecti ſunt, egregiamq́ue in ea expeditione operam nauarunt: adeò ut Imperator coactus fuerit reducere exercitum expugnatione vrbis non tentata. nec maiore negotio aliæ quoque ciuitates recuperatæ ſunt, maximo populorum omnium fauore ex alieno imperio ad Venetum, veluti ad portum tutisſimum, confugientium. clarisſimum certè argumentum iuſtæ dominationis, cum volentibus imperatur. quod nō abſque ratione contigiſſe, ſi quis bene attenderit, facilè comperiet. Cuique enim ciuitati, quæ in ſocietatem Veneti imperij uenit, municipales leges relictæ ſunt, multisq́ue honoribus ciues in ſua quiſque ciuitate potiuntur: op-
D pida autem non pauca in agris vrbium ſita à ciuibus ipſarum vrbium ibi magiſtratum gerentibus gubernantur. His adde, quòd prætoribus ciuitatum, qui illuſtres ſunt, asſident cum ius populo dicunt homines iuriſperiti: quibuſcum conſultant, antequam quippiam decernant. qui honos eſt non exiguus, nec modicum inde emolumentum ad eos uenit. huius generis magiſtratibus fungi patricij Veneti non poſſunt, ſed vel ex Veneto populo, vel, vt plerunque, ex ſociis ciuitatibus deliguntur. Ex quibus facilè quiuis intelliget, eam adhibitam fuiſſe in hac Republica moderationem, quæ maximè uideatur rerum naturam imitari. Nam in animantis corpore vidēdi officium, reſpiciendiq́ue munus ſolis oculis eſt attributum. reliqua uerò munera igno biliora cæteris membris relicta ſunt, quæ vſu videndi careant, ſed pareant,

nec aliquo pacto obaudiant his, quæ ab oculis ita eſſe nunciata fuerint, ne've E
aliò ferantur, quàm quò oculi ea direxerint: ſicque optime uniuerſum corpus conſiſtit & conſeruatur. Nõ disſimili ratione in Republica Veneta ſumma rerum gubernatio patritio ordini eſt demandata, veluti quibuſdam oculis ciuitatis; ignobiliora officia cæteris ex populo: ſicque tanquam bene compactum corpus Veneti fælicisſime viuunt, cũ oculi Reipublicæ non ſibi tantum, ſed uniuerſis membris perſpiciant: cæteræ uerò ciuitatis partes, non tantum ſui habeant rationem, verùm etiam hiſce oculis, veluti potioribus membris Reipublicæ libentisſime obtemperent. Quòd ſi in quapiam Republica eò inſaniæ venerint ciues, quod in pleriſque contingit, ut populus uidẽdi munere fungi velit, atque oculorum officium vſurpet, continuo vniuerſam Rempublicam euerti neceſſe eſt. F
Quòd ſi etiam patricij ciues ſibi tãtum proſpexerint, alia uerò ciuitatis membra contempſerint, irritato populo ad perniciem nobilitatis proculdubio male cùm Republica, atque adeò pesſime agetur. noſtri maiores naturam imitati vtrique incommodo prouidẽre, illamque præſtitere moderationem, ut nullus, niſi inuidus, locum habeat obtrectandi tam rectæ, tamque legitimæ inſtitutioni. Quam Deum optimum precamur diu ſeruet incolumem. ſi enim quippiam boni à Deo immortali hominibus prouenire eſt credibile, hoc præcipue diuinitus Venetæ vrbi obtigiſſe perſuaſisſimum eſſe debet. G

GASPARIS CONTARENI S. R. E. CARDINALIS DE SACRAMENTIS CHRISTIANAE LEGIS ET CATHOLICAE ECCLESIAE.

DE SACRAMENTIS CHRISTIANAE LEGIS, ET CATHOLICAE ECCLESIAE.

LIBER PRIMVS.

SAEPE numero mecum ipſe animo reputans, ſolere ple-
runq; accidere, vt viri probi, ac bonarum artium non igna-
ri, præter eorum ſpem, & inſtitutum vocentur ad munus
Antiſtitum, ac Eccleſiis præficiantur Epiſcopi; quibus neq;
otium eſt, neq; facultas, ut dare diutius operam posſint le-
ctioni Theologorum, & Iuris pontificij peritorum; à qui-
C bus ſingula quæque doceantur, quæ pertineant ad officium præſulis; nam &
diuturnus labor, & multi loci perplexi deterrent politioribus ſtudiis aſſuetos
ab huiuſmodi auctorum lectione: iccirco nõ putaui rem inutilem me factu-
rum, ſi præcipuam totius huius muneris partem, eam inquam, quæ verſatur
circa Sacramenta, compendio quodam comprehendero, ac eam leuem ad-
hibuero, vt cuiuis non ignaro bonarum artium, abſque diuturno labore, adi-
tus non difficilis pateat ad Sacramentorum rationem intelligendam; quam
perſpectam habere, & aliis poſſe tradere præcipuum eſt officium Epiſcopo-
rum, ut inquit Dionyſius in libro de Eccleſiaſtica hierarchia. Deum igitur
optimum precor, ut cœptis noſtris faueat, & efficiat, ut non indigne omnino
pertractemus res tam magnas & diuinas. Antiqua quædam fuit opinio, iam
D ferè à mundi primis exordiis cum hominum genere nata, indigere huma-
num genus ad ueram pietatem, & religionem puram expiatione quadam, &
ſanctificatione, quam pro hominum natura, etiam exiſtimarunt fieri verbis,
& cærimoniis quibuſdam: ita nanque natura inſtitutum eſt humanum ge-
nus, ut ex ſenſibilibus rebus notionem etiam intelligibilium nanciſcatur.
nam veluti naturæ hominis vicem, quæ & ſe pollutam eſſe ſentiebat, & ma-
iori quadam ſanctificatione indigere, ut digne ad pietatem, & puritatem re-
ligionis accederet, inuertit in pleriſque omnibus hominibus aſtutia dæmo-
num; qui ſicuti ueram religionem, ac unius Dei cultum peruerterunt,
ac ſibi pro Deo ſacrificia exhiberi uoluerunt; ita etiam expiationes quæ-
dam, ac ſacra, eorum fallacia adinuenta ſunt, quibus magis ſe pollueret
huma-

humanum genus,ac magis,magiſque à Deo recederet,dæmonum malorum E cultui emancipatum. Manſit tamen apud nonnullos homines, paucos quidem, ſed optimos, & ſanctiſsimos unius ueri Dei cultus, ac diuino inſtinctu, Sacramenta, & ſacrificia quædam inſtituta; quibus veluti ſignis fidei, quæ illis inerat, redemptionis noſtræ per Chriſtum, & expiabantur, & ſanctificationem recipiebant. Moſes his ſuperuenit, per quem data eſt lex populo illi, ſemini, inquam, Abraham, Iſaac, & Iacob, quibus promiſſum à Deo fuerat ex eis oriturum ſemen, in quo benedicerentur omnes gentes: in lege uerò à Deo inſtituta fuerunt quædam Sacramenta, in quibus apertius ſignificata fuit redemptio futura per Chriſtum. In Moſaicis Sacramentis præ aliis omnibus expiationibus, & lotionibus præcipuum obtinuit locum Circuncifio, quæ Abrahæ ante legem tradita fuerat, à lege uerò ſumma cum veneratione accepta. Hæc, ut inquit Apoſtolus, fuit ſignaculũ iuſtitiæ fidei, quæ fuerat etiam in præputio patris noſtri Abrahæ. Expiabantur infantes Circunciſione à labe peccati originalis ratione fidei, cuius ſignũ fuerat Circunciſio. nõ F ergo Circunciſio aliquo pacto efficiebat iuſtitiã, quæ occulte diuinitus infun debatur, ſed tantũ ſignificabat reconciliationẽ, & expiationẽ, quæ tunc confe rebatur diuina vi homini circũciſo. Alias uerò expiationes, quæ lotionibus, & aſperſionibus fiebant, Apoſtolus appellat iuſtitias carnis, eò quòd non pertinebant ad emundationem animæ, & ſpiritus purificationem, & peccatorum abolitionem; ſed tantummodo ad expiationem immunditiæ carnis contractæ, uel ex contactu cadaueris, uel ex lepra, uel ex quapiam huiuſcemo G di cauſa, ſed etiam ex peccato quopiam: ſignificabant vtique futuram expiationem animi, & eius figuræ erant, non tamen ad eam attingebant vllo pacto; quod tamen in circunciſione factum fuiſſe, iam ſuperius dictum à nobis eſt. Sacramenta ergo Veteris legis, proportione quadam, legi ipſi reſpondebant. Nam ſicuti lex non ducebat ad perfectum, ſed finis eius erat (quantùm ad hanc partem, de qua agimus, quæ ad cærimonias ſpectat) perducere homines ad cultum Dei ſpiritualem, per fidem Chriſti explicitam hoc carnali, & corporeo cultu: ita etiam Sacramenta legis, uel ſigna erãt expiationis animi, quæ in aliquibus fiebat diuina vi, ut in Circũciſione, uel corpus expiabant ab irregularitate quadam contracta ex immunditia quapiam corporea, aut ex ali quo peccato, quo impediebantur à cœtu ſacrorum, & populi. Poſt Moſem H promulgato Euangelio per Chriſtum, longe nobiliora ab ipſo inſtituta ſunt Sacramenta, quæ & ſignificarent expiationem, & ſanctificationem, & ſignificatione ipſa efficerent, de quibus à nobis hoc opus eſt inſtitutum. Verum, ut colligamus id, quod ex ſuperioribus patere facilè poteſt, communis quædam animi conceptio ſemper fuit, Sacramenta ea eſſe, quibus ſpiritiuale quodpiam arcanum ſub re ſenſibili contineretur: unde à Græcis appellata fuere Myſteria, id eſt arcana. Illud hic animaduertendum, ne decipiamur, ut quibuſdam accidit. Nam apud Veteres, & in Sacris literis, ſæpius Sacramentum dicitur id arcanum, quod latet; interdum uerò ſenſibile ſignum illud, ſub quo latet arcanum, dictum eſt Sacramentum: non quòd

ipſum

A ipſum ſit arcanum,quippe quod patet ſenſui,ſed quoniam ſub ſe contineat arcanum; quod quidam ignorantes non intellexerunt locum Pauli in Epiſtola ad Epheſios, ac propterea negauerunt matrimonium eſſe Sacramentum, eò quòd Paulus dicat, poſtquam diſſeruerat de vxore,& viro: Hoc autem magnum Sacramentum eſt, dico autem in Chriſto & eccleſia; quaſi ex his Pauli verbis ſequatur, matrimonium non eſſe Sacramentum, ſed coniunctio Chriſti cum Eccleſia; verùm, ſi accuratius animaduerterent hi ſcioli, inuenirent ferè ſemper in ſacris literis Sacramentum appellari arcanum. hæc etenim magis propria eſt Sacramenti ſignificatio, in qua Myſterium à Græcis appellatur. Nam apud Thobiam angelus Raphael inquit capite duodecimo,Sacramentum regis abſcondere, bonum; id eſt, arcanum; opera autem
B Dei prædicare conuenit. Item in libro ſapientiæ de iniquis dicitur,qui irriſerunt pios, neſcierunt Sacramenta Dei. Item apud Danielem.vt quærerent miſericordiam à Deo cœli ſuper Sacramento iſto. ſic in Apocalypſi: dicam tibi Sacramentum. Quibus omnibus in locis Sacramentum dicitur arcanum. Verùm apud Theologos poſteriores immutata fuit huius nominis ratio,ac appellarunt Sacramentum ſignum illud ſenſibile, ſub quo latet arcanũ ſpirituale; arcanum uerò id,quod latet, appellauere rem Sacramenti. Nobis ergo tractaturis de Sacramẽtis Chriſtianæ legis & Catholicæ Eccleſiæ, illud exordium eſt ſumendum,nullum humano generi polluto per peccatum originis,quo infectus unuſquiſque naſcitur,qui per ſeminalem rationem, id eſt,
C paternam originem trahit ab Adam,itemque magis,ac magis polluto peccatis,quæ in ſe unuſquiſque adultæ ætatis admiſit, nullum inquam, patere aditum ad peccatorum abolitionem, & expiationem, ad reconciliationem, & gratiam ineundam cum Deo, niſi per Chriſtum Ieſum dominum noſtrum; qui unus mediator eſt Dei,& hominum,ut ait Apoſtolus,neque aliud datum eſt nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Verùm Chriſti redemptionem nobis applicamus per fidem in ſanguine eius, ut item ait Apoſtolus. Oportuit igitur homini,qui ex ſenſibilibus ad intellectualia peruenit, & cui contigit ſalus per hominem Chriſtum conſtantem ex corpore humano & ſenſibili, ſanctificationem, & expiationem adhiberi quibuſdam rebus ſenſibilibus; ſub quibus lateret hæc ſanctificatio,& gratia,qua ſpiritualiter à Deo per Chri
D ſtum ſanctificatur; oportebat etiam acceſſum ſenſibilem, & corporeum hominis ſanctificandi eſſe ad res illas ſenſibiles,quo teſtatum faceret, ſe fide accedere ad ſuſcipiendam ſanctificationẽ, & gratiam. Qua de re B.Thomas excellentiſſimus Theologus ſæpenumero appellat Sacramenta proteſtationes fidei,quamuis etiam ſint proteſtationes fidei in miniſtris,qui ex fide Eccleſiæ Sacramenta diſpenſant. His fundamentis iactis,accedamus ad inſtitutum, ac prius ordiamur à definitione Sacramenti. Duas ponemus,quæ cum eandem vim habeat,poſterior tamen eſt priore explicatior. Prior eſt Auguſtini,qui dicit Sacramentum eſſe inuiſibilis gratiæ viſibilẽ formam. poſterior eſt Vgonis de S. Victore viri doctiſſimi, qui definit Sacramentũ eſſe ſenſibile elementũ ſimilitudine repræſẽtãs,inſtitutione ſignificãs, & ſanctificatione cõtinẽs in-

uiſibilem gratiam. Hæc, ut dixi, poſterior, quamuis re eadem ſit cum priori, eſt tamen longe explicatior, attamen vtitur vocabulo hoc elementum pro ſenſibili re quacunque. Res ergo ſenſibilis eſt Sacramentum, quæ natura conſtat, & habeat oportet ex inſitis à natura ſimilitudinem quandam cum re, quæ ſpiritualiter agitur, ideo addidit Vgo, ſimilitudine repræſentans. Verùm, quoniam Sacramenta vim habent ex inſtitutione Chriſti, ut infra dicemus, ideo adiunxit; inſtitutione ſignificans. Nam naturalis illa ſimilitudo non ſignificaret gratiam dari per rem ſenſibilem, niſi à Chriſto ita fuiſſet inſtitutum; & quoniam, ut inferius dicemus, unum quodque Sacramentum conficitur rebus, & verbis, in quibus continetur ſanctificatio, & forma Sacramenti, ut itidem dicemus, ideo additum eſt, ſanctificatione continens gratiam ſpiritualem, qua ſanctificamur. Ex hac definitione Sacramenti, cuilibet patere poteſt, inſtitutionem Sacramentorum omninm non potuiſſe à quopiam homine fieri, præterquàm à Chriſto, qui item Deūs eſt. Nam, cum Sacramenta contineant gratiam, & ſanctificent; gratiam uerò det Deus per Chriſtum, nullus homo, neque etiam Eccleſia uniuerſa potuit inſtituere, & ſanctificationem adhibere rei ſenſibili, ut per eam præſtetur accedenti, & credenti gratia, & ſanctificatio. Solus ergo Deus, qui dat gratiam, & non niſi per hominem Chriſtum potuit inſtituere Sacramenta, quæ habeant hanc vim certam. Ex hac etiam definitione exploratum eſſe poteſt ſenſibilem Sacramentorum formam, ſignum eſſe diuinæ largitionis, qua nos per ea ſanctificaret. Verùm ex parte accedentium ad ea, ſunt fidei proteſtationes. Is enim acceſſus, quo quiſpiam adit Sacramenta, proteſtatio quædam eſt illius, quòd credat, non tantum articulis fidei, ſed etiam diuinæ promisſioni, & inſtitutioni, qua pollicitus eſt per ſe ea ſanctificationem traditurum. Verùm, quoniam diximus Sacramenta ſanctificari per verba, & quòd quodlibet Sacramentum conſtat ex rebus, & verbis; ideo totum illud eſt latius explicandum. Primùm explicabimus id, quod ſupra tetigimus, Sacramenta iure conſtituta eſſe in rebus ſenſibilibus, tum ex parte inſtituentis, & in eis operantis, tum ex parte hominum, qui accedunt ad Sacramenta; ex parte inſtituentis, cum in redemptione humani generis uerbum diuinum ſibi aſſumpſerit hominem, quo uti inſtrumento operaretur ſalutem noſtram, qui corpus habet, & eſt ſenſibilis. quamobrem Damaſcenus in libris de fide, appellat corpus Chriſti organum diuinitatis coniunctum, ſcilicet, ſicuti manus organum hominis eſt; inquit enim, tactu ſanabat, aliaque mira operabatur, diuinitas vtique ſanabat, ſanabat tamen tangendo, quod corporis erat, ſicuti ſerra faber facit ſcamnum ſecando, vtique forma ſcamni ab arte eſt, organum tamen eſt ſerra, cuius eſt ſecare, quia ergo ſecando facit ſcamnum faber, vtique ſerra organum eſt artis. Redeamus eò, unde ſumus digreſſi. Cum organum diuinitatis fuerit humanum corpus ſenſibile, quod agendo, & patiendo, ut organum diuinitatis operatum eſt ſalutem noſtram, vtique rationi conſentaneum omnibus uideri poteſt, alia quoque

organa

A organa, diſiunctiora, inquam, Sacramenta eſſe in rebus ſenſibilibus conſtituta. ex parte uerò hominis per ea ſanctificandi, nulli dubium, quin maximè debeant Sacramenta eſſe in rebus ſenſibilibus conſtituta. Nam homo ita eſt à natura factus, ut ex rebus ſenſibilibus capiat notionem rerum intelligibilium. immò in his, in quibus hæſitatio eſſe poteſt, maximè homo fit certus ex ſignis ſenſibilibus, quale eſt in Euangelio, cum dixiſſent Phariſæi, quis eſt hic, qui peccata dimittit: dominus noſter, ut eos certos redderet, reſpondit, quid eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere ſurge, & ambula; ut autem ſciatis filium hominis habere poteſtatem dimittendi peccata, conuerſus ad ægrotum illum dixit, ſurge, tolle grabatum tuum, & am-
B bula; ecce ſigno ſenſibili reddidit illos certos rei inſenſibilis, in qua hæſitabant; ſic in hac ſanctificatione hominum, ut omnis hæſitatio à corde noſtro pelleretur, fuit neceſſe ſigno ſenſibili à Deo inſtituto animum hominis firmare; ut, ſcilicet, certus eſſet, niſi ficte accederet, ſe conſecuturum gratiam & reconciliationem per illud ſignum. facile ex his cuilibet apparere poteſt meritò Sacramenta eſſe in ſignis ſenſibilibus. Verùm, quoniam Sacramenta inſtitutione ſignificant, & ſanctificatione continent gratiam, oportuit ſignum Sacramenti ſenſibile duplex eſſe: alterum, in quo eſſet præcipua & prima vis ſignificandi, cuiuſmodi ſunt uerba: alterum uerò, in quo eſſet naturalis ſimilitudo repræſentans. Huius ordinis ſunt res aliæ natura conſtantes, in quibus apparet ſimilitudo, natura referens id, quod inuiſibiliter fit interius: uerba ue-
C rò præcipuam habent vim ſignificandi. Conſtat ergo unumquodque Sacramentũ ex rebus, & verbis: vnde nec res ſine verbis, nec verba ſine rebus perficere queunt Sacramenta. Quomodo autem in unoquoque Sacramento ſigillatim id fiat, infra, cum de unoquoque per ſe Sacramento loquemur, liquidò explicabimus. Non enim omnium eſt idem modus, & eadem ratio. Cum igitur res, & verba vnum Sacramentum cõſtituant, neceſſe fuit Theologis hoc in loco mutuare vocabula à Philoſophis, unde appellarunt verba, formam Sacramenti, res uerò alias ſenſibiles, materiam, ea de cauſa, quòd materia per ſe indeterminata ſit, terminus uerò fiat à forma. Itaque, cum res, quibus utimur in Sacramentis non ita determinatè repræſentent, & ſignificent quid agatur, determinatio uerò fiat à verbis, dixere verba formam eſſe, alias res materiam.
D Verbi gratia, in baptiſmate aqua & ablutio diuerſa poſſunt referre, ut ſcilicet, mundetur corpus, ut ſanitati conſulatur, aliaque huiuſmodi; verba addita, ſcilicet, ego te baptizo in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, determinant, quid fiat ablutione illa. His expoſitis, reſtat, ut explicemus tres quæſtiones, in quibus ſolent multum digladiari inuicem Theologi iuniores. Prima pertinet ad vim efficientem Sacramentorum, an, ſcilicet, ſint tantum ſigna rei ſpiritualis, quæ fit; an & ipſa quippiam efficiant. Altera quæſtio eſt, de Sacramentorum effectibus, quorum prior eſt in quibuſdam Sacramentis character, quid'nam, inquam, ſit is character. Altera uerò eſt gratia, an, ſcilicet, Sacramentalis gratia ſit quippiam aliud à gratia illa, quia iuſtificamur, & à peccatis expiamur. In ea dubitatione, quã primo loco propoſuimus, inter iunio-

res Theologos controuerſia eſt, nam nonnulli, ut Ioannes Scotus, quẽ in hac E
parte ſecutus eſt Durandus, putant, Sacramenta Eccleſiæ, eſſe tantum ſigna
quædam gratiæ, & ſanctificationis, quam nobis Deus ſolus, & immedia-
te præſtat, & in anima gignit, veluti ex pacto quodam nobiſcum inito, quòd
quandocunque contigerit nos accedere ad Sacramenta, & eis initiari, ip-
ſe occultam nobis daturus eſt gratiam. huic ſententiæ uidetur Pſalmus ad-
ſtipulari, in quo dictum eſt, gratiam & gloriam dabit dominus. Præterea
Charitas Dei, quæ eſt gratia, uel inſeparabilis eſt à gratia, datur nobis, &
infunditur per ſpiritum ſanctum; item quemadmodum nihil poteſt igni-
ri, id eſt fieri particeps naturæ igneæ, præterquam ab igne; ita nihil po-
teſt fieri particeps naturæ diuinæ, quod nobis contingit per gratiam, præ- F
terquam à Deo. Afferunt hi præterea alias rationes, quibus oſtendere co-
nantur, impoſſibile eſſe virtutem efficientem, etiam inſtrumentariam con-
tineri in Sacramentis, quæ nec diuiſibilis, nec indiuiſibilis in eis conſtitui po
teſt commode; & in verbis, neque permanentem, cum verba ſequantur mo-
tum, neque ſucceſsiuam, quæ in ultimo inſtanti prolationis verborum nulla
eſſet, ſicuti tunc nullus eſt motus, qui iam eſſe deſit. Hæ ferè rationes potio-
res adduci ſolent à Theologis magni nominis, quas ut euitent, in eam ad-
ducti ſunt ſententiam, ut dicerent Sacramenta non tantum veteris, ſed etiam
nouæ legis, & Chriſtianæ eccleſiæ, eſſe tantum ſigna arcanæ gratiæ, & ſancti-
ficationis, quæ in illis præſtatur. Verum B. Thomas & doctiſsimus, & ſan-
ctiſsimus vir, cum animaduerteret dicta ſanctorum, Auguſtini, inquam, qui, G
ut magiſter dicit in quarto libro, cum loqueretur de baptiſmate, quæ eſt vir-
tus, quæ tangit corpus & abluit cor, item omnium Theologorum ſua æta-
te ſuperiorum, qui dixere Sacramenta nouæ legis differre à Sacramentis le-
gis Moſis, quia efficiunt id, quod ſignificant, non eſt horũ ſententiæ aſſenſus;
ſed dixit, præſertim in ſumma theologiæ, quam poſtrema ætate compoſuit,
in Sacramentis eſſe quandam cauſam effectricem ſanctificationis, & gratiæ,
non quidem primariam, ſed inſtrumentalem. Nos quidem, quamuis non
diffiteamur ſuperiorum auctorum ſententiam poſſe defendi, & euitare no-
dos earum rationum, quas attulimus; nihilominus putamus veriorem eſſe,
& magis conſonam dictis ſanctorum, nec alienam à progreſſu rerum natu-
ræ, Thomæ ſententiam. Nam quamuis in alijs Sacramentis veteris legis di- H
ci poſſet non fuiſſe illa certa ſigna collatæ gratiæ, ſicuti ſunt Sacramenta Chri
ſtiana; in Circunciſione tamen hoc dicere non poſſunt; ideoque Circunci-
ſio æquari poterit Sacramentis Chriſtianis: niſi velint dicere, quòd maior
gratiæ copia traditur in baptiſmate, quàm in Circunciſione: quod quam-
uis ſit probabile, non tamen efficit in genere Sacramenti noſtra eſſe potiora
Circunciſione. Nam cum Sacramenti ratio ſignificatione conſtet, oportet
noſtra Sacramenta in ſignificatione quippiam maius habere, quàm ſigna
eſſe; ideo ſignificando efficiunt id, quod ſignificant, eo tamen modo,
quo virtus efficiendi eſt in inſtrumento. tota hæc res probè declaratur
ab Ariſtotele in ſecundo libro de Generatione animalium. nos paucis cu-

A rabimus hanc ſatis implicatam rem illuſtrare. Omne, quod fit, ab aliqua cauſa fit, quæ actu eſt id, quod facere debet; verùm quædam ſtatim abſque vllo medio à cauſa fiunt, ut ignis, qui ex ligno generatur ab alio igne; quædam uerò fiunt quibuſdam organis, & inſtrumentis, in quibus id, quod fit, non eſt in actu ex propria ipſorum natura, & forma; ſed tantummodo quatenus mouentur à cauſa mouente, & efficiente. Huius rei exemplum clarius ſumi poteſt ab his, quæ arte fiunt: Vtique pictor, ſeu faber mente conceptam habent formam, quam uolunt effingere; fit ergo res illa ex potentia, actu à forma concepta, quæ eſt in mente artificis; verùm penicillo, & coloribus pictor, uariis ferramentis faber: ea forma in illis inſtru-
B mentis non eſt actu ſecundum eorum naturam, ut perſpicuum eſt, ſed quatenus mouentur ab artifice, & hic motus localis eſt, quare magis ſubiectus ſenſui, & viſui; alio namque modo mouet penicillum pictor, cum vult effingere caput hominis, alio cum pingit pedem; ſic facit faber quilibet, & modus ille motus accommodatus eſt formæ pingendæ, ſeu ſuſcipiendæ; vnde forma illa eſt in inſtrumentis per modum motus, id eſt, in quantum mouentur ab artifice; ideoque incompletè, ac veluti per tranſitum quendam, quo (vt ita dicam, gratia melius explicandi hunc locum) forma, quæ eſt in mente artificis, tranſit per modum inſtrumentorum in materiam illam; non eſt ita reuera, ſed modus quidam ſimilis eſt. ab arte ueniamus ad functionem naturæ, ſi animal generatur, vtique generatur ab animali alio actu exiſten-
C te, ſed medio ſemine, veluti organo, in quo fit impreſſio quædam, & motus ab anima generantis, non localis, ut ab arte, ſed alterationis cuiuſdam ſenſu non perceptibilis, ſed ratione ſecundum analogiam, & proportionem artis, quo motu medio generatur aliud animal. vtique, vt inquit Ariſtoteles in eo loco quem adduximus ſupra, anima non eſt actui in ſemine; ſed in animali, à quo diciſum eſt ſemen; in ſemine uerò eſt motus ille impreſſus à generante, in quo eſt anima, ſicuti forma artis eſt in motu penicilli, aut ferramentorum. Explicatis his, quæ pertinent ad artem, & naturam, ueniamus ad exponendam hanc vim efficientem, quam ponimus in Sacramentis nouæ legis; in quibus dicimus, eſſe vim inſtrumentalem, ad efficiendam ſanctificationem. Verùm, quoniam primum & proximum diuinitatis inſtru-
D mentum eſt homo ille, id eſt, natura illa humana, quam uerbum aſſumpſit, ut inquit Damaſcenus, in qua corpus eſt ſenſibile, cuius opera, ut inſtrumento miracula à diuinitate fiebant, ſicuti tangendo ſanauit leproſum, & expuendo cæcum, & uocando Lazarum ſuſcitauit: in Chriſto primùm ſpeculemur hanc vim inſtrumentariam, & ab eo poterimus cõmodius accedere ad Sacramenta. Sanatur leproſus tactu Chriſti, non poteſt dici tactum illum fuiſſe tantum ſignum, immò uim habuit ad ſanationem illam, nec poſſumus dicere primam uim efficientem miracula non eſſe in Deo, uis igitur in tactu corporeo fuit uis inſtrumenti: quare quemadmodum motus ille penicilli, in quantum dirigitur ab arte pictoris, habet uim efficiendi imaginem: quæ uis nihil aliud re eſt, quàm motus penicilli, quatenus ſcilicet ab arte dirigitur, ita

in ſemine impreſsio illa, ſeu alteratio facta ab anima generantis eſt vis inſtru- E
mentaria, per quam fit aliud animal, & in ea eſt potentia anima, non alia res ab ea impreſsione, ſed ipſamet impreſsio, prout directa eſt, & impreſſa ab anima generantis; ita tactus ille corporeus Chriſti, qui prout dirigebatur à diuinitate, fuit vis inſtrumentaria, qua leproſus ſanatus fuit, non alia res præter tactum; ſicuti nec alia res præter motum penicilli eſt vis inſtrumentalis picturæ: tactu ergo Chriſti ſanauit diuinitas, ſicuti motu penicilli pictor pingit, & diuerſo motu diuerſas quoque effingit imagines. His expoſitis de Chriſto, in quo primum eſt diuinitatis organum, accedamus ad Sacramenta Euangelicæ legis. In Sacramentis eſt vis inſtrumentaria ſanctificationis, verùm, quoniam (vt diximus) vis inſtrumentaria non eſt in inſtrumento ſecun- F
dum formam propriam, ſed prout dirigitur, & mouetur ab agente: quare Ariſtoteles in eo, quem adduximus, loco de generatione animalium, inquit, formam rei factæ eſſe in motu inſtrumentorum; neceſſe eſt ergo vim hanc inſtrumentariam eſſe in ſignis ſenſibilibus, ſecundum aliquam eorum, ut ita dicam, actionem, uel actioni rem ſimilem. hæc uerò in Sacramentis eſt etiam ſignificatio; ideſt vis diuina, Deus ipſe, ſicuti vſus eſt tactu corporeo Chriſti, vt vi inſtrumentali ad ſanationem, ita in Sacramentis nouæ legis vtitur ſignificatione eorum, qua efficiat ipſe, quod ſignificant: ſignificatio uerò eſt relatio ad rem ſignificatam, ex inſtitutione Chriſti procedens, ut ex cauſa, & fundamento. Illa ergo Sacramenta, quæ tantum ſignificant, & quorum ſignificatione Deus non vtitur vt vi inſtrumentaria, ſicuti vſus eſt tactu Chri- G
ſti, ſunt tantum ſigna, cuiuſmodi fuit Circunciſio: ſic etiam fuit tactus Heliſæi, quando extendit ſe ſuper cadauer filij Scennamitidis: non enim tactus ille habuit vllam vim efficiendi miraculum, ut tactus Chriſti; eodem pacto Sacramentis nouæ legis Deus dedit; ut ſignificando efficiant, ſicuti voci Chriſti vim dedit, vt vocando ſuſcitaret Lazarum. Hac re difficillima ſatis, vt puto, explicata, & illuſtrata, non eſt difficile ſoluere rationes cõtra ſentientium. Nam verùm eſt ſolum Deum dare gratiam, vt agens principale, & primum, ſicuti animal non generatur niſi ab animali; nihil tamen prohibet, quin Deus vtatur inſtrumento ad hoc efficiendum; ſicuti animal ſemine vtitur, ſeu vi ſeminali ad generandum aliud animal. Ad ea, quæ adducuntur de vi illa, an ſit diuiſibilis, an indiuiſibilis &c. manifeſtum eſt, quòd iſti, H
quamuis grauiſsimi auctores, non bene intellexere; quid ſit vis inſtrumentaria, quæ in quibuſdam eſt localis motus, in quibuſdam alterationis, in quibuſdam ſimilis actione; in re igitur hac noſtra, vis iſta eſt cum ſignificatione, quæ eſt relatio, quæ non ſemper eſt in re, quæ dicitur relatiue ut ei inhærens, ideo ſignificatio, verbi gratia, ſermonis; quoniam non eſt completa ſignificatio, niſi in ultimo ſermonis momento; quodam modo, indiuiſibilis eſt; uerum quoniam non eſt in eo completa, niſi ratione præcedentium ſermonis partium, quodam alio modo eſt diuiſibilis: hi uerò putauerunt hanc vim eſſe quoddam accidens inhærens rebus Sacramentorum, nec bene perceperunt modum, quo res, quæ efficitur, eſt in inſtrumento, &

A quam diuerſis modis ſit in diuerſi generis inſtrumentis, ideo in eas anguſtias inciderunt. Hac explicata quæſtione, ad alteram accedamus exponendam: quoniam ſunt quædam Sacramenta, quibus non tantum ſanctificatio, ſed etiam quædam conſecratio adhibetur ſuſcipientibus, quemadmodum baptiſmate, confirmatione, & ordinis Sacramento, quæ iterari non poſſunt, vtique ſancti auctores, in quibus Auguſtinus, & in ſacris canonibus Pontifices dixere, his Sacramentis imprimi characterem ſuſcipientibus: inde inter iuniores Theologos controuerſia orta eſt, quid'nam ſit hic character. B. Thomas putauit characterem nihil aliud eſſe, præterquam ſpiritualem quandam qualitatem, quæ pertineret ad potentiam, non natura-
B lem, ſed ſpiritualem ſuſcipiendi, uel agendi aliquod ſacrum; non tamen completam, & perfectam, ſed incompletam, inſtrumentalem, inquam, qua ſpiritus ſanctus, ut inſtrumento utatur in actionibus ſacris: hanc potentiam poſuit Thomas in intellectu hominis, non autem in voluntate, aut in ſubſtantia animæ. Nam, cum principium actionis, & paſſionis proximum ſit animæ potentia, non autem eſſentia; ideo hæc qualitas ſpiritualis in eſſentia non erit. potentiæ autem mentis cum duæ ſint, intellectus, inquam, & voluntas, ſubiectum huius potentiæ, ſeu characteris non poteſt eſſe voluntas, qua homo bene, uel male omnibus aliis utitur: non enim character efficit uoluntatem bonam, & bonum hominem: non erit igitur perfectio voluntatis, ſed erit perfectio intellectus, qua tum bene, tum male homo uti po-
C teſt. hæc Thomæ ſententia. contra Scotus exiſtimat nulla firma ratione, aut auctoritate niti hanc Thomæ ſententiam; quamobrem putat ipſe hunc characterem nihil aliud eſſe, niſi relationem quandam inhærentem eſſentiæ animæ, qua is deputatus eſt, & reſpectum habet ad illud ſacrum, quodcunque illud ſit; ſicuti in calice conſecrato, nihil aliud eſt, niſi relatio ad continendum ſanguinem Chriſti. ſic ſi quiſpiam in ciuitate fiat Conſul, aut Prætor, nulla ei qualitas additur ex ea electione, ſed relatio quædam noua acquiritur ad agenda illa, quæ pertinent ad Prætorem, uel Conſulem, atque ad his potiundum, quæ Prætori, Conſuli've debentur. Hæc Scoti opinio magis uidetur conuenire philoſophiæ principiis, præterquam quòd ponit relationem neceſſariò eſſe rem quandam inhærentem ei, quod dicitur ſecundùm eam
D relationem, confeſtim illi inditam, cum primùm incipit dici relatiue. Hoc meo iudicio non eſt ſatis Ariſtotelicum. Nam relatio aduenire poteſt alicui, & recedere, nulla in ipſo facta mutatione. Verùm hæc omittamus, quæ non multum faciunt ad hoc opus, quod de Sacramentis inſtituimus; conuenit, inquam, hæc ſententia philoſophiæ, & principiis naturæ. Verum dictis Sanctorum mihi uidetur prior ſententia magis conuenire. Inquit Auguſtinus ſæpenumero contra Donatiſtas, & præcipue in libro de vnico baptiſmo, In hæreticis ſi uideró notam, & characterem Chriſti, reijcio id, quod eſt hæreſeos, notam tamen domini vbicunque veneror, agnoſco, & tueor. Hic ſenſus, & aliis fortaſſe uerbis expreſſus. Primò non ſatis uideo quo'nam pacto presbyter excommunicatus, ſuſpenſus, aut degradatus ſi conſecret, uerè

conficit corpus Chriſti, ſi character eſt tantùm relatio, & non potius potētia E
quædā, per conſecrationē impreſſa ſacerdoti, qua illud ſacrum agit, etiam pec
cans, etiā degradatus. Non eo infitias noſtris rationibus his poſſe reſponderi
ab his, qui aliam ſententiā uellent tueri, attamen iudicio meo magis quadrat
obiectio, quàm quadret ſolutio. Tertia quæſtio eſt de gratia ſacramentali,
quam Thomas poſuit; aliqui uero poſteriores nullam putant eſſe, præter pri
mam illam gratiam, qua iuſtificamur. Paucis exponemus vtranque ſenten-
tiam. in anima hominis ab originali peccato, veluti vitium & vulnus quod-
dam, relicta eſt infirmitas quædam, & imbecillitas, ex qua facile deficimus,
& ruimus in peccatum; quoniam uero, ut ſuperius diximus, Sacramenta in-
ſtituta ſunt contra peccata, ad eorumque abolitionem, uidetur probabile F
B. Thomæ, ex vi Sacramentorum, præter abolitionem reatus peccati, quo
ad culpam, & ex gratia, qua iuſtificamur, quam ſæpenumero habent acce-
dentes ad Sacramenta, defendere etiam in vires animæ ſpiritualem quēdam
vigorem, quo finirentur vires animæ, ne adeo facile in peccatum labantur,
& ſpeciatim iuuentur ad certū ſacrū munus obeundum. hanc appellat Tho-
mas gratiā ſacramentalē, ratione principij, & radicis, à qua profluit gratia, ſci
licet, iuſtificātis. poſteriores uerò auidiores fortaſſe gloriæ, ſeu acutiores, qui
innituntur hoc principio, non debere induci multitudinem rerum, & entium
abſq; neceſsitate, conantur oſtendere non eſſe neceſſariā hanc gratiā, ſed pri-
mā illam gratiā ſimul cum virtutibus ab ea procedentibus, quibus vires ani-
mæ perficiuntur, ſatis eſſe ad præſtandum hanc firmitatem animæ hominū. G
nolo ego ſubtilius diſcutere hanc quæſtionem, nullam etenim uideo cogen-
tem rationem, ut alteri potius adhæream, quàm alteri: nihilominus, quantò
plura nobis dantur à Deo optimo adiumenta, vt & bona faciamus, & à ma-
lis abſtineamus, tantò mihi uidetur diuinius debere exiſtimari, & maiores à
nobis Deo optimo habendas eſſe gratias per Chriſtum, per quem nobis tot,
& talia bona conceſsit. His quæſtionibus expoſitis, redeamus eò, unde di-
greſsi ſumus. Dicebamus Sacramenta, quoniam ſignificando agunt, conſta-
re ex ſenſibilibus ſignis duplicibus, ex rebus, inquam, & verbis; quorum ver-
ba ſe habeant ut forma, res aliæ, ut materia; verùm, quoniam verba primò
ſignificant conceptum, & intentionem proferentis, ideo oportet in Sacra-
mentis eſſe præter ea, intentionem miniſtri, qui, cum ſit miniſter Eccleſiæ, H
oportet, ut intendat id agere, quod Eccleſia agit, quamuis ipſe putaret nihil
illud eſſe, aut vanum, aut etiam impium. Hoc enim totum malum pertinet
ad perſonam per ſe ſumptam, non autem ad miniſtrum, quatenus miniſter
eſt. cum ergo velit ipſe ſubire perſonā miniſtri, & fungi Eccleſiæ miniſterio,
vtique intendit etiam id agere, quod agit Eccleſia; qualecunque exiſtimet eſ-
ſe illud. Quis autem in Sacramentis miniſter eſſe debeat, exponemus, cum
ſigillatim agemus de Sacramento quoque; nam alius, atque alius eſt in Sa-
cramento quoque. verùm primum in Sacramentis agens Deus eſt, Chriſtus
deinde per paſsionem ſuam, per quam meruit vim illam Sacramentorum, &
poteſtatem habuit inſtituendi, unde per excellentiam quandam agit, mini-

 ſter

A ſter homo poſtmodum, ut organum propinquum. Numerus Sacramentorum nouæ legis, & Chriſtianæ Eccleſiæ ſeptem continetur: quorum tria pertinent ad regenerationem, ſeu generationem ſpiritualem in Chriſto, augumentum, & nutritionem; duo ad ſanationem; item duo ad propagationem, tum ſpiritualem, tum corpoream humani generis, ſeu, ut rectius dicam, Chriſtiani populi. Omnium perfectisſimum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, in quo continetur non gratia Chriſti, ſed Chriſtus ipſe, in quo eſt omnis gratiæ plenitudo. maximè omnium neceſſarium ad ſalutem eſt baptiſma, per quod renaſcimur in filios Dei. His addendum, quædam Sacramenta instituta fuiſſe tantùm ad maiorem ſanctitatem acquirendam, ut Euchariſtia, quæ in-
B directè tamen peccata venialia abolet. Quædam ad expiationem peccatorum, & ſanctitatem acquirendam, ut pœnitentia, cuius veluti perfectio, & conſummatio eſt extrema vnctio. Quædam ad remedium peccati, & aliquam ſanctitatem, ut matrimonium. Quædam ad conſecrationem, & maiorem quandam ſanctitatem, ut ſacri ordines, & Chriſma. Baptiſma uero inſtitutum eſt ad expiationem peccati originalis, item aliorum, ſi qua fuerunt illi addita, inſuper ad ſanctificationem, & conſecrationem. Nam in baptiſmate inſerimur Chriſto, per quem ſanctificamur, & conſecramur in genus regale, & ſacerdotale. Hæc de Sacramentis in uniuerſum dicta ſufficiant.

LIBER SECVNDVS.

De Sacramento Baptiſmatis CAP. I.

NVLLVM eſſe hominem puto ingenij paulò perſpicacioris, præſertim ſi ingenuè fuerit philoſophatus, ac in rerum naturæ contemplatione verſatus, acceſſeritque ad Chriſtianam philoſophiam, qui non ſummopere miretur Chriſtianæ doctrinæ ac religionis progreſſum, in quo, veluti in ſpeculo, facile perſpicit eundem fuiſſe Chriſtianæ pietatis inſtitutorem, qui etiam naturam rerum condiderit, adeo ſimiles inter ſe progresſiones habet. id quod perſpicuè cuiuis patere poteſt in hoc, quod aggresſi ſumus Sacramentorũ negotio. Apoſtolus Paulus, in prima ad Corint. c. 15. inquit: Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo, cœleſtis, ſicuti portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginẽ cœleſtis. In Euangelio dominus noſter Ieſus dixit Nicodemo, oportere nos naſci denuò, ſi ſimus ad regnum cœlorum peruenturi, ex aqua, ſcilicet, & Spiritu Sancto. ſicuti ergo cum primum in hanc lucem homo prodit, ſeu etiam cum in vtero matris formatur, naſci dicitur homo; ita, ut fiat homo Chriſtianus, Dei ſcilicet filius, oportet hominem iterum naſci; ſed prior illa natiuitas corporea eſt, ac propterea ſenſu percipitur, ſecunda hæc ſpiritualis eſt, ideò ſenſu capi non poteſt. item in priori natiuitate cum homo non generetur ex quopiã alio animante, quod mori oporteat, ut ex eo naſcatur homo; in hac poſteriore naſcitur homo ſpiritualis, & diuinus ex carnali homine, & terreno; ideo ſecunda hæc non tantum natiuitas eſt ſpiritualis hominis, ſed etiam eſt interitus hominis carnalis. iccirco non tantum natiuitas, ſed etiam regeneratio dicta eſt, item reſurrectio, ut in Apocalypſi à Ioanne Apoſtolo nuncupatur reſurrectio prima, ut præclare exponit Auguſtinus in libro vigeſimo de ciuitate Dei. Verum, ſicuti hac generatione non efficitur totus homo ſpiritualis; ita etiam non omnino moritur homo carnalis; ſed quædam fit inchoatio huius uitæ, & illius mortis, quæ in die iudicij omnino perficietur, cum totus homo erit ſpiritualis, & nihil carneum remanebit, quo ad corruptionẽ, inquam, & malum, non quoad ſubſtantiam. Hoc arcanum, hoc myſterium, quod expoſui, latet ſub Sacramento baptiſmatis, quo ſub aqua mergitur, ac ſepelitur homo carnalis natus ex Adam, naturæ corruptæ, & carneæ, filius iræ,

A iræ,& indignationis Dei. Gerit hæc immerſio imaginem ſepulturæ Chriſti, qua ſepulta fuit non caro peccati, ut noſtra, quæ nunquam fuit in Chriſto; ſed caro habens ſimilitudinem carnis peccati, ut inquit Apoſtolus, ad Rom. cap. 8. deinde emergit nouus homo ſanctificatus per aquam, & innocationem trinitatis, quod D. Petrus Apoſtolus in Epiſtola prima appellat ſemen incorruptibile, quo nati ſumus. Vide quàm hæc generatio reſpondeat generationi naturæ, cum Princeps Apoſtolorum appellet verbum, quo baptizamur, ſemen incorruptibile. Hoc igitur arcanum latet ſub hoc baptiſmatis Sacramento, generatio ſpiritualis, expiatio à peccatis, conſecratio eius qui baptizatur, ſepultura, & reſurrectio Chriſti. Id uerò, quod ſubijcitur ſenſui,
B quod patet omnibus, eſt ablutio, ſeu immerſio, & emerſio, aqua,& verba ſacerdotis, ego, ſcilicet, te baptizo in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti; innocatio, videlicet, trinitatis. Sacramentum baptiſmatis non eſt aqua, neque verbum, ſed ipſa ablutio, & immerſio ſub certa hac forma verborum expreſſa. Materia eſt, aqua elementalis, & natura conſtans, non arte ut roſacea, ſeu quæuis alia huiuſmodi. Nihil tamen differt, ſiue fuerit calida aut frigida, aut quouis alio pacto alterata, dummodo aqua ſit natura conſtans. Forma, ſunt verba à ſacerdote prolata. Vis baptiſmatis eſt conferre expiationem à peccato originali, & aliis omnibus; ita quòd neque reatus vllus culpæ, nec pœnæ remaneat, ſed ſit veluti nouus homo genitus, & in lucem editus vir baptizatus; ſuſcipit enim in ſe totam mortem Chriſti; in aliis Sacra-
C mentis ſit particeps eius. Item datur in baptiſmate participatio quædam diuinæ naturæ, efficimur enim in Chriſto Dei filij per baptiſma, ut inquit Ioannes Apoſtolus in capite primo ſui euangelij: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Item, ut idem Ioannes in epiſtola prima cap. 3. Filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quod erimus. Item Paulus ad Romanos cap. 8. Dedit nobis ſpiritum clamantem abba pater. Innumeri alii ſunt in ſcriptura loci idem aſſerentes. Præterea vi baptiſmatis imprimitur in mente noſtra character per conſecrationem, quo potentiam nanciſcimur ſuſcipiendi omnia Sacramenta, & obeundi omnia munera, quæ pertinet ad hominem Chriſtianum. Hæc nobis in baptiſmate cõferuntur. Miniſter baptiſmatis proprius, eſt ſacerdos, nam, cum baptiſmate conferatur gratia, & ſanctificatio, per quam præcipuè
D illuminamur; ideo miniſter eſt ſacerdos, ad quem in hac Eccleſiaſtica hierarchia pertinet illuminare, ut inquit Dionyſius, ſicuti Epiſcopi eſt perficere, & Diaconi purgare; ex quo fit, ut etiam præſente Epiſcopo Presbyter poſſit baptizare. Proprius enim hic miniſter eſt. Verùm, quoniam hoc Sacramentum eſt Sacramentum fidei, & adeo neceſſarium, quòd ſine ipſo paruuli conſequi ſalutem non poſſunt; ideo effectum eſt, ut Diaconi, ſi Presbyteri copia non fuerit, laici viri, mulieres, etiam infidelis poſſet eſſe huius Sacramenti miniſter; dummodo intendat facere id, quod Eccleſia facit, & ſi putet illud nihil eſſe, ut diximus in priori libro, nam agit ut miniſter Eccleſiæ, & in fide Eccleſiæ. Eſt tamen aduertendum, quod hoc miniſterium pertinet ſemper ad dignio-

digniores, qui adſunt; quamobrem præſente viro, fœmina non debet fungi hoc officio; adulto præſente, puer; item laicus, præſente diacono; aut diaconus, præſente presbytero: Presbyter uerò etiam præſente Epiſcopo poteſt ritè baptizare, quia eius miniſterium eſt. Quæ non accipi volumus in eam ſententiam, ut putet quiſpiam, ſic baptizatum, non eſſe uere baptizatum; eſt etenim uere baptizatus, ſed non ritè, neque ex ordine. Narratur in hiſtoria Eccleſiaſtica ab Euſebio de Athanaſio, qui puer in litore quoſdam cathecumenos baptizauit eo ritu, quo uiderat Epiſcopum Alexandrinum baptizare; qui de conſilio illius Academiæ Alexandrinæ celeberrimæ non fuerunt iterum baptizati, cum Athanaſius faſſus fuiſſet, ſe uoluiſſe facere id, quod Epiſcopus faciebat. Conferri debet hoc Sacramentum, & adultis, & paruulis; quia, ſicuti per alium contraxere peccatum originale, item etiam per alium remedium, & medicinam poſſunt capere. Præclarè hoc tractat Auguſtinus, ubi agit de baptiſmo paruulorum, in quos gratiam, & virtutes infundi ſecundùm habitum, quorum poſtea vſum habeant, præcipui Theologi ſentiunt. non tamen propterea ab infidelibus parentibus inuitis, abſtrahi debent paruuli, ut baptizentur inuitis illis, nam opus Chriſti non debet inchoari ab iniuſtitia: filii autem ſunt in poteſtate parentum, quouſque ad ætatem peruenerint, qua ſint compotes rationis; quòd ſi baptizentur, putat Durandus, eos non eſſe uere baptizatos. ego tamen credo verius dici, quòd ſunt baptizati. ſufficit enim fides offerentis, quamuis vſurpent ius alienum, ut in decretis diſtinc. quarta. adultis uero accedentibus ad baptiſma neceſſaria eſt præteritorum peccatorum pœnitentia, non dico pœnitentiam Sacramentum, ſed animi motum, quo eos pœniteat vitæ præteritæ. & neceſſaria eſt etiam fides, qua credant ſibi præſtari redemptionem, & remiſsionem peccatorum per myſterium Chriſti, & per baptiſmatis Sacramentum; quorum alterum ſi defuerit, ficte accedunt, nec recipiunt gratiam, ſeu ſanctificationem; recipiunt tamen characterem, & conſecrationem; vi cuius, ſi poſtea fides, aut pœnitentia acceſſerint, fiunt compotes gratiæ, & ſanctificationis. præter hoc aquæ baptiſma, à Theologis ponuntur duo baptiſmatum genera, ſpiritus, inquam, & ſanguinis. ſpiritus baptiſma, eſt animi, cum ſcilicet quis credit, & dolet de peccatis, cupit etiam baptizari, obit autem, antequam poſsit, baptizatus; hic obit, non aqua, ſed ſpiritu. item, ſi quis nondum baptizatus, pro Chriſto moritur, funditque ſanguinem, ne Chriſtum neget baptizatus: hic obit, non aqua, ſed ſanguine. poſtremum hoc baptiſma potius, & perfectius aliis eſt, nam uerè, & non per ſimilitudinem aſsimilatur morti Chriſti; & ſicuti Chriſtus lauit nos ſuo ſanguine, ita hic non eſt lotus aqua, ſed ſui ſanguine, quem fundit. tria hæc baptiſmatum genera dicta ſunt, tamen non omnia verè ſunt Sacramenta. primum per aquã Sacramentum eſt abſque dubio, & eam habet vim, quam diximus. ſecundum baptiſma, ſpiritus, inquam, verè non eſt Sacramentum, neque eam vim habet, quam primum: nam, & ſi reatus culpæ tollitur, unde æquiualet baptiſmo prio-

A mo priori, non tamen neceſſe eſt, ut eo tollatur omnis pœnæ reatus; verùm, prout eſt in eo charitas, & contritio, & Sacramenti deſiderium. Nunc paucis agendum eſt de his, quæ neceſſaria ſunt ad efficiendum Sacramentum baptiſmatis; item, quæ ſunt de præcepto. quæ ſi omittantur, non propterea reddunt Sacramentum inefficax. item, quæ pertineant ad ſolennitatem baptiſmatis. Neceſſaria, ad efficiendum uerum baptiſmatis Sacramentum, eſt primum materia, aqua, ſcilicet, habens ſpeciem, & naturam aquæ; item, forma, quæ eſt à Chriſto inſtituta, & expreſſa in Euangelio ſecundum Matthæum. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. quare di-
B cendum eſt, Ego te baptizo, in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. Græci uerò, ut euitarent ſchiſma illud, de quo meminit Apoſtolus in prima ad Corinthios, Ego ſum Petri, &c. dicunt, Baptizatur ſeruus Chriſti, in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. nec dubitandum, quòd conferunt uerum baptiſma, quia maxime omnium primum, & præcipuum in baptiſmate eſt ſanctificatio, & conſecratio per inuocationem trinitatis. ſi Latinus hac forma vteretur, grauiſſimè eum peccaturum certò ſcio, quia negligeret ritum ſuæ Eccleſiæ. non auderem tamen dicere, quòd uerum baptiſma non conferret, & quòd is rebaptizandus eſſet. mutatio uerò in his uerbis, ſi fieret eà ratione, ut nouus error introduceretur, nulli dubium, quin Sacramentum cor-
C rumperet: non enim miniſter ſeruaret intentionem agendi id, quod agit Eccleſia. ſi uero recta eſſet intentio, & fieret mutatio, quæ non tolleret ſignificationem, qua per inuocationem trinitatis, conſecratur baptiſma iuxta fidem Eccleſiæ, vtique verum Sacramentum confert, ut in Decr. de conſecratione, diſtinct. 4. à Papa Zacharia ſcribitur. licet peccat ob incuriam, ſeu contemptum. dubitatio eſt, an, ſi quis baptizaretur in nomine Chriſti; ſicuti Apoſtoli leguntur baptiſma contuliſſe in Actibus apoſtolorum, uerè baptiſma ſuſciperet. Ambroſius in lib. de Sacramentis, cuius locum adducit Magiſter ſententiarum in quarto lib. videtur ſentire, quòd uere eſſet baptizatus. Scotus ibi dubitat. B. Thomas ſentit, quòd non uerè ille eſſet baptizatus, ni-
D ſi ex auctoritate Pelagij Papæ ad Gaudentium Epiſcopum, qui locus adducitur de conſecratione, diſtinct. 4. verùm, ſi diligenter animaduertat, is, quem Pelagus baptizatum in nomine Chriſti, præcipit rebaptizari, fuerat baptizatus ab hæreticis, in quibus fortaſſe non erat uera fides trinitatis. attamen Thomæ ſententia eſt tutior. Mutatio verborum ex ignorantia proferentis, uel balbutiei; quæ ſenſum non mutat, quod præcipue contingit, ſi in fine uerborum fiat, non reddit Sacramentum irritum. De miniſtro baptiſmatis ſupra diximus ſatis. illis addendum, quòd nec ſe ipſum quiſpiam baptizare poteſt, ut habetur extra de baptiſmo. nec niſi ab uno poteſt conferri baptiſma, non autem à plu-

ribus, de conſecratione, diſtinct. 4. nam, ſicuti unus eſt Chriſtus, cuius uirtute conſecratur baptiſma; ita unum oportet miniſtrum eſſe. eſt enim anadochus, ſiue ſuſceptor, qui baptizatus, & confirmatus eſſe debet, ea. diſtinct. cap. in baptiſmate, & unus ea. diſtinct. cap. non plures. licet nunc plures coadiutores ſumantur. dicitur, quòd Eccleſia Romana non eodem anadocho vtebatur in baptiſmate, catechiſmo, & chriſmate, ut habetur in Decr. diſtinc. 4. cap. in catechiſmo, vidi tamen, & re non ſeruari. De ſuſcipientibus autem baptiſma, ſupra diximus, quòd oportet voluntarie accedere ad baptiſma. Voluntarium uero tollitur, uel per ignorantiam, uel per coactionem; ideo dormientes adulti, aut amentes non debent baptizari, niſi in eis appareuerit, cum erant mentis compotes, voluntas ſuſcipiendi baptiſma. vt extra de Bapt. cap. maiores in fi. in paruulis ſufficit uoluntas offerentis, ut in Decr. diſtinct. 4. cap. illud, & extra de bapt. cap. maiores, hoc Innocentius tertius ſtatuit. coactio etiam, in qua nihil eſt voluntatis, tollit voluntarium, quod requiritur in baptiſmate. ſi uerò fuerit coactio mixta, de qua dicit Ariſtoteles in tertio Ethicorum, vt, ſi minis, & pœnis cogerentur, vtique, quamuis non recte id fieret, ſuſciperent tamen characterem baptiſmatis, & cogendi eſſent ad vitam chriſtianam, ut in Synodo Toletana decretum fuit, extra de baptiſmo. Immerſio una, uel trina eſt, ſecundum morem Eccleſiæ cuiuſque. Hæc ferè ſunt, quæ vt neceſſaria requiruntur in baptiſmatis Sacramento: quibus addimus multa, quæ ſunt præcepta, & quæ, ſi tamen non adſunt, propterea non reddunt Sacramentum irritum, & inane. Accedamus nunc ad ſolennem ritum Sacramenti huius. Quantum ad materiam Sacramenti huius, ſolet in templis Epiſcoporum, ac in aliis præcipuis, die Sabbati maioris hebdomadæ, vigilia, inquam, Paſchatis benedici aqua, magna cum ſolennitate; qua baptizandi ſunt, qui ad hoc Sacramentum accedunt; inſpergi etiam in ea oleum chriſmatis. hac aqua ita benedicta debent baptizari, qui ad baptiſma accedunt. hic ritus ſpectat ad ſolennitatem ſacramenti. Apud veteres patres noſtros mos erat, vt etiam in vigilia Pentecoſtes aqua baptiſmatis benediceretur; quoniam duobus his temporibus ſolebant catechumenos baptizare, adultos, inquam, quorum tum magna erat copia: quos etiam ante diebus viginti exorciſmis purgabant, & catechiſmis inſtruebant, ut habetur in Dec. de conſec. diſtin. 4. cap. ante viginti dies. quod ordinatum fuit ex conſilio Bracarenſi ſecundo, & Nicolai Papæ decreto. Iudæos uero etiam aliquot menſibus, ut habetur in Decr. de conſecr. diſtinct. 4. cap. Iudæi. quod ordinatum fuit ex concilio Agathenſi. Noſtra uero tempeſtate, qua pauci baptizantur adulti, ſed pleri ique omnes infantes, omiſſa eſt hæc benedictio baptiſmatis in vigilia Pentecoſtes: ſed in totum annum ſufficit aqua, quæ pridie Paſchatis eſt benedicta. quantùm uero ad reliquum ſolennitatis morem, notus eſt mos noſtræ Eccleſiæ, Romanæ inquam; nam anadochus ante fores templi, vice infantis reſpondet interroganti

presby-

A presbytero, ſe fidē petere, id eſt fidei Sacramentum, vngitur puellus dorſum
inter ſpátulas, & vngitur pectus oleo ad hoc munus ab Epiſcopo conſecrato,
in ſignū crucis, vt athleta, cui ſit in vita cum dæmone perpetua lucta. ſal etiā,
ſapientiæ ſimulachrum, ori eius imponitur. Leguntur exorciſmi, & inſuffla-
tur dæmon. leguntur catechiſmi, quibus in fide chriſtiana inſtruitur. nares, &
aures liniuntur ſaliua, ut aperiantur ad audiendum, & odorem percipiēdum
fidei Chriſti. Profitetur ſymbolum fidei. interroganti ſacerdoti, petit baptiza
ri: baptizatur trina immerſione. in verticem vngitur oleo chriſmatis. indui-
tur deinde veſte cādida. Dionyſius in libro de Eccleſiaſtica hierarchia ritum
deſcribit huius Sacramenti, quod & baptiſmatis, & illuminationis appellat,
B quem puto etiam noſtris temporibus ferè à Græcis ſeruari. verùm in adul-
torum baptiſmate ſeruari ille ritus vniuerſus poteſt, non item in baptiſmate
paruulorum. adultus ibi adit hominem Chriſtianum, qui anadochus eius ſit,
id eſt veluti pronubus, is baptizandū petentē baptizari ducit ad Epiſcopum,
cōuenit clerus, nomē baptizādi deſcribitur, pſalmi cantantur in exorciſmis.
verſus ille, baptiſma petens inquā, ad occidentē, renunciat contrariis poteſta
tibus, deinde verſus ad orientem expanſis in cœlum manibus, & Chriſti par-
ticipem ſe eſſe, & ſacrarum diuinitus traditarū benedictionū profitetur. Ter
hoc facit. ſemiexutus vngitur ab Epiſcopo ter ſigno crucis, deinde totus ex-
utus à reliquo clero ducitur ad baptiſmatis fontē ab Epiſcopo conſecratum,
ter immergitur, ac emergit ſub inuocatione trinitatis. induitur clara veſte.
C vngitur poſtremò ab Epiſcopo, ac ſacræ euchariſtiæ fit particeps. Hunc ritū
Græci etiam in infantibus ſeruant, ob dictum Euangelij ſecundum Ioan. c. 6.
Niſi manducaueritis &c. non habebitis vitā in vobis. Verùm, vt inquit Augu
ſtinus, ille manducat, qui fit particeps corporis Chriſti, cui inſeritur per ba-
ptiſma. Omnē totius huius ritus interpretationē, & myſteria præclare Dio-
nyſius exponit. Nos hic lōgiores eſſe nolumus, quàm poſtulet ratio inſtituti
à nobis operis. Hoc tantū dicemus, ritum hunc parū à noſtro differre, immò
noſtrum huius imaginem valdem ſimilem eſſe. Horū vtroq; manifeſte ſigni
ficatur prioris hominis, quē cōtraximus ex Adam, mortificatio, ac veluti ſe-
pultura; ac noui hominis regeneratio ſeu reſurrectio, qualis fuit Chriſti, in
quo baptizamur. Quamobrē Dionyſius trinā illā immerſionem, ac emerſio-
D nem potius ſignū eſſe vult triduanæ domini ſepulturæ, quàm triū diuinarum
perſonarū. Inquit Apoſt. ad Rom. c. 6 quicunq; baptizati ſumus, in mortē ip
ſius baptizati ſumus, cōſepulti enim ſumus cū Chriſto in baptiſmo, ut in no-
uitate uitæ ambulemus. Circa quæſtionē illā, de pueris exiſtentibus in utero
matris, ibiq; mortuis, utrū ſit pro eis orādū, & ſperādū, quòd futuri ſint Chri-
ſti participes: ſicuti nō negamus Dei potentiā, & miſericordiā, quòd interdū
cōtulerit, & nūc cōferat rē Sacramēti ſine Sacramēto: ita putamus, quòd affe-
rere illis pueris tribui à Deo gratiā ob noſtras preces, & quòd plures eorū ſa-
lutē cōſequantur, nō cōſentiat ſanctorū doctrinæ, & catholicæ ueritati. De pue
ris, cui nōdum toti egreſſi uterum matris baptizātur, ſi caput egreſſum bapti
zatur, credimus quòd uere ſint baptizati, neque iterandum eſſe baptiſma, ut

 B. Tho-

B. Thomas dicit in tertia parte. q. 66. loquens de baptiſmo paruulorum. ſi aliud membrum præter caput egreſſum baptizetur, non credimus uerè baptizatum puerum fuiſſe: quare ſi vixerit, rebaptizatur. iudicium tamen certum Dei eſt. Reliquum eſt, ut pauca quædam perſtringamus de Circuncisione, & de baptiſmate Ioannis Baptiſtæ: quo etiam dominus noſter uoluit baptizari. præceſſerunt baptiſmatis Sacramentum, quod Chriſti eſt, à quocunque miniſtro tradatur, prius Circuncisio, quæ primum Abrahæ data fuit veluti ſignaculum iuſtitiæ, quæ ei data erat per fidem, ut dicit Apoſtolus ad Rom. cap. quarto. quæ proportione quadam reſpondebat baptiſmati. licet baptiſma ſit cauſa, ut inſtrumentum inuiſibilis gratiæ; illa uerò tantum ſignum; & hoc præſtet ampliorem gratiam, quàm illa. Verùm utrunque pertinet ad abolitionem peccati originalis, & ſunt utraque profesſiones fidei, ac per utrunque ſuſcipientes in cœtum fidelium aptantur. Quare non abſque ratione, expoliatio partis illius eſt in membro; in quo præcipue regnat concupiſcibilis vis, omnium maxime infecta, & corrupta peccato originali, ut ſcilicet ſignificaretur expoliatio corporis peccati, ut inquit Paulus ad Coloſſ. cap. 2. in eo etiam membro tanquam generationis principio, totus homo continetur; mas inquam, & fœmina. Ambroſius in epiſtola ad Conſtantium aliam præter ea cauſam affert. Nam, quoniam pretium noſtrum, quo à ſeruitute Diaboli, & peccati redimendi eramus, futurum erat ſanguis Chriſti, ideo ſanguinis effuſio ante Chriſtum exigebatur, ſaltem ut ſignum quoddam ſanguinis effundendi. ante Circuncisionem uerò, non eſt dubitandum à Deo humano generi datum fuiſſe remedium aliquod ad peccati originalis remisſionem. Multi Theologorum putant fidem parentum ſatis fuiſſe. attamen, quoniam ea fide omnes infantes poterant eſſe ſalutis compotes, cum nunc defectu baptiſmatis multi pereant, eorum conditio uidetur per Chriſtum peior facta fuiſſe, quàm fuerat futura, ſi Chriſtus adhuc natus non fuiſſet; ideo ſententia Durandi mihi non diſplicet, qui putat priores ſeniores, ac etiam Abraham, quodam vſos fuiſſe ſigno ſenſibili, Deo inſpirante, ſeu orationibus quibuſdam, quo infantes Deo conſecrabantur, & in cœtum fidelium adſcribebantur. Hugo de S. Victore docuit Durandum. Auguſtinus libro 15. de Trinitate. cap. 16. in dubio hanc rem ponit. nam idem dicit in libro de Sacramentis. Hæc de Circuncisione. Ioãnes Baptiſta, qui miſſus à Deo fuerat ante Chriſtum in ſpiritu, & uirtute Heliæ, Deo inſpirante baptiſma inſtituit in pœnitentiam peccatorũ, nõ autem in remisſionem, & in abolitionem; quo & Chriſtus baptizatus fuit, ut aquas ſui corporis tactu ſignificaret ad baptiſma. ſimul etiam ea ratione fuit inſtitutum à Ioanne Baptiſta, ut eò accedentibus prædicaret Chriſtum, à quo accepturi eſſent ſpiritum ſanctum, & remisſionem peccatorum, quam debet in adultis, (vt ſupra diximus) præcedere pœnitentia, ideo profitebatur Ioannes ſe baptizare in aqua, in medio uerò ipſorum ſtare eũ, qui baptizaturus erat in ſpiritu ſancto. Vnde etiã hoc baptiſma, eſt appellatum Ioannis baptiſma, quãuis à Deo fuiſſet inſtitutũ, quoniã nihil maius eo conferebatur, quàm id, quod eſt hominis, non Dei, prouocatio, ſcilicet ad pœniten-

A nitentiam. Acceſsit Chriſtus ad Ioannis baptiſma præter alias cauſas, ut aquam tactu corporis ſanctiſsimi ſanctificaret, ut earũ immerſione conſequerentur homines remiſsionem peccatorum, & ſanctificationem, quam Ioannis Baptiſtæ baptiſma conferre non poterat. hoc baptiſma Chriſti à quocunque miniſtro detur, etiam peſsimo, & impiiſsimo, eſt efficax, ipſe nanque baptizat. Hæc inſtitutio fuit baptiſmatis Chriſti, vnde in Euangelio Ioannis cap. 4. legimus, quòd diſcipuli Chriſti baptizabant, & plures quàm Ioannes. Præceptum uerò datum Apoſtolis fuit poſt reſurrectionem, cum eis dixit, euntes baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.

B *De Sacramento Confirmationis.* CAP. II.

EMITATVR, quemadmodum ſopra diximus, gratiæ, & vitæ Chriſtianæ progreſſus, naturæ rerum progreſsionem, quæ genitum animal, & in lucem editum infirmum adhuc, & imbecille prouehit ad firmiorem ſtatum, in quo & per ſe gradiri poſsit, nec egeat fulcimento alio. item poſtquàm quiſpiam à mortuis reſurrexit in lucem Chriſtianæ vitæ, ac per baptiſma renatus in hominem ſpiritualem, adhuc infirmis viribus, & imbecillis, quaſi intra vterum matris Eccleſiæ cuſtoditur quouſque creſcat, & fiat firmior; quam firmitatem accipit melius, & vtilius per Chriſtiana Sacramenta; ideo baptiſmati ſuccedit confirmationis Sacramentum, quo præſte-
C tur ſpiritualis vigor, & robur; quòd nec erubeſcentia, nec timor vllus vincat, quin palàm profiteatur nomen Chriſti. huius inſtitutio ſacramenti, excellentior fuit, ſigno magis myſtico, quàm id ſit, quo nunc Eccleſia vtitur. Nã quinquageſima poſt Paſcha die miſſus, ac datus à Chriſto fuit Apoſtolis, & diſcipulis omnibus exiſtentibus Hieroſolymis, facto vehementi ſpiritu, & linguis flammeis apparentibus Spiritus Sanctus; quo roborati cœpere palàm prædicare omnibus Euangelium, & fidem, quæ eſt per Ieſum Chriſtum, in Deum. à quo ſpiritu docta Eccleſia ex traditione Apoſtolorum materiam huic Sacramento accommodauit, (non enim decet diuinam ſapientiam ut ſemper, & ubique miracula faciat) qua maximè, & igneæ linguæ, & ſonus ſpiritus ſignificaretur. Nam oleo oliuarum, quod proprie eſt oleum, immi-
D ſcuit balſamum, ac benedictione Epiſcopi conſecrauit, quo frontes accedentium vngerentur; oleum enim & facile accendi poteſt, & mutari in ignem; item innato quodam ſplendore, & claritate lumen imitatur; balſamum uero odorem fragrantem emittit, & à putredine præſeruat; quo, ſono illi ſpiritus vehementis proportione quadam reſpondet. Materia hæc ab Epiſcopo benedicitur, quod neceſſarium eſt in hoc Sacramento; nõ item in baptiſmate, cuius materia aqua, ſcilicet, ſanctificata fuit tactu corporis Chriſti in Iordane. Materia hæc conuenit maxime vnctioni, vnctio uero ſanctificationi per ſpiritum ſanctum, vnde ſæpe in ſacris literis inuenitur hic vnctionis modus, ut in act. Apoſtolorum cap. primo: Quem Deus vnxit ſpiritu ſancto. vnde Chriſtus quaſi vnctus, & Chriſtiani ſunt appellati. cum ergo hoc Sa-

cramento conferatur Spiritus Sanctus, id eſt quædam amplior ipſius gratia, E
iure vnctione conficitur, & materiam ſumpſit vnctioni accommodam. miniſter uero conſecrationis olei,ſeu chriſmatis huius,eſt Epiſcopus,qui quinta feria maioris hebdomadæ, nudius quartus, inquam, ante Paſcha, magna ſolennitate conſecrat ſanctum chriſma. Dionyſius in libro de Eccleſiaſtica hierarchia præclare tractat uniuerſum eum ritum, ſimulque arcanos ſenſus exponit. Item miniſter Sacramenti huius, de quo agimus, confirmationis, ſcilicet, eſt Epiſcopus, qui in Eccleſia eſt princeps. nam cum hoc Sacramento conſtituantur accedentes, in ſtatu perfectiori Chriſtiani populi, vtique hoc iure ſpectare uidetur ad Chriſtiani populi præſides. nihilominus ut habetur, ex iuſſu Pontificis etiam presbyter poteſt hoc Sacramentum conferre: non poſſet tamen alii hoc committere, quàm presbytero, cuius officium F
eſt in hac Eccleſiaſtica hierarchia illuminare, quod fit per gratiam, quæ traditur Sacramentis. Hæc Thomas tertia. quæſt.72.art.2. Quamobrem ſequi reor, hanc poteſtatem mediam eſſe inter poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis. nam quia committi poteſt non Epiſcopo, uidetur iuriſdictionis eſſe; quia uero non cuicunque clerico committi poteſt præterquam ſacerdoti, uideri iure poteſt eſſe ordinis poteſtas. Hæc de miniſtro. Forma uero Sacramenti huius, huiuſmodi eſt, ſigno te Ioannes, ſeu Maria, ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine patris, & filii,& ſpiritus ſancti. horum, neutrum eſt Sacramentum, ſicuti diximus de baptiſmate, ſed quemadmodum ibi ablutio eſt baptiſmatis Sacramentum, non aqua, aut G
uerba; ita in confirmatione iniunctio eſt Sacramentum, & confirmatio; indigemus tamen & materia, de qua iam dictum eſt, & certa ea uerborum forma. in fronte uerò fit hæc vnctio, ut ſignificetur palàm, & coràm omnibus nullo pudore vetante, nulla formidine, datum illi eſſe hac vnctione, ut nomen Chriſti confiteatur, ubi ſcilicet oportet,& quando oporteat, cæteriſque ſeruatis circunſtantijs, quæ requiruntur ad ſeruanda præcepta affirmatiua. Accedentes ad hoc Sacramentum neceſſe eſt, ut ſint abluti baptiſmate, ſecus nihil acciperent; nam potentia, qua quis poteſt capere Eccleſiæ Sacramenta,traditur in baptiſmate,neque quiſpiam capit id, cuius capiendi potentiam non habet. ſi fuerit infans, ſufficit, ſi fuerit baptizatus; quòd ſi adultus acceſſerit, requiritur inſuper, ut ſit confeſſus, ſi inquam fuerit ſibi conſcius H
alicuius culpæ mortalis.nam cum hoc Sacramento tribuatur accedenti amplior menſura Spiritus Sancti, is vtique effugit fictum, neque habitat in anima ſubdita peccatis.In hoc Sacramento,item,eſt anadochus,qui ſuſtineat cõfirmãdum,quoniam adhuc imbecillis eſt, & infirmus, ideo eget fulcimento, cum quo contrahitur ſpiritualis cognatio ſicuti in baptiſmate. verum,de hac cognatione la e differemus in tractatu de Sacramento matrimonij. B. Thomas tertia.q.72.ar.8. putat hoc Sacramentum tribui debere etiã ualde infantibus,quia ampliorem gratiam conſequuntur, & ideo ampliorem gloriam ſi deceſſerint. quẽ morẽ etiã nos ſeruauimus,tanti viri auctoritate nixi. verùm, ſi maior eſſet habenda ratio Sacramenti, viſibilis ſcilicet ſigni, ſicuti renaſci

non

A non poteſt, qui non natus, ita etiam, qui natura non eſt factus paulo firmior,
non uideretur congrue accedere ad firmitatis, & roboris ſpiritualis Sacra-
mentum; gratia nanque & perficit naturam, & eãdem habet progresſionem.
Hæc nobis notaſſe ſufficiat, peritiores ſtatuere uerum poterunt, & melius di-
iudicare. Anadochus præterea in hoc Sacramento locum habet, qui ueluti
infirmum adhuc, & imbecillem ſuſtinet confirmandum. cum hoc etiam con
trahitur ſpiritualis cognatio, ut infra dicemus. Vſus Romanæ Eccleſiæ fuit,
ut patet in Decr. de conſecr. diſt. 4. c. in catechiſmo, ne idem eſſet anadochus
in hoc Sacramento, & in baptiſmate, neque etiam in catechiſmo. mos ille nõ
ſeruatur in pluribus Eccleſiis. Hoc Sacramento largitas quædam amplior
B gratiæ datur, & maioris ſanctificationis. datur item ſacramentalis gratia illa,
in remedium imbecillitatis animi, ad confesſionem Chriſtianæ fidei; confer
tur item conſecratio, & character, quo ſtatuitur in ordine perfectiorum, &
ueluti adultorum in populo Chriſtiano. Sacramentum hoc eſt baptiſmate
perfectius, ueluti inchoatione rei, ipſius perfectio, ut habetur diſtin. v. c. de
his uerò, Melchiade Papa auctore. neque iterum aſſumi poteſt hoc Sacramen
tum, ſicuti nec baptiſma, eò quòd conſecratio in ipſo conſeratur, & chara-
cter imprimatur. Hæc de Confirmatione ſint ſatis.

De Sacramento Euchariſtiæ. CAP. III.

C INSTITVTVM naturæ progreſſum nulla in parte deſerentes in ſpi
rituali vita, donec mortalis fuerit, & in carne peccati conſtituta, in-
digemus etiã, poſtquam robur adepti ſumus, nutrimento, & ſomen
to, ne ad carnis deſideria defluamus; quemadmodũ in hac à natura nobis præ
ſtita vita indigemus nutrimento, cibo, inquam, & potu, quo ſi diutius carue-
rimus, tendimus in corruptionem, & interitum. hoc nutrimentum, quam-
uis & frequens meditatio, & oratio, cæteraq; id genus nobis præſtent, oppor
tuit tamen inſtitutum à Chriſto in Eccleſia Sacramentum, id eſt ſenſibilem
rem, quæ arcanum hoc, & myſticum contineret. non defuit hac in parte Ec-
cleſiæ ſuæ diuina bonitas. quamobrem in poſtrema cœna dominus noſter Ie
ſus Chriſtus hoc Sacramẽtum omnium præcipuum reliquit Apoſtolis, & in
D ſui memoriam præcepit celebrari. hoc Euchariſtiæ Sacramentum ſicuti lon
gè omnium maximum, & excellentisſimum eſt, ita in multis differt à cæteris
Sacramentis. Cætera nanque Sacramenta continent gratiam imperfectè, ut
inſtrumenta, ſicuti diximus in priori libro; hoc uerò continet cuiuſcunq; gra
tiæ fontẽ, Chriſtum, inquã Deũ, à quo omnis gratia, & hominẽ, qui nobis om
nẽ gratiã meruit, & per quẽ omnẽ gratiã cõſequimur. itẽ differt ab aliis, quo-
niã alia perficiũtur in vſu materiæ, ſicuti, baptiſma ablutione, cõfirmatio vn-
ctione, non autẽ in eius benedictione, ſeu conſecratione; hoc uerò Sacramen
tum conficitur in conſecratione materiæ. Præterea differt ab aliis, quoniam
omnia alia, ſicut vtuntur enunciatiua oratione, ita diſpenſat ſacerdos, ut ipſe
perſonam miniſtri gerens ea cõficiat; in hoc uerò ſacerdos inquit perſonam

Chriſti, & uerba conſecrantia profert ut Chriſtus: quo fit, ut Sacramentum E
hoc conficiatur uerbo Saluatoris, nō uerbo ſacerdotis, ut inquit Ambroſius.
Sub hoc Sacramento duplex latet myſterium, ſeu duplex res Sacramenti, ut
poſteriorum more loquamur. Altera in Sacramento continetur, uerum, ſcili
cet, corpus, & ſanguis Chriſti. Altera uerò ſignificatur, & non continetur,
myſticum, ſcilicet corpus Chriſti, id eſt, fidelium Eccleſia. materia eius eſt
panis triticeus, & vinum, quæ naturali ſpecie ſignificant nutrimētum. Com-
munius nāque, & magis neceſſarium nutrimentum hominis conſtat pane, ac
vino; pane inquā triticeo, & uino ex uuis expreſſo. nam quæcunque alia gene
ra panis, & uini per quandam horum ſimilitudinem, & proportionem dicun
tur panes, & uina, primò uerò, & proprie triticeus panis eſt, & vueus humor, F
uinum. Hæc eſt propria huius Sacramenti materia, adeo, ut ex aliis confici
non poſſit. Et quamuis eſſe uideantur duæ rerum ſpecies, ex his tamen con-
ficitur, ueluti ex partibus completum nutrimentum: ſic in ſpirituali nutri-
mento Sacramentum unum eſt, quod perficitur ex duabus partibus, pane ſci
licet & uino, quibus Chriſtus, prout paſſus eſt, continetur, & nobis ſignifi-
catur. quo fit, ut grauisſimè peccaret ſacerdos, qui panem abſque uino, aut
uinum abſque pane conſecraret. De vſu uerò, an bene in Eccleſiam Roma-
nam inductus fuerit hic vſus, ut, ſcilicet, populo ſub una tantum ſpecie, panis
ſcilicet, diſpenſetur, quæſtio eſt; de qua infrà dicemus. vino aqua miſceri de-
bet, quamuis etiam ſi non miſceretur, conficeretur nihilominus Sacramen-
tum. ideo miſcetur, quia aqua populum Dei ſignificat, iuxta illud. Aquæ G
multæ, Populi multi. & quoniam in hoc Sacramento ſignificatio eſt Chri-
ſtianæ Eccleſiæ, quæ Chriſto capiti coniuncta eſt, & in ipſum mutata, iccir-
co parum ponimus aquæ, ut vi ipſius uini poſſit in uinum commutari. Hæc
de materia Sacramenti. Forma in uerbis eſt, quæ proferuntur à ſacerdote,
ſcilicet, hoc eſt enim corpus meum; hic calix eſt ſanguinis mei, noui & æter-
ni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro uobis, & pro multis effundetur in re-
miſſionem peccatorum. Dubitant Theologi, an uerba hæc omnia ſint neceſ
ſaria ad confectionem Sacramenti. Scotus putat non tantum hæc, ſed etiam,
qui præcedunt, ut accipite, & manducate, item, accipite, & bibite, eſſe ſumma
cum attentione proferenda; nam neſcire nos, quibus uerbis propriè fiat con-
ſecratio, & in corpus Chriſti mutatio. Theologi alii item præcipiunt om- H
nia eſſe attente, & magna cum ueneratione proferenda, uerùm uerba conſe-
crationis propria dicunt eſſe in pane; hoc eſt enim corpus meum; quamuis,
ſi quis præteriret particulam, enim; non tamen propterea non conficeret. de
uerbis in conſecratione calicis eſt etiam controuerſia. Verùm aſſentiendum
puto ſententiæ Thomæ, qui ſentit omnia eſſe neceſſaria, quoniam inuenimus
in Euangelio prolata fuiſſe à Chriſto in inſtitutione huius ſanctisſimi Sacra-
menti, præter ea, quæ, ut dicit Innocentius tertius extra de celeb. miſſa. Ec-
cleſia per manus tradita ab Apoſtolis accepit, ſcilicet, æterni teſtamēti, item,
myſterium fidei; item, hic calix eſt ſanguinis mei, non autem hic eſt ſanguis
meus; neque, hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo. hoc poſtre-
mum

A mum conſignificat vſum illius ſanguinis,vtpote,quem bibituri ſumus.cætera explicant planius ſenſum verborum. Teſtamentum nanque hoc, ad quod pertinemus per Chriſtum, nouum eſt,& in æternis rebus conſumatur,ut inquit Apoſtolus Paulus in Epiſtola ad Hebræos. c.8.in hoc etiam ſanguine eſt myſterium fidei,id eſt,arcanum,quo innititur fides.nam,ut item inquit Paulus, ad Romanos capite tertio, per fidem in ſanguine eius conſtituit eum Deus propitiatorem. Antequam ad miniſtrum huius Sacramenti, & ſuſcipientes, aliumque ritum accedamus, ſoluendæ nobis ſunt quædam perdifficiles quæſtiones. Prima eſt de vi horum verborum. item an ſint enunciationes, quæ prius deſinant eſſe, quàm ibi ſub ſpecie panis ſit corpus Chriſti, &
B ſub ſpecie vini, ſanguis. eſt præterea maxima quæſtio, quo'nam pacto corpus Chriſti,quod credimus aſcendiſſe ſupra cœlos, ſit ſub paruo panis fruſto, aut in paucis vini guttis. eſt præterea quæſtio de accidentibus,quæ ſentimus, eorumque actionibus. item modus, quo Chriſtus magnus homo ſub eo Sacramento contineatur, ſatis ab hominis intellectu comprehendi poſſe non uidetur. Antequàm perſcrutemur vim verborum, quibus fit conſecratio, & quomodo uera ſint, quæ dicuntur, erigenda mens eſt, & cogitandum auguſtius quoddam,& amplius hóc Sacramento contineri,& confici; ideo excellentiori quadam vi opus eſſe. Sacerdos nō miniſtri perſonam, ſed vices Chriſti ſibi ſumit: neque materia vtitur præter eam, in quam agit, non qua,aliud quippiam agit, ut in aliis Sacramentis, ſed verbis tantùm perficit conſecra-
C tionem. quæ uerba ratione ſignificati efficiunt ex pane corpus Chriſti, & ex vino ſanguinem. neque proferuntur à ſacerdote enunciationis modo, quaſi recitentur à Chriſto dicta: ſed, ſicuti ars in artifice, quæ forma eſt rei faciendæ, in materia formam effingit: ita in his uerbis ſignificatum, quo ſignificatur contentum ſub illis accidentibus eſſe corpus Chriſti; ex pane efficit corpus Chriſti,nec ſignificat, quòd fiat corpus Chriſti; hoc nanque quædam eſſet ſignificatio rei inchoatæ,non perfectæ; ſed quòd ſit, quod eſt ſignificatum rei iam perfectæ. etenim par fuit, ut in uerbis Chriſti perfectius ſit res Sacramenti, quæ fit eius uerbis, quàm in uerbis miniſtri: iccirco magna de cauſa factum eſt, ut in ſolius huius Sacramenti conſecratione, hæc forma locutionis adhibita ſit,qua explicetur rem eſſe,quæ eius vi fiat. Accepit Eccleſia ver-
D ba hæc à Chriſto, & verbo eius cōficitur hoc Sacramentum. veriſſima etiam eſt hæc enunciatio, nam perfecte ſignificatio enunciationis non eſt expreſſa, niſi in ultimo momento, & cum ſignificando efficiat in ultimo momento, illud eſt corpus Chriſti,antea uerò,ſemper fuit panis. Nolo nunc eam aggredi quæſtionem Ariſtotelicam de primo & ultimo momento rei permanentis;de qua agitur in octauo libro Phyſicorum; nam non multum facit ad erudiendum Epiſcopum; ſatis ſit nobis hoc uerum eſſe,& Ariſtoteli conſonum, in toto præcedenti, ac priori tempore ibi panem eſſe, in ultimo momento, non eſſe panem, ſed corpus Chriſti. Secunda uerò longe difficillima quæſtio eſt de modo, quo Chriſtus, ſeu corpus Chriſti, cum prius non fuerit ſub illis accidentibus,tunc primum incipiat eſſe. Omnes Theologi conueniunt, licet

non

non ſit proditum in ſacris literis, rationis tamen ductum ſequentes, quod fie E
ri illud non queat motu locali, ſed mutatione quadam ſubſtantiæ panis in
corpus Chriſti, quam appellant Tranſſubſtantiationem. hoc item ſtatutum
fuit in concilio generali ſub Innocentio tertio. Res certe hominis captum
ſuperat. uerùm obſequendum eſt, & obediendum fidei; ſummittendusque
intellectus diuinæ auctoritati, & ſententiæ Eccleſiæ. Hæc mutatio, ut inquit
Thomas, conuenit partim cum creatione, & naturali mutatione, partim dif-
fert ab alterutra, partim ab utraque. nam conueniunt tres hæ, quas diximus,
factiones in ordine extremorum, ut, ſcilicet, unum ſit poſt alterum, nec ſimul
eſſe queunt, ſic in creatione eſt ens, poſt non ens, neque ſimul eſſe queunt. quî
enim fieri poteſt, ut idem ſit ens, & non ens, ſic neque album, & nigrum ſi- F
mul; ita poſtremò nec panis, & corpus Chriſti, ſed ob prioris, & poſterioris
ordinem, dici poteſt ex non ente, ens; ex albo nigrum; ex pane fieri corpus
Chriſti; differunt uerò quod in creatione, non ens, non mutatur in ens, ne-
que fit ens. in naturali mutatione, album mutatur in nigrum, ratione ſubie-
cti, quod prius erat ſub albedine, poſtea uerò ſub nigredine, non tamen albe-
do, fit nigredo. in hac uerò, quam dicimus, mutatione, tota ſubſtantia panis,
materia, inquam, & forma conſtans mutatur, & tranſit in corpus Chriſti. ſi
quæras quomodo hoc fiat, reſpondebo uerbo creatoris, diuina uirtute. ſi
item quæras, qua nam ratione intelligere queam totam ſubſtantiam, rem;
ſcilicet, exiſtentem poſſe mutari in rem aliam exiſtentem, fatebor ingenue
me non intelligere, qua ratione queat fieri, & fiat; nihilominus certiſſi- G
mum mihi eſſe, quòd fiat. an uideor fortaſſe tibi rem miram dixiſſe: expe-
dita res eſt, facilis eſt. innumera ſunt, quæ natura fiunt, quorum ego ratio-
nem, uel minima ex parte attingere non queam; nihilominus ſenſu perci-
pio, neque dubitare poſſum, quin fiant. cur ergo miraris, ſi paruus, & ui-
lis homuncio, rei factæ diuinitus rationem intelligere non poteſt. Redea-
mus ad rem noſtram. Conuenit hæc tranſſubſtantiatio cùm creatione, quia
in neutra ſubiectum aliquod eſt; differt tamen, quia, ut dixi, terminus à quo,
panis, inquam, mutatur in Corpus Chriſti, in ea neutiquam, non ens, mu-
tatur in ens, creatio nanque, non eſt mutatio, ſed ſimplex quædam emana-
tio rei à prima cauſa; uerùm cum mutatione naturali conuenit, quòd in utra-
que aliquid idem remanet, & conſtat ſub utroque termino. id in mutatione H
naturali eſt ſubiectum. in hac uerò tranſſubſtantiatione ſunt accidentia, quæ
remanent. Hæc ſatis ſint dicta de quæſtione ſecunda à nobis propoſita, in
quibus conueniunt omnes Theologi poſteriores. illi uerò, qui exiſtimant in
Sacramento ſanctiſſimo hoc, non eſſe corpus Chriſti uerum, ſed eſſe illum
uerum panem, & ſignum corporis Chriſti ueri, Hæretici habendi ſunt. Hanc
hæreſim, ut habetur in Decretis, Berengarius excitauit, qui poſtea eam ab-
iurauit. Zuinglius autem noſtris temporibus, quibus prodeunt omnia mon-
ſtra, inſtaurauit; quam ſequuntur Sacramentarij in Germania. alia quædam
etiam hæreſis in hoc Sacramento, à Luthero fuit excitata, quæ tamen nunc
mihi uidetur ſopita. Nam dicebat in Sacramento altaris eſſe uerum corpus

A Chriſti,& ſanguinem, ſimulque eſſe ſubſtantiam panis, & vini. Verùm vtraque hæreſis confutatur verbis Chriſti, nam inquit Chriſtus, hoc eſt corpus meum,quod pro vobis datur,hic eſt ſanguis meus,qui pro vobis,& pro multis effundetur. Tu dicis ſacramentarie,ibi eſſe ſignum corporis ueri, at Chriſtus dixit, hoc eſſe corpus ſuum, non ſignum corporis, ſed corpus, & verum corpus, vtpote,id,quod pro nobis tradetur,ſeu datur,ſeu frangitur. Quid expresſius dici potuit Hæretice? pari pacto, hic eſt ſanguis, & uerus ſanguis, is ſcilicet, qui pro multis effundetur. quis tam cæcus, qui tam illuſtrem rem non uideat? is tantum,quem ambitio,ſuperbia,fraternum odium excæcauit. Tu uerò Luthere inſpice,an verba Chriſti tuam ſententiam refellant. Putas
B tu ibi eſſe uerum panem, ſicuti erat ante conſecrationem. Poſtmodum, quia à nobis comprehendi non poteſt modus,quo incipiat ibi eſſe corpus Chriſti, ſi diceres incipere ibi eſſe corpus Chriſti, modo, quem non capis, laudarem. ſi item diceres,te non intelligere tranſſubſtantiationem illam,quam uidebaris irridere, quamuis infinitæ eſſet audaciæ irridere tot Theologorum, & totius Eccleſiæ ſenſum, propterea quòd non intelligeres, rogarem, ut non ita audacter reprobares ea, quæ non intelligis. at cum dicas ibi eſſe ſubſtantiam panis,& eum panem,qui prius erat,intolerabile eſt.Nam verbis Chriſti contradicis. non dixit Chriſtus, hic eſt corpus meum, ſed hoc eſt corpus meum. hoc ea,ſcilicet,ſubſtantia,id indiuiduum,quod ſub eis accidentibus demonſtratur, eſt corpus meum. ecce, quàm perſpicue Chriſtus hoc explicet, adeo,
C ut nulli dubium eſſe queat. ſubmittendus eſt faſtus, curuanda ceruix. ut obediamus fidei, vt in verbis veritatis nullam ſuſpicemur eſſe poſſe falſitatem. Sequitur non minus priori difficilis quæſtio de accidentibus, quæ ibi eſſe, & remanere ſenſu percipimus, an ſcilicet quemadmodum erāt in pane, tanquā in ſubiecto,ita ſint in corpore Chriſti,adeo ut Chriſtus eis afficiatur. vtiq; primò certisſimum ſit, & exploratisſimum corpus Chriſti non eſſe ſubiectum eorum accidentium, neq; accidētibus illis affici. abſit hoc à Chriſtiana mēte, non enim ſit adeo puſillus Chriſtus,neq; formam, figuram've hominis amittit.Ex hoc ſequitur nullam ſubſtantiam ſubiectam eſſe illis accidentibus. verùm animaduertendum eſt non eſſe eandem rationem omnium illorum accidentium,nam quantitas proculdubio ſubiectum eſt figuræ albedinis, ſapo-
D ris, odoris, omniumque aliorum, quippe, quæ ſubſtantiæ ineſſe non queunt, niſi media quantitate. in hiſce igitur nullum eſt mirum: ſed omne quod mirari iure poſſumus, redigitur ad quantitatem, quæ in hoc Sacramento per ſe eſt, & habet modum ſubſtantiæ. Mira res certe naturæ repugnans. veruntamen non eſt adeo aliena à rerū natura,quin multi Philoſophi(hi inquam,qui poſuerunt vacuū eſſe) imaginati ſint fieri hoc poſſe,ut quantitas per ſe ſit,nec inſit cuipiam ſubſtātiæ,immò nec ſit vllis qualitatibus ſenſibilibus affecta. id nanque vacuum eſt. cur ergo mirabimur Deum id facere, quod illi rerum naturæ ſcrutatores putarunt eſſe ſecundūm naturam. quantitas ergo habet eſſe per ſe, & modum ſubſtantiæ. nolo hoc in loco eam dubitationem tangere, an, ſcilicet,eſſe ſubſtantiæ panis, inquam,remaneat in quantitate illa,ut

inquit Thomas, qui ſenſit eſſe, ſeu exiſtere rei cuiuſcunque diſtingui ſecun- E
dum rem ab eſſentia:an potius,ut inquit Ioannes Scotus, non eſſe de ratione
accidẽtis,quod actu inſit ſubiecto, ſed quod ſit aptum natum ineſſe,quare nil
uideri poſſe impoſſibile, ſi quantitas non actu inſit cuipiam ſubiecto, cum
habeat tamen aptitudinem naturalem, qua ſit apta nata ineſſe ſubiecto. no-
lo,ut hanc quæſtionem diſcutiamus,quam ignorare ſine crimine vllo poteſt
Epiſcopus; nobis ſatis ſit, quòd diuina virtute quantitas illa per ſe ſit, nulli-
que inhæreat,ac propterea habeat modum ſubſtantiæ. De actionibus uerò &
paſſionibus,quas ſentimus in illis accidentibus, ſuppoſito eo, quod modo di
ximus,quantitatem,ſcilicet,habere modum ſubſtantiæ,& per ſe exiſtere,non
ſatis difficile eſt,intelligere,& quòd fiant & quòd fieri ſentiamus. de actioni- F
bus res perſpicua eſt, nam,cum ea quantitas habeat modum ſubſtantiæ, ex di
uina virtute, & affecta ſit accidẽtibus,quæ ſunt principia actionum,ut albedo
viſionis, odor olfactionis, ſiccitas exſiccandi; nil mirum ſi agat, nec mirum
ſi alteretur ab accidentibus contrariis.magis mirum eſt de eius corruptione,
& mutationem ſubſtantiam alteram, cum quantitas ſit forma ſimplex, res
autem generata ſit compoſita ex materia, & forma. Hoc in loco difficillimo,
& vix explicabili Innocentius 3. in libro de ſacrificio Miſſæ, quem ſequitur
Alexander de Ales, putauit ante corruptionem ſenſibilis Euchariſtiæ, & alte
rius ſubſtantiæ generationem,ex ea redire ſubſtantiam panis,& vini,ex cuius
poſtea corruptione alia ſubſtantia generetur.Sed hæc opinio à poſterioribus
reijcitur, Thoma,inquam,& Scoto, quia donec remanent ſpecies panis,& vi G
ni,ibi eſt corpus,& ſanguis Chriſti; ſi ergo eò redit ſubſtantia panis, ſimul ibi
eſſet ſubſtantia panis, & corpus Chriſti. ſi autem cum corruptæ ſunt ſpecies
ſacramentales,redit ſubſtantia panis;prætereundum quòd eſſet tunc abſq; pro-
priis accidentibus,ſimul etiam eſſet cum ſubſtãtia ex ea genita, quod eſſe ne-
quit. quidam noluerunt materiam tantum redire; de qua eadem dubitatio
conſurget, ac præter eam, alia, quòd materiam uidetur ponere eſſe ſine for-
ma aliqua. Thomas in tertia parte Summæ uidetur dicere,quòd quantitas ha
bet vicem materiæ, & quòd in ea ſuſcipitur forma generanda. hæc poſitio
multas habet quæſtiones, à quibus ſe ſatis explicare non poteſt. nam neſci-
mus, an ſemper menſura ſit quantitas illa pro materia in ſucceſſuris innume
ris generationibus,an aliquãdo pro ea ſit materia reuerſura.Scotus vult,quòd H
tota ſubſtantia redit genita,ſcilicet ex ſenſibili Euchariſtia. verũ nõ queo ego
intelligere, quo nam pacto tota ſubſtantia redeat; præſertim quæ nunquam
fuerit, niſi per creationem, quam tamen vitat: ideo fortaſſe minus eſſet in-
conueniens,ſi quis diceret,quantitatem,quæ non per ſe exiſtat,niſi quatenus
eſt quantitas panis, mutatis ſpeciebus, & accidentibus panis, cum vi conſe-
crationis amplius per ſe exiſtere nequeat, ſed tendat in non eſſe, mutari vi
diuina in ſubſtantiam rei generandæ modo propinquo illi, quo dixi ſubſtan-
tiam panis mutari in corpus Chriſti. omnia hæc mira: omnia ſupra captum
hominis ſunt. Poſtrema quæſtio eſt de modo, quo Chriſtus magnus homo,
& decorus ſupra filios hominum ſit ſub paruo panis fruſto; an fortaſſe con-

globa-

A globatus, & complicatus tam paruus efficitur. abſint hæc monſtra à ſanctiſſimo Chriſti corpore. immortalis in eo eſt decor, immortalis proceritas, cæteræque dotes illuſtriſsimi illius corporis. quid ergo inquies. quo'nam pacto ibi eſt? paucis expediam, ſi attentum te exhibueris. Diximus in pane vi conſecrationis mutari ſubſtantiam corporis Chriſti. primò igitur ſub accidentibus panis eſt ſubſtantia corporis Chriſti. ſubſtantia omnis per ſe, id eſt, ſua natura, non eſt diuiſibilis, ſed ob quantitatem fit diuiſibilis, perſpicuum eſt hoc cuiuis philoſopho. aduertas tamen nos eò, quòd diximus ſubſtantiam per ſe non eſſe diuiſibilem, noluiſſe tamen propterea dicere ſubſtantiam per ſe eſſe indiuiſibilem; hoc nanque longe aliud eſt à priore. id enim, quod per ſe eſt

B indiuiſibile, nequit fieri diuiſibile. cum ergo ſubſtantia non ſit diuiſibilis per ſe, & mutatio ſit per ſe, in ſubſtantiam, ideo ſub accidentibus illis ſubſtantia corporis Chriſti non eſt diuiſibiliter, ut ita dicam. verum in quauis particula panis, in qua fuerat ſubſtantia panis, vi conuerſionis, in ea eſt tota ſubſtantia corporis Chriſti, quæ nõ eſt indiuiſibilis in ſe, immò procera, & magna in loco, in quo eſt ratione ſuarum deſenſionum. at, cum in pane hoc non ſit ſecundum modum dimenſionum ſuarum, ſed ſecundùm modum ſubſtantiæ, non eſt hic diuiſibiliter, quãuis diuiſibilis ſit; immò omnis eius quantitas, & proceritas ſub accidentibus his eſt, & ſub qualibet eorum particula, non diuiſibiliter tamen, ſed per modum ſubſtantiæ, cuius affectæ ſunt, & comites; ſic eſt ibi anima Chriſti, ſanguis, diuinitas, quamuis ex vi conſecrationis non ſit

C niſi ſubſtantia corporis Chriſti. ille idem igitur Chriſtus, qui in cœlo eſt magnus, ac decorus præ filiis hominum, (eſt nanque ibi ſicuti in loco ratione ſuarum dimenſionum) ille idem, inquam, totus eſt in qualibet particula, ubi fuerat ſubſtantia panis, non eo modo, quo eſt in cœlo, ubi in loco eſt, ubi uideri poteſt, quia ratione ſuæ quantitatis ibi eſt, ſed ſecundum modum ſubſtantiæ, quæ non eſt diuiſibilis per ſe, cæteraque ibi ſunt tanquam affectæ ſubſtantiæ. quo fit, ut inquit B. Thomas, quòd Chriſti corpus, & ſanguis, prout ſunt in Sacramento panis, & vini, neque etiam ab oculo cuiuſpiam beati uideri poſſet. nam ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis, ſed ratione accidentium ſentitur, in Sacramento uerò per ſe eſt ſubſtantia, accidentia uerò ſequuntur ſubſtantiam, & ibi ſunt per modum ſubſtan-

D tiæ. Hæc noſtro operi inſtituto ſint ſatis de difficillimis quæſtionibus his. Nunc pauca quædam dicenda ſunt de miniſtro huius Sacramenti, & de accedentibus ad illud. miniſter ſacerdos eſt, qui habet characterem Chriſti, per conſecrationem Epiſcopi. is ſemper dummodo intendat conficere corpus, & ſanguinem Chriſti, conficiet, verba ea proferens, quæ diximus ſupra formam eſſe huius Sacramenti. Hæc de poteſtate ſint dicta. Verùm, ſi indigne conficiat conſcius ſibi mortalis culpæ, ad perniciem ſui conficiet. Item, ſi degradatus, aut excõmunicatus, ſeu ſuſpenſus irregularis've confecerit, ad interitum ſui conficiet. Item, ſi conſtitutus in hæreſi, aut ubi interdictum loco cuipiam fuerit ſacris, in caput ſuum conficiet. Oportet etiam, ut ſeruet ritum Eccleſiæ in conſecratione huius Sacramẽti, Miſſam celebrãdo. Accedẽtes ue

rò puros eſſe oportet ab omni mortifera culpa.nec audiendi ſunt illi,qui pu- E
tant poſſe differri confeſsionem peccatorum mortalium cum intentione, ac
propoſito confeſsionem faciendi,præſtituto ab Eccleſia tempore,etiã ſi nul-
la neceſsitas vrgeat,etiam ſi habuerint copiam ſacerdotis,cui poſsint confite
ri. purgandus eſt animus,habenda eſt à ſacerdote abſolutio, ne iudicium no-
bis manducemus, & bibamus, ut inquit Paulus Apoſtolus primæ Cor. c.vn-
decimo,ita dicunt omnes Theologi, quidquid imaginati ſint quidam iunio-
res. oportet etiam non eſſe excommunicatum, & eſſe ieiunum, qui accedit.
Vis huius Sacramenti eſt augere gratiã, & fouere,nõ dare nõ habenti, qui ſibi
ſit conſcius, immò perniciem illi affert. verùm, ſi quis non haberet gratiam,
quam habere ſe putat, & dum confidit venerationi,accedit, conſequitur gra- F
tiam, hoc tamen per accidens fit. valet etiam ad abolenda peccata venialia;,
ſaltem quoad culpam, nam actus ille fidei per charitatem operantis, culpam
venialium delictorum delet. præſtat etiam nobis robur ad peccata vitanda;
quatenus auget gratiam. non tamen inſtitutum fuit hoc Sacramentũ ad hoc
potiſsimum,ut peccatum deleat,ſed ut augeat gratiam, ac nutriat; ex qua ro-
bur præſtatur,non particulare quoddam,ut in chriſmatis vnctione,ad confeſ
ſionem,ſcilicet,fidei pertinens, ſed commune quoddam ad ſuſtinendam hu-
manam infirmitatem ne labatur, ſed hinc robur capiat.nullã cõſecrationem
confert hoc Sacramentum. nam,ut ſupra dixi, conficitur hoc Sacramentum
non vſu materiæ,ſed conſecratione, vſus uerò poſterior eſt, nec Sacramentũ
eſt,ſed vſus Sacramẽti,quo nutritur,& fouetur ſpiritualis uita. quo fit,ut præ G
ſupponat in accedente vitam. Cum etiam ſignificet corpus myſticum Chri-
ſti, id eſt, Eccleſiam, ſupponit quoque accedentem eſſe in Eccleſia non ab ea
excommunicatum.is ergo,qui ſibi eſt conſcius mortalis culpæ, ſeu excõmu-
nicationis affingit falſitatem Sacramento; ideo grauiſsime peccat. Apud fi-
deles vſus huius Sacramenti duplex eſt,Sacramentalis, ſcilicet,& ſpiritualis.
in ſumptione ſignorum ſenſibilium cõſiſtit ſacramentalis vſus, qui bonis, &
malis communis eſt. Spiritualis uerò eſt per fidem,& charitatem, qua credi-
mus in eo contineri,ac paſsionem eius, qua redempti ſumus,in eo referri; ac
amamus, & veneramur tam magnam eius erga nos charitatem, ac vouemus
eius corporis membrum eſſe.hic vſus ſolus bonorum hominum eſt, & ange
lis huius Sacramenti vſus,neq; aliquibus cõuenit, qui incorporei ſunt, & in- H
uiſibiles; fruuntur attamen ſemper re huius Sacramenti.Chriſto,iuquã,non
Sacramento corporis aut ſanguinis Chriſti.Laicis Eccleſia Latina dat ſub ſpe
cie tantum panis,ad multa vitanda ſcandala,ſacerdos uerò pro populo,cuius
perſonam gerit, ſanguinem ſumit, verùm quoniam diximus præter rem con
tentam in hoc Sacramento ſignificari corpus Chriſti myſticum,id eſt Eccle-
ſiam,quoniam tota hæc res bene intelligi nõ poteſt, niſi prius explicuerimus
noſtrum ſacrificium;hoc enim Sacramentum eſt etiam ſacrificium,& in Miſ
ſa offertur Deo ab Eccleſia Catholica,qua de re à Lutheranis noſtra hac tem-
peſtate tam magnæ contentiones ortæ ſunt, iccirco non ab re futurum
putamus, ſi qua altius repetemus de hoc noſtro ſacrificio. Verùm fruſtra

A conabimur de noſtro ſacrificio agere, niſi prius intellexerimus, quid ſit ſacrificium. quod uideo multos ignorare, qui tamen frequẽter in ore habent ſacrificium noſtrum & Miſſam. Paucos etiam inueni auctores, qui bene prodiderint ſcriptis ſuis, quid'nam ſit ſacrificium. ex omnibus, quos ego legi, Auguſtinus mihi uidetur hãc totam rem explicuiſſe in libro decimo de ciuitate Dei, quem auctorem potiſſimum ſequemur. Sacrificium duplex eſt, interius & exterius. exterius ſenſibile illud ſignum eſt eius, quod Deo offerimus, & eſt, ut inquit Auguſt. Sacramentum ſacrificij interioris. interius uerò ſacrificiũ, nihil aliud eſt, niſi noſtri ipſorum oblatio Deo, ut ei inhæreamus, cuius tantum participatione felices eſſe poſſumus. hoc eſt ſacrificium interius, cuius B Sacramentũ eſt ſacrificium exterius. quo fit, ut in ſcripturis ſacris, in prophetis inquam, & in Pſalmis ſæpenumero dicat Deus, ſibi non placere ſacrificia exteriora, quibus non indiget, reprehendens ſcilicet illos, qui ſuperſtitioſe Deum colebant, putantes ſe feciſſe ſatis, ſi frequentia Deo ſacrificia offerrẽt, exteriori, ſcilicet, cultu, parum ſolliciti interioris. hac etiam de cauſa Dæmones ſuperbi, & maligni, qui diuinam ſibi uenerationem appetunt, uolunt ſibi ſacrificia fieri, nõ ut inſipientes quidam putabant, ob id, quòd delectentur nidore pecorum, aut eo veſcantur, ut ſæpe eſt apud Homerum; ſed quoniam interius ſacrificium, quod ſoli Deo debetur, in exteriori illo ſacrificio ſibi offerri uolunt, ut homo illis inhæreat, & non Deo. hæc eſt ſacrificij diſtinctio, & definitio, quam in eo, quem citauimus libro, Auguſtinus optime omnium C explicat. Hoc fundamento iacto propius ad rem noſtram accedamus. Cum igitur ea, quam diximus, ſit ſacrificij ratio, fieri non poteſt, ut donec ſumus inimici Dei, nos Deo offeramus, ut illi tanquam ſummo bono inhæreamus. peccatori enim dixit Deus, ut in Pſalmo 49. Quare tu enarras iuſtitias, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum: igitur oportet, ut recõciliati Deo nos ipſos illi offeramus. Cum autem hæc reconciliatio eſſe non poſſit niſi per Chriſtum, & per ſacrificium illud, quo ſe ipſum Deo patri obtulit Chriſtus, immò nos omnes, & totum humanum genus, in ſe ipſo, id eſt, in homine, quem aſſumpſerat, obtulit Deo. iccirco cùm nos unum ſimus facti cum ipſo per fidem, & charitatem diffuſam in cordibus noſtris, ſicuti ipſe in ſuo illo unico ſacrificio, quo reconciliauit nos Deo, ſe ipſum, & totum humanum D genus in homine, quem aſſumpſerat, obtulit Deo: ita nos eius, ſcilicet, corpus uniuerſa Eccleſia offert Deo Chriſtum repræſentans, & recolens memoriam paſſionis eius, & ſe ipſam per Chriſtum Deo offert, ut illi inhæreat ſummo bono, cuius participatione fit beata, & fœlix. & quoniam noſtris temporibus res eſt in magna controuerſia, & Lutherani vrgent Catholicos, dicentes Miſſam eſſe ſacrificium, tanquàm qui aboleant meritum paſſionis Chriſti, dicentes hoc nouum commentum eſſe, non ab re putamus eſſe ponere verba Auguſtini in capite vigeſimo decimi huius libri de ciuitate Dei. inquit ibi ſanctiſſimus hic, doctiſſimus, & antiquiſſimus auctor. Vnde uerus ille mediator, in quãtum formam ſerui accipiens, effectus eſt mediator Dei, & hominum. homo Chriſtus Ieſus, cum in forma Dei ſacrificium cum patre

ſumat,cũ quo & unus eſt Deus,tamen in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe, E
quàm ſumere, ne uel hac exiſtimatione quiſpiam exiſtimaret cuipiam ſacrificandum eſſe creaturæ. per hoc & ſacerdos eſt ipſe offerens, & ipſa oblatio, cuius rei Sacramentum, eſſe uoluit quotidianum Eccleſiæ ſacrificium, cum ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, tam ipſa per ipſum, quàm ipſe per ipſam ſuetus offerri. Hæc ad literam ſunt Auguſtini uerba.in quibus expreſſe eſt, quòd Chriſtus uoluit noſtrum ſacrificium,id eſt Eccleſiæ,eſſe Sacramentum,id eſt, memoriam illius ſacrificii,quo ſicuti Eccleſia oblata per Chriſtum caput, ita ipſe per ipſam eſt ſuetus offerri. offert ergo Eccleſia in ſuo ſacrificio Chriſtum, offert etiam ſe ipſam in Chriſto. Hoc expreſſe dicit Auguſtinus in decimo illo libro capite ſexto. Hoc eſt ſacrifi- F
cium Chriſtianorum. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto,quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia, ubi ei demonſtratur, quòd in ipſa oblatione, quam offert, ipſa offeratur. Offert igitur in Chriſto ſe ipſam Deo Eccleſia, & hoc eſt ſacrificium Eccleſiæ. Quòd autem ita offeratur Chriſtus, ut recolatur memoria paſsionis eius, & non cœnæ, prætérquàm quòd hoc euidenter oſtendi poteſt ex conſecratione panis, & vini ſeorſum,tanquam corporis, & ſanguinis ſeparati, quod fuit in paſsione, uerba Chriſti hoc ſignificant; uerba Pauli expreſſe oſtendunt. Nam apud Mat. c.26. Chriſtus dixit de ſanguine, Qui pro uobis, & pro multis effundetur, quod in paſsione factum fuit; ac ſubdit, hoc facite in meam commemorationem;& Paulus Apoſtolus primæ Cor. cap.vndecimo expreſſe hæc inquit: G
Quotieſcunque feceritis, mortem domini annunciabis, donec ueniat. Quid clarius?Quid illuſtrius? Verùm ignari hi dogmatis Eccleſiæ Romanæ,& uniuerſalis, ac ſuperbi impingunt nobis, quòd dicamus Miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium, ad remiſsionem peccatorum tam pro uiuis, quàm pro defunctis, quaſi opus illud operatum ſacerdotis æquipararetur Chriſti paſsioni, & quòd nobis remittantur peccata non tantum per Chriſti oblationem, & unum illud uerum ſacrificium, ſed etiam per opus operatum ſacerdotis. improbant, quòd Chriſtum offeramus tanquam impium cultum, & non ſentiunt in ſingulis orationibus nos offerre Deo Chriſtum, cum dicimus, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c. Non'ne hoc facere docemur, cum docti ſimus ſolum mediatorem eſſe Chriſtum, & quidquid Deo placet, in H
illo placere? vnde etiam totum canonem tanquam impium abſtulerunt.mira certe violentia eſt, magnus impetus ſuperbiæ, præſertim ſi acciderit in hominibus ſuapte natura elatis. addunt præterea inuocationẽ ſanctorũ in canone eſſe impiam.idque auſi ſunt nullius auctoritate nixi,inconſultis Epiſcopis uniuerſis Catholicis.De Romano Pontifice nihil dicam,cũ tamen præcipue de eo dicere oportuerit,vtpote,ad quem referendæ ſunt quæſtiones difficiliores de fide; de hoc nihil dicã; ne obijciant mihi,me loqui in gratiã: ſed vnuſquiſq; per ſe facile exiſtimare poteſt,cuius pudoris ſit antiquiſsimũ morẽ totius Eccleſiæ propria auctoritate mutare,ut neq; uideãtur hæſitaſſe. Nos paucis reſpondebimus calũnijs horũ hominũ, qui nihil habent penſi. Primũ dicimus

A mus nullum auctorem Chriſtianum ex vetuſtioribus, neq; ex iunioribus, qui præcipui ſit nominis, dixiſſe Miſſam eſſe ſacrificium ex opere operantis ſacerdotis, quo veluti æmulo ſacrificii Chriſti ſacerdos nobis mereatur remisſionem peccatorum; hoc tamen inculcant hi in auribus populorum, & gẽtium; immò Ambroſius in libro de Sacramentis, Auguſtinus contra Fauſtum manichæum, in libro de ciuitate Dei locis, quos adduximus, dicunt, quòd in Miſſa ſit memoria & commemoratio illius unius ſacrificij, quod Chriſtus obtulit. Quid plura? non'ne in canone dicimus, ſuſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriã pasſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Ieſu Chriſti domini noſtri. Item, hoc facite in meam commemora-
B tionem, vnde & nos ſerui tui memores venerandæ pasſionis &c. Ecce expreſſe dicimus, quòd memoriam facimus pasſionis Chriſti, per quod vnum ſacrificium reconciliati ſumus Deo. Quòd ſi quæſierint, an ex Miſſa contingat aliqua recõciliatio, & remisſio viuis, & defunctis, dicimus, quòd remisſio ad duo referri poteſt. ad culpam, ſcilicet, & ad pœnam, cuius remanemus rei etiam poſt abolitionem culpæ. ſi de culpa mortali, inquam, quæratur, reſpondemus, quòd propitiatio facta per Chriſtum, cuius in Miſſa ſit memoria, exiſtenti in peccato mortali poteſt prodeſſe, & ad ipſum attingere per modum precis; Quamobrem, in canone cum mentio ſit de viuis, & de defunctis orat ſacerdos, ut perſpicue intueri poteſt, quicunque legerit canonem. nec huiuſmodi peccatoribus viuis, inquam, alio modo poteſt applicari remisſio facta
C per Chriſtum. quæ preces maximam vim habere credendæ ſunt, cum fiant in Miſſa, in qua ſacerdos gerit perſonam totius Eccleſiæ, easque offert in ſacrificio, quo Eccleſia Chriſtum, & per ſe Chriſtum Deo offert, quas orat offerri per manus ſancti angeli ad ſublime altare Dei. ſi autem loquamur de remisſione pœnæ in viuis, & defunctis, ſeu de gratiæ augumento; in viuis dico, quòd valet. primum modo ſuperius dicto, ſcilicet, ratione precum, quæ efficacisſimæ eſſe putandæ ſunt in Miſſa; ideo & apud Græcos, & Latinos iam à primordio Eccleſiæ inſtitutæ fuerunt preces in Miſſa pro defunctis. locupletisſimus teſtis Auguſtinus in Confesſionum libro, cum loquitur de obitu Monachæ matris ſuæ, in libro de cura agenda pro mortuis; ubi de orationibus, de eleemoſynis, & de ſacrificio altaris loquitur, tanquam de his, quibus
D præcipua ſuffragia præſtentur defunctis. item, remittitur vtriſque pœna pro deuotione, fide, & charitate vniuſcuiuſque, ſic enim dicitur in canone, quorum tibi cognita eſt fides, & nota deuotio, & ita dicit B. Thomas in tertia parte, illis ualere. offerentis etiam deuotio ualet: ſed hoc pertinet ad precum vim. Item, ualet ſpeciatim his, qui ſeſe offerunt ſacrificium Deo per eum ſacerdotem. Illi enim veluti propinquiores memoriæ pasſionis Chriſti, magis participes fiunt illius meriti, & ſatisfactionis factæ per Chriſtum. Hoc nobis inſinuat antiquus mos Eccleſiæ. nam poſt ſymbolum fidei, quicunque circunſtabant, offerebant. item pro defunctis fiebant oblationes, ut ex ſacris canonibus facile conijcere posſumus, cum nonnullis eorum prohibeatur, ne pro quibuſdam defunctis caperentur oblationes, quas omnes veluti hoſtiam

Deo offerebat ſacerdos. Ecce, quo'nam pacto particulari, & priuato in ea Miſſa, præter oblationem totius Eccleſiæ, cuius ſunt membra, quidam tam viui, quàm defuncti, ſeſe offerunt Deo, & fiunt ei ſacrificium. quare uerißimillimum eſt eos etiam participes fieri ſatisfactionis factæ per Chriſtum, peculiari etiam, & priuato quodam modo. Hæc eſt Catholicæ Eccleſiæ doctrina, hæc continetur in canone; non neſanda illa, quam nobis impingunt, nos, ſcilicet, profiteri Miſſam, opus, ſcilicet, illud ſacerdotis eſſe ſacrificium, quod æmuletur paſsionem Chriſti, per quod nouum ſacrificium ſacerdos nobis mereatur remisſionem peccatorum. Quis hoc dicit? Quis hoc ſentit? nullus profecto ſanæ mentis. at diſplicet eis, quòd in canone inuocentur ſancti. Dicunt, quòd hoc eſt nouum commentum. vide quorſum progrediatur ſuperbia. illud etiam impingunt Eccleſiæ Catholicæ, quòd inuocet ſanctos, veluti alteros deos, & hoc pacto ferè decidat in idololatriam. Vide quàm nullum pudorem retineat inuidia, & maleuolentia. ab hoc poſtremo incipiam. Non'ne docemur in ſacris literis, Deum laudari in ſanctis eius, ut in Pſalmo CL. Non'ne multa oſtendit ſæpius miracula in ſanctorum ſuorum laudem. Certisſimi, & grauisſimi teſtes ſunt Auguſtinus, & Ambroſius, cum vterque adeſſet Mediolani, inuentis corporibus Geruaſij, & Protaſij martyrum, cæcum illuminatum fuiſſe, ut innumera alia taceam. Eccleſia non colit ſanctos, ut alteros Deos, ſed ut Deo plenos, ut membra Chriſti, eorumque precibus petit à Deo adiuuari. De priori uerò, quod dicunt nouum commentum, quòd memoria Martyrum fiat in canone, illud primò notandum nobis eſt. Sacrificium hoc, quod agitur in Miſſa, eſſe ſacrificium uniuerſalis Eccleſiæ, cuius pars adhuc peregrinatur in terris, alia uerò in cœlis fruitur Deo. Vna hæc Eccleſia eſt, una ciuitas Dei, ut inquit ſæpius Auguſtinus: Cur igitur non decet in ſacrificio uniuerſalis Eccleſiæ mentionem facere ſanctorum, ſicuti fit mentio & uiuorum & defunctorum omnium. Quàm autem vetuſtum ſit hoc, uidere poterit, qui legerit Auguſtinum, qui in libro vigeſimo de ciuitate Dei inquit ad hæc uerbum notata: Neque enim priorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ nunc eſt etiam regnum Chriſti. alioqui nec ad altare Dei eorum memoria fieret in communione corporis Chriſti. idem dicit in libro vigeſimo ſecundo eius operis. Græca etiam natio, nomini Latinorum ſatis inſenſa, non'ne in Miſſa compoſita à Baſilio, & Chryſoſtomo, de ſanctis mentionem facit, immò pro eis dicit ſe ſacrificium offerre. Verùm, iam longius digresſi ſumus à negotio inſtituto. Cum igitur de Euchariſtiæ Sacramento, & ſacrificio Miſſæ, in qua fit eius conſecratio, ſatis hactenus tractatum ſit, finem faciamus huic ſecundo libro.

LIBER

LIBER TERTIVS.

De Sacramento Pœnitentiæ. CAP. I.

IN HOC libro aliud Sacramentorum genus aggrediendum eſt: nam ea, de quibus hactenus actum eſt, pertinent ad proſperum vitæ ſpiritualis curſum, quo progredimur à prima baptiſmatis gratia, ad gratiam vberiorem, ſeu à ſpirituali generatione ad incrementum, & fomentum ſpiritualis uitæ. verùm, quoniam, donec mortalem uitam agimus, nec adhuc peruenimus ad perfectum, & firmum ſtatum uitæ ſpiritualis, retrocedere poſſumus facile, & à uita ſpirituali decedere; iccirco ab optimo uitæ Chriſtianæ inſtitutore præſtita nobis fuere Sacramenta quædam veluti
C medicamenta; quibus ægritudo animi contracta expelli queat, & perfecta ſanitas inſtaurari. Duo ſunt huiuſmodi Sacramenta, pœnitentiæ, inquam, & extremæ vnctionis. prius de pœnitentia, poſtmodū dicemus de extrema vnctione. Pœnitentiæ Sacramentum veluti ſecunda tabula eſt poſt naufragium innocentiæ illius, quam baptiſmatis uirtute adepti fueramus. &, ne inſtitutum ab initio huius opuſculi modum deſeramus, ſicuti in mortali uita, in qua à Domino peregrinamur, interdum incidimus in grauiſsimas ægritudines, quæ certiſsimam nobis eſſent perniciem allaturæ, niſi medicamenta à Deo optimo nobis præſtita fuiſſent, quibus mederi poſſemus, & opem ferre labanti naturæ; ita in hac ſpirituali uita, in quā per Chriſtum, & baptiſma generati ſumus, antequàm (ut dixi) perueniat ad immobilē, & firmum ſtatum,
D plurimæ ægritudines mortiferæ, noſtra culpa nobis accidunt, quibus ſanādis inſtitutum fuit pœnitentiæ Sacramentum. nam, quemadmodum contra peccatum originale, quod eſt uitium naturæ, datum nobis fuit Sacramentum baptiſmatis (nec refert, ſi in adulto vi baptiſmatis remittātur etiam alia quæcunque peccata, ut diximus in ſuperiore libro, quoniam nunc loquimur de eo, quod per ſe eſt, & primum reſpicit baptiſma) ita inſtitutum fuit Sacramentum pœnitentiæ ad abolitionem peccati mortalis. de ueniali uero, quoniam gratiæ, & charitati non repugnat, non oportuit rationem haberi in Sacramentis inſtituendis. nam Sacramenta contra peccatum inſtituta gratiam conferunt; ideo ea peccata reſpiciunt, cum quibus gratia conſiſtere non poteſt. uerùm ex actu uoluntatis, quo in Deum fertur charitate incitata, & ei

diſplicet quidquid officere ei poſsit, ne tota feratur in Deum, abolentur peccata venialia. qui motus voluntatis ſemper in nobis fit, cum Dei charitas, & gratia diffunditur in cordibus noſtris per ſpiritum Sanctum. ſic igitur abolentur per Sacramenta peccata venialia, ſed veluti per accidens, & non primò. vt ergo redeamus, vnde digreſsi ſumus, Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum ad abolitionem peccati, ſuam habet & materiam, & formam, ſicuti alia Sacramenta omnia. verùm alia eſt ratio materiæ in hoc Sacramento, ab ea, quæ inuenitur in aliis, præſertim hiſce, de quibus hactenus tractauimns. nam in aliis omnibus & materia, & forma diſtinctæ qnædam res ſunt ab eo, qui Sacramentum ſuſcipit; in Sacramento uero pœnitentiæ nulla eſt alia materia, præterquam operationes, & actus pœnitentis, qni materialis pars ſunt huius Sacramenti. quòd ſi quis dixerit peccata etiam eſſe huius Sacramenti materiam, fatebimur vtique peccata eſſe Sacramenti huius materiam, non eam tamen, quæ ſit pars Sacramenti, neque eam, quam ſanet, & ſanctificet; ſed eam, quam deſtruat, & aboleat; non diſsimili ratione, qua morbus eſt materia medicinæ, & pharmaci. actus ergo pœnitentis ad abolitionem peccati ſunt materia, id eſt materialis pars huius Sacramenti. forma uero eſt abſolutio, quæ fit à ſacerdote. verùm, quoniam Sacramentum eſt viſibile ſignnm illud, ſub quo arcanum latet indiuiſibile, non erit ab re ſi prins quo ad materiam vtrunque exponamus, deinde quo ad formam. quantum ad materiam pertinet, illud in primis nobis præfandum eſt. quamuis peccato mortali perdamus animæ vitam, Deum, inquam, qui habitat in cordibus noſtris per charitatem, quam tollit peccatum mortale, ſicuti auerſio à corpore lucido lucem tollit; longe etenim eſt diuerſa ratio charitatis, & virtutum moralium: nam hæ habitus quidam animi ſunt comparati actu, ideo per peccatum non tollitur virtntis habitus, at charitas veluti lumen eſt dependens omnino à Dei bonitate, à qua, cum primum oculos auertimus, amittimus diuinum lumen, diuinam vitam, ac recidimus in noſtras, & nobis inferiores tenebras. ſed de his ſatis. igitur nt dicebam, quamuis peccato mortali aboleatur animi vita, tamen quia ſumus àdhuc in Sacramentis Eccleſiæ, & Deo conſecrati per baptiſmà, in nobis remanet & ſi non vita, ſemen tamen quoddam vitæ ſpiritualis, quo excitetur animus oportet ad vitæ germinationem. huius incitationis primus motor, primusque auctor eſt Deus, qui niſi conuerterit nos, viribns noſtris tantùm ad eum nequimus conuerti. motus autem hic animi pœnitentis, cum fuerit completus, pertinet ad pœnitētiam animi virtutem, ſiue prodeat ab habitu, uel ſine habitu fiat. non enim hoc in quæſtione verſari volumus. incipit igitur hic motus à peccati deteſtatione, ſiue ob timorem pœnæ, qui ſeruilis eſt timor, ſiue ob peccati turpitudinem, qnam lumine naturali intelligere poſſumus. poſtea ſequitur motus fidei, qua credimus diuinis promiſsis, ut ſcilicet paratus ſit miſereri ei, qui per Chriſtum, & eius Sacramenta, ad eum conuerſus fuerit. hinc rurſus incipit peccator non tantum deteſtari peccatum, & pœnitentiam agere, quòd peccanerit; verum etiã & abſtinere in futurum à peccato ſtatuit pro virili; & inſuper proponit Deo

E F G H

pro

A pro modulo ſuo ſatiſfacere,adeundo ſacerdotem,humiliter confitendo peccata,quæ fecit, & parendo iudicio ſacerdotis in ſatiſfactione facienda, rationabili,ſcilicet,& poſsibili;nam ſi ſecus eſſet,iam nõ eſſet uoluntas ea conformis diuinæ uoluntati. Quam ſatiſfactionem ſcit per ſe nihili futuram, ſed quoniam innititur ſatiſfactioni factæ per Chriſtum, cui aſsimilatur ſatiſfactione hac quantulacunque; ideo etiam fructiferam, & utilem ſibi putat. motus hic eſt pœnitentiæ uirtutis,quæ pars eſt iuſtitiæ commutatiuæ,illius, inquam, quæ delet culpam mulcta, & pœna. uerum differt pœna à ſatiſfactione, quia pœna nolenti infligitur, ſatiſfactio uero fit à uolente, iuxta iudicium tamen, & arbitrium illius, in quem peccatum eſt. igitur impoſita mul-
B cta à ſacerdote, qui gerit Dei perſonam,quam uoluntarie peccator ſubire paratus eſt, dicitur ſatiſfactio. hic ergo pœnitentis actus eſt, ueluti materia in hoc, de quo agimus, pœnitentiæ Sacramento; quæ vim habet ad remiſsionẽ peccati ueluti ſecundariam. nam prima conſiſtit in abſolutione ſacerdotis, quæ eſt huius Sacramenti forma. huius rei Sacramentum eſt ſignum ſenſibile,exterius actus, ſcilicet, pœnitentis, acceſſus ad ſacerdotem, genuflexio, peccatorum confeſsio,ſatiſfactio impoſita. hæc omnia pertinent ad materiã huius Sacramenti. abſolutio ſacerdotis eſt forma, quæ habet vim, quam ſignificant uerba prolata ad abſolutionem, & remiſsionem peccatorum, ſicuti Chriſtus pollicitus eſt,cum Apoſtolis, & diſcipulis dixit, prout habetur in Euangelio Ioannis cap.20. Accipite Spiritum Sanctum,quorum remiſeritis
C peccata,remittuntur eis,& quorum retinueritis,retenta ſunt eis. Ex hac ergo Chriſti promiſsione, & poteſtate ſacerdotibus tradita, abſoluit ſacerdos, poſtquam peccata ex ore confitentis cognouerit; ſeu retinet,ſi ita viſum fuerit; fungitur etenim officio iudicis. verba uerò abſolutionis enuncians profert:ſuntque hæc neceſſaria,ut multis uidetur; Ego te abſoluo in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. quidam uero putant, etiam ſi addita non fuiſſet inuocatio trinitatis,abſolutionem in illis uerbis cõſiſtere,te abſoluo, ſeu ego te abſoluo.magis tamen mihi placet priorum ſententia,quæ etiam tutior eſt. peccata uerò ea tenemur confiteri, quæ mortalia ſunt; quamuis nonnulli Theologi addant etiam venialia,cum quiſpiam mortalibus caret.verùm Scoti ſententia mihi ualde probatur. non diffitemur confeſsionem venialium
D etiam bonam eſſe, & eorum culpam dimitti ex abſolutione; verùm nos ex præcepto non teneri ad confeſsionem venialium ſentimus. Abſolutioni annexus eſt tractatus de poteſtate clauium, & de clauibus, de iuriſdictione, de indulgentiis, de excommunicatione, ſuſpenſione, ac de interdicto; quibus annexus eſt etiam tractatus de purgatorio. verùm, antequam aggrediamur tractationem de rebus propoſitis, ſoluendæ nobis ſunt nonnullæ dubitationes. prima pertinet ad inſtitutionem huius Sacramenti, an,ſcilicet,ſit de iure diuino,& à Chriſto inſtitutum; alia de partibus huius Sacramẽti, an,ſcilicet, conſtet ex tribus illis partibus,quæ paſsim vulgatæ ſunt eſſe partes Sacramenti pœnitentiæ,contritione,ſcilicet,confeſsione & ſatiſfactione.Quantum ad priorem quæſtionem,nulli dubium, quòd illi,qui putant Sacramentum pœniten-

nitentiæ quoad materiam, & formam, non eſſe de iure diuino, contradicunt E
Euangelio. nam Ioannis cap.vigeſimo eſt locus, quē paulo ſupra citauimus,
Chriſtus inſufflans in ſuos diſcipulos dixit: Accipite Spiritum Sāctum, quo-
rumcunque remiſeritis peccata, remiſſa ſunt eis, & quorumcunque retinue-
ritis, retenta ſunt eis. iccirco alij dixerunt abſolutionem, quæ eſt forma Sa-
cramenti pœnitentiæ, eſſe de iure diuino, ſed neque confesſionem, neque ſa-
tisfactionem eſſe de iure diuino. verùm nunc eis reſpondetur de confesſio-
ne, nam de ſatisfactione poſterius dicemus. quo nam pacto poteſt ſacerdos
fungi officio, & poteſtate data ſibi à Chriſto, niſi peccata intellexerit, neque
ab alio liceat ea inquirere, aut ſuſpicari? hoc enim pertineret potius, cum li-
cet, ad forum iudicij, quàm ad forum conſcientiæ. oportet ergo, ut à pœniten F
te ea intelligat; quòd eſt eius confesſio. nonnulli dicunt, & Lutherani huius
erant ſectæ, quòd illis uerbis Chriſtus non dedit ſacerdotibus poteſtatem vl-
lam, ſed tantum officium; quare putant ſatis eſſe ſacerdoti ſateri ſe peccato-
rem eſſe, is uero officium habet abſoluendi. horum ſententia clarius luce
meridiana contradicit Euangelio Ioannis loco paulo ſupra citato, in quo pa-
riter fit mentio de remisſione, & retentione peccatorum. item in collatione
clauium Petro, fit mentio apud Matthæum. cap. 16. Et de ſolutione, & de liga
mento perſpicuum eſt. igitur, illis uerbis ſacerdotes iudices conſtitui, qui iu-
dicium certum nullum afferre poſſunt, niſi ſciuerint, & cognouerint, quorū
ſint dimittenda, & quorum ſint retinenda peccata. Nonnulli putant neceſſe
eſſe, ut is, qui uoluerit ſubire iudicium ſacerdotis, & obtinere ab eo abſolu- G
tionem, ut peccata ſua confiteatur. verùm, inquiunt, ex ſacris literis non con-
ſtat, quòd hac tantum via pateat nobis aditus ad recōciliationem cum Deo,
& ad obtinendam remisſionem peccatorum, ſicuti de baptiſmate conſtat;
niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, &c. Scotus in quarto ſenten
tiarum conatur oſtendere ex nullo ſacræ ſcripturæ loco hoc nobis conſtare.
tenet tamen ob auctoritatem Eccleſiæ ſentiendum eſſe confesſionem auri-
cularem, inquam, eſſe de iure diuino. mihi certe ſubtilitas, & diligentia Sco-
ti hoc loco non ſatis probatur. nollem iniecisſet hunc ſcrupulum. B. Tho-
mas in quarto ſententiarum adducit locum unum, cum Chriſtus, ſcilicet, lo-
queretur de his, ſuper quos ceciderat turris Silo, inquit, niſi pœnitentiam egè
ritis, omnes ſimiliter perihitis. & interpretatur aliud eſſe pœnitere, & aliud H
pœnitentiam agere. nam agere pœnitentiam pertinet ad exteriores actus, in
quibus conſiſtit Sacramenrum pœnitentiæ. pia certe eſt diui huius ſenten-
tiæ, & à pijs mentibus amplectenda. verùm calūmniari pertinax homo faci-
le poſſet, & ad alium ſenſum trahere illum locum. iccirco his, quæ ſanctisſi-
mus hic, & doctisſimus vir ſcripſit, pauca quædam addam, illud præfatus,
quòd & cuiuis perſpicuum eſt, & patres noſtri obſeruarunt. non tantum exi-
ſtimare nos debere ea tradi in ſacris literis, quæ expreſſa ſunt in literis illis;
verùm etiam ea, quæ deducuntur, & ſequuntur ex his, quæ prodita ſunt in
literis illis; præſertim ſi vſus uniuerſalis Eccleſiæ conſenſerit. ad peccati abo-
litionem, neceſſariam eſſe in pœnitente contritionem, & dolorem de admiſ-

ſis

A ſis in Deum & innumeri ſcripturæ ſunt loci, & ratio naturalis dictat, cui contradici non poteſt, ut in Pſalmo 4. Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus ueſtris compungimini. & Ioelis cap. 2. Scindite corda ueſtra, & non ueſtimenta ueſtra. & apud Mattæum. cap. 3. Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Innumeri alii ſunt loci de contritione. confesſio uero quòd illi ſit facienda, qui remiſſurus eſt peccata, præterquam quòd ratio naturalis hoc oſtendit, & conſuetudo ciuilis docet; indignus enim venia eſt, qui non vult fateri ſe in quempiam deliquiſſe, ſacræ etiam literæ hoc teſtantur, ut in Pſalmo 31. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. item, ex contrario ſenſu dictum
B eſt, ut in Pſalmo 140. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. illi etiam, qui à Ioanne baptizabantur in pœnitentiam, & non in remisſionem peccatorum, confitebantur peccata ſua. hoc obſeruant Iudæi, & Mahometani ab ipſa natura docti. confitentur etenim Deo peccata ſua, à quo ſperant remisſionem peccatorum. ex his abſque dubio ſequitur confesſionem, & remisſionem peccatorum, veluti reciproca eſſe, & ſibi vicisſim reſpondentia. cum igitur Chriſtus dederit ſacerdotibus inſufflans in eos poteſtatem remittendi peccata, ſimul cum Spiritu Sancto, nulli dubium, quin præceperit pœnitentibus, qui egent remisſione peccatorum, ut delicta ſua confiteantur ſacerdotibus. reciproca hæc etenim ſunt, (vt diximus.) at dixeris, non'ne poteſt Deus peccata dimittere abſq; munere ſa
C cerdotis? poteſt vtique, poteſt etiam ſine baptiſmate gratiam conferre, & regenerationem. at dices, cur in baptiſmatis Sacramento dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, & c. in hoc uerò Sacramento non dixit, niſi quis ſacerdoti confeſſus fuerit. reſpondeo, baptiſmatis Sacramentum magis neceſſarium eſſe, vtpote, quo etiam infantes egeant, ideo, ut diligentes omnes faceret tum pro ſe, tum pro infantibus, illud fuiſſe expresſius dictum in baptiſmate, quàm in pœnitentia, tum quia, cum in baptiſmate vtrunque expresſiſſet, ſcilicet, & quod pertinet ad ſacerdotes, euntes baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti; & id, quod pertinet ad ſuſcipientes baptiſma, niſi quis renatus fuerit, &c. non putauit in pœnitentia hoc repetendum; verùm expresſit id, quod eſt potisſimum, & pertinet
D ad formam. illud uerò, quod reciprocum eſt, non ita expresſit, quia reciprocum eſt, & quia expreſſerat in baptiſmate vtrùnque reciprocum, ac par eſſet in hoc ratio, non putauit neceſſario exprimendum. hanc deductionem noſtram comprobat vſus Eccleſiæ tum Græcæ, tum Latinæ, Aethiopicæ, Maronicitæ, aliarumque nationum, quæ omnes conferuntur ſacerdoti peccata, vt impetrent veniam, & remisſionem peccatorum. eſt præterea alia ratio, nã nullus inimicus Dei poteſt Deo reconciliari, niſi per Chriſtum, & fidem in ſanguine eius, ut Apoſtolus dicit in epiſtola ad Romanos, Sacramenta uerò operantur, & efficaciam habent à pasſione Chriſti; & per fidem pasſionis, ideo ei, qui eget reconciliatione, opus eſt poſt baptiſma hoc Sacramento. id uero, quod adducunt ex capitulo, Omnis vtriuſque ſexus de pœnitentia & re-

remiſsione, quaſi ex eo loco habeatur inſtitutio confeſsionis; uerùm niſi fuerint omnino pertinaces, nec caruerint ſenſu communi, facile intelligent eo in canone, Innocentium.3. non inſtituiſſe confeſsionem, ſed inſtituiſſe quòd ſaltem ſemel uno quoque anno omnes utriuſque ſexus cōfiterentur proprio ſacerdoti. Hac explicata quæſtione, ut potuimus, accedamus ad alteram explicandam, de partibus, ſcilicet, pœnitentiæ Sacramenti. Duæ ſunt huius Sacramenti partes, ſicuti & cuiuslibet alterius, forma, ſcilicet, & materia, forma in abſolutione eſt, & hæc eſt ſimplex vnitas, namq; maxime ſequitur formam. altera eſt materia, quæ, ut ſupra diximus, eſt actus confitentis. peccata uero ſunt materia, ut morbus, quam expellit, & deſtruit pœnitentia, non illius generis materia, de qua loquimur, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentiæ. ex hac parte ferè omnes Theologi ponunt tres eſſe pœnitentiæ partes, cōtritionem, ſcilicet, confeſsionem, & ſatisfactionem. Scotus in quarto ſententiarum videtur ferè reijcere ſatisfactionem. inquit enim, pœnitentem poſſe, poſtquam confeſſus fuerit peccata, & abſolutus à ſacerdote, recuſare ſatisfactionem, etiam impoſitam ab eo, ſecundum rectam rationem. uerùm meo iudicio hoc in loco Scoti ſententia periculoſa eſt. nam, ſi in ciuili republica tenemur parere iudici procedenti ſecundum formam iuris, etiam in foro conſcientiæ, eique interroganti nos etiam de delictis capitali pœna puniendis uerum reſpondere, & iure impoſitam pœnam patienter ferre: longe plus debemus teneri ſacerdoti ſatisfactionem rationabilem imponenti parere. & ſi quis teneat poſſe nos recuſare ſatisfactionem impoſitam nobis à ſacerdote, uidetur fateri ſacerdotem non eſſe iudicem conſtitutum à Deo in foro eo, ſcilicet, in cauſa, quæ agitur inter nos, & Deum: quòd ſi quis fateretur, difficile poſſet vitare eorum ſententiam, quam ſupra reiecimus ut erroneam, ex textu Euangelii, Ioannis.c.20. ſcilicet, quòd ſacerdos in abſolutione fungitur munere quodam, & officio, ſicuti in baptiſmate conferendo; non autem agit officium iudicis, quo efficeretur, ut confeſsio ſingulorum peccatorum non eſſet neceſſaria. præterea id, quod ſupra diximus, actus, ſcilicet, pœnitentis completos pertinere ad iuſtitiam punitiuam, eſſet reijciendum. nam ſi non eſt paratus pœnam ſubire pro delicto, quomodo vult ſatisfacere? neque in ſatisfactione hac ſtandum eſt iudicio ſuo, ſed eius, qui tenet locum Dei, in quem admiſſa eſt culpa omnis. his rationibus adducor, ut ſentiam longe ſaniorem eſſe aliorum Theologorum ſententiam, qui ponunt ſatisfactionem eſſe partem pœnitentiæ, quæ in propoſito antecedit abſolutionem, præſtatur autem actu poſt abſolutionem. nec audiendi ſunt illi, qui putant deleta culpa, deleri omnem pœnam, & quòd efficimur participes ſatisfactionis factæ à Chriſto, qui ſatisfecit ſatis, ſuperque pro peccatis totius mundi, & etiam ob diuinam liberalitatem mouentur hi; quam non decenter putant remittere culpam, reos tamen pœnæ eos adhuc detinere. verùm ſentiendum eſt cum vniuerſa Eccleſia, etiam poſt dimiſſam culpam, Deum à nobis poſcere pœnam, tum quia pœnæ ſunt medicinæ, ac nobis proſunt, tum etiam quia oportet conformari nos Chriſto in patiendo, ſi ſatisfactionis eius ſumus futuri participes

ticipes

A ticipes, inquit Paulus ad Romanos cap. 8. Si quidem compatimur, vt & conglorificemur. in multis ſcripturæ ſanctæ locis idem reperimus. ſed apertiſſimus eſt locus in ſecundo Regum libro cap. 12. De Dauid, qui poſtquam reprehenſus fuit à Nathan, quòd adulterium, & homicidium perpetraſſet, & grauiter indoluiſſet, audiuit à Nathan, tranſtulit Dominus peccatum tuum, verùm is, qui tibi natus eſt filius, morietur. His explicatis, quoniam Sacramento huic, de quo agimus, abſolutio, quæ eſt forma, rectè intelligi non poteſt, niſi agamus de clauibus, & de poteſtate clauium, ac de cæteris, de quibus ſupra fecimus mentionem, aggrediendus eſt tractatus ille. Duæ ſunt claues ordinis ſacerdotalis, clauis, ſcilicet, ſcientiæ, ſeu iudicij, & clauis exer-
B cendi iudicii, ligandi, ſcilicet, & ſoluendi. hæ claues conferuntur ſacerdoti in conſecratione cum ordine ſacerdotali, & pertinent ad forum hominis cum Deo. clauis ſcientiæ, & iudicij prior eſt, quæ non ſic accipienda eſt, ut referatur ad ſcientiam, & diſciplinam, quam habent eruditi homines, qui propterea etiam rectè iudicant; ſed referenda eſt ad poteſtatem iudicandi ex officio, &, ut ita dicam, ex magiſtratu, quem gerunt. multi ſunt peritiſſimi Iuriſconſulti; qui ex ſcientia rectè iudicare poſſunt; attamen, cum non ſint iudices, non habent iudicandi poteſtatem. econtra multi iudices imperiti habent iudicandi poteſtatem, carent tamen ſcientia. clauis ergo hæc re-
C ferenda ad poteſtatem, non ad ſcientiam. attamen cenſendi ſunt indigni hac claue, qui ignari ſunt, ſicuti de iudicibus in ciuili ſcientia diceremus. Altera uero, quæ eſt clauis ligandi, & ſoluendi pertinet ad executionem iudicij facti, qua uel ſoluit, uel ligat ſi non ſoluit, ſi ita ei uidebitur debere fieri, uel ſimul ſoluit, & ligat, ſoluit vtique à culpa, & à reatu pœnæ æternæ; ligat uerò pœnæ ſatisfactionis, quam pœnitenti imponit. verùm; quoniam ſacerdos hæc facit, ut miniſter Dei, & Chriſti, miniſter uerò eſt organum animatum, ac organum vim non habet, niſi quatenus mouetur ab auctore, & cauſa ſuperiori; vtique ſi ſacerdos non nitens diuinis legibus, & ratione ſoluerit quempiam, non tamen propterea ſolutus erit, in foro conſcientiæ, inquam, eo quod ſubtraxerit ſe à regula ſuperiori, cuius eſt organum. ex his etiam apparet ſigillum confeſſionis, quod in nullo caſu poteſt frangi; nam Deus peccata tegit, quæ peccator confitetur; ideo debent tegi, & non pan-
D di à Sacerdote; qui etiam iurare poſſet ſe nihil eorum ſcire, cum ea audierit, non ut homo, ſed ut uel Deus, uel ut miniſter Dei, ut tegantur peccata, non ut pandantur. Duæ hæ claues pertinent ad ordinem; verùm actus, & vſus harum clauium, indiget præter ordinem etiam iuriſdictione. non enim ſacerdos poteſt abſoluere, præterquàm ſubiectum ſibi, non alienum. is uerò ſubiectus ei eſt, in quem iuriſdictionem habet. in caſu tamen neceſſitatis quilibet ſacerdos poteſt confitentem abſoluere, etiam non ſubditum, quia eo in caſu efficitur ſibi ſubditus; neque opus eſt, ut iterum confiteatur proprio ſacerdoti, quia etiam ſacramentaliter, ut ita dicam, eſt abſolutus. hoc uerò non contingeret, ſi laico confiteretur. nam, cum laicus non poſſet ſacramentaliter eum abſoluere, quamuis Deo ſatisfiat illa confeſſione, ſi pericli-

tatus is fuerit, attamen ſi euaſerit periculum, debet ſacerdoti confiteri. hæc E
de clauibus ordinis. Sequitur, ut de iuriſdictione dicamus, & de clauibus iuriſdictionis, quæ vtique ſecundæ quædam ſunt claues. nam poteſtas ordinis eſt in foro hominis, ad Deum; ideo, primæ, & præcipuæ claues ſunt illæ, quibus reſeratur, & clauditur aditus hominis ad Deum. iuriſdictionis uero poteſtas pertinet ad ſpirituale forum, quod eſt hominis ad Eccleſiam. iccirco claues hæ ſunt ſecundariæ. poteſtas ordinis à Deo eſt, & quilibet ſacerdos cuiuis alteri par eſt, non unus ſuperior, alter inferior in ſacerdotio; nec Papa maiorem vim habet in conſecrando corpus Chriſti, quàm minimus ſacerdos, ſimiliter abſoluendo in foro conſcientiæ, niſi in caſibus reſeruatis, quod pertinet ad iuriſdictionem, ut infra dicemus. at in iuriſdictione magna eſt F
imparitas, ut ex Euangelio colligi poteſt; nam meo iudicio poteſtas ordinis remittendi, & retinendi peccata data potiſsimum fuit poſt reſurrectionem omnibus diſcipulis ſimul, non uni præ altero. dixit enim Ieſus, poſtquam inſufflauerat in eos, ut narratur apud Ioannem cap. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorumcunque remiſeritis peccata, remittētur eis, & quorumcunque retinueritis, retenta ſunt eis. ſimiliter omnibus dixit in conſecratione corporis, & ſanguinis ſui: Hæc facite in mei commemorationem; omnibus ſimul, non uni præ aliis. poteſtas uero iuriſdictionis meo iudicio potiſsimum data fuit in collatione clauium apud Matthæum cap. 16. Quæ primùm data fuit Petro, deinde aliis diſcipulis omnibus, poſtquam data fuerit Petro. dixit etenim Petro poſt grauia uerba, Dabo tibi claues regni cœlorum, &c. dixit G
poſtea diſcipulis omnibus, Quæcunque ligaueritis ſuper terram, &c. apud. Matthæum cap. 18. Infra, ubi ex antecedentibus perſpicuò poteſt colligi locutum fuiſſe præcipue Dominum de poteſtate iuriſdictionis; inquit enim clare ſuprà, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, quod vim habet excommunicationis; poſtea ſtatim ſubdit, Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata etiam in cœlis, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Ecce, quàm perſpicuò ex contextu locutionis apparet, præcipue locutum hic fuiſſe Chriſtum de poteſtate, quæ pertinet ad iuriſdictionem, quæ potiſsimum, & primùm data eſt Petro; magno illo molimine uerborum; poſtmodum data fuit Apoſtolis omnibus. nec te moueat quorundam acumen, qui inquiunt tunc H
non fuiſſe datam hanc poteſtatem, ſed promiſſum à Chriſto, quòd daturus eis eſſet. nam non inquit, do tibi claues, ſed dabo: hoc etenim potius ſubtiliter dicitur, quam uere. etenim futurum illud refertur ad uſum clauium, & poteſtatis, qua Chriſto viuente vti non poterat, neque eſt vſus. eſt etiam alius locus perſpicuus in Euangelio ſecundū Ioānem c. vltimo, vbi poſt reſurrectionem cum Dominus Petrum ter rogaſſet, an amaret ipſum præ aliis, ac ter Petrus reſpondiſſet, ter quoque ei ſubdidit, Paſce oues meas, paſce agnos meos, quæ paſtoris cura omnem iuriſdictionem continet, id, quod ſigillatim intuenti facile patere poteſt. de doctrina etiam fidei, quòd à Petro ad alios deduci, ac veluti deriuari deberet, eſt locus expreſſus apud Lucam cap. 22. Sathanas

A nas expetiuit, vt cribraret vos, ſed ego rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. diuerſa eſt ergo hæc iuriſdictionis poteſtas à poteſtate ordinis ſacerdotalis. hæc poſterior eſt à Chriſto, & omnes ſacerdotes in ea ſunt pares; ſic Epiſcopi omnes ſunt pares, quoad actiones hierarchicas. ſed de his infra dicemus, cum tractabimus de Sacramento ordinis. at poteſtas iuriſdictionis tota, quantuncunque eſt, in Pontifice Romano collocata eſt, reliqui omnes ſunt ab ipſo, eiusque poteſtatis participes. vnde Cyprianus antiquisſimus, & præſtantisſimus auctor, & martyr dicit, unum tantum eſſe Epiſcopatum, cui participes ſunt ſinguli Epiſcopi. hæc uero poteſtas committi poteſt etiam non ſacerdotibus. ad hanc
B pertinet Excommunicatio, Interdictum, Suſpenſio, Depoſitio, Irregularitas, & Infamia, de quibus pauca quædam perſtringemus potiora, quæ ſatis ſint ad peritiam Epiſcopi. Excommunicatio definitur à Theologis, eſſe ſeparatio à communione fidelium, quo ad ſuffragia, & fructus. nam pro excommunicatis non orat Eccleſia, non dico, quòd ſi in gratia Dei fuerint, non ſint participes bonorum omnium operum, quæ in Eccleſia fiunt, ſicuti quoduis membrum viuum corporis influentiam recipit ab aliis membris, ac vicisſim reddit; iuxta id, quod dicitur in Pſalmo 118. Particeps ego ſum omnium timentium te; non hoc dico; ſed cum Eccleſia publica orat pro fidelibus omnibus, excommunicati excommunicatione maiori non includuntur in his, pro quibus orat Eccleſia. ideo in hac excõmunicationis definitione dicitur,
C quoad ſuffragia. additur, quoad fructus, id eſt, Sacramenta. quia excommunicatis Sacramenta non ſunt adminiſtranda. neq; fideles debent conuerſari cũ excõmunicatis, præterquam in quibuſdam caſibus, quos ſi vellem ſigillatim recenſere, longius, quàm inſtitutum opuſculum exigit, oratio noſtra vagaretur. eſt præterea excommunicatio minor, quæ eſt imperfecta excommunicatio, qua quiſpiam tantùm arcetur à communione, & participatione Sacramẽtorum, non autem à communione fidelium, neque à ſuffragiis. ab excommunicatione maiori, quæ pœna eſt ualde grauis, abſoluere poteſt iudex, qui eam intulit, ſiue eo ſuperior, non tamen is ſuperior, qui eſt ſuperior quoad appellationem tantum, ut Archiepiſcopus Epiſcopo ſuperior eſt. quòd ſi non ab homine fuerit lata excommunicationis ſententia, ſed à iure, in eo, ſcilicet, ca-
D ſu in quo lex præcipit eum, qui quippiam peccauerit, confeſtim ipſo facto excommunicationem incurrere, poteſt abſolui à proprio Epiſcopo, niſi Pontifex ſibi abſolutionem reſeruauerit. huius generis excommunicatio cum ſit pœna, non culpa, & grauisſima pœna, non debet infligi, niſi pro culpa, & ea quidem graui. vnde non debet inferri niſi pro peccato mortali, & eo quidem graui. hic notandum, quòd licet ab Eccleſia pœna non posſit inferri niſi uiuentibus, qui ſunt in Eccleſia militanti; nihilominus in cauſa hæreſeos excõmunicari ſolent etiam mortui, & eorum oſſa effodi à ſacro cœmeterio, non quòd illi tunc excõmunicari incipiant, ſed quòd tunc manifeſtum ſit eos fuiſſe excõmunicatos. & hæc pœna medicina eſt non eorum hæreticorum, ſed aliorum, qui dedecus eorum uidentes abſtinent magis à crimine hæreſeos.

uiui etiam quandoque inuiti poſſunt, & debent abſolui ab excommunica- E
tione: nam pœna eſt, non culpa, & medicinalis pœna, ut inquit Apoſtolus ad Corinthios 1.cap.5. iccirco ſicuti probus, & peritus medicus abſtinet à medicina, cum incipit nocere, ita etiam probus Prælatus abſtinet ab excommunicatione, cum obeſt. ab excommunicatione uero minori, quæ contrahatur, cum quiſpiam verſatus eſt cum excommunicato maiori excommunicatione, non tamen participando in crimine, pro quo fuerat excommunicatus, aut in diuinis, neque in contemptum, uel contra præceptum ſuperioris contumaciter; ab ea ergo, quæ ſic contrahitur, poteſt quiliber ſacerdos abſoluere. uerùm complures ſunt caſus ſigillatim à Theologis, præſertim à Canoniſtis nominati, in quibus licet cum excommunicato conuer- F
ſari. perſonæ etiam certæ excipiuntur. quæ omnia & B. Thomas in quarto Sententiarum, & Archiepiſcopus Antoninus in tertia parte ſuæ Summæ collegit. nobis ſufficiat lectorem admonuiſſe. Hoc tantum ſuperioribus addemus, quòd communicans cum excommunicato ſeu à iure, ſeu ab homine, niſi is fuerit publice denunciatus excommunicatus, non propterea excommunicationem incurrit. excipit Antoninus unum tantum, ſcilicet, ſi excommunicatus eſſet ob percuſſum clericum, & crimen eſſet publicum, & notorium; ſic etenim uidetur dicere Apoſtolus, primæ Corinth. cap. 5. Si quis nominatur auarus inter vos, cum eo nec cibum ſumere, interpretatur nanque nominatum eum dici, qui ſit publicatus. Hactenus de excommunicatione. Suſpenſio uerò nihil aliud eſt, quàm pœna canonica, qua clericus G
arcetur ab executione officii, quod ei competit; non tamen propterea eſt excommunicatus, immò eius conſuetudo nulli prohibetur. eſt etiam particeps ſuffragiorum Eccleſiæ. exequi tamen non poteſt officium, quod habet. hæc pœna clericorum eſt, ſi proprie ſumatur. quandoque tamen illata eſt etiam laicis, ut inquit Archiepiſcopus Antoninus. Interdictum uero pœna eſt, qua plecti ſolet communitas. interdumque reſpicit locum tantum, interdum uerò etiam homines. interdicitur autem quibuſdam Sacramentis, & diuinis officiis, ac ſepultura Eccleſiaſtica. cum interdicitur loco, vtique publice diuina celebrari non poſſunt eo in loco: uerùm homines ſi alibi fuerint, poſſunt diuinis intereſſe; quòd ſi fuerit interdictum hominibus, nullibi poſſunt intereſſe diuinis. poſſunt tamen ubi eſt interdictum H
pueri baptizari, nec negatur confitentibus pœnitentia. chriſmate etiam inungi queunt. aliorum Sacramentorum participatione interdictum eſt eis. viaticum tamen decedentibus non negatur. at negatur extrema vnctio etiam decedentibus. extra de ſenten. excom. c. reſponſo, & de pœniten. ac remiſſ. c. quod in te. quidam tamen dies ſolennes excipiuntur ut Paſcha, Natale Domini, dies Pentecoſtes, & Aſſumptio Virginis, de ſenten. excom. libro 6. c. alma. Hæc de interdicto. Depoſitio quid ſit, ex ipſa nominis ſignificatione facile poteſt intelligi. deponitur enim is, qui à ſuo gradu deijcitur in perpetuum. Irregularitas uero eſt inhabilitas quædã, quæ impedit, ne quis officium, quod habet, exercere poſſit, uel etiã ad illud admitti nõ poſſit. ſæpenumero irregu

laritas

A laritas contrahitur abſque delicto, ut illegitime natus irregularis eſt ad ordi-
nes eccleſiaſticos. bigamus etiam irregularis eſt. Inſamiam autem incurrit
Simoniacus conuictus. verùm diſcutere latius de his pœnis canonicis, non
pertinet ad inſtitutum opus. Omnis hic pœnarum tractatus annexus eſt tra-
ctationi de clauibus,& clauium poteſtate; ea uero pertinet ad abſolutionem,
quæ eſt forma in Sacramento pœnitentiæ. Materiam uerò diximus conſtare
ex tribus partibus, contritione, ſcilicet,confesſione,& ſatisfactione. de ſatiſ-
ſactione tractatui annexus eſt tractatus de Purgatorio, & indulgentia. ſupe-
rius diximus, quòd dimiſſa culpa, & ſacta cum Deo reconciliatione, adhuc
ſupererat reatus alicuius pœnæ temporaneæ.nam pœnæ æternæ reatus tepu
B gnat gratiæ, & reconciliactioni factæ. & hoc probauimus luce clarius ex ſa-
cris literis de Dauid,&c. nolo repetere ea, quæ ſupra dixeram. oportet enim
ſocios nos eſſe tribulationis cuiuſpiam,ſi ſuturi ſumus participes gloriæ. pœ
na uero omnis duplicem vim habet. nam medicina quædã eſt, dolor etenim
pœnæ ſacit,ut nõ recedamus ab honeſto propter voluntatem, aut ob quem-
piam dolorem alium minorem, ut colligitur ab Ariſtotele in ſecundo Ethi-
corum. fit etiam per pœnam quædam recompenſatio iuſtitiæ. nam, ſicuti
quiſpiam genio obſequens contra legem, ſibi aliquid attribuit; ita oportet,
ut præter uoluntatem aliquid patiatur.hæc uero temporanea pœna innititur
ſatisfactioni factæ per Chriſtum, ſicuti primæ cauſæ, & reſpondet peccato,
quatenus inordinate conuertitur ad bonum commutabile.ſic etenim eſt con
C tra legem naturalem. vnde etiam peccatis venialibus ob inordinatam con-
uerſionem, quamuis in ea non ſit auerſio à Deo, debetur tamen aliqua pœ-
na: quòd ſi fuerit contra ciuilem legem illud idem peccatum, debebitur ei
præterea etiam pœna ſtatuta per legem ciuilem. hoc ergo poſito, poſt culpæ
dimisſionẽ,imponitur ſatisfactio,quæ ſi fuerit impoſita peccati reatui æqua-
lis,nil amplius ſoluendum reſtat. Contritio etiam, quia dolor eſt, vim habet
ſatisfaciendi; quòd ſi non fuerit æqualis,ſed inferior,& minor,id, quòd reli-
quum eſt,ſoluendum eſt poſt obitum, eluendæque ſordes omnes, antequam
perueniamus ad gloriam.Ignis, hoc,purgatorius appellatur ab omnibus.Lu-
therani,& quipiam alij contra cõſuetudinem,& ſenſum totius Eccleſiæ pur-
gatorium ignem negarunt, eò quòd non ſit expreſſa mentio de eo facta in ſa-
D cris literis, nec verentur contr adicere ſententiæ uniuerſalis Eccleſiæ, & an-
tiquorum doctorum patrum noſtrorum. Auguſtinus præter locos alios, &
in confesſionibus,de obitu matris,& in libro de ciuitate Dei,proprium opu-
ſculum fecit de cura agenda pro mortuis, ubi adducit locum illum Macha-
bæorũ lib. 2. c. 12. de Iuda Machabæo, qui miſit duodecim millia drachma-
rum Hieroſolymam, cogitans, quòd pium eſſet orare pro mortuis. & ſubdit
ſtarim, quòd etiam ſi non eſſet locus ſcripturæ, ei ſufficeret auctoritas totius
Eccleſiæ. Græci non'ne orãt pro mortuis? in miſſis eorum compoſitis à Ba-
ſilio, & Chryſoſtomo non'ne fit oratio pro mortuis? idem dicit Chryſoſto-
mus in quodam ſuorum ſermonum. Damaſcenus tractatum peculiarem
compoſuit. idem colligitur à Dionyſio in libro de Eccleſiaſtica hierarchia.

Vide quanta ſit audacia quorundam homuncionum, qui audent criſtas eri- E
gere contra ſenſum Eccleſiæ uniuerſalis, iam per tot ſecula diuulgatum. ve-
rùm in ſacra ſcriptura ſunt loci, ex quibus hoc colligi poteſt, ſi non uolumus
eſſe pertinaces. locus ille de Iuda Machabæo, quem ſupra tetigimus, in epi-
ſtola Pauli ad Corinth. 1.cap.3. de eo, qui ſuperædificat fœnum, ligna, & ſti-
pulam ſuper fundamentum, & aurum, & argentum, ſiue gemmas, & quod
ignis probabit, quale ſit vniuſcuiuſque opus, eſt etiam locus meo iudicio ex-
preſſus. ſcio eſſe aliquos doctores, Chryſoſtomum ſcilicet, qui interpretan-
tur eum locum de doctrina, deinde extorquent id, ſcilicet, quod ignis proba-
bit. attamen locus ille clarus eſt, & expreſſus, ſiquis noluerit vim interpreta-
tionis alterius ei adhibere. Præter purgatorium, & damnatorum in perpetuū F
locum, eſt puerorum Limbus, qui decedunt tantum cum originali peccato.
hunc locum Auguſtinus in multis ſuorum operum locis non uidetur agno-
ſcere, licet dicat, quòd leuisſima omnium pœna mulctentur. nonnulli etiam
moderni doctores uidentur aſſentiri huic ſententiæ. in Concilio Florentino
tempore Eugenij quarti celebrato, nihil certi ſtatutum eſt. verùm omnes fe-
rè poſteriores, Limbum puerorum poſuere. ſit in ſcriptura præterea mentio
de ſinu Abrahæ, in quo, in Euangelio Lucæ, c.16. dicitur fuiſſe Lazarus pau-
per ille. fuit pater credentium Abraham, ideo qui ſalui erant per fidem, nec
tamen admitti poterant ad gloriam, nondum ſoluto peccato naturæ paſsio-
ne Chriſti, dicti ſunt fuiſſe in ſinu Abrahæ. nunc uero ſinus Abrahæ eſt vita
æterna, ad quam gratia Dei perducat nos. Tractatui de purgatorio annexa G
eſt tractatio de indulgentijs. Vſus Eccleſiæ antiquus fuit, quæ ſpiritu Chriſti
regitur, & ideo errare non poteſt, indulgentias cōcedere ad abluendum rea-
tum pœnarum purgatorij. ratio uero, qua nititur hæc conceſsio indulgentia-
rum, eſt, quoniam, ſi qui duo fuerint, vnus vinculo charitatis efficiuntur; a-
mor etenim, ut inquit Dionyſius in libro de diuinis nominibus, habet virtu-
tem vnitionis, ut ex pluribus unum faciat: poteſt ergo amicus ſoluere amici
debitum, & iuſtitiæ ſatisfacere. pœnæ igitur, non quatenus medicina eſt, ſed
quatenus per eam ſatisfit culpæ, & culpa pœnæ æquatur, poteſt amicus pro
alio ſubiens pœnam ſatisfacere, ſibique ex charitate illa, qua pro amico ſatiſ-
facit, mereri. hoc ſuppoſito, cum in Eccleſia ſit ſatisfactio Chriſti, qua pro
omnibus ſatisfecit, & pro totius mundi peccatis; ſunt etiam opera ſatisfa- H
ctoria ſanctorum, qui auſteram vitam egerunt, multumque laboris ſubie-
runt, quæ ſuperant reatum pœnæ eorum, & in utilitatem Eccleſiæ paſſi
ſunt, iuxta illud Pauli, ad Coloſſenſ. cap. 1. Suppleo in corpore meo, quæ de-
ſunt paſsionum Chriſti, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. ſi quis ergo reus
pœnæ fuerit charitate his coniunctus, vtique ex iuſta, & pia cauſa, ut San-
ctorum, & Chriſti ſeruetur intentio, poterit is, qui Eccleſiæ propoſitus eſt, ſa
tisfactionem eam applicare. iccirco tria requiruntur ad conceſsionem indul
gentiæ, in ſuſcipiente charitas, nam ſine charitate unus non eſſet cum Chri-
ſto, & Sanctis. in concedente, & dante auctoritas, in cauſa pietas. vnde non
poſſunt concedi pro arbitrio, & uoluntate dantis, ſed ex iuſta, & pia cau-
ſa. hu-

A ſa. huiuſce rei poteſtas omnis in Pontifice eſt;in Epiſcopis uerò limitata. alij uerò cum propriæ Eccleſiæ non omnino præſint, hac auctoritate carent. diximus ſupra, cum Sacramentum ſit inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, peccatum verò veniale non repugnet gratiæ, & charitati, nullum fuiſſe inſtitutum Sacramentum ad abolitionem peccati venialis, ut putat Thomas; quamuis Scotus teneat extremam vnctionem inſtitutam fuiſſe ad veniale peccatum delendum. verùm, cum peccatum veniale repugnet actui charitatis.etenim, quamuis in peccato veniali non ſit auerſio à bono incommutabili, eſt tamen inordinata conuerſio ad bonum commutabile;ideo quædam non Sacramenta, ſed ſacramentalia ſunt in Eccleſia inſtituta, quibus cum excitetur animus
B ad peccatorum deteſtationem, uel ad charitatem, & amorem Dei, in quo neceſſe eſt, ut nobis diſpliceant omnia, quæ impediunt nos, ne ſemper actu feramur in Deum, huiuſce omnibus ſoluitur reatus peccatorum venialium quoad culpam, & ſæpe quoad pœnam, licet hoc non ſit neceſſarium. huiuſmodi uerò ſunt, confesſio illa, quæ fit in hora diei prima, & in completorio, quæ ex deuotione confitentis, & ex humilitate confesſionis, & ex oratione, miſereatur &c. vim habet ad remisſionem venialium. oratio etiam dominica,ſi fuerit deuote prononciata,cum dicimus,dimitte nobis debita noſtra, ad deletionem culpæ venialium valet. item aſperſio aquæ Sanctæ. excitatur enim his omnibus affectus animi in Deum, & in peccatorum deteſtationẽ. Præter hanc pœnitentiam, quam diximus eſſe Sacramentum, eſt etiam pœ-
C nitentia ſolennis, quæ ſub parte Sacramenti eſt, id eſt ſub ſatisfactione. hac antiqua Eccleſia vti ſolebat, nunc uenit in deſuetudinem. vtebatur longa & varia cæremonia. nam pœnitentes in exordio quadrageſimæ cum ſuis preſbyteris accedebant ad Eccleſiam ad Epiſcopum,ac ingrediebantur nudis pedibus ſacco induti, legebantur ſeptem Pſalmi pœnitentiales, aſpergebantur aqua benedicta, imponebatur cinis ſuper eorum capita. deinde, ſicuti Adam eiectus eſt de Paradiſo, ita denunciabatur, quòd eijcerentur ab Eccleſia, & ita expellebantur vſque ad cœnam Domini; tunc recipiebantur, non tamen communicabant, neque eis dabatur pax à ſuis presbyteris. hocque ſeruabant ſingulo quoque anno, quouſque erant pœnitentes, donec ab Epiſcopo iterum recipiebantur. hæcque pœnitentia ſemel tantum poterat iniungi. ac ta-
D les multis carebant poſtmodum priuilegiis. hæc niſi ab Epiſcopo imponi nõ poterat. eſt præterea pœnitentia, ſatisfactio ſcilicet, non ſolennis, ſed publica, qua nunc etiam ſolemus vti interdum, ut is, ſcilicet, qui magnum quodpiam ſcelus commiſit, præſertim ſi ex eo ſcandalum publicum ſit ortum, etiam publice ſatisfaciat.Hactenus in ſumma de Sacramento pœnitentiæ dixiſſe ſufficiat.

De Sacramento extremæ vnctionis. CAP. II. E

POST pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum à Chriſto fuit,ſed promulgatum ab Apoſtolis, Sacramentum extremæ vnctionis; qui etiam ante obitum Chriſti dicuntur in Euangelio Mar. c. 6. vnxiſſe infirmos oleo.hoc Sacramentum veluti quidam eſt apex Sacramenti pœnitẽtiæ, quod inſtitutum fuit ad abolendum reliquias peccati, quæ ſuperſunt, & ad infirmitatis reliquias tollendas. hæc prima vis eſt huius, de quo agimus, Sacramenti. Poſterior uerò prioris aſſecla eſt,curatio ægritudinis corporis,ſi ita expedit animi bono; ſic etenim habemus, in epiſtola Iacobi c.v. Infirmatur quis in vobis,aduocet presbyteros Eccleſiæ, qui vngant eum oleo,& oratio fidei ſaluabit infirmum,& ſi fuerint,in peccatis dimittentur ei. Iccirco datur tantum infirmis,& per modum medicinæ. aliter uerò perituris,ut à iudicibus condemnatis,non datur hoc Sacramentum;in extremo etiam vitæ cõſtitutis, ſolet hoc Sacramentum conferri, quando non uidetur amplius ſpes relicta medicinæ humanæ, his,ſcilicet,qui uel adhuc ſanæ ſunt mentis,& Sacramentum hoc petunt,uel his,qui cum ſanæ fuerint mẽtis,habuerunt huius deſiderium Sacramenti,ut ſuperius dictum eſt,cum ageremus de baptiſmate adultorũm.pueris non datur,ſicuti nec Euchariſtia,quia eget deuotione.huius Sacramenti materia eſt oleum oliuæ,ab Epiſcopo in hunc vſum conſecratum. forma uerò ſunt uerba prolata à presbytero, qui huius Sacramenti miniſter eſt,profertur autem per modum orationis, uidelicet,Per iſtam ſacratisſimam vnctionem, & per Dei miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per oculos deliquiſti, ſicque in cæteris locis,qui inungũtur.hi uerò ſunt,oculi,propter viſum; aures,ob auditum; nares, ob olfactum; os propter guſtum; manus, propter tactum. & in his locis neceſſaria eſt vnctio de neceſsitate Sacramenti. quidam vngunt pedes ob vim motiuam. nonnulli etiam renes ob vim appetitiuam. hoc peculiare eſt in forma huius Sacramenti,quod in ea vtimur oratione deprecatiuâ,non enunciatiua,ut in aliis Sacramentis,nec imperatiua,ut dicemus infra in Sacramento ordinis. ratio huius duplex adducitur à D.Thoma,primò, quoniam datur infirmis in extremo vitæ conſtitutis, qui uidentur maximè indigere Dei miſericordia, qua oratio nititur. item, quoniam actus recipientis non eſt de integritate huius Sacramenti,nullaque fit impreſsio in materia male diſpoſita, iccirco propter indiſpoſitionem recipientis nulla fieri poteſt impresſio, ſicque irrita eſſet vis Sacramenti.quamobrem utitur ſacerdos oratione deprecatiua. in Sacramento autem pœnitentiæ, quoniã actus pœnitentis ſunt de integritate Sacramenti, ideo enũciatiua oratione utitur in abſolutione ſacerdos. in baptiſmate uerò, etiam in ficte accedentibus,ſi non gratia,character tamen, & cõſecratio certa recipitur,cuius vi etiam recedente fictione,adeſt gratia.hæc de forma,& materia, item de miniſtro & recipientibus, ac inſtitutione huius Sacramenti. Nolo in calce huius tractatus præterire, quibuſdam uideri Dionyſium in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia,ubi loquitur de defunctis,& eorum exequijs, mentio-

F G H

A pmentionem facere de hoc extremæ vnctionis Sacramento, cum dicit corpus o leo inungi. verùm falluntur. nam illa vnctio cadaueris erat, quòd nullius capax eſt Sacramenti, neque vlla adhibentur verba, ſine quibus veluti ſine forma nulla confici, aut conſtare poſſunt Sacramenta. ideo cæremonia tantùm quædam illa erat, qua ſignificabatur defunctum illum fuiſſe plurimis certaminibus aduerſus Diabolum, ad quæ obeunda in baptiſmate vnctus fuerat. quòd ſi quæras qua ratione de hoc Sacramento mentionem non fecerit Dionyſius: reſpondeo eadem propemodum, qua, neque de pœnitentiæ Sacramento, neque de Matrimonio mentionem fecerat. eius etenim inſtitutum fuit tractare de actionibus hierarchicis, in qui-
B bus hæc Sacramenta numerari non poterant. nam purgatio potius pertinet ad doctrinam, & ſatisfactionem, & diabolicam vexationem, quàm ad abſolutionem à culpa, quam diaconus præſtare non poteſt, cum ſacerdotis ſit munus, Purgatio tamen hierarchica pertinet ad diaconum. Hactenus de hoc Sacramento extremæ vnctionis. &c.

LIBER QVARTVS.

De Sacramento Ordinis. CAP. I.

HACTENVS ea Sacramenta ſunt à nobis expoſita, quæ ad
ſanctificationem, & expiationem ſinguli cuiuſque Chri-
ſtiani pertineant: uerùm, quoniam horum Sacramento-
rum omnium miniſtri ſunt Sacerdotes, & Epiſcopi, quo-
rum miniſterio & regeneratur unuſquiſque in Eccleſia
Chriſti ſecundum inſeriorem hominem, & expiatur à con
tracta peccatorum labe; ideo nunc eſt à nobis agendum de ordinibus Eccle-
ſiaſticis. illudq́ue in primis diſcutiendum, ſacerdotium, ac reliquos ordi-
nes non conuenire unicuique Chriſtiano, ut Lutherani dicere ſolebant,
nixi quibuſdam Sacræ ſcripturæ locis ab éis perperam intellectis. locus eſt G
apud Petrum 1. c. 2. vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens
ſancta. item in Apocalypſi c. 1. fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo. Ex
his locis nonnulli parum eruditi volebant deduci omnibus Chriſtianis ſa-
cerdotium conuenire, adeo, quòd etiam fœminis. verùm quàm fallantur
præter vſum Eccleſiæ, & rationem, innumeraſq́ue auctoritates ſcripturæ
ſacræ, res ipſa, & loci illi eos docere poterant, aliud eſſe ſacerdotium, quod
omnibus Chriſtianis conuenit, qui in baptiſmate vncti ſunt, & aliud hoc,
quod nos ſacrum ordinem appellamus. ſicuti apud Hebræos, à quibus lo-
cum illum ſumpſit Petrus, quamuis omni populo dictum fuerit, vos rega-
le ſacerdotium; attamen erat priuatus ordo ſacerdotalis, qui pertinebat
ad trahentes originem ab Aaron, neque etiam omnes erant Reges, ſicuti H
Dauid; quemadmodum neque Chriſtiani omnes ſunt Reges, quamuis
dictum ſit omnibus regale ſacerdotium. verba B. Petri, quæ ſequuntur,
indicant quo pacto ſimus omnes ſacerdotes. nam ſubdit, offerentes ſpiri-
tuales hoſtias Deo. ecce, quomodo ſumus ſacerdotes, quia offerimus Deo
hoſtias ſpirituales, cordis affectum, orationes, eleemoſynas, cæteraq́ue bo-
na opera. nam talibus hoſtiis promeretur Deus. ecce, quo pacto omnes ſu-
mus ſacerdotes. ſic omnes ſumus Reges, ſi prauis affectibus fuerimus do-
minati. ſed pluſquam par erat, morati ſumus in hac ſtulta ſententia explo-
randa. Veniamus ad exponendum hoc ordinis Sacramentum. Or-
do eſt ſignaculum quoddam, ſeu ſacrum ſignum, quo ordinatis tra-
ditur

A ditur ſpiritualis poteſtas, & officium. Ordo hic ſumitur, non pro reſpectu
& habitudine quapiam, ſed pro gradu. nam in ſuperiori gradu ſupra popu-
lum conſtituti ſunt clerici, ſic dicimus ſenatorium ordinem. hoc Sacramen-
tum non eſt inſtitutum ad expiationem, immò expiati per pœnitentiam, tan
tum digne accedunt ad ſacros ordines: augetur tamen gratia, & infirmitati,
quæ ſolet contingere in exercendis ſacris muneribus, remedium adhibetur.
conſertur præterea conſecratio, ſiue character, ſicuti in baptiſmate, & confir-
matione, quem quidam interpretantur eſſe ſignaculũ illud, ſeu ſacrum ſignũ.
verum & character, & etiam viſibilis illa cæremonia, qua clerici ad hunc ordi
nem aſſumuntur, recte potuit fuiſſe dicta ſignaculum, ſeu ſacrum ſignum. nã
B Sacramentum, eſt inuiſibilis gratiæ, viſibilis forma. conſecratio hæc potiſſi-
mum eſt in hoc Sacramento ordinis Eccleſiaſtici. nam inſtitutum fuit nõ ob
maiorem ſanctificationẽ ſuſcipientium ordines ſacros, ſed ob id potiſſimũ,
ut conſecrati miniſtri eſſent, ac medij inter Deum & populum. ſunt in hoc
quoque Sacramento materia, & forma, quemadmodum in aliis Sacramẽtis:
nõ tamen omnino ſimilis eſt in hoc, & in aliis ratio materiæ, & formæ. ideo,
ut à forma incipiamus, Epiſcopus in conferendis ordinibus, non utitur enun
ciatione, ſed modo imperatiuo. inquit enim, accipe poteſtatem &c. nam in
aliis Sacramentis, cum traduntur, ſacerdos ſeu Epiſcopus tantum miniſter
eſt, & inſtrumentum: in hoc uerò, cum Epiſcopus tradat poteſtatẽ, quam ha-
bet, immò minorem, vtitur etiam modo imperandi, inquitque, accipe &c.
C materiæ quoque in hoc Sacramento, aliquo pacto ratio eſt diuerſa à materia
aliorum Sacramentorum. nam in aliis materia efficientis vim habet, ut aqua
in baptiſmate, ſic oleum in chriſmate. in hoc uerò Sacramento materia, ſunt
inſtrumenta, quibus utuntur in eo ordine exiſtẽtes, ut claues, Vrcei, cæteraq;
id genus. quamobrem in hoc Sacramẽto longe potior vis eſt in forma, quàm
in materia. quo fit, ut in nonnullis Sacramentis vaſa tradantur conſecrata nõ
ab Epiſcopo, ſed à Diacono. miniſter eſt Epiſcopus, qui habeat iuriſdictio-
nem, quamuis minores ordines conferantur ab Abbatibus, & per cõmiſſio-
nem Papæ poſſint conferri à ſacerdotibus quibuſcunque. Maiores uerò or-
dines ab Epiſcopo tantum conferri poſſunt, adeo, quòd per commiſſionem
Papæ ſimplex ſacerdos non poſſet conferre diaconatum, & ſacerdotium.
D item, ſubdiaconatum, ut inquit B. Thomas in quarto ſententiarum libro.
verùm de his infra, cum agemus de Epiſcopatu. ſuſcipientes uerò, primùm
neceſſe eſt, ut ſint baptizati. nam omnium Sacramentorum ianua eſt Baptiſ-
ma, ut ſupra diximus: adeo, quòd ſi non baptizatus ſuſciperet quempiam or-
dinem, neceſſe eſſet, ut baptizaretur, ac rurſus conſecraretur, quoniam ba-
ptiſmate confertur eſſe, & viuere vita Chriſtiana, ut ſupra diximus, ut extra
de presbytero non baptizato. oportet etiam ut ſint confirmati, & ordine
quodam ordines ſuſcipiant, ſcilicet, ut non prius ſuſcipiant ſuperiorem or-
dinem, quàm ſuſceperint inferiorem; quòd ſi ſecus factum fuerit, oportet, ſi
nõ fuerint confirmati, ut confirmentur, quòd ſi ordine inferiori non fuerint
initiati, ut initientur; non tamen propterea debent repetere conſecrationem
ordi-

ordinis ſuſcepti, quòd in præterito baptiſmate fieri oportebat, ut diximus. E
Debent etiam accedentes ad ſuſcipiendos ordines purgati eſſe per pœniten-
tiæ Sacramentum, non tamen neceſſarium eſt, adeo quòd non purgati etiam
non accipiant characterem, & ordinem ſacrum. Hoc Sacramento confer-
tur ſuſcipienti ſua ſacramentalis gratia, qua magis idoneus fit ad functionem
illius muneris. augetur etiam prior gratia, ac propterea adhibetur peccato
remedium, & robur ad reſiſtendum. verùm, ut ſupra tetigimus, magis reſpi-
cit hoc Sacramentum peccata populi expianda miniſterio ſacerdotis, quam
ipſius peccata clerici, & ideo conſecratio potiorem partem habet. Ordines
Eccleſiaſtici ſeptem ſunt. quatuor, ſcilicet, minores, & tres ſacri, qui hoc, ſo-
li, nomine appellantur, non quòd minores etiam non ſint ſacri; ſed quòd F
his initiati non ſolummodo admittuntur ad tangenda vaſa ſacra, in quibus
corpus, & ſanguis Chriſti continetur, patenam, ſcilicet, & calicem. minores
ordines ſunt Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus. hi ordines nō impediunt
matrimonium contrahendum, immò ſi contrahant; erunt clerici coniugati:
aduertendum tamen, quòd de cōſuetudine Eccleſiæ eſt, quòd donec vxorem
habent, ſuſpendantur ab executione officii, illi ordini debito. horum officia
ferè manifeſta ſunt ex eorum nominibus. nam Oſtiarius præpoſitus oſtio tē-
pli, excludit excommunicatos, & interdictos à ſacris, admittit autem cæte-
ros. item arcebat pœnitentes energumenos, & catechumenos ab abſpectu ſa-
crificij corporis, & ſanguinis Chriſti. Lectoris officium eſt legere populo li-
bros veteris teſtamenti, in quo Figuræ ſunt, & Prophetiæ Chriſti. Exorciſtæ G
adiurabant immundos ſpiritus ab energumenis, qui vexabantur. Acolytus
poſtremo, qui & ceroferarius, afferebat lumina ad Euangelii lectionem in
ſacris Miſſarum: affert etiam uinum, & aquam in vaſculis, eaque offert ſacer-
doti Miſſam dicenti, unde quodammodo attingit officium ſubdiaconi. nam,
quamuis Acolyti non attingant vaſa ſacra ſacrificii, offerunt tamen ſacerdo-
ti materiā, & ſi non ſanctam, quæ tamen ſit ſanctificanda ad ſacrificium. vnde
puto eos fuiſſe appellatos Acolytos, uel quia arceri non poterant, quin acce-
derent ad ſacerdotem, uel quia aſſequebantur ſtatim ſubdiaconum. Acoly-
tum, ſcilicet, quaſi Acoluthum. priores horum actiones reſpiciunt uerum
Chriſti corpus, ſecundariæ populum. Oſtiarius admittit dignos, & exclu-
dit indignos à corpore Chriſti. Lector uerò in Figuris, & Prophetis Chriſtū, H
& Chriſti ſacrificium nunciat. Exorciſta Energumenum dignum facit, expel
lendo Dæmones, ad communionem corporis Chriſti. Acolytus affert mate-
riam ſanctificandā in corpus & ſanguinem Chriſti. Ordine ſolebant hæc ſin-
gula fieri à ſuis quæque ordinibus, nunc omiſſa eſt priſca illa conſuetudo. hos
minores quatuor ordines, ſequuntur tres maiores, qui etiā ſacri appellantur,
Subdiaconus, ſcilicet, Diaconus, & Sacerdos. dicuntur hi ordines ſacri, quia
accedunt ad ſacra propinquius aliis, tangereque eis licet vaſa ſacra, quod non
licet inferioribus ordinibus. hi omnes votū faciunt caſtitatis ſolēne; quam-
obrem contrahere matrimoniū nō poſſunt; &, ſi contraxerint, irritū eſt pro-
pter votū ſolenne factum. Quo in loco notandum eſt; Votū caſtitatis quod-

dam

A dam ſimplex eſſe, quoddam ſolenne, & publicum. ſimplex Votum eſt, quan-
do quis Deo vouet ſe ſeruaturum caſtitatem, & acturum vitam continentē.
hoc Votum impedit matrimonium contrahendum, & reus fit, qui cõtrahit,
fidei fractæ; non tamen fit irritum matrimonium, poſtquam contractum eſt.
at, Voto publico, & ſolenni, quale fit in Religionis profeſsione, & in ordini-
bus ſacris ſuſcipiendis, non tantum impeditur matrimonium contrahendū,
verumetiam contractū dirimitur, ſed de hac re plura inferius, cum dicemus
de Sacramento matrimonij. Redeamus ad ſacros ordines. Primus eſt Sub-
diaconus. huic priſcis temporibus non erat annexum Votum continentiæ.
viſum poſterioribus fuit, cum tãgat vaſa ſacra Subdiaconus, pertinere etiam
B ad hunc ordinem munditiam caſtitatis. Mundi eſtote, & mundamini, inquit
ſcriptura, ut Eſa. c. 1. qui fertis vaſa Domini. ordo hic, quantū ad corpus Do-
mini uerum, quod primò reſpiciūt ordines Eccleſiaſtici, officium habet ſub-
miniſtrare Diacono vaſa ſacra, vnde etiam nomen accepit, vocatusque fuit
Subdiaconus. ad corpus uerò Chriſti myſticum, ad Eccleſiam, ſcilicet, & po-
pulum Chriſtianum munus habet legere doctrinam Apoſtolicam in epiſto-
lis Apoſtolorum contentã, ſicuti Acolytus, & fert cereos ad lectionem Euan
gelij, quæ populo fit: & in miſſæ celebratione affert vrceolos, quibus conti-
netur materia Sacramenti nondum conſecrata. poſt Subdiaconum, eſt Dia-
conus, qui primus miniſter eſt. huic licet tangere vaſa ſacra, cum in eis eſt ma
teria conſecrata. vnde antiquitus Diaconi diſpenſabant populo ſanguinem
C Chriſti, quando eo more utebatur Eccleſia, ut ſub utraque ſpecie communi-
catio fieret populo corporis & ſanguinis Chriſti. legit etiam populo Diaco-
nus Euangelium, in quo continetur doctrina tradita à Chriſto immediate,
non per Spiritum exiſtentem in Apoſtolis. Dionyſius in libro de Eccleſiaſti-
ca Hierarchia, cum faciat mentionem de Epiſcopo, de presbytero, & de Dia-
cono, non tamen expreſſe mentionem facit de Subdiacono, & de ordinibus
inferioribus. verùm ex eius dictis colligitur fuiſſe Diaconorum, id eſt, mini-
ſtrorum diuerſos ordines; inquit enim ſelectos miniſtros aſsiſtere ſacerdo-
ti in Miſſarum ſolennibus, alios uerò ad fores templi, ſicque ad alia munera
obeunda. poſt Diaconum eſt Sacerdos, qui ad uerum Chriſti corpus ſummā
habet poteſtatem. nam conficit conſecratione corpus Chriſti, quod eſt Sa-
D cramentum omnium Sacramentorum. hæ præcipuæ ſunt actiones horum
trium, ſeu etiam quatuor ſuperiorum ordinum, quæ directe ſpectant ad ue-
rum corpus Chriſti, & ad illud ordinantur. habent præterea hi ordines, ut te-
tigimus etiam ſuprà, aliquas actiones, quæ reſpiciunt corpus Chriſti myſti-
cum, id eſt, Eccleſiam, & populum Chriſtianum, quatenus idoneus fit ad Eu-
chariſtiæ ſumptionem. Et, quia, ut à Philoſophis accepit B. Thomas, eiuſ-
dem agentis eſt diſponere materiam ad ſuſceptionem formæ ultima diſpo-
ſitione, & formam inducere, ideo ad ſacerdotem pertinet abſoluere, & re-
mittere peccata, ut, ſcilicet, abſolutus ſit maximè idoneus ad ſumptionem
corporis Chriſti, & etiam corpus Chriſti conficere; ideo. cum vtriuſque

officij poteſtatem accipiat in huiuſmodi conſecratione, characterem cum E accipit in ſuſceptione calicis, qui ei traditur cum vino, & patena, quæ datur ei, cum hoſtia non Sacra.. Diaconus uerò, quia ei non traditur in vaſis ſacris aliqua materia, ut ſacerdoti, & vaſa ſacra tangere etiam Subdiacono licet, credendus eſt ideo accipere characterem in manus impoſitione, qua in re præeminet eius conſecratio cōſecrationi Subdiaconi. actio ſecunda Diaconi ſpectans ad populum, eſt lectio Euangelij, ut diximus. Subdiaconi prima actio; eſt oblatio vaſorum ſacrorum Diacono, & per illum ſacerdoti. ſecunda legere populo doctrinam Apoſtolicam, & vtriuſque officij in conſecratione poteſtatem accipit. attamen in ſuſceptione vaſorum ſacrorum, vacuorum tamen, characterem, & conſecrationem capit. Acolytus primam actionem habet afferendi vrceolum ad ſacrificium, qui ei datur in conſecratione vacuus; F Subdiacono uerò plenus. actio ſecunda eſt ferre cereos, & lumina, ad expellēdas animi, & mentis tenebras; ideò datur ei in conſecratione Cereoferarius: conſecrationem tamen accipit in ſuſceptione vrceoli. tres alij ordines ferè diſtinctam non habent actionem, quæ eſt ad uerum Chriſti corpus pertinēs, ab ea, quam habent ad corpus myſticum, id eſt, ad populum, præterquàm cum in templo, quo populus conuenit, ad Miſſarum ſacra, Oſtiarius omnino expellat indignos, Exorciſta certo tempore, Energumenos, quibus præeſt, Lector uerò Catechumenos, qui etiam ſæpe in Conciliis appellantur audientes, & pœnitentes. quos quædam Conciliorum Decreta in nonnullis delictis coniungunt audientibus. Hæ actiones reſpiciunt corpus Chriſti, quatenus exercentur in Miſſarum ſacris; tamen præcipue reſpiciunt populum, neque ſatis G perſpicue poſſunt diſtingui. hi ſeptem ſunt ordines Clericorum in Eccleſia: verùm infra minores ordines eſt Corona, ſeu Tonſura, & ſupra maiores eſt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Primas, ſeu Patriarcha, & Pontifex Romanus. quantum ad clericalem coronam, tenet B. Thomas in quarto, quòd non ſit ordo. & rectè: nam, cùm ordo ſit ſignaculum, quo ordinatis traditur & ſpiritualis poteſtas, & officium, ac per coronam nulla tradatur poteſtas & officium clericis, ut patet ex his, quæ ab Epiſcopo recitantur, cum clericum tondet. nam aſciſcitur tantum in clerum, & ad diuina obſequia, ſpiritualemque vitam, nullum tamen officium, nec poteſtas ei propterea traditur. corona ergo non eſt ordo, ſed eſt aditus & veſtibulum ad ordines, ſicut ſponſalia ad H matrimonium. At de Epiſcopatu magna eſt quæſtio, an ſit ordo necne. Magiſter ſententiarum in quarto ponit tantum ſeptem ordines, ſacerdotemque ſummum facit, deinde numerat quaſdam in Eccleſia dignitates ut Epiſcopatum, Archiepiſcopatum, Primatem &c. B. Thomas, item in quarto tenet, quòd propriè capiendo ordinem, Epiſcopatus non ſit ordo, quia poteſtas ordinis primò reſpicit corpus Chriſti uerum, ſupra quod Epiſcopus non habet quapiam in parte maiorem poteſtatem ſimplici ſacerdote; ſi uerò ordo capiatur pro officio ſupra myſticum corpus, ſic Epiſcopatus dici poterit ordo, ſed impropriè. attamen contra magnam dubitationem facit, quia

poteſtas

A poteſtas ſpiritualis, ſi non eſt ordinis, eſt iuriſdictionis Epiſcopalis, ergo poteſtas eſſet iuriſdictionis. ex quo ſequitur, quòd munera Epiſcopi poſſent committi exequenda non Epiſcopo. ſuperius diximus de vnctione chriſmatis, quòd presbyter ex commisſione Papæ poteſt conferre chriſma; de minoribus ordinibus diximus, quòd conferri poſſunt ab Abbatibus; quamobrem poteſtas Epiſcopi in ea re non eſt ordinis, ſed potius iuriſdictionis. verùm, quia committi non poteſt niſi ſacerdotibus, non autem diaconis, ſicuti ea, quæ ſunt tantum iuriſdictionis, ut excommunicatio, indulgentiæ &c. iccirco ſuperius diximus, eſſe huiuſmodi facultatem mediam inter iuriſdictionis facultates, & ordinis. verùm poteſtas illa Epiſcopi cōferendi ſacros ordines, B nulli poteſt committi, neq; ab alio, quàm ab Epiſcopo poſſunt conferri, quia propinquisſime reſpiciunt corpus Chriſti; ſicuti ergo, ut inquit item B. Thomas in quarto, ſolus ſacerdos, qui poteſt conficere uerum corpus Chriſti, poteſt etiam abſoluere in foro conſcientiæ, & facere pœnitentem idoneum ad ſuſcipiendum corpus Chriſti; ita hi ſacri ordines præſertim presbyteratus, cum habeant immediatum reſpectum quendam ad uerum corpus Chriſti, non poteſt committi hoc munus alteri, quàm Epiſcopo. ex quo uidetur ſequi, quòd poteſtas hæc ſit ordinis, & non iuriſdictionis. verùm, ſi huic rationi conceſſerimus, & dicemus Epiſcopatum ordinem eſſe, & ſuperiorem ſacerdotio, ab eoque diſtinctum, confeſtim maior quædam quæſtio oritur. nam ſi diaconus nondum presbyter conſecretur in Epiſcopum per ſaltum, ut C habetur extra de presbytero ordinato per ſaltum, accipiet hic characterem, & conſecrationem Epiſcopi, cum non ſit presbyter: poterit igitur facere ea, quæ ſunt illius ordinis; igitur poterit conſecrare quempiam in presbyterum, cum tamen ipſe non ſit presbyter, quod uidetur ualde abſurdum. nimirum quæſtio hæc eſt ualde implicata, uerum, ut reor, Durandus in quarto optime eam ſoluit. putat ipſe Epiſcopatum eſſe ordinem, non tamen diſtinctum à ſacerdotio, ſicuti ſacerdotium diſtinguitur à diaconatu, ſed ſicuti perfectum in eodem genere differt ab imperfecto, ſicuti in humano genere puer à viro, nam ſacerdos eſt imperfectus Epiſcopus, & Epiſcopus perfectus ſacerdos. nam perfecti eſt poſſe facere tale, quale ipſum eſt; imperfectum uerò hoc non poteſt; vir poteſt virum alium generare, quod puer non poteſt; ita D Epiſcopus poteſt ſacerdotem conſecrare, quod ſacerdos non poteſt. ex quo ſequitur, quòd is, qui non eſt presbyter, non posſit in Epiſcopum conſecrari; ſicuti fieri non poteſt vir, qui prius non fuit puer; quòd ſi conſecraretur, nullam reciperet is conſecrationem, ſeu characterem, & ideo fungi munere Epiſcopi non poſſet, ſed oporteret, ut is conſecraretur prius in ſacerdotem, ac poſtmodum iterum conſecraretur in Epiſcopum. hæc Durandi ſententia mihi ſummopere probatur. Canoniſtæ uerò tenent Epiſcopatum ordinem eſſe ſupra ſacerdotium. & quia nō ſatis acutè hæc intelligunt, eorū complures, ut refert Abbas Panormitanus extra de presbẏ. ordin. per ſaltum tenent, quod Diaconus ordinatus in Epiſcopum per ſaltum, oportet ut conſecretur

ſecretur in presbyterum, non tamen iterum conſecrandus eſt in Epiſcopum, E ſicuti de ſubdiacono diceremus ordinato per ſaltum in presbyterum, ſed in his rebus auctoritas Canoniſtarum non eſt magni facienda. Epiſcopus ſupra ea, quæ poteſt ſacerdos facere, poteſt nouem. nam poteſt Clericos ordinare, Virgines benedicere, Eccleſias dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chriſma conficere, Veſtes, & vaſa conſecrare, Chriſmate vngere, excommunicare. Quæ omnia pertinent ad actiones Hierarchicas in hac Eccleſiaſtica Hierarchia. nec eſt vlla actio Hierarchica, quam Epiſcopus nõ poſſit ex ſuo officio facere. Archiepiſcopus, Primas, & Papa habent in his iiſdem actionibus ampliorem poteſtatem, Epiſcopus magis anguſtã. quamobrem, cum Epiſcopus celebrat, decem etiam ornamenta habet ſupra ſacerdotem, F caligas, ſcilicet, ſandalia, crucem, ſuccinctorium, tunicam, dalmaticam, chirotecas, mitram, annulum, bacculum. hæc de ordine Epiſcopali. nam, quòd Archiepiſcopus, Primas, & Papa nõ habeant ordinem ſupra Epiſcopum, nullus ambigit. etenim, ut diximus, nullam habent actionem hierarchicam ſupra Epiſcopum, quamuis eas obtineant ampliores. Hierarchicæ uerò actiones genere tres ſunt, ut ait Dionyſius, purgare, ſcilicet, illuminare, & perficere. tres, item, ordines eas agentes tres. item, ſuſcipientes; Diaconi eſt purgare, Presbyteri illuminare, Epiſcopi perficere. Infra hos clericorum ordines, ſunt item in populo tres ordines, purgantur quidam, illuminantur alii, tertii perficiuntur, ſeu ad perfectionem tendunt. purgantur Catechumeni, Energumeni, & Pœnitentes. illuminatur reliquus populus. ad perfectionem tendunt Monachi, quorum, cum initiantur, cæremoniam exponit Dionyſius. G Hierarchiæ item tres ſunt. Cœleſtis, inquam; poſtquam eſt Eccleſiaſtica hæc noſtra. poſtrema fuit Hebraici populi Hierarchia. prima tota ſpiritualis, nil corporeum, uel ſenſibile habens, ſed actionibus ſpiritualibus ſuperiores angeli, inferiores ducunt ad diuinas intelligentias, Deique imitationem. Iudaici populi Hierarchia tota ſenſibilis, & corporea, vtpote cuius fuerit ſcopus ex obſeruantijs illis, & cæremonijs diuertere populum à cultu idolorum, & adducere ad Dei cultum ſpiritualem. noſtra Hierarchia harum media vtriuſque partem habet. nam cultum ſpiritualem habet expreſſum, quo, ut ualemus, quamuis tenuiter, attingimus Hierarchiæ cœleſtis ſimilitudinem. verùm, cum cognitio noſtra à ſenſibus pendeat, utimur etiam ſymbolis ſenſibilibus; qua in re ſequimur modum Hierarchiæ populi Hebraici. H inſtitutio ſacrorum, & cæterorum ordinum, quantum ad ſacerdotium, in quo omnes continentur, expreſſè habetur in Euangelio Mat. ca. 26. nam & conficiendi corpus uerum Chriſti dedit poteſtatem diſcipulis in cœna, cum dixit, Hæc facite in mei commemorationem. item abſoluendi in foro conſcientiæ dedit diſcipulis, ut habetur in Euangelio Ioannis. c. 20. cum dixit, Accipite ſpiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. De poteſtate iuriſdictionis iam ſupra annotauimus locos. inſtitutio aliorum ordinum non ita expreſſe habetur. verùm;

cum

A cum omnes contineantur in ſacerdotio,fuere poſtea explicati & diſtincti Spiritu Sancto docente, ab Apoſtolis, qui inſtituere Diaconos, ut manifeſtum eſt ex act bus Apoſtolorum, ſub quibus omnes alij continentur. nam ſex ordines miniſtrant ſacerdoti, & populo, quorum alij erant potiores, alij inferiores, ut colligitur à Dionyſio, quem locum ſupra citauimus. Hactenus dicta de ſacris ordinibus ſatis ſint.

De Sacramento Matrimonij. CAP. II.

POSTREMVM omnium Sacramentum eſt Matrimonium, quo,
B in Chriſtiano populo ſanctificantur Vir, & Vxor, eorumque coniunctio ad generationem carnalem, naturalemque populi Chriſtiani, ſicuti per ſacros ordines inſtituuntur miniſtri ad ſpiritualem generationem. in matrimonio primum illud eſt inſpiciendum, quod veluti baſis eſt Sacramenti, ſcilicet, quòd inſtitutum fuit in officium naturæ ad ſobolis propagationem, eaque inſtitutio facta fuit matrimonij maxime perfecti ſecundum naturam hominis propriam. Nam cum naturale ſit omnibus animantibus, in quibus diſtinctus eſt vterque ſexus, maris, inquam, & fœminæ, ſexuum coniunctio ad ſobolis propagationem; non tamen idem modus eſt in omnibus, verùm pro cuiuſque natura diuerſus. Nam in animalibus illis, in quibus ad ſobolis nutritionem, & tuitionem mas nihil operatur, promiſcua
C eſt coniunctio hæc, neque fœmina certum marem habet, nec mas certam fœminam, ſic equorum, boum armenta, caprarum, & ouium greges venerem exercent, ut ſola fœmina prolem agnoſcat, & eouſque, quoad egeat proles opera matris, poſtmodum capit eam obliuio omnis materni, filialiſque iuris, niſi ſi quando quippiam monſtri contingat, ut refert Ariſtoteles de equo illo, qui ſe ſe præcipitem dedit, poſtquàm reſciuit habuiſſe rem cum matre. in animalibus uerò, in quibus proles indiget utriuſque opera, maris, ſcilicet, & fœminæ, non eſt ita promiſcua coniunctio; verùm mas, & fœmina poſt coitum, & conceptum, ſe inuicem noſcunt. in compluribus auium generibus licet hoc intueri, ſimul laborat vterque in conſtructione nidi, incubant ouis viciſſim, ſimul poſtquàm pulli ſunt excluſi, dant operam, ut pa-
D ſcant pullos, qui poſtquàm adulti fuerint, ac uolare per ſe, ciboſque comparare poterunt, deſtituuntur à parentibus, utpote, qui functi ſiut officio eis à natura iniuncto. In homine uerò, qui rationale eſt animal, multarumque diſciplinarum capax, & actionum effector, non tantum proles indiget nutritione matris donec adoleſcat, ſed maximè eget inſtitutione, itemque rei familiaris copia, pro tuenda corporis firmitate, & aliis compluribus functionibus ciuilis uirtutis, quæ à patre liberis comparantur. itemque cum homo natura ciuile ſit animal, ac prius domeſticum, quàm ciuile, ſicuti prior eſt domus, quàm ciuitas, finis matrimonij, prout eſt naturæ officium, primus eſt generatio, educatio, & inſtitutio prolis: ſecundus uerò eſt

vita domeſtica, tranquilla ſine tumultu. ideo matrimonium ſecundum naturam uere perfectum debet ad vtrunque finem conſentaneum inſtitutum eſſe; in quo non tantum vtriuſque finis aſſequendi habita fuiſſe ratio uideatur, verùm etiam ut modo maxime commodo id fieret. iccirco oportuit matrimonium maxime perfectum ſecundum naturam eſſe, non promiſcuum; nam ſic pater non agnoſceret prolem, neque eius curam habere poſſet. item, domeſticæ paci & gubernationi non conuenit, neque etiam educationi prolis, vt vnus vir plures vxores habeat, inter quas rixas oriri ſit neceſſe, & pacem domeſticam turbari, impedirique maxime prolis educationem, & inſtitutionem. quo fit, ut uideamus animalia, in quibus vterque ſexus curam habet prolis quandiu durant, eorum matrimonia ad adultam, ſcilicet, prolem, coniunctionem eſſe unius ad unam tantum. item gentiles Romani, & Græci, docente natura, ſimul unam tantum vxorem habere ſolitos eſſe Hiſtoriæ teſtantur. Quòd etiam vinculum matrimonij ſit perpetuum, quoad vixerint, ſummopere pertinere uidetur ad matrimonium perfectum: nam, ubi non eſt certitudo perpetuæ ſocietatis, nunquam eſt perfectus, & ſecurus amor, dum vterque cogitat poſſe disſidium fieri. pertinet item ad hominis naturam, quæ rationalis eſt, ut, ſicuti parentes robuſti filios paruulos, & imbecilles educarunt, ita filij viciſſim robuſti effecti, educent parentes, eiſque vicem reddant; quod fieri nequit, niſi perpetuum ſit matrimonij vinculum. hæc eſt humani matrimonij perfectio naturalis, ſicque inſtitutum fuit in Paradiſo, antequam homines primi peccarent. nihil etenim niſi perfectum prima illa inſtitutione fuit à Deo inſtitutum. Hoc loco non erit ab re, quoniam de natura matrimonij, & de perfectione eius naturali mentionem fecimus, multiſque modis dicatur quippiam ſecundum naturam eſſe, paucis hoc totum explicare, ne æquiuocatione fallamur. Dicitur ergo aliquod naturale alicui, uel ſecundum naturam generis, uel ſecundum naturam differentiæ propriæ, ſeu ſpeciei: verbi gratia, vti cibo, ac rebus venereis ad propagationem ſobolis eſt naturale homini, quatenus animal eſt, & ratione ſui generis; ſed ratione ſpeciei, & differentiæ, quatenus homo rationis eſt compos, eſt homini naturale vti cibis coctis, & apparatu quopiam conditis, ſic vti re venerea non promiſcue: nam male proles educari poſſet, etiam inſtitui incerto parente nata. dummodo ergo certus ſit pater, & mater, proles poterit naſci, & educari, qui eſt primus matrimonij finis, & in hoc eſſentia matrimonij, quod eſt naturæ officium, continetur; ita, quòd ſi hæc conditio defuerit, nullo pacto cenſeri poterit eſſe matrimonium. & hæc eſt prima naturæ lex in matrimonio. attamen, cum non tantum primus finis ſit ſecundum naturam, ac ea, quæ ad eum finem ſunt neceſſaria, verumetiam ea ſint naturalia, quæ quamuis non ſint omnino neceſſaria, eiuſmodi tamen ſint, quòd commode ſine ijs conſequi finem non poſſumus. item, cum ſecundus finis ſit etiam naturalis, & ea, ſine quibus aut finis ille haberi non poteſt, aut non commode haberi

A beri poteſt. vxores autem plures impediant exactam prolis educationem, & inſtitutionem, impediant etiam domeſticam vitam, idque etiam diſſolutio matrimonij faciat, ideo horum vtrunque eſt naturale, non tamen primi ordinis, ſed ſecundi. quo fit, ut matrimonium abſque his eſſe posſit, imperfectum tamen, & mancum. His conſtitutis redeat oratio, unde digreſſa eſt. Matrimonium prima ſui inſtitutione inſtitutum fuit maxime perfectum, ſecundum naturam, ideo fuit unius ad unam, & indiſſolubili copula cõiunctum, quod Dominus noſter in Euangelio ſcilicet Matth. capite decimonono excellenter interpretatur. nam in Geneſi capite ſecundo dicitur, erunt duo in carne una; ſi duo, unus ergo tantum vir, & mulier una: ſi in
B carnem unam, indiſſolubili vinculo coniuncti: quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.ecce matrimonium maxime perfectum. verùm poſt peccatum corrupta hominis natura, & præſertim corrupta vi generatiua præ aliis, immò etiam infecta, nam ex ea trahitur peccatum originale in prolem matrimonii, ratio multum decidit à naturali perfectione: unde multi etiam probi, & ſancti uiri plures uxores habuerunt: non tamen propterea improbanda ſunt huiuſmodi matrimonia in Patriarchis,& Sanctis viris,qui intrinſeco inſtinctu, & diſpenſatione Spiritus Sancti, credendi ſunt plures uxores habuiſſe ad propagationem populi Dei, & diuini cultus. erant illa priorum matrimonia, quia non promiſcui coitus, ſed in quibus, certæ matris,& certi patris certa proles; attamen imperfecta, & quæ multum deciderant à
C naturali perfectione. Poſt legem Moſis ille ſeruatus eſt mos, ut lege permittente daretur libellus repudij: paucique leguntur habuiſſe plures uxores. apud Romanos ueteres, & Græcos mos ille uidetur fuiſſe, ut unius uiri una eſſet uxor, poterat tamen à uiro dimitti, ſicque nuſquam ac nullibi gentium matrimonium fuit perfectum, ſicuti ab initio fuerat à Deo inſtitutum, ad quam perfectionem naturalem ſolum per Ieſum Chriſtum fuit redactum, poſtquam eius, & Eccleſiæ cœpit eſſe Sacramentum. Sed, antequam ad matrimonium, quatenus eſt Sacramentum, procedamus, pauca perſtringemus de libello repudij, qui à Moſe, teſte Domino in Euangelio Matth. ca. 5. & Mar. c. 10. fuit permiſſus ob cordis eorum duritiam. complures Theologi putant in popolo Hebræo peccaſſe illos, qui, uxoribus repudiatis, alias ſu-
D perinduxerunt, nec putant ob repudium ſolutum fuiſſe uinculum matrimonii, niſi cauſa fornicationis. omnes etenim eam exeipiunt. Canoniſtæ uidentur ſequi hanc ſententiam. Nam opinantur, ſi infideles ſint uir, & uxor, ac repudiata muliere conuertantur, & fiant Chriſtiani, quòd uir debeat uxorem dimittere, quam habet, ac repudiatam ducere, præterquam ſi fuiſſet repudiata cauſa fornicationis; præſupponunt etenim uinculum remanere: nam illam permisſionem interpretantur, ſicuti mali minoris ad euitandum maius; ſic ut leges ciuiles permittunt meretrices, & fornicationes ad euitandum adulteria. attamen ſanctus Thomas in quarto exiſtimat, quòd, cum perpetuum uinculum non ſit legis naturalis primi,ſed ſecundi ordinis, quòd

in eo potuit diſpenſari. & licet illud, quod diximus, inquit idem auctor, ſit E communius, uerius tamen eſt, quòd quamuis ob eorum malitiam præſtita fuerit ea poteſtas. fuit nihilominus à lege conceſſa, neque illi, qui ea lege vtebantur, peccabant, aut quippiam contra legem faciebant. hæc Thomæ ſententia mihi magis probatur, quam mihi perſuadent uerba legis Moſis, ex quibus nihil poſſumus colligere de permiſſione mali, ut meretricum permiſſio, quia ſi vinculum remanſiſſet poſt repudium, non uideretur ſatis æquè à Moſe ſtatutum, quòd vir repudiatam mulierem, in coniugem iterum ſumere non poſſet. ſcio poſſe dici fuiſſe illud ſtatutum ad pœnam viri, qui poſt repudiũ uxoris, nullius mulieris vir eſſe iure poſſet; ſicuti de vxoricida, qui, ut infra dicam, legibus mulctatur, ne poſsit aliam uxorem ducere. F hæc acute dicuntur, attamen, ſi quis attente legat textum Moſis, Thomæ ſententiam potiorem putabit. Decretum uero Innocentij tertij extra de diuortiis c. gaudemus, quo nituntur Canoniſtæ, factum fuit, quia ceſſauit ſtatus illius populi, & leges illæ non ſunt tenendæ ut cogentes, quin poſsit ſtatui contra eas. omiſſo repudio redeamus ad matrimonii Sacramentum, ad priſtinam illam perfectionem, quam habuerat in Eua, & Adam. verùm, antequam eius definitionem, ac proprietates inueſtigemus, operæpretium erit, ſi clarius explicabimus id, quod tetigimus in procemio. Lutherani noſtra tempeſtate, qui magnos hos tumultus excitarunt in Eccleſia Dei propter alia nouæ ſapientiæ inuenta, illud etiam perſpicaci ingenio indagaſſe uidentur ex uerbis Apoſtoli in epiſtola ad Ephæſios c. 5. non poſſe colligi matrimo G nium eſſe Sacramentum, immò potius non eſſe. Nam, cum Apoſtolis dixiſſet multa de coniunctione viri, & vxoris, ſignificareque docuiſſet coniunctionem illam, coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, ideoque viros diligere debere uxores, ut Chriſtus dilexit Eccleſiam, ſubdit, hoc autem magnum Sacramentum eſt, dico autem in Chriſto, & Eccleſia. ecce, inquiunt, quòd Sacramentum non eſt in coniunctione viri, & vxoris, ſed in coniunctione Chriſti cum Eccleſia. ſuperius diximus in primo libro totius huius operis procemio, Sacramentum, quod Græci dicunt myſterium, ſignificare arcanum, quod ſub re ſenſibili lateret, iuniores poſtmodum appellaſſe Sacramentum rem illam ſenſibilem; & arcanum, quod latet ſub ea, uocaſſe rem Sacramenti. exponamus ergo Paulum, exponamus inquam, id H eſt, iuniorum lingua audiamus eum loquentem. coniunctio viri, & vxoris ſimilitudinem habet, ſeu ſignificat, ſeu ſignum quoddam ſenſibile eſt coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, quod magnum arcanum eſt, arcanum inquam, in Chriſto, & Eccleſia. Si ergo hoc arcanum ſacrum latet ſub ea re ſenſibili, quis ambigat iuxta iuniorum ſententiam coniunctionem viri, & vxoris eſſe Sacramentum? Explicato hoc loco Apoſtoli, accedamus ad definitionem matrimonij. Magiſter Sententiarum in quarto, definit matrimonium eſſe maritalem coniunctionem viri, & vxoris inter perſonas legitimas, indiuiduam vitæ conſuetudinem continentem. Hæc definitio eſt matrimo-

A trimonii perfecti ſecundum naturam, ad quam reductum eſt matrimonium in officium naturæ inſtitutum per Sacramentum Chriſti. Iccirco matrimoniis infidelium, quamuis ſint legitima, & uera matrimonia, non tamen conuenit ultima particula, quia poſſunt diſſolui, remanent enim à naturali ſumma perfectione deficientia, eò, quòd illis deeſt Sacramentum Chriſti. non enim ſignificare queunt coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ in illis, qui ſunt extra Eccleſiam, & extra Sacramenta omnia Eccleſiæ. explicemus nunc ſingulas particulas poſitas in hac definitione. Matrimonium eſt coniunctio viri, & mulieris, non quæcunque coniunctio, ſed coniunctio maritalis. Hac particula & animorum coniunctio explicatur, & poteſtas, quam vterque ha-
B bet in alterius corpora, ac mutua fides. nam maritus, quatenus maritus, habet poteſtatem corporis vxoris, non ſui; item vxor, quatenus vxor, non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir; fides igitui mutua, & poteſtas corporum includitur in hac particula, Maritalis. Poteſtas autem corporum pertinet ad prolem, quatenus definitio poſita conuenit matrimonio inſtituto ad naturæ officium, quale eſt in infidelibus, quod tamen deciderit à ſumma perfectione naturali, in qua primum à Deo fuerat inſtitutum. vltima uero particula, indiuiduam, ſcilicet, vitæ conſuetudinem continens, pertinet ad matrimonium, quatenus eſt Sacramentum Eccleſiæ Chriſti. Nam, ſicuti coniunctio Chriſti, & Eccleſiæ eſt indiſſolubilis, ita coniunctio maritalis, & vinculum coniugale eſt indiſſolubile. conueniret etiam matrimonio perfectiſ-
C ſimo ſecundum naturam, quemadmodum à Deo fuit inſtitutum: ſed, quoniam ſumma hæc naturalis perfectio, poteſt amoueri, eſſentia matrimonij manente, nec eſt ad eam redactum, ac firmatum matrimonium, niſi propter Chriſti Sacramentum; iccirco ea particula non conuenit matrimonio, niſi quatenus eſt Sacramentum. Ex hac definitione colligitur, ut Auguſtinus dicit in libro de nuptijs, tria eſſe bona coniugij, Proles, ſcilicet, & Fides, & Sacramentum, quæ coniugium honeſtant; quod non eſt ita intelligendum, quòd coniugium eſſet per ſe inhoneſtum, & honeſtum fiat ab his tribus bonis, veluti à quibuſdam extrinſecis rebus, ſed quòd hæc bona intrinſeca ſunt matrimonio. continentur etenim, ut diximus, in definitione matrimonii, ſine quibus, coitus uerus, inquam, matrimonij eſſet inhoneſtus, quoniam
D ſine his bonis matrimonium non exiſteret. coitus uero extra matrimonium eſt fornicatio, & peccatum. Quòd ſi conferas inter ſe tria hæc matrimonij bona, prout actu ſunt, Sacramentum vtique maxime omnium perfectum eſt, tum quia pertineat ad Chriſti gratiam, tum quia eſt ultima differentia, quæ omnium uidetur perfectisſima eſſe. amplius ſine prole, & fide Matrimonium conſtat propter Sacramentum. verùm, ſi capiatur proles & fides, non prout actu ſunt, ſed prout ſunt in ſuis cauſis, proles, ſcilicet, in intentione, & debitum ſeruandæ fidei, ſic vtique ſumpta ſunt magis ad eſſentiam matrimonij pertinentia, quia ad coniugium pertinent, ut eſt naturæ officium; hæc uero, quæ pertinent ad naturam, ſunt magis intrinſeca, quàm ea, quæ ſunt

ſunt gratiæ, quæ vtique ſuperuenit naturæ. E

Hactenus de tribus bonis matrimonij. Sequitur poſt hæc quæſtio ualde difficilis, an ſcilicet, ex Matrimonio, quod diximus eſſe Sacramentum, gratia conferatur. Magiſter ſententiarum in quarto libro, & Hoſtienſis de Sacramentis non iterandis dicunt, quòd ex matrimonio gratia non confertur, ſed ideo eſſe Sacramentum, quia eſt ſignum rei ſacræ, coniunctionis, inquam, Chriſti, & Eccleſiæ, non tamen eo ſanctificantur coniuges. Horum ſententia poteſt vtcumque probabilibus rationibus comprobari. nam, cum Matrimonium contrahatur per uerba de præſenti, ut infra dicemus, ex quibus fit pactum inter virum, & vxorem, ſi hoc Sacramentum eſſet, quo conferretur gratia, vtique dotis pactio eſſet Simoniaca, cum in collatione Sacramenti, ſeu initiatione nulla fieri debeat pactio de pecunia. item ſine verbis inter abſentes poteſt matrimonium contrahi, vbi vir abſens per internuncium contrahit cum muliere abſente; nullum autem Sacramentum confertur abſenti. amplius, inter fideles eſt uerum matrimonium, licet, non perfectum; qui nequeunt eſſe participes Sacramentorum Eccleſiæ Chriſti, qui, ſi conuerſi fuerint ad fidem, non contrahunt de nouo, ſed remanent in priori, quod incipit in eis eſſe Sacramentum poſt baptiſma, cum tamen prius non eſſet, nullum tamen fit ſignum ſenſibile nouum. His rationibus uidetur ſatis perſpicue probari matrimonium Sacramentum non eſſe, quo gratia conferatur. at contra, hoc peculiare, & proprium eſt Sacramentis nouæ legis, quòd gratiam conferunt. quo fit, ut omnes poſteriores Theologi teneant gratiam conferri hoc Sacramento, qua coniuges ſecundum Deum operantur ea, quæ pertinent ad matrimonium, & diuina ope in eo adiuuantur. quod ut melius intelligatur, verſabimus ex vtraque parte matrimonium, & prout accipit ab officio naturæ, & deſinit in Sacramentum, & rurſus ab arcano Sacramenti verſus officium naturæ. Matrimonium, quod eſt officium naturæ, coniunctio, ſcilicet, maritalis, fit pactione quadam inter coniuges, quæ pactio explicatur per uerba de præſenti; verba igitur illa ſenſibilia ſunt cauſa, quæ efficit coniunctionem maritalem; quæ ſi fuerit inter infideles, eſt vtique verum, & legitimum matrimonium in officium naturæ, non tamen eſt Sacramentum, quia coniunctio Chriſti cum Eccleſia bene ſignificari non poteſt ab his, qui ſunt omnino extra Eccleſiam. Ecce, quid primò efficiant verba, cauſa ſunt, ac efficiunt coniunctionem maritalem in officium naturæ. at ſi talis coniunctio fuerit inter fideles, eſt etiam Sacramentum, quia recte, & rite ſignificant coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. iccirco in prima illa pactione, quæ Sacramentum non eſt, ſed efficit Sacramentum, poteſt fieri pactum pecuniarium. poteſt etiam fieri inter abſentes, nec oportet ut repetantur, cum coniuges infideles fidem ſuſcipiunt, quia in his non eſt Sacramentum, ſed in coniunctione maritali, quæ eſt inter fideles, deeſt tamen ei ſignificatio,

A ficatio, ut diximus. ſed cum primum fidem ſuſcipiunt, incipit ſignificare Chriſti, & Eccleſiæ vnionem, ideoque incipit eſſe Sacramentum, gra-
tiamque inuiſibilem nanciſcuntur ex maritali coniunctione illa. ſi rurſus
incipiamus ab arcano, Chriſti, ſcilicet, & Eccleſiæ vnione, non ſignifica-
tur illud à verbis, & à coniunctione, quam faciunt uerba. repetamus pau-
cis omnem matrimonij inſtitutionem, & vim. Fuit primò inſtitutum in
Paradiſo ante peccatum in officium naturæ, perfectum tamen: poſt Dilu-
uium fuit inſtitutum in officium naturæ, & remedium concupiſcentiæ, cui
ex matrimonio impoſiti ſunt certi fines, ne vagentur matrimonij iura. per
Chriſtum in Euangelio Matthæi cap. 18. fuit matrimonium reſtitutum
B ad primam illam perfectionem, addita vl Sacramenti, quam Apoſtolus
explicauit in epiſtola ad Epheſ. cap. 5. in remedium etiam concupiſcen-
tiæ, quæ adhuc in nobis multum poteſt, ut inquit Apoſtolus, prima Cor.
cap. 7. Melius eſt nubere, quàm vri.

Quæ hactenus à nobis dicta ſunt de matrimonio, pro huius opuſculi
compendio, ſatis eſſe uideri debent. Nunc paucis perſtringemus matrimo-
nij impedimenta, quæ commode colligi poſſunt ex matrimonij definitio-
ne. Diximus matrimonium eſſe ſocietatem maritalem. ſocietas uerò hæc
inter virum, & mulierem initur contractu, & pactione quadam; contra-
ctus uero efficiens cauſa eſt conſenſus eorum, qui inter ſe paciſcuntur: con-
ſenſus uerò, ſi conſenſus iure dici debet, voluntarius vt ſit, neceſſe eſt; ea
C igitur, quæ uoluntario aduerſantur, deſtruunt conſenſum, & per eum pa-
ctionem. voluntario autem, ut dicit Philoſophus in tertio Ethicorum, ad-
uerſatur coactio, item ignorantia. coactio igitur, & metus, qui iure dici
poteſt humanus metus, impediunt matrimonium, quia tollunt conſen-
ſum voluntarium. item error perſonæ, ut puta, ſi vir putet Martham, eſ-
ſe Mariam, aut ſi mulier reatur Paulum, Petrum eſſe, quamuis contrahant
per uerba de præſenti, matrimonium nullum eſt. item error ſtatus perſo-
næ, verbi gratia, ſi putat mulier eſſe liberum eum, qui ſeruus ſit, ſi mu-
lier non fuerit etiam ipſa ſerua, matrimonium nullum eſt. Hic non eſt di-
cendus error quiſpiam, ſi eum putet diuitem, qui eſt pauper, aut bonum, qui
eſt malus, aut ſanum eum, qui eſt æger, vtique hi errores nullo pacto matri-
D monium impediunt; cuius rei ea ratio eſt, quoniam is error, qui aufert vo-
luntarium circa ea, quæ ſe pertinent ad ſocietatem maritalem, quæ ea pa-
ctione initur, deſtruit voluntarium quo ad ſocietatem, vt puta ſi volo inire
ſocietatem cum Maria, & mihi offeras Martham, vtique per accidens con-
traho cum Martha, per ſe autem, quo ad meam voluntatem, contraho cum
Maria, ecce quòd error eſt in his, quæ per ſe pertinent ad ſocietatem, quam
ineo. ſi ego item liber contraho cum ſerua, quam puto liberam, vtique fal-
lor in eo, quod per ſe pertinet ad ſocietatem hanc. non enim cum ſerua po-
teſt eſſe commoda ſocietas maritalis, præſertim ad tuendam rem, & conuer-
ſationem domeſticam, neque tradi perfecte poteſtas corporis, in quod ius
habet dominus. quòd uero ſit ſana, aut ægra, ſapiens, uel inſipiens, non per ſe

perti-

pertinent ad maritalem ſocietatem; ideo hic error non impedit matrimo- E
nium; nec etiã ſi libera ſit, quam puto ſeruam, quia ea mutatio ſtatus, potiorẽ
& commodiorem facit illam maritalem coniunctionem, & ſocietatem. ſi itẽ
ſeruus putet mulierem liberam, quæ eſt ſerua, error hic non facit matrimo-
nium irritum, ratio eſt in promptu, quia non tenetur alter afferre meliorem,
& potiorem ſtatum, quàm is ſit, in quo compar eſt coniugium. quòd ſi quæ-
ras circa coactionem, cur eſt, quòd in ſuſceptione baptiſmatis, cum coactus
metu, inquam, etiam mortis, qui cadit in cõſtantiſſimum virum, dummodo
vi extrinſeca non ſit tractus ad fontem, ſi baptizatur, baptiſmi characterem
ſuſcipit, & cogendus eſt uiuere Chriſtiane; in matrimonio uerò omnes hæ
coactiones mixtæ ex voluntario, & inuoluntario impediunt matrimonium. F
Reſpondeo, quòd conſenſus alio modò ſe habet in baptiſmate, & alio modo
in matrimonio: nam in matrimonio, cauſa eſt efficiẽs matrimonij, in baptiſ-
mate uerò conſenſus non eſt cauſa conſecrationis illius, & regenerationis,
ſed cauſa Deus eſt per Sacramentum exterius; conſenſus uerò eſt diſpoſitio
recipientis; ideo qualiſcunque conſenſus, dummodo ſit conſenſus, facit reci
pientem diſpoſitum: at in matrimonio, cum conſenſus ſit cauſa efficiens ma
trimonij, niſi fuerit perfectus, & omnino volontarius, vim non habet efficien
di matrimonium. Quòd ſi iterum roges, an is, qui non coactus aliqua ratio-
ne, dolo tamen, fictis uerbis de præſenti conſentit, an is matrimonium cõtra-
hat, & conſenſus ille efficiat matrimonium. Nimirum nulli dubium eſt, quin
in foro Eccleſiæ, quæ non iudicat de occultis, ſed de his, quæ apparent, ma- G
trimonium contractum cenſebitur. Impotentia etiam in mare, ſeu natura ta
lis ſit, ſiue accidente quopiam, adeo, quòd ſtatuto à legibus tempore, bien-
nio, ni fallor, nunquam à prima accubatione habuerit rem cum vxore, ma-
trimonium ſoluit. ratio in promptu eſt. nam obligatio non ualet, ſi fuerit de
eo facta, quod à paciſcente non poteſt præſtari. eadem ratio eſt de muliere,
ſi fuerit arcta, longe tamen rarior hic caſus eſt in muliere, quàm in viro. item
Matrimonium non fit, ſi appoſitæ fuerint conditiones circa bona matrimo-
nij ſuperius dicta, vtpote, ſi quis contraxerit cum muliere hac conditione, ut
abortum procreet, aut ut fornicetur cum alio quopiam, aut, ut non petat de-
bitum à viro, vtique matrimonium nullum eſt, quia conditiones hæ de-
ſtruunt naturam matrimonij. Quòd ſi fuerint appoſitæ aliæ conditiones, ſi- H
quidem ſint inhoneſtæ, & iniuſtæ, non ſunt ſeruandæ, ſed matrimonium con-
trahitur: ſin uero fuerint iuſtæ, ſub illis conditionibus ratum eſt, ſine illis nõ
eſt ratum, dummodo non fuerit antea cõſummatum. hæc omnia tractantur
à Canoniſtis extra de conditionibus appoſitis. Quoniam uerò in definitione
matrimonij dictum eſt, Matrimonium eſſe ſocietatem maritalem inter legi-
timas perſonas, omnia ea, quæ faciunt perſonas illegitimas, impediunt matri
monium. is igitur, qui, uel quæ iunctus eſt alteri, vinculo matrimonij viuen-
te coniuge, eſt illegitimus ad aliud matrimonium contrahendum, quia iam
obligatus eſt alteri. hoc manifeſtum eſt. Votum etiam ſolenne continentiæ,
quod fit & in ſuſceptione ſacri ordinis, & in profeſſione uitæ Monaſticæ, ſeu

A Religioſæ impedit matrimonium. hoc in loco, de voto continentiæ clarius explicabimus id, quod inceperamus in ſuperiori tractatu de ordinibus Eccleſiaſticis. Votum continentiæ duplex eſt, ſimplex, ſcilicet, & ſolenne, ſeu publicum. ſimplex votum eſt, quando quiſpiam Deo vouet vitam ſe ducturum continentem. ſolenne uero, ſeu publicum, quando quis continentiam vouet per ſuſceptionem ſacri ordinis, uel per profesſionem religionis. nec huiuſmodi votum propterea dicitur publicum uel ſolenne, quia palàm fiat, ſed quoniam annexum eſt officio; ex quo neceſſe eſt, ut in publicum prodeat, quamuis etiam non palàm, neque coràm multis, ſed in cubiculo fieret. ſuſcipiẽs etenim ordinem ſacrum deputatus eſt in Eccleſia publico muneri. item
B profeſſus religionem, ex vita monaſtica, quam publice eſt ducturus, in publicum efferet legem continentiæ, quam vouit. is vero, qui ſimpliciter vouit, nulli huiuſmodi muneri eſt addictus, unde in publicum prodeat votum. ſimplex votum continentiæ impedit matrimonium contrahendum; vnde is, qui contrahit poſt votum ſimplex, mortaliter peccat, quia fidem datam Deo frangit; attamen matrimonium illud ratũ eſt. vt tamen multi tenent, peccat mortaliter petendo debitum à coniuge, reddendo uerò non peccat. verùm, quoniam hoc ualde periculoſum eſt, nec ita facile imponendus eſt laqueus mortis perpetuæ, mihi magis placet aliorum ſententia, qui tenent fractionem fidei datæ Deo per contractum matrimonium eſſe peccatum mortale, poſtmodum uerò actum, & vſum matrimonij, quod eſt ratum, non eſſe pecca-
C tum. hac etenim ratione, nec laqueus imponetur, nec etiam conuictus coniugum alteri parti erit oneroſus, illi inquam, cui incumberet, ut ſemper exigeret debitum, & fungeretur vtriuſque munere. votum vero continentiæ ſolenne in ſuſceptione, ſcilicet, ſacri ordinis, & in profesſione religionis ſuſceptum, non tantum impedit matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum, quoniam efficit perſonas illas merè illegitimas. rationem diuerſæ huius rationis in voto ſimplici, & ſolenni, Scotus in quarto inueſtigat, ac multis recitatis, confutatiſque tandem hanc rationem aliis præfert, quoniam in voto ſolenni is, qui vouet, ſubijcit ſe iudicio Eccleſiæ, quæ ita ſtatuit, & eas perſonas illegitimas fecit. hæc Scotus. uerum, ut puto ego, ratio B. Thomæ, ſi rectè fuerit expoſita, eſt efficacior; nam cum votum continen-
D tiæ monachatui ſit eſſentialiter annexum, ordini uero ſacro ſit annexum ex decreto, & ſtatuto Eccleſiæ, is, qui ſuſcipit ordinem ſacrum, uel monachum ſe facit, iam dat Deo continentiam ſuam, nec tantum promittit, ut in uoto ſimplici, quoniam actu munus ſuſcipit, cui annexa eſt continentia ipſo iure, quod ius ipſe non facit, ſed Eccleſia, cui ſubeſt, quod munus cum ipſe amplius deponere nequeat, neque posſit deficere, quin illi annexa ſit continentia, ideo non tantum promittit, ſed actu dat Deo continentiam, & debitum ad eam ſeruandam, non ex promisſione tantum, ſed ex ordine, uel profesſione religionis, quam actu ſuſcipit. hæc B. Thomæ ratio ſic expoſita meo iudicio eſt efficacisſima. hoc in loco nolo præterire locum apud Auguſtinum in libello de bono viduitatis, quem citat Hugo de S. Victore. inquit Au-

guſtinus exponens eum locum Pauli de virginibus, quæ poſt uotum uolunt nubere, & dãnationem capiunt, quoniam primam fidẽ irritam fecerunt, ubi inquit Auguſtinus, notandũ eſſe non propterea eas dãnationem capere, quoniam contraxerunt matrimonium, quod ſit irritum, in quo non poſſint permanere: ſed quoniã priorem fidem irritam fecerunt. ex quibus Auguſtini dictis ſequi uidetur, quòd uotum religionis impedit matrimonium contrahendum, non tamen dirimit, nec facit irritum, poſtquam contractum eſt. hæc Auguſtini dicta exponenda ſunt in uoto religionis ſimplici, non in ſolenni. ſic Hugo ea interpretatur. Votũ ſolenne, ut diximus, continentiæ fit & in ſuſceptione ſacri ordinis, & in profeſſione religionis. verùm ſacro ordini votũ illud annexũ eſt ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ſtatui monachatus eſt eſſentialiter annexum; ideo Papa, qui poteſt diſpẽſare in iure poſitiuo, poſſet diſpẽnſare cum diacono, & presbytero in uoto continentiæ facto, ita, quòd poſſent contrahẽre matrimonium, quamuis non poſſet facere presbyterum non eſſe presbyterum, aut diaconum non eſſe diaconum poſt conſecrationem. at ſtatui monachorum uotum cõtinentiæ eſt eſſentialiter annexum, unde, ſcilicet, Thomas tenet, quòd Papa non poſſet diſpẽnſare, quòd monachus profeſſus uxorẽ duceret, quoniam non poteſt facere de monacho non monachum. ratio B. Thomæ ſolui nõ poſſet, ſi propoſitio, qua utitur, eſſet omnino uera, ſcilicet, quòd monachus fieret conſecratione quapiam, vti ſolebat tempore Dionyſij; nunc uerò non ita fit, nulla accedit conſecratio, nulla benedictio, qua efficiatur monachus, & religioſus, ſed tantum promiſſio corrigendi mores, & uitam ſecundum regulam B. Benedicti, aut quippiam ſimile, quod promiſſionem cõtinet, non conſecrationem. verùm de hac quæſtione alias. Hæc de impedimento per uotum continentiæ, quod perſonas efficit illegitimas. præterea diſpar cultus: fidelis etenim non poteſt contrahere matrimonium cum infideli, quòd dicit Apoſtolus 1. Corint. c. 7. Nubat cui vult, tantum in Domino. nam ſi fornicatione fit diuortium in matrimonio contracto, eo modo, quo infra dicemus, multo magis ſpiritualis fornicatio impediet contrahendum. neque etiam ratio Sacramenti poteſt ſeruari, ubi uterque, uel alter coniugum fuerit omnino extra Eccleſiam. fidelis namque, & infidelis magis inter ſe diſtant, quàm ut matrimonio coniungi queant. item conſanguinei uſque ad quartum gradum perſonæ ſunt illegitimæ. hoc partim ſumptum eſt à lege naturali, partim à Iure Pontificio, & à Canonibus, nam cum amor, & charitas ualde propinquorum quandam habeat venerationem, & honeſtatem annexam, quæ in coniugio ſeruari non poteſt; ideo lex naturalis homines docuit, ut abſtineant à coniugio conſanguineorum. quis non abhorreat coniugium patris cum filia, uel matris cũ filio? & hoc magis quàm prius, quia filius ſubiectus eſt matri, viro autem ſubiacet vxor. ſic inter fratrem, & ſororem coniugium abominatur humanum ingenium. ſunt præterea hæ rationes facientes ad ciuilẽ ſocietatem ampliandam, ac inter ſe deuinciẽdam. has rationes, quia obuiæ ſunt omnibus, prætermitto. ex lege ergo naturali eſt hominibus inſitũ, ut abſtineant à coniugio cõſanguineorũ primi ordinis, id eſt, ualde propin

I quorum.

A quorum. lege deinde Canonica terminus fuit præfixus vſque ad quartũ gra-
dum. ratio à quibuſdam excellentibus auctoribus adduci ſolet. quoniã cum
matrimonium fuerit inſtitutum præter alia in remedium concupiſcentiæ, &
ad eam coercendam, rationi conſentaneum viſum fuit, à ſpe coniugij prohi-
bere eos, qui in eadem domo, & familia ſolent eſſe; ideo vſque ad quartum
gradum prohibitio extenſa fuit. priſcis Chriſtianorum temporibus, adhuc ad
ſeptimum gradum extendebatur prohibitio, quæ poſtea ab Innocẽtio tertio
contracta fuit vſque ad quartum gradum. nunc ferè nulla ratio habetur de
gradu quarto, ſed paſſim abſque alia cauſa diſpenſatio fit in eo gradu. quòd ſi
quæras, qui ſint, & quales gradus conſanguineorum; conſanguinei uel ſunt
B in eadem lineæ recta, quæ eſt aſcendentium, & deſcendẽtium, patris, inquam,
filij, nepotis, ſicque deinceps; aut patris, aui, proaui, atraui, & ſic deinceps, in
his nullus eſt gradus matrimonio aptus, ſed omnes prohibiti lege Naturali,
& Pontificia, præterquam quòd ætatis ratio non permittat eos, qui ita disiun
cti ſunt, poſſe matrimonio coniungi. alij conſanguinei ſunt, qui originem
trahunt ab eadem radice, ſed diuerſis inter ſe lineis prodeunt, ſemperque ma
gis inter ſe diſtant, horum inter ſe gradus ſumuntur per diſtantiam eius, qui
magis diſtat à radice illa prima. fratres ſunt in primo gradu, vnico enim vter-
que interuallo diſtant à patre, uel à matre. patrueles in ſecundo; ſic eorum fi-
lii in tertio, eademq; ratione vlteriores efficiuntur gradus. quòd ſi alter quat
to interuallo diſtans ſit à prima radice, alter uerò tertio, maior diſtanria capi-
C tur. diſtabunt igitur hi in quarto gradu. hic animaduertendum eſt, in uno, &
eodem gradu latitudinem quandam eſſe, quamuis enim filius fratris, à fratre
patris ſui diſtet in ſecundo gradu, itemque in eodem gradu, ſcilicet, in ſecun-
do diſtet à patruele ſuo, propinquior tamen eſt patruo, quàm patrueli, licet
idem ſit vtriuſque gradus. hæc de conſanguineis. Affinitas etiam matrimo-
nium impedit. eſt autem affinitas, & propinquitas, & cognatio, quæ non ex
radice ſanguinis, ſed ex coniugio prouenit. nam cum per matrimonium vir,
& vxor ſit vna caro, neceſſe eſt, quòd conſanguinei viri, ſint vxoris cognati;
& econtra, vt conſanguinei vxoris, ſint cognati, & propinqui viro. viri vero
ad vxorem non eſt neque affinitas, neque conſanguinitas, ſed principium af-
finitatis conſanguineorum, & conſanguinitatis deſcendentium ex eo matri-
D monio; ſicuti amor ſuiipſius non eſt amicitia, ſed principium amicitiæ, &
potior amicitia; ſic coniunctio viri, & vxoris eſt potior affinitate omni, ſunt
enim vna caro. gradus uerò affinitatis ſumuntur ex gradibus conſanguineo-
rum, iſque gradus conſanguineorum, qui eſt viri, eſt gradus affinitatis vxo-
ris, itemque is gradus, qui eſt conſanguineorum vxoris, eſt gradus affinitatis
viri; eademque eſt prohibitio, ac in eodem gradu in conſanguineis, & affi-
nibus, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.
ſicuti autem ex conſanguineis per coniugium fiunt affines, ita coniugium af-
finium ſecundam quandam affinitatem facit, non proprie dictam, ſed ſecun-
dariam. item tertium coniugium faciebat tertiam affinitatem. verùm de ijs
ſecundarijs, & tertiis affinitatibus, quibus olim impedimentum præſtaba-

 tur,

tur, at nunc nullam habet Ecclesia rationem, præterquam consanguineo- E
rum, & primorum affinium. ad honestatem nuptiarum aliud quoque pro-
pinquitatis genus Ecclesia exclusit à nuptijs, quod contrahitur non ex matri-
monio consummato, sed ex sponsalibus matrimonio nõ consummato. sunt
sponsalia promissio futurarum nuptiarum. hoc impedimentum appellant
iustitiam publicæ honestatis, quam definiunt esse impedimentum matrimo-
nij proueniens ex sponsalibus, robur habens ex Ecclesiæ institutione propter
spem honestatis. verùm, cum hoc non sit magnum vinculum, ex leuiori cau-
ſa poterit ius hoc relaxari, & in eo dispensari. nolumus omittere id, quod su-
pra præteriuimus, non tantùm contrahi vinculum affinitatis ex iusto, & le-
gitimo matrimonio, si fuerit consummatum, sed etiam ex quocunque alio F
coitu, in quo fiat coniunctio seminum maris, & mulieris; nam ex coitu fiunt
una caro, & unum corpus, ut expresse dicit Apostolus Paulus 1. Corinth. c. 6.
qui adhæret meretrici, fit unum corpus: tollens ergo membrum Christi, ef-
ficit membrum meretricis; & cum contrahatur affinitas ex coniugio, quia
sunt una caro, eadem erit ratio de coitu fornicario, in quo fiunt una caro for-
nicantes. est prætereà cognatio spiritualis, quæ impedit matrimonium, & ef-
ficit personas illegitimas. contrahitur uerò hæc spiritualis cognatio ex ba-
ptiſmate, & confirmatione tam inter suscipientem, & susceptum, seu in con-
firmatione inter sustinentem, & eum, qui sustinetur, quàm inter patrem, &
matrem naturalem illius, qui baptizatur, seu confirmatur, & hunc spiritua-
lem patrem & matrem: item inter cõferentem hæc Sacramenta, & suscipien- G
tem: item inter filios naturales, & spiritualem filium, seu filiam; unde est in
hac cognatione spiritualis paternitas, seu maternitas, spiritualis compaterni-
tas; spiritualis filiatio, & spiritualis fraternitas, quæ matrimoniũ impediunt.
quidam præter confirmationem, & baptiſma addunt etiam catechiſmum. a-
lij uerò tenent, quòd in catechiſmo cognatio impediat contrahendum ma-
trimonium, non tamen dirimat contractum. quòd uerum esse patet ex libro
sexto per catechiſmum de spirituali cognatione. ex hac spirituali cognatio-
ne oritur quædam spiritualis affinitas; nã cum vir, & vxor sint una caro, illi,
qui sunt cognati viri, cognatione hac spirituali fiunt affines vxoris; & ecõtra
cognati vxoris fiunt affines viri, spirituali quadam affinitate, quæ etiam ma-
trimonium impedit. Hic tamen notandum est, quòd affinitas hæc contrahi- H
tur inter illos, qui ex actu coniugis, aut vxoris post consummatum matrimo-
niũ sunt ipsi cognati cognatione hac spirituali, quòd si cognatio hæc contra-
hatur ex actu alterius, non fit propterea hæc spiritualis affinitas. exemplum
vtriusque si vir suscipit quempiam ex fonte baptiſmatis, aut sustinet in con-
firmatione, proculdubio is fit affinis vxoris: sic si vxor suscipiat, uel sustinet
aliquem, contrahit cum ea uir spiritualem hanc affinitatem. at si uir filium
habeat ex priori uxore, & postea aliam coniugem ducat, aliusque quispiam
sustineat, aut suscipiat filium uiri, uxoris priuignum, fit utique is uiri com-
pater, non tamen fit propterea compater uxoris, quia non est actu uiri, sed al-
terius facta est hæc compaternitas. hoc notat B. Thomas in 4. lib. sequitur

has

A has cognationes cognatio legalis,ſeu ciuilis vſus legis, qua conſtitutum fuit.
hoc cognationis genus noſtris temporibus in deſuetudinem ferè abijt. olim
fuit frequens. nam cum unuſquiſque naturaliter appetat nominis,& familiæ
hæredē filium relinquere,ſi cui ualde ſucceſsionis cupido liberi non fuiſſent,
poterit alterius naturalem filium adoptare,& loco filii naturalis habere.ex a-
doptione contrahitur cognatio hæc legalis, quæ primo eſt inter patrem, ſeu
matrem adoptātem, & filium adoptatum,ac inter perſonas his matrimonio
iunctas. quam poſſumus appellare affinitatem legalem.eritq́ue paternitas,&
filiatio huiuſmodi cognatio,quæ recta linea manat etiam in deſcendentes,&
aſcendētes.Eſt præterea cognatio legalis inter filium adoptatum, & filios na
B turales adoptātis,quæ poterit dici fraternitas.differt hæc à priori,ſcilicet fra-
ternitate ſpirituali,quia ſi filius adoptiuus emancipatur à patre, nil prohibet,
quin uxorem poſſit ducere,& habere naturalem filiā patris adoptiui. etenim
ad frenandam concupiſcentiā lex prohibuit connubia inter eos, quos neceſ-
ſe eſt ſimul habitare; adoptiuus ergo filius, quandiu eſt ſub poteſtate patris,
& in eius domo,iure arcetur à nuptijs ſororis,cum uero emancipatus eſt à pa
tre,nec in eius cōtubernio eſt,ſoluitur prohibitio,quia cauſa ablata eſt. Vxo-
ricidæ etiam hac pœna mulctantur, niſi cum eis diſpenſetur, ut uxorem du-
cere non queant.itē inceſtuoſi. ſed ſi de facto contrahunt,non dirimitur ma-
trimonium,extra de eo,qui cogno.cōſang.vxo.c.tranſmiſſæ. Adulteri etiam
ſi cōtraxerint,aut fidem dederint contrahendi poſt obitum cōparis,& ſe pol-
C luerint coitu:itē ſi machinati fuerint in mortem cōiugis, ac occiderint:item
ſi alter tantum machinatus ſit,ut adultero, uel adultera frueretur coniuge, ac
interim ſe polluerint,nequeunt contrahere. Hactenus de matrimonij impe-
dimentis. Nunc pauca quædam de ſponſalibus,& de ſecundis nuptiis.Spon-
ſalia,à quibus ſponſi dicuntur,ſunt promisſio futurarum nuptiarum.poſſunt
contrahi poſt ſeptennium. ſolui etiam poſſunt, poſtquam fuerint contracta,
quandoque ſine iudicio Eccleſiæ, quandoque iudicio Eccleſiæ. abſque iudi-
cio,ut ſi alteruter coniugum fuerit religionem ingreſſus,uel per uerba de præ
ſenti cum alio matrimonium contraxerit, uel mox ſacrum ordinem ſuſcepe
rit. iudicio Eccleſiæ ſoluuntur,ut ſi affinitas quæpiam ſuperuenerit in forni-
catione alterius, ſi lepra,cæcitas,aut quippiam ſimile. alij etiam ſunt caſus,in
D quibus ſpōſalia ſoluuntur. quòd ſi poſt ſponſalia contracta,ſe inuicem ſponſi
cognouerint,interpretatur Eccleſia contractum fuiſſe inter ſponſum,& ſpon
ſam matrimonium,eamq́ue uxorem eſſe,nō ſponſam,& illum uirum.ſecun-
dæ autē nuptiæ, ac tertiæ,ſicq́ue deinceps nō ſunt prohibitæ, vt quidam Hæ-
retici putauerunt. ad quorum hæreſim ob indignationem conceptā Tertul-
lianus declinauit,opuſculum quoq; compoſuit ſuper ea re,quod inſcripſit de
Monogamia. ſuntq́ue & ipſæ per ſe ſumptæ Sacramentū coniunctionis Chri
ſti,& Eccleſiæ,cum ſint unius ad unum. verùm, ſi ratio habeatur contrahen-
tium, deficiunt à perfecta ratione Sacramenti, cum is non fuerit tantum uni
iunctus,ut Chriſtus Eccleſiæ,ſed pluribus. inde eſt,quòd bigamus eſt irregu-
laris ad ordines ſacros ſuſcipiendos. nam in miniſtro Sacramentorum non

debet eſſe quiſpiam Sacramētorum defectus. Poſt ea,quæ hactenus diximus E
de matrimonio,ſponſalibus,& poſterioribus nuptijs,reſtat quæſtio ſoluenda
de beatæ Virginis,& Ioſeph matrimonio,an fuit uerum,& perfectum matri-
monium,cum nunquã fuerit conſummatum:& quo nam pacto,cum perpe-
tua virginitate mentis potuit matrimonium connenire, in quo coniuges ſibi
inuicem tradunt poteſtatem proprij corporis ad generationem prolis. Ad
priorem quæſtionem, ut præclarè inquit B. Thomas è ſententia Ariſtotelis
in ſecundo de anima, quòd duplex eſt rei perfectio, prima, ſcilicet, & ſecun-
da. prima pertinet ad eſſentiam rei,& definitionem, ſecũda ad operationem.
de prima perfectione matrimonij non eſt carnalis coniunctio, ante nanque
quàm coniungantur, is maritus eſt,& illa vxor eſt,nec legitimè coniungeren F
tur,niſi prius coniuges eſſent,ſed coniunctio pertinet ad perfectionem ſecun
dam matrimonij,ſcilicet,ad ipſius vſum.nil ergo obſtat,quin beatæ Virginis,
& Ioſeph fuerit uerum,& perfectum matrimonium,quamuis non fuerit con
ſummatum. alia dubitatio difficilior eſt. Auguſt.in lib.de Nuptijs,& Concu-
piſcentia,quem locum Magiſter ſentētiarum in quarto libro adducit, inquit,
quòd B.Virgo votum fecit virginitatis perpetuò ſeruandæ,niſi aliter Deo vi-
ſum fuiſſet, ſimiliter in matrimonio contrahendo ſuppoſuit ſe Diuinæ vo-
luntati,de qua tamen certa erat, ut quidam dicunt. Scotus enim inquit,quòd
certa erat Ioſeph nunquam petiturum debitum poſt contractum matrimo-
nium. vterque coniugum virginitatem vouit.Poſtremus tractatus pertinens
ad Sacramētum matrimonij eſt de diuortijs. Matrimonium uel eſt perfectũ, G
& ratum,ut matrimonium fidelium; uel imperfectum,quamuis uerum,& le
gitimum,ut matrimonium infidelium.hoc poſtremum non ratum,nec per-
fectum, ſi vterque coniugum conuertatur ad Religionem noſtram, & Chri-
ſtiani fiant, efficitur Sacramentum,ut ſupra diximus,ac perfectum,& ratum.
at ſi alter coniugum efficiatur Chriſtianus, altero infideli permanente, diſtin
guendum eſt. nam vel infidelis vult habitare, & degere ſimul cum fideli, uel
non vult: aut ſi vult, cum iniuria fidei uidetur hoc facturus, ſi voluerit ſimul
degere, vtique nullo præcepto Domini fidelis tenetur admittere ſocietatem,
& contubernium infidelis. attamen B.Paulus 1.Cor.c.7.conſilium dat,quòd
habitet, ac ſimul degat. quòd ſi uoluerit ſimul degere, & Pauli conſilium ſe-
qui, omnes Theologi tenent, quòd propterea vinculum matrimonii cum H
vxore,ſeu viro infideli permaneat, ac propterea non poſſe nouum matrimo-
nium cum alio,ſeu alia contrahere,niſi mulier fuiſſet adultera,vir verò fidem
vxori ſeruauerit. etenim ſi hoc acciderit, iure poſſe virum vxorem dimittere
infidelem,ac aliam ducere.quòd ſi matrimonium non tantum fuerit uerum,
& legitimum,ſed etiam perfectum, & firmum, cuiuſmodi eſt matrimonium
fidelium,diſtinguendum eſt.nam uel conſummatũ eſt huiuſmodi matrimo-
nium per viri,& vxoris copulam,uel nondum eſt conſummatum:ſi non fue-
rit conſummatum,poteſt diſſolui,ſi alter coniugum religionem ingrediatur,
& vouerit, quod poteſt facere etiam altero coniuge inuito. huius poteſtatis
rationem adducit B. Thomas; nam coniunctio viri, & vxoris duplex eſt:

nam

A nam & eſt animorum coniunctio, & corporum carnali nexu. carnalis nexus ſoluitur morte corporea,& naturali, animorum uerò nexus ſolui poteſt mor te ſpirituali. cum igitur ante conſummationem matrimonij, inter coniuges ſit ſpiritualis coniunctio animorum tantum,& ingrediens religionem priori vitæ moriatur,ac incipiat noua uita uiuere, ideo ſoluitur nexus ille hac morte,& religionis voto.Canoniſtæ plurimi ex quadam gloſa de conuerſ.coniugatorum c.ex publico,tenent,quòd ex legitima cauſa Pōtifex poſsit diſſoluere matrimonium perfectū, non tamen conſummatum, multaq; dicunt, quæ meo iudicio ſunt ſatis leuia. ideo nunquam auderem ego dicere, quòd quos Deus coniunxit ante conſummatum matrimonium in Paradiſo terreſtri,ho

B mo poſſet diſſoluere. Scotus dicit rationem Thomæ non eſſe efficacem, ſed quòd Chriſtus in eo caſu diſpenſauit,cum uocauit Ioannem à nuptijs, neque vnquā Eccleſia auſa hoc fuiſſet, niſi accepiſſet à Chriſto. poſt conſummatum matrimonium, vinculum coniugij nunquam ſolui poteſt, donec vterque vixerit: ſed obligatio ſoluendi debitum officium coniugij ſolui poteſt per fornicationem,ſeu carnalem,ſeu ſpiritualem,ſi alter fidem ſeruauerit inuiolatā. fornicatio ſpiritualis eſt,ſi ex Chriſtiano quiſpiam efficiatur infidelis.nā,cum Chriſtus in Euang.Math.c.19. exceperit fornicationem, ob quā ſoluitur ius, & poteſtas in corpus alterius,in eo,qui fidem frangit non minus intelligenda eſt ſpiritualis fornicatio, ut ſæpe in Prophetis Deus appellat idolatriā, quàm carnalis,& corporea. Nonnulli ex verbis Euangelij apud Math. c.19. & ex au

C ctoritate Ambroſij in expoſitione epiſt.ad Cor. volunt ſolui vinculum coniugale ob adulterium,ita quòd vir dimiſſa adultera, poſsit aliam vxorem ducere. ſed Auguſt. in lib. de adulterinis connubijs ad Polentium optime, & iure probat hoc iure fieri non poſſe,& ea cōnubia eſſe adulterina, id eſt adulteria, non connubia. hæc quæſtio ſi diſcutienda eſſet, longiori tractatu indigeret, quam ratio ſuſcepti operis expoſcat; ideo ſatis nobis fuerit locos notaſſe. ob alias etiam cauſas,quæ tamen per ſe non pertinent ad matrimonium,iure ſeparari poſſet vir ab vxore,ſeu vxor à viro. quæ quoniam non per ſe faciunt ad matrimonium,ſed per accidens, ut iuſtus timor mortis,&c. nos omittimus, & Iuriſconſultis, ac iuris Pontificij doctoribus dimittimus. Quāuis Nuptiæ, earumque conſummatio ſit Chriſti,& Eccleſiæ Sacramentum, nihilominus

D quoniam carnalis illa voluptas obruit animum, & diſtrahit ſummopere à rerum,ſpiritualium contemplatione, ideo coniugalis actus, niſi ob cauſam neceſſariam uitandi lubricum, & incontinentiæ vim, peti decenter non debet diebus ieiuniorum, & feſtis præſertim ſolennibus. ſi petatur uerò, reddi debet ſeruata debita honeſtate, cæteriſque circunſtantiis,quæ ſeruari debent ſecundum rectam rationem. Neque Nuptiæ celebrari iure queunt à Septuageſima vſque ad octauam Paſchæ: à Rogationibus uſque ad octauam Pentecoſtes: ab Aduentu Domini vſque ad Epiphaniam. His nanque temporibus ſolennibus ſolebant omnes communicari corpori, & ſanguini Chriſti. Iam peruenimus ad inſtituti operis calcem, Deo bene iuuante, cui ſit laus ſempiterna. Amen.

GASPARIS CONTARENI S. R. E. CARDINALIS, DE OFFICIO EPISCOPI.

DE OFFICIO EPISCOPI

LIBER PRIMVS.

DEVS optimus uniuerſitatis rerum conditor, ſapientiſſimusque naturæ inſtitutor, duplici via, tum res, quæ oculis ſubiectæ ſunt, atque ſenſu comprehendi queunt, tum etiam illas, quæ cuiuſq; ſenſus facultatem excedunt, ad propriam perfectionem deducit. nonnullæ etenim ductui naturæ obtemperantes, ſuos quæque attingunt fines, nullo rationis, aut electionis vſu adhibito. Res uerò mentis compotes tali natura inſtituit, ut ſe ipſis quodammodo ducibus, rationis. ſ. electioniſque vſu, ad illam, quæ
C debetur eis, perfectionem deuenirent. qua de re excellentiori modo ſimilitudinem ſuam in rationali natura expreſſit, quam in rationis experte. Nam quemadmodum ipſi ſibi perfectio eſt, neque alicui fœlicitatem ſuam acceptam refert; pari quoque ratione, pro earum naturæ modo, rationales naturas uoluit ſibi, ut eſſent perfectionis auctores: quod tamen nequaquam fieri abſque eius influentia putandum eſt. nihil enim principis illius cauſæ ordinem euadit; cum irrationalia alieno veluti impulſu ſuis quæque finibus potiantur. Hæ uerò rationales naturæ, quæ ſuis quodammodo auſpicijs, optatum à naturaque inſitum finem adipiſcuntur, ſunt duplices. quædam enim omnino corporum ſunt immunes, quales ſunt Angeli: contrà aliæ corporeis rebus affines, quæ non niſi corporibus coniunctæ à primo illo omnium
D auctore in lucem prodeunt, rationales hominum animi ſunt. Horum vtriſq; duo fines, duplexque perfectio debetur. quorum alterum aſſequi queunt innatis viribus, atque naturali facultate. Alterum uerò nequaquam adipiſci poſſunt abſque peculiari quadam ope, priuatim ſibi diuinitus allata. prior finis, poſteriori hoc longè inferior; verùm præparatio quædam exiſtit ad poſteriorem adipiſcendum. Angeli multò excellentiorem in rerum hac uniuerſitate gradum ſortiti quàm homines, in primo ſtatim rerum exordio ſunt aſſecuti naturalem atque inchoatam, quam ſupra dixi, perfectionẽ: ſimulque gratiam ſunt adepti, quæ tanquam ſeminarium quoddam eſt perfectiſſimæ atque excellentiſſimæ illius fœlicitatis; ad quam paulo poſt hi euecti ſunt, qui à ſupremo bonorum omnium fonte non auerſi, in eo potius, quàm in ſe

fœlices

fœlices eſſe uoluerunt. Hominum uerò natura, quoniam ab angelica perfe- E
ctione diſtat, multum temporis multumq́ue ſudoris impendit in illa fœlici-
tate conſequenda: perfectam autem nequaquam attingit in hac mortali ui-
ta; uerùm poſt mortem, qui ſanctè pieq́ue uixere, diuino numine ad eam eue-
huntur. ſatis uerò habent, ſi, donec mortalem uitam in terris agunt, Chriſtia-
nis uirtutibus, præter eas, quas morales dicimus, excolant animum; quibus
ueluti catenis ac uectibus trahuntur ad ſupremum fœlicitatis gradum. Sed,
quoniam homo ſolus nequaquam ſufficit ad ea ſibi comparanda, quæ pro
tuendo corpore neceſſaria ſunt, nedum beatitudinem per ſe acquirat; effe-
ctum eſt, ut homines ſimul uiuerent in ciuili ſocietate, in qua alter alterius
ope, tum politicam, tum etiam Chriſtianam adipiſceretur perfectionem: ut F
non tantum propter liberam eligendi uim, ſed etiam propter operã uiciſſim
præſtitam ſibi ipſis eſſent perfectionis ac fœlicitatis auctores. cæterum, quia
unuſquiſque maximè ſuum aut familiæ bonum procurat, opus fuit, ut com-
mune bonum alicui demandaretur. quod, cum in communione quadam ci-
uilis cœtus præcipuè conſiſtat, melius mandatur uni, quàm pluribus. Hinc
ciuitatibus atque populis Reges atque Epiſcopi præſident. Regum officium
præcipuum eſt, ut ciues bona ciuitatis inſtitutione probos reddant, eosq́ue
euehant, qui natura capaces ſunt ad politicam uſque fœlicitatem. Horum
gratia, externorum bonorum copiam, militaremq́ue potentiam ciuitati, cui
præſunt, nituntur omnibus uiribus comparare. Epiſcopus autem altiorem
quendam ſcopum præſcriptum habet. Nam fidei ſuæ commiſſam ciuitatem G
Chriſtianis inſtitutionibus, diuiniſq́ue legibus erudiendam, atque in officio
continendam ſuſcipit; ſuſceptamq́ue ad ſupremam eam fœlicitatem diri-
git omni conatu; quam ſine Chriſtiana pietate atque inſtitutione ſperare ſtul-
tum, ſimulq́ue nefarium eſt. quò fit, ut longè maiori dignitate Epiſcopus
præditus eſſe cenſeri debeat, quàm princeps ciuitatis. Hic namque curam
habet humanæ fœlicitatis, quæ diſpoſitio quædam eſt ad Chriſtianas uirtu-
tes ſupremamq́ue beatitudinem; quarum Ducem, ac magiſtrum Epiſco-
pum eſſe diximus. ita fit, ut utrunque oporteat excellenti quodam animo eſ-
ſe, omnibusq́ue uirtutibus ornato. primùm, quoniam natura comparatum
eſt, ut unumquodque efficiens ſimilem ſibi effectum pariat; forma enim &
natura propria rei, quæ agit, actionis principium eſt; ex quo efficitur, ut Gu- H
bernator ac Princeps, qualis ipſe fuerit, talem efficiat ciuitatem. bonam ergo,
& beatam nequaquam reddet is Gubernator, qui non tali ipſe quoque habi-
tu præditus fuerit. Huc adde, quod in his, quæ ad mores pertinent, unuſquiſ-
que facta potius monitoris ſectatur, quàm uerba; tumq́ue ſibi uerè dari uer-
ba à præcipiente credit, ſi ſecus uiuat, ac uiuendum eſſe aliis præcipiat. poſtre-
mò, ut inquit Plato, præfectus ciuitatis talem in urbe Reipublicæ inſtitutio-
nem facit, qualem prius in animi ſui Republica geſſerit. Nam in quouis ho-
mine ex iraſcibili, concupiſcibiliq́ue animæ partibus, atque ex rationali, ue-
luti quædam Reſpublica conſtituitur. ſi quis ergo ita uiuit, ut eius appetitus à
uirtutibus non deflectant, ſolamq́ue rationem ducem in quacunque actione

ſequantur;

A ſequantur; optimã hic in animo ſuo conſtituit Reipublicæ formam, & eam, ex qua in ciuitatem deriuetur optimatium, ſeu probi principis principatus. at ſi iraſcibilis animi vis ambitione, aut huiuſmodi quopiam morbo affecta, imperium in animum noſtrum exerceat, ipſique cætera pareant, quæ in homine ſunt, ambitioſam aut militarem gubernationis formam, in populo atque vrbe, cui præeſt, ſtatim parit. ſin uerò libido, aut auaritia, cæteræque concupiſcibilis partis ægritudines, ac peſtes aliis omnibus præſtiterint, hinc popularis, ac tandem tyrannica ciuitas efficitur, cum maximo ciuium omnium detrimẽto. quamobrem ciuitatis Principem, Chriſtianique gregis paſtorem maximè decet, ut quàm optimam animi Rempublicam intra ſe gerant; ſi re-
B cte ciuitatem ſint adminiſtraturi, atque ad optatam beatitudinem pro viribus perducturi. longè tamen maior animi perfectio in Epiſcopo requiritur, quàm in principe: tum quia ad ſupremũ quendã finem, atque excellentiſsimi virtutibus Chriſtianis inquam populus, cuius curã gerit, eſt ipſi inſtituendus: tum etiam, quòd cùm vnuſquiſque tanto oneri ferendo per ſe ſit impar, purgatiſsimo animo eum eſſe oportet, atq; ad diuinas illuminationes ſuſcipiendas idoneo, qui ſe tam magnæ prouinciæ accingit. Nam cùm egregio, miroque ordine hanc rerum uniuerſitatem ſupremus ille artifex moderetur, inferioraque ſuperioribus, veluti quibuſdam inſtrumentis, perducat ad proprios naturaleſque fines; hunc tamen ordinem maximè præſtat in humano genere dirigendo, ad æternam illam fœlicitatem, quò fit, ut Angelis utatur tan-
C quam miniſtris ad purgandas, illuſtrandaſque hominum mentes: obſcurius tamen id præſtat in his, qui aliorum imperio & moderationi ſubiecti ſunt; clariſsimè uerò ac lucidiſsimè in illis, qui aliis curandis præſunt; dum modo ſibi ipſi non deſint, ipſumque humanum genus ſupremæ huius beatitudinis quodammodo ſibi auctor eſſe uelit. Epiſcopus autem medius eſt inter diuinos ſpiritus, & humanum genus. ex quo perſpicuum eſt, oportere Epiſcopũ tum angelicæ, tum humanæ naturæ quadam ratione participem eſſe; quod cum de ſe nullus, quanquam virtutibus ornatiſsimus, polliceri poſsit; iccirco Epiſcopatum optare abſque arrogantiæ crimine, aut auaritiæ, aut ambitionis, nequit vllus. abſque vllo tamen crimine quiſque optare poteſt, eam ſibi diuinitus animi excellentiã concedi, ut gerendo Epiſcopatui idoneus haberi
D poſsit: ad eã tamen dignitatẽ nequaquam accedendũ eſt, niſi vocatis à Deo, & à ſummo Pontifice coopatis, abſque vllo ipſorum ambitu; quemadmodum à Moyſe Aaron fratrẽ ad ſacerdotiũ uocatũ legimus. ex his igitur nemo, quãuis tardus ingenio, non pcrſpicere poteſt, quanta animi perfectione atq; excellentia præditus is ipſe eſſe debeat, quem diximus oportere ſupra humanã ſortem, ad Angelicæ vſque naturæ participationem extolli. Cæterùm, quoniam ad tam magnum animi profectum non niſi quibuſdam veluti gradibus peruenitur, nos quoque ordiemur à leuioribus, pedetentimque accedemus ad ſublimiora: idque prius generali quadam figura ac ratione; poſtmodum uero in ſpecie magis. Principib' ergo, qui Epiſcopatui gerendo dignus ha-

beri vult, aciem mentis intendat, ut in unaquaque actione quod honeſtum E
ac decorum ſit, intueri queat. multi ſunt enim, qui ad honeſti ſplendorem
uel nullos, uel lippientes oculos afferant. deinde tam vehementi amore erga
honeſtum afficiatur, ut nullis illecebris voluptatum, nullaque alia animi
perturbatione ab hoc honeſti ſenſu poſsit abduci. verùm, quoniam hone-
ſtum rationis quoddam eſt bonum, multæque animi partes ſunt ratio-
nis expertes, quas ſcilicet communes gerimus cum cæteris animantibus
brutis: duæ uerò ſunt appetitus vires, quæ ſenſibilem animi partem comi-
tantur: quarum alteram concupiſcendi vim, alteram autem iraſcendi ap-
pellare conſueuimus: Hæ autem ſuápte natura rationis expertes ſunt, ne-
que appetunt honeſtum, quod rationis eſſe bonum ſuprà diximus: in ho- F
mine mentis compote; in quo naturali quodam ordine tum corpus animæ
paret, & ex imperio animæ in quaſcunque mouetur partes, tum ratio cæte-
ris animæ facultatibus imperat: atque hæ tamen partes, quas ratione ca-
rere diximus, neſcio quo nam pacto factæ ſunt ipſæ quoque compotes ra-
tionis, quatenus ſcilicet naturali quodam nexu natæ ſunt menti obſequi,
ſi interim paulatim aſſueſcant nihil agere præter rationalis partis impe-
rium. Hoc uerò nunquam commodè præſtare poterunt, niſi virtutes mo-
rales imbiberint, quibus exuperent naturæ ſuæ facultatem, & rationem
quo vis pacto pertingant. ex his ergo ſic collectis efficitur, ut continuò ab
ineunte ætate, qui probus Epiſcopus futurus ſit, coercere has animi vi-
res debeat, continereque intra limites à ratione præſcriptas; atque his vir- G
tutibus excolere, quibus vtranque excitari, ac rationem, honeſtique veluti
quendam ſenſum adipiſci, & ratione, & experimento compertum cuilibet
poteſt eſſe. quam viam niſi fuerit ab adoleſcentia ingreſſus, in virili ætate
conſtitutus, id aut nunquam, aut ægre præſtabit. iuxta viam ſuam adole-
ſcens [inquit Salomon] cum ſenuerit, non recedet ab ea. totis ergo viri-
bus enitendum eſt, omnique conatu contendendum, vt à teneris annis,
Herculis more, hæc monſtra molliamus ac perdomemus, atque aſſue-
faciamus, vt iugum rationis pati in tenera ætate diſcant. Sed prius com-
peſcendæ nobis erunt concupiſcibilis animi perturbationes; quæ & ve-
hementisſimæ ſunt, & in prima ſtatim adoleſcentia bellum cient aduer-
ſus rationem acerrimum. Hæc igitur animi vis in illo ætatis lubrico H
temperantia eſt cohibenda: quæ, ſi propriè ſumatur, compeſcit ac co-
ercet voluptates ex cibo potuque, atque ex venereis rebus emergentes: ſed
alio modo ſumpta, latè patet, atque auaritiam, inuidentiam, & ambitio-
nem, grauisſimos animi morbos, expurgat. Quid enim eſt liberalitas, niſi
temperantia quædam à nimia pecuniarum cupiditate, immoderataque lar-
gitione? aut quid aliud eſt ea virtus, quæ cum ſit circa mediocres hono-
res, propria appellatione caret, niſi temperantia quædam à nimia hono-
ris cupiditate? indignatio quoque ab inuidentia temperat, de qua infrà cum
de charitate diſſeremus. ſunt etiam nonnulla concupiſcibilis animi uitia,

quæ

A quæ hominum inter ſe conſuetudinem maculant, deterioremq́ue faciunt. Hic fictus, atque adulator; ille vrbanus, aut ſcurra. contra quos morbos his pharmacis eſt utendum; vt veritate ſeu viuēdi ſimplicitate, Chriſtiano enim more loquar, ſimulationem omnem vitemus, affabilitate, turpes adulationes, atque importunas uel de minimis rebus contentiones: vrbanitate, & ſcurrilitatem, & conſuetudinem agreſtem ac moroſam. his non minus quàm ſuperioribus, temperantiæ nomen accommodari poteſt. Nam & uerus ſeu ſimplex, à quacunque temperat fictione, & affabilis à contentione, & vrbanus, à ſcurræ uerbis ac moribus. His ergo uirtutibus concupiſcibilis anima eſt exeolenda; ut diſcat rationem ducem in omnibus ſequi, & ad quendam B honeſti ſenſum paulatim ſubduci conſueſcat, in nulla tamen animi perturbatione ſedanda, magis eſt euitandum, in iuuenili præſertim ætate, quàm in ea, quæ ex ardore libidinis, illiusq́ue voluptatis illecebris excitatur. Hæc enim omnium uehementisſima eſt, maximeq́ue affigit humo diuinæ particulam auræ, (ut inquit Flaccus.) qua in re conſiderandum erit, quàm homine indignæ ſint eæ voluptates, quibus in bruta animantia quodammodo degenerat; ante oculosq́ue proponendum, quot celebres ac illuſtres viri res pulcherrimè ab ipſis geſtas, hac labe fœdarint. maximaq́ue cum ignominia tum ſuperſtites uixerint, tum etiam poſt obitum in memoria vulgi ore uerſentur, in quibus ſatis erit Salomonis ſapientisſimi ac potentisſimi Regis exēplum; qui poſt multa præclarè ac magnificè geſta, tam turpiter, huiuſce voluptatis C illecebris captus, deflexit de uia; ut ad idolatriæ uſque neſandisſimum crimen collapſus fuerit, ſimulq́ue abſtinendum erit à conſuetudine eorum, quæ animos iuuenum ſolent allicere ad huiuſmodi uoluptates, nec minus parcendum erit lectioni eorum auctorum, ac præſertim poetarum, qui amorum monumenta poſteris reliquerunt. qua in re non poſſum ſatis mirari noſtrorum temporum conſuetudinem, cum ſcilicet pueris (ut ita dixerim) uix bene natis, continuò legendos ac ediſcendos, proponunt nonnullos poetarum libellos, amoribus ac libidinibus plenos; calcariaq́ue addunt ætati, per ſe ad libidines ſponte currenti. Noſtrum uerò Epiſcopum nollem ego à teneris annis hac vulgari ratione, ſed potius ſecreta quadam ac diuerſa à vulgi conſuetudine inſtitutum fuiſſe. ſin aliter, cum primum licebit, uellem ut ab huiuſ-D modi poetarum ſtudiis temperaret. ſed nunc de his ſatis. inferius nanque fuſius dicturi ſumus de Epiſcopi ſtudiis. A crapula uerò abſtineat, quantum fieri poteſt, nihil enim uiro ingenuo indignius, quàm iſta ciborū ac potus ingluuies. de liberalitate, quæ ſequitur, pauca quædam nunc dicam; plura infra dicturus, cum de diſpenſatione redituum annuorum Epiſcopatus differam. nunc id tantùm monuiſſe ſufficiat, nihil eſſe animi magis anguſti, quàm hæc comparandarum pecuniarum ſitis. miſerāda profectò animarum ægritudo, qua homines uſque eo obſequantur, ut uitæ perfectionem, ſummumq́ue bonū ex diuitiarum opibus ſibi cōparari poſſe exiſtiment. ſed ambitio, quæ tota pendet ex vulgi errore, miſerrima eſt: quam tamen differimus ad eum uſque locum, in quo de magnanimitate dicemus. Verùm, cum homo non ſolus

 uiuat,

uiuat, ſed aliorũ quoque commercio utatur, dandum operæ plurimum erit, E
ut iucundi amici ſimus, cæteriſque hominibus non ingrati. primum igitur
obſeruandum eſt, ut quàm maximè fieri poteſt, in quacunque actione ueri-
tatem quandam (vt verbis Ariſtotelis vtar) uel potius ſimplicitatem præſte-
mus,[vt Chriſtiano more loquar.]Hæc animi uirtus fictionem omnem,& in
corporis geſtu, atq; habitu,& in quacunq; alia actione prorſus excludit; neq;
aliud ore præſefert, aliud corde occultat. Rei namque ſimplicis unica quædã
eſt,in quacunq; eius parte,eademque habitudo.Nec etiã in cõuerſatione ho-
minũ negligenda eſt iocunda quædã affabilitas ac decora;ita ut neque adula-
tionis crimine inſimulari poſſimus,neque vlla moroſitate culpari:ſed in con
uictu quoq; hominum, ut ſimus faciles ac iocundi. pari ratione conſuetudi- F
nis nobis vtendum eſt,ſi quãdo iocoſa incidunt; ad quæ,animi reficiendi cau
ſa, plerunque homines diuertunt, ut alacriores reuertantur ad ſeria honeſta-
que ſtudia. in iocis ergo decorum quoddam ſeruandum erit; ne uidelicet ui-
deamur ruſtici, atque agreſtes, ne ve contrà ſcurræ ac mimi. ſed condienda
oratio erit vrbanitate quadam ac lepore;ut ſimul faceta grauiſque habeatur.
Reprehendet aliquis fortaſſe diligentiam hac in parte noſtram, quòd potius
ciuilem virum,quàm Epiſcopum erudire uidear. cui reſponſum velim, mo-
rales ac ciuiles virtutes,quamuis non ita Epiſcopi ſint,ut aliis quoq; non cõ-
ueniant, quemadmodum nonnullæ aliæ,de quibus infrà dicturi ſumus, non
tamen ab Epiſcopo putandum eſt alienas eſſe; quin potius fundamenta ſunt
quædã, quibus ſublatis, cæteræ quoq; Epiſcopo peculiares & propriæ ruant, G
neceſſe eſt. iccirco nobis,quibus tanquam ab incunabulis perfectum Epiſco-
pum erudire propoſitum fuit, nequaquam fuerunt omittendæ. Tempus nũc
eſt,ut duram efferamque animi partem, iraſcendi inquam vim, non mollem
quidem,ſed conſtantem efficiamus. Huius præcipua uirtus eſt fortitudo,qua
firmamus molle illud animæ atque effœminatum, ne penitus ſubſidat ac de-
fluat.Hæc ea eſt uirtus,quæ uirilitatem quandã, & robur animo præſtat, om-
nibuſque mortalibus, ac humanis rebus ſuperiorem facit: in hac plus multò
elucet decorum illud atque admirandum honeſti,quàm in quauis alia uirtu-
te: unde etiam ſola per excellentiam quandam, virtutis nomẽ obtinuit apud
veteres Romanos. circa mortis pericula, dolorumque tolerantiam maximè
uerſatur hæc uirtus; in quibus ea potiſſimum ratione firmabimus animum, H
ſi cõſtantiſſimè tenebimus nihil honeſto præferendum eſſe, nullamque rem
homini accidere poſſe,quæ intolerabilis ſit; quod facilè ei perſuadebitur;qui
diuinitatem & excellentiam humani animi nouerit, quem turpe tantum at-
que inhoneſtum factum inficere poteſt: cætera uerò, quæ maxima putantur
mala,dolores inquam, labores, tormenta, ac denique mors, ſi conſtanter fe-
rantur ac fortiter,perficiunt,magiſque egregium præſtãt. Hic operæpretium
erit cogitatione uerſare plurima à maioribus noſtris conſtantiſſime geſta, &
cuiuſcunque generis tormenta fortiter ſeparata. Horum pleroſque ante
Chriſtianam religionem, antiquitas eſt admirata; ſed poſt effuſam Euan-
gelij lucem tam magnam huiuſmodi exemplorum copiam Chriſtiana

religio

A religio ſuppeditat, vt vix vlla cogitatione comprehendi queat. Nullo pacto omittenda quoque erit magni excelſique animi uirtus, cuius opera magnis etiam honoribus animus ſuperior fit: unde eam appellationem ſumpſit, dictaque eſt magnanimitas. Hanc Philoſophi perfectionem iraſcibilis animæ poſuerunt, quia circa arduum quoddam uerſari uideretur, quod propriè ad iraſcendi vim pertinet. eam uerò, quæ in mediocribus quibuſdam eſt honoribus, in concupiſcente, ſeu deſideratiua animæ parte ſtatuerunt: quoniam nihil arduum propoſitum haberet. Hiſce virtutibus, tanquam ad fortitudinem pertinentibus, firmatur animus, ne ab honore pendeat ex errore vulgi plerunque præſtito, in quod uitium animi præſtantes & egregiæ naturæ ſæpe
B numero incidere ſolent, niſi exculti prius fuerint tum recta quadam exiſtimatione, tum etiam magnanimitate. Nam cum honor uirtutis ſit præmium; virtutemque ſequatur velut vmbra corpus, præſtãs excellenſque ingenium, ſi parumper ab honeſto, quod uirtutis eſt finis, deflexerit, continuò pro uirtutis fine honorem ſibi proponit, tanquam actionum omnium poſtremum finem: id putant excelſi, atque magni viri eſſe, ut uitam etiam pro laude paciſcantur, hanc uerò laudem, atque gloriam (qui maximus eſt error) iudicio vulgi metiuntur: inde fiunt ſæpe ambitioſi, & addicti penitus auræ populari. quamobrem cum locus hic tam lubricus ſit præſtantibus egregiiſque naturis, maximè cauendum erit, illi præſertim, qui alijs regendis idoneum ſe eſſe profiteatur, & uelit, ne quandoque corruat in pernicioſam hanc ambi-
C tionis voraginem. omni ergò conatu formandus ipſi animus erit hac fortitudinis ſpecie, magnanimitate ſcilicet, præſtabitque ſe magnis honoribus dignum, qui ſi pro meritis ipſi à vulgo non deferantur, negliget ac paruipendet; unde fit, ut difficillimum ſit magnanimum eſſe, quia ualde arduum quoque eſt magnis honoribus eſſe dignum; ex quibus efficitur, ut ualde ridiculus, ac vanus ſit habendus ille, qui, cum honoribus ſit indignus, ſe magnanimum hiſce contemnendis eſſe profiteri audeat. Sequitur magnificentia, quæ circa magnos eſt ſumptus (hoc namque & ipſum arduum eſt) quam nolim à Chriſtiani gregis præſide in hanc partem uſurpari, ut ad animi hanc, quã ſtatuo, magnificentiam attinere arbitretur, magnos cœnarum, ac ſplendidos apparatus, ingentem famulorum ordinem, magnam & eximiam aulæorum ac
D vaſorum argenteorum ſupellectilem, cæteraſque huiuſmodi impenſas, ut turpiores nunc omittam. non enim eadem quãcunque perſonã decent. in Principe fortaſſe non indecora hæc erunt, & ad magnificentiã ſpectabunt; at Epiſcopo, Chriſtianique gregis paſtori, nihil (vt exiſtimo) magis indecẽs. verum magnificentiæ Epiſcopi intereſſe reor, primum ut erga inopes profuſiſſimus ſit, magnaque hoſpitia conſtruat, in quibus pauperum, præſertim cum ægrotant, & victui & ſanitati conſulatur: deinde ut templa, vaſa, veſtes, cæteraque, quæ ad diuinum cultum pertinent, quantum fieri poſſit, non omiſſo interim erga pauperes officio, magnifica ornataque habeat. ab hiſce rebus Epiſcopo debetur magnificẽtiæ laus. Reliqua ex uirtutibus iraſcibilis appetitus eſt mãſuetudo, qua mollitur animus, ac refrenatur, ne iracundiæ ſtimulis in præ-

 ceps

ceps actus rationem reuocantem nequaquam audiat,ſed longiſsime præcurrat. nam,quemadmodum tribus ſuperioribus uirtutibus præſtatur quoddam animo robur, ne rebus arduis cedat, ne've præcurrentem rationem deſerat: ita contrà manſuetudine frenatur iraſcendi vis, ne rationem præcurrat, eiuſque mandatis obaudiat. Hæc uirtus maximè ſplendet in quouis præſide, furere enim ualde alienum exiſtimari debet à principe, in quo omnium maxime ſapientiam optare ſolemus. nulla uerò animi perturbatio magis homines agit in furorem, quàm iracundia, ex qua nō tantum in animo, uerumetiā in corpore magna turbatio excitatur. licet intueri ora,greſſus,omnemque habitum corporis hominis irati: nihil decorum, nihil compoſitum ſpectabis Hæ ferè uirtutes ſunt à Peripateticis connumeratæ, quibus ſenſibilis appetitus,qui ſuapte natura rationis eſt expers,neque vllum honeſti ſenſum habet, quodammodo ad participationem rationis aſſurgit. Nunc tempus poſcere uidetur, ut pauca quædam,quæ ad hoc negotium pertinent, dicamus de uirtutibus partis rationalis. Nam ex hac,veluti ex radice quadam, rectitudo influit in reliquas quoque animi uires. Niſi enim hæc rectè in ſua actione uerſabitur,fruſtra reliquæ vires ſequentur imperium rationis: at rectè agere non poterit, niſi propriis uirtutibus fuerit prius imbuta: huius autem animi vis altera comprehendit,ratiocinatur ac cogitat; altera uerò appetitus quidam eſt cogitationis aſſecla. huius poſterioris,appetitus inquam,rationalis iuſtitia perfectio eſt. non enim in ſenſibili appetitu rectè hæc animi uirtus potuit collocari: nam non uerſatur circa ſedandas perturbationes ut reliquæ, ſed tantum æquum ſeruat ac tenet. æquum uerò collatione diſcurſuque rationis comprehenditur, & iccirco ad ſenſibilem partem pertinere non potuit, ſed ad rationalem. huius namque multorum inuicem collatio propria quædā eſt actio. iccirco in eo appetitu,qui rationem ſequitur,iuſtitiam collocarunt. Hæc uerò uirtus,ſi in genere ſumatur, tam late patet, ut ad eam cæterarum omnium uirtutum actiones referri queant. quod ſi preſſius eam ſumpſeris,æquitatem tantum amplectitur in externis bonis, ut non plus ſibi, quam æquum ſit, neque alteri minus,ſed æquum omnibus tribuatur. hominum quidem communitati, cœtuique ciuili tam neceſſaria eſt hæc animi virtus, ut auſim dicere ſine reliquis uirtutibus conſiſtere poſſe hominum ſocietatem, at nunquam ne uel temporis momentum permanſuram, ſi quæuis iuſtitia auferatur. in priuato uiro ſatis iuſtitiæ eſſe putandum eſt, ſi ab inferenda iniuria abſtinet, at in principe ac præſide late patet. Nam non ſatis eſt principi, ſi ab inferenda iniuria temperet ipſe, verum oportet, ut & illatam ab alio iniuriam pœna compenſet, & ne inferatur pro uirili prouideat. qua in re tum mira prudētia, tum etiam diligentia non mediocri opus erit. Hanc igitur principum ac præſidum propriam peculiaremque uirtutem, futurum Epiſcopū admirari oportet, à teneriſque annis aſſueſcere, ut non modo facere, ſed ne audire quidem iniuſtum aliquid patiatur. Hanc & in cōmutationibus ſeruari curabit,& in diſtributionibus,quod præſidis officium eſt,diligentiſsime ſeruabit. Altera uirtutū rationalis animi in ea eſt parte cōſtituta,quæ ratiocinatur & ſapit. Hanc pruden-

A prudentiam nominabimus latiori quadam ſignificatione, quàm à Peripateticis ſumatur. Hæc uirtutum omnium princeps, ſine qua nullum uirtutis officium rectum eſſe poteſt. huius proprium eſt, quod in una quaque actione decorum, atque honeſtum ſit intueri. quæ licet quodam modo non in ciue libero ſolùm, qui tum ſui, tum familiæ curam habet, ſed etiam in ſeruo eſſe debeat: hic tamen anguſtis quibuſdam terminis coercetur, in principe uero ac præſide, quibus alii obediunt, proprios ac latisſimos fines habet. non enim huic ſatis erit compertum habuiſſe, quid certo cuidam hominum generi in ciuitate & decens, & utile ſit; ſed in uniuerſis generibus, ut hoc norit, oportet. huius præcipua pars, quæ omnium maxime principi conuenit, eſt legum
B ferendarum facultas, ut ſcilicet leges ferat, quarum obſeruãtia ciues ciuilem fœlicitatem mancam illã, quam diximus, adipiſcantur; Habiles autem atque apti fiant ad Chriſtianas uirtutes capeſſendas, quarum demum ope ſupremã beatitudinem conſequantur. at enim prudentiam meo quidem iudicio difficile adipiſcetur, qui philoſophiæ morali nullam operam dederit; quo fit, ut ea ſtudia pulcherrima & Principe maxime digna exiſtimẽ. in his uellem ego Epiſcopum noſtrum, quem inſtituimus, dies atque noctes uerſari. Hiſtoriarum quoque cognitio non parum ad prudentiam facit, dum aliorum exemplis illuſtrium alioqui virorum, quid deceat, & quid operæpretium ſit, in una quaque actione facile diſcimus. Huic quoque uirtuti copulemus reliquarum rerum cognitionem, præ omnibus uero naturalium, diuinarumque rerum
C contemplationem: quæ & per ſe pulcherrima eſt, maximeque momentum præbet, ut ad earum rerum imitationẽ, atque exemplum, tum animi eorum, qui illam perceperint, tum uniuerſa ciuitas illorum ductu ſe effingat. prudentiæ quoque officium eſt, ut nouas quaſdam, ſuperſtitioſaſque artes à ueris honeſtiſque dignoſcat, ne fortaſſe (qui multorum eſt error) in monſtris quibuſdam, & nugis magno cum diſpendio tempus terat. Hactenus eas uirtutes perſecuti ſumus, quibus humana uita continetur; ut prius illud in Epiſcopo noſtro caueretur, ne quandoque ex homine in brutum animal degeneraret. Nam, cum Epiſcopus (vt ſupra diximus) hominemq uodam modo excedat, noſtrumque inſtitutum fuerit, de integro Epiſcopum ab incunabulis conſtituere, neceſſe fuit, ut prius hominem faceremus; quem poſtmodum
D Epiſcopum facturi eſſemus. Hucuſque procedunt humanæ vires, neque vltra hominem promouent, quam ut in actionibus quibuſcunque decorum, honeſtumque ſeruet, ac diuina quoquo pacto attingat ex rerum ſenſibilium contemplatione, admirabilique in rebus omnibus naturæ ordine. Hæc manca illa, atque imperfecta fœlicitas eſt, ad quam ſupra dixi poſſe hominem naturali lumine peruenire. Verum non eſt hæc ſuprema illa beatitudo: quæ omni ex parte appetitum hominis compleat. ſed quærenda eſt multo excellentior, ad quam conſequendam nunquam ſufficerent naturales conatus, ſed opus homini eſt peculiari quadam gratia diuinitus impertita, nonnulliſque uirtutibus conſeſtuentibus gratiam, quarum adiumento humanus animus ad quandam participationem diuinæ naturæ attollitur: hæ uero ſunt ueluti

elementa ſupremæ illius fœlicitatis, quæ ſola animum implere poteſt. nihil E
enim aliud eſt ſumma hominis beatitudo, quàm Deum fieri adeptione diuinitatis, eoq́ue bono fœlicem eſſe, quo ſemper Deus eſt fœlix. Hoc ſummum ſupremumq́ue bonum ſola Chriſtiana religio præſtare poteſt, in qua per fidem, legemq́ue Ieſu Chriſti Dei & hominis ad aſſequendam diuinitatem peruenire ſperamus; in quo certe tanquã in arctisſimo, indiſſolubiliq́ue nexu queunt tam longe diſtantes naturæ diuina inquam, atque humana coniungi. nam cum diuina congruit, quia perſonam Dei gerit, nec ab homine diſcrepat, cum ſit homo; quo fit, ut in ipſo poſſit homo Deum comprehendere, (vt ita dicam) diuinasq́ue actiones imitari. Hoc illud eſt Dei arcanum & reconditum myſterium, quod ſtulti philoſophi non intelligentes interdum Chriſtianam religionem derident. ſed reuertatur oratio, unde digreſſa eſt. Excellentisſimus hic finis, quẽ conſequi expetit Chriſtiana religio, perfecte in hac mortali uita obtineri non poteſt. ſed ſatis homini eſſe debet, ſi dum in uiuis agit, ſemina quædam conſequatur, ad eum finem adipiſcendum. id namque in quibuſcunque naturæ effectibus clarisſime conſpicitur, ſi non ſtatim debitam ſibi attigerint perfectionem, priuſquam abſolutam obtineant, obtinere inchoatam. quamobrem oportuit hominis animum Chriſtianis, ac diuinis uirtutibus ſupra ſe quodam modo attolli, paulatimq́ue ad diuina progredi, ut ſic affectus poſt obitum abſolute, perfecteq́ue beatitudinẽ conſequeretur. Hi Chriſtiani animi habitus facultatẽ intellectus noſtri excedũt: quod maxime congrue, modoq́ue in primis naturali cõtingit. euehũt namque hominis animum ad eam perfectionem, à qua homo longisſime diſtat, idem licet intueri in habitibus ſenſibilis appetitus, de quibus quàm plurima à nobis ſunt ſuperius explicata. illi quoque ſenſitiuam vim ad honeſtum appetendũ, quod nequaquã ſuapte natura ſenſibilis anima appetit, uerum conuenit ſuperiori uirtuti, rationi (inquam,) mirũ ergo nulli eſſe debet, ſi Chriſtianis, quibus propoſita eſt diuini boni adeptio, quædã ſunt propriæ peculiares q́ue uirtutes, quas philoſophi, qui tantum naturæ lumine aguntur, nunquam perſpicere potuerunt. his igitur Chriſtianis ſeu diuinis virtutibus, maxime non dicam imbutus, ſed ornatus, & excultus eſſe debet is', quem inſtituimus, Epiſcopus; adeo ut ex ſua plenitudine commiſſam ſibi impleat ciuitatem. tres huiuſmodi uirtutes Theologi numerant, quarum una, fides ſcilicet, pertinet ad intellectum, duæ uero, ſpes inquam & charitas, ad uoluntatem. harum prima eſt fides. abſolutisſima uero eſt charitas, ſine qua nihil proſunt quæcunque aliæ uirtutes. fides quarundam rerũ diuinarum cognitionem nobis præſtat; ad quas capeſſendas intellectus ſibi ipſe non eſt ſatis. Hæc omnia ea ſunt, quæ in ſacris literis continentur, ac certa ratione poteſt cuilibet compertum eſſe, oportuiſſe in huiuſmodi quibuſdam intellectum hominis exerceri, ut fieret diuinitatis capax. Hoc namque præcipue obſeruandum his, qui in cognitione diuinorum proficere cupiunt, tum penitus uidelicet ab homine ignorari Deum, cum putatur aliqua ex parte comprehendi, quid ſit. quapropter Dionyſius Areopagita, ſummus diuinorum ſcrutator, Dei cognitionem

ſummam

A ſummam appellat ſcientiam diuinæ ignorationis. vt ergo hoc homini penitus inſideret, Dei naturam lõgisſime diſtare ab omni eo, quod intellectus noſter cogitat, neceſſe fuit quædam de Deo credenda his proponi, quæ omnino mentis aciem ſuperarent; quibus tanquam finis propoſita eſt nuda, apertaque diuinæ naturæ contemplatio. fidem ſpes ſequitur. fieri namque non poſſet, ut quiſpiam bono illius potiundo accingeretur, quod nequaquam ſperaret adipiſci. Hæc uirtus fortitudini quodam modo reſpondet, nam animum firmat, vt ne difficultate rei, ac prope deſperatione terreatur. quare ſi rationali appetitui adhiberi poſſet ea differentia, quam ſenſitiuo adhibuimus, ut ſcilicet diuideretur in vim deſiderandi ac iraſcendi; perfectionem iraſcibilis
B rationalis, ſpem vtique ſtatueremus. Omnibus hiſce virtutibus tam moralibus, quàm diuinis ſupremam manum impouit charitas, abſolutionemque præſtat. Hac uirtute tam egregie aſſurgit animus hominis, ut iam non in ſe ipſo, ſed in Deo uiuere incipiat. nam cum cætera omnia, tum etiam ſeipſum in Deo amat vir perfectus charitate. huius vi morales virtutes attolluntur ad altiorem, ſublimioremque finem, uel, ut nonnulli perhibent, nouæ quædam in animum influunt excellentes, atque egregiæ magis, quàm morales. honeſtum namque & decorum, qui præſtitutus finis erat virtuti morali, à bono diuino longisſime abeſt; quo tanquam fine omnium uirtutum, actiones moderatur charitas. hoc in loco non abſurde puto dicemus, ſi actioni honeſtæ, ac propterea decoræ dixerimus uitam quandam præſtari à charita-
C te; ſine qua houeſtum, quod philoſophi tanti faciunt, friget quodam modo ac marceſcit. huius rei ſimilitudinem ipſe fingere potes, ſi vnquam pulcherrimi alicuius cadauer, ſeu marmoream ſtatuam à Praxitele ſummo artifice diligentisſime cõfectam uidiſti: ſpectabis enim in vtroque miram quandam membrorum formationem, atque egregiam harmoniam, ut nulla in parte ſuſpicari queas prætermiſſum eſſe decorum. attamen pulchra ea ſtatua iacet ac friget, cur? nempe, quia anima uitaque caret. pari ratione, honeſta decoraque actio pulchra eſt, omni ſibi ex parte reſpondet, conſiderantem oblectat: friget tamen, niſi à charitate uitam fuerit aſſecuta. Diuinæ igitur hæ uirtutes eſſe debent in Epiſcopo adeo excellentes, ut ab ipſo in uniuerſam ciuitatem emanent, tanquam à quodam fonte perenni. primum namque oportet non
D ea ſolum credere, & noſſe virum Epiſcopũ, quæ Chriſtianus quiuis uel mediocriter in religione eruditus nouit: uerũ etiam Theologiam Chriſtianam callere, ut alios docere queat Chriſtianum ſcilicet dogma, rationesque reddere occultarum rerum, miniſteriorumque Chriſtianorum, & impugnantes refellere, tum ea, quæ iuris pontificij ſunt probe noſſe. in primis autẽ vtrumque teſtamentum ſic tenere, vt vngues, digitosque ſuos, atque in ea lectione oblectari, asſidueque uerſari; ac poſtremo quæcunque alia ſtudia ad hæc referre. quod noſtris temporibus omnium maxime præſtandum eſt, cum turpe ſit ſacerdoti, & Epiſcopo non ſi Virgilianum carmen, aut huiuſmodi quippiam non intellexerit, ſed ſi Euangelium nunquam te tum perlegerit, ac diuinæ ſcripturæ ſpiritũ non habuerit; quidque de ſanctisſima trinitate, de ſacroſancta

ſancta euchariſtia, cæteriſque Sacramētis ac religionis Chriſtianæ myſterijs E
credendum explicite ſit, non curauerit. Quod ſi in Chriſtianis omnibus ſtudium aliquod, cœleſtiumque rerum ſcientia aliqua neceſſaria eſt, quantò magis hoc in ſacerdote requiritur? uerum in Epiſcopo ſpei uirtus latius patet, quàm in priuato uiro; non enim diuinum bonum ſibi aſſequi ſolum ſperare debet, uerum etiam poſſe, Dei nomine fauente, commiſſam ſuæ fidei ciuitatem promouere ad illud bonum conſequendum. ſibi ipſe tamen deeſſe non debet, quin animum paret ad diuinas illuſtrationes ſuſcipiēdas, omnemque diligentiam, atque operam præſtet in ſuo grege gubernādo. Perfectio autem & abſolutio horum omnium eſt charitas, quæ cum Chriſtiano cuique, tum præcipue neceſſaria eſt paſtori Chriſtiani gregis. quæ uirtus, cum præſtantiſ- F
ſima ſit, atque reliquis uirtutibus omnibus uitam præbeat, lat isſime manat, nulloque ferè termino cohibetur, ſed ad omnes ſpectat: iccircò opus erit, ne erga diſpares pari munere fungamur, ut rectus ordo ſeruetur in officiis charitatis, ſine quo nulla huiuſmodi uirtutis actio conſtabit. primum ergo Epiſcopi munus eſt, ut Deum præ omnibus amet, nihilque conferendum arbitretur, cum diuini honoris ac laudis tuitione, præ qua & uitam, & ipſam denique fœlicitatem nihil faciat, & ad hoc tanquam ad poſtremum finem referat omnes ſuas actiones. ſummopere enim & decus, & dignitatem Dei Epiſcopum ſuſtinere decet. mirabitur fortaſſe aliquis, alienumque à natura rerū arbitrabitur hoc præceptum eſſe; cum omnibus rebus inſitum natura uideatur, ut maxime ac præ omnibus ament ſe ipſas. cæterum diligentiùs, ac inte- G
rius re perſpecta cuilibet compertum eſſe poterit, nequaquam hoc eſſe à naturæ legibus alienum. nam cum omnia præcipue appetant eſſe, præ omnibus etiam naturali deſiderio cupiunt eius conſeruationem, & incolumitatem; in quo putant maxime eorum eſſe conſtare. quamobrem natura fit, ut nonnulla, quorum eſſe magis ſit in alio quopiam, quàm in ipſis, magis optent illius, quàm ſui ipſorum conſeruationem. In promptu ſunt partes, quarum eſſe conſiſtit in ipſa integritate totius, eaque ratione ſe uel certisſimo periculo exponunt pro totius incolumitate tuenda. Nullus ergo mirari debet, ſi nouerit diuinum eſſe cuiuſque alterius rei eſſe continere, & magis in ipſo conſiſtere, quàm in rebus ipſis, ſi ſecundum naturam eſſe diximus, cuius ordinem egregie Chriſtiana religio imitatur, magis oportere Deum à nobis amari, quàm H
noſmet ipſos; poſt Deum, quia unumquodquoque magis eſt in ſe, quàm in alio quopiam, ſalutē ac fœlicitatem unuſquiſque procurare debet. hoc uero ab Epiſcopo præſtabitur, ſi innocentisſime uixerit, animumque quacunque labe purgarit. poſtremo inſeruiēdum eſt alienæ infœlicitati, ac egentibus opem ferre par eſt. qua in re ualde Epiſcopo eſt enitendum, ne huiuſmodi officio deſit. hoc nanque præcipuum munus eius eſt, & quod à paſtoribus Chriſtiani populi requiri maxime ſolet. Non poſſum hoc in loco non magnopere miſerari noſtræ tempeſtatis calamitatem, cum paucos admodum Chriſtiani populi moderatores comperias, qui degant in ciuitatibus fidei eorum commisſis. Verum ſatis officio ſuo feciſſe putant, ſi procuratori regendam

A vrbem tradiderint, ipſi uero redditibus potiantur. ac magni quidem cũ iuſpiam in Romana curia pompam comitantur, regnorumq́ue tractãt, ac bellorum negotia; de populo uero cui præſunt, an in Chriſtiana religione proficiat, an deficiat, ne nuntium quidem accipiunt, egenosq́ue gregis ſui omnino negligunt & ignorant. hoccine eſt Epiſcopum gerere? hoccine diſcipulos Chriſti imitari, præceptaq́ue Euangelica ſeruare? probus ergo Epiſcopus operam dabit, ne alteri tradat gregem ſuum curandum, ſed quàm breuisſimo tempore ab ouili aberit, niſi aliqua ratione à Pontifice euocatus alicui officio inſeruiat, quod ad emolumentum Chriſtianæ Reip. ſpectet. verum non hanc dari ſibi occaſionem optet, neque tale quid ambiat; ſed ægre ac ferè inB uitus huiuſmodi onus ſuſcipiat. quo expedito, non aliud procuret, ſed quàm citisſime ad gregem redeat. In populi uero (cui præeſt) gubernatione æquum quoddam ſeruabit, certumq́ue tenebit ordinem (nam hac in re charitas cum iuſtitia proportionem habet.) primum igitur ſacerdotum ac cleri magnam habeat curam, his enim miniſtris vtatur opus eſt in ſacris adminiſtrandis, populoq́ue curando. quare quamoptimos ſacerdotes habere, ac in Chriſtianis rebus eruditos magni momenti inſtar habet ad populi gerbernationem. hos ergo erudire, ac bonos facere præcipue ad ipſos ſpectat. deinde bonos viros inſtruet & diliget. prauis tamen curandis maior opera impendi debet. non enim (ut inquit Chriſtus) eſt opus medico bene ualentibus, ſed ægrotis. virgines Chriſto dicatæ, ne vitam vllo libidinis, aut laſciuiarum genere polluãt, C quantũ fieri poteſt, cauebit. Egenos, præſertim ægrotos, aut nobiles, quibus egeſtas ignominiæ habetur, fouebit opibus ac redditibus ſuis. in quo officio ſi cætera paria in vtroque ſint, præferendum puto virum bonum iniquo. Hac viuendi norma ſeruata, (vt reor) optime præſtabit charitatis munera. Nam ea ratione extra ſe quodam modo poſitus alienam rem aget, quod charitati peculiare eſt. cupiebat Moyſes pro ſalute Iſraëlitici populi deleri ex libro viuentium. Paulus optabat fieri anathema pro fratribus. qui loci quo pacto ſint intelligendi, nunc omittimus: in præſentia ſit ſatis dixiſſe charitatem ecſtaſim facere, ita ut extra ſe diffluat, qui fuerit præditus hac virtute, potiusq́ue in aliis, quàm in ſe uiuat. quod etiam Deo cõtigiſſe in rerum creatione Dionyſius dicit. ex amore, nanque ecſtaſim paſſus in alias creaturas defluxit, ac D eas ita condidit. nuncq́ue in illis exiſtens quaſi extra ſe in aliis continet ac conſeruat. quare clarisſime patet nullum animi uitium charitati magis contrarium eſſe inuidentia ac maleuolentia. inuidus nanque tantum bonum ſuum vult, alienum nollet: de proximi autem amici malo gaudium concipit, de ſucceſſu mœrorem. at contrà, charitas aliena procurat, ſua negligit. nec tamen ignoro interdum ex charitate quoddam odij genus excitari, quo odimus iniquos, quatenus iniqui ſunt, ac de eorum ſuccesſibus dolemus: cupimus tamen, ut boni fiant, ſicq́ue affecti optatis fruantur. hoc odium perfectum appellat Dauid in Pſalmo, Super inimicos tuos (inquit) tabeſcam, perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi: hæc eſt ea virtus, quam indignationem Peripatetici nominant, quam in medio ſtatuunt maleuolentiæ,

tiæ,& inuidentiæ. Satis vt arbitror hucuſque generali quadam forma Epiſcopum noſtrum effinximus, dedimusque operam, ut prius hominem, deinde Epiſcopum formaremus. nunc quæ ſuperſunt, in alterũ volumẽ differimus. E

LIBER SECVNDVS. F

MVLTVM diuque dubitatum eſt apud veteres rerum ſcrutatores, humanum ne genus religioni, diuinoque cultui natura duce inſeruiret, an potius conſilio quodam, ac ſapientum inſtituto, qui homines in officio contineri non poſſe arbitrati ſunt, ſi Deorum metus ac reuerentia de medio, ſublata eſſet. verum ipſam rem paulo attentius conſideranti manifeſtisſimum eſſe poteſt, hoc minime humanum fuiſſe commentum, G ſed ita natura comparatum eſſe; ut quemadmodum homines ciuilem uitam, naturali quadam propenſione agunt; nec non loquendi vſum (quod nulli animantium generi contigit) à natura ſortiti ſunt, ita etiã naturalibus quibuſdã ſtimulis homo actus ad diuinum cultum contenderet. quod puto tũ ratione, tum reipſa facillime cõprobari. Cum enim cuiuſque rei perfectio tunc penitus abſoluatur, cum ad eam conuerſa fuerit cauſam, quam ſubſtantiæ, atque eſſe habuerit auctorẽ; vt hac ratione veluti ſolitum quendã circulum faciat; hominis uero animus, quo præcipue eius ſubſtãtia conſtat, Deum optimum habeat auctorẽ: nihil mirum uideri debet, ſi naturali innataque inclinatione conuertatur ad Deum, quem colat, ac veneretur, huic rationi res ipſa firmam facit fidem. Nam neque vllis vnquam temporibus gentem aliquam fuiſſe, H neque hac tempeſtate inueniri, uel in extremis oceani littoribus, uel in inſulis penitus à reliquo orbe diuiſis, memoriæ proditum eſt; apud quem nullus eſſet Deorum cultus: licet de dijs alia alij ſentiant; maluntque boui aut igni, aut ſaxeo uel æneo ſimulacro diuinum cultum præſtare; quàm omni prorſus religione carere. quamobrem nulli dubium relinqui poſſe exiſtimo, religionem naturaliter homini inſitam eſſe; ſicut & ciuilis vita & loquendi vis. verum natura, quemadmodum neque ciuiles mores & leges, neque ſermonem, quæ in homine inchoauerat, perfecit, ſic vtique religionem perficere non potuit. qua in re naturæ vis longius à perfectione atque abſolutione abfuit, quàm in ciuilibus moribus & orationis facultate. Homo nanque vi lu-

minis

A minis naturalis paulatim pro populorum ac regionum ingenio vtrunque eorum compleuit,ut ex monumentis philoſophorum,& oratorum patere cuilibet poteſt. At religionem ueram niſi diuina ope adiutus nullus vnquam potuit inuenire. conſideranti uero penitusque diſcutienti quaſcunque religiones, quæ aut noſtris, aut priſcis temporibus aliæ fuerint à Chriſtiana pietate, perſpicuum erit vix vllam eſſe, quæ hominem contineat in munere atq; officio hominis,nedum ad altiora,ſublimioraque promoueat.ſola uerò Chriſtiana religio nō ſolùm hoc præſtat, ut ne homo brutis appetitionibus inſeruiat neglecto imperio rationis; ſed etiam noua quadam vita hominem imbuit diuinæ vitæ participe.iccircò inſtituta ſunt in Eccleſia Sacramenta, quibus ve-
B luti ſenſibilibus quibuſdam ſignis, quorum cognitio de ſenſu pendet, nobis indicaretur,quid ex Chriſtiana pietate inuiſibiliter in animo fieret. primumque inſtitutum fuit baptiſmatis ſeu ablutionis Sacramentum,per quod nō ſolum ſignificatur,uerum etiā efficitur,ut vetus homo deponatur, ſordibusque peccatorū ablutis, nouus ac cœleſtis regeneretur. verum ſicut poſt naturalē corporeamque generationem præſtatur naturæ homini incrementum ac robur; ita etiam diuina gratia ſecundum hanc ſpiritualem generationem præſtatur homini robur in Chriſtiana pietate, aduerſus quaſcunque uel hominū uel dæmonum oppugnationes. huius rei ſignū eſt in chriſmate. deinde quēadmodum niſi iugi alimento calor hominis foueretur; continuo ad corruptionem tenderet; pari modo ad fomentum diuini caloris inſtitutum eſt ſan
C ctiſſimum euchariſtiæ Sacramentum, quo uirtutes omnes fotæ, viuicaque Chriſti carne nutritæ hominem ſemper ad potiora melioraque promouent. accidūt ſæpenumero ægritudines & moleſtæ,& perniciosæ corpori.eis pharmaci ope continuo occurrendum eſt.ſic in Chriſtiana uita frequenter cōtingit,ut delictorum labe omnis prorſus diuina gratia extinguatur. huic perniatioſæ ægritudini pœnitentiæ Sacramentum tanquam præſentaneum remedium eſt inſtitutum.Ac quem morem medici ſeruant, ut reliquias morbi leui quodam medicamento expurgent: eundem imitatur Chriſtiana religio in ſpirituali uita hominis, ut extremam adhibeat vnctionem in exitu mortalis uitæ, tanquam in ægritudinum fine, quibus continuis donec uitam ducimus vexamur,atque affligimur. Verum cum vnuſquiſque Chriſticola, ex quibus
D tanquam ex membris cōſtat myſticum corpus Eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus,ſimul non ſit; ſed aliis alii in uita ſuccedant,oportuit matrimonii,coniugaliſque lecti Sacramentum inſtitui, quod ad ſanctam natorum propagationem ſpectat. his omnibus veluti poſtremum accedit Sacramentum eccleſiaſticorum ordinum,qui ad generationem ſpiritualem,vitamque ac robur,nec non pharmaca ea præſtanda, de quibus ſupra meminimus, ſunt diuinitus inſtituti. vt, quod in priore diximus libro, homo pro ſuæ naturæ modo ſibi ſit perfectionis ac fœlicitatis auctor. Ordinum uero omniū ſupremus eſt ſacerdotium, cui euchariſtiæ conficiendæ poteſtas data eſt; inſuper ligandi ſoluendique arbitrium. Epiſcopus uero tametſi non ipſius ſacri ordinis cauſa, iuriſdictione tamen eſt ſacerdote ſuperior.nam præterquam quod poteſtatem ha

bet euchariſtiæ conficiendæ;in qua uerum Chriſti corpus continetur. in my E
ſticum etiam corpus, id eſt in Eccleſiam iuriſdictio eius longe lateque patet. horum uerò quidam tantum Epiſcopi ſunt, qui uni dumtaxat præſunt ciuitati:quidam Archiepiſcopi,qui regioni & vrbi metropoli,quibus Epiſcopi parere in nonnullis debent. ſuperiores adhuc Archiepiſcopis ſunt Patriarchæ. Omnium uerò ſupremus eſt ſummus Pōtifex,qui vicem Chriſti in terris gerit, dictusque eſt Papa per excellentiam quandam vocabulo à veteribus tam Græcis quàm Latinis vſurpato, quaſi pater patrum Epiſcoporum. Nā ſi quilibet princeps recte imperans paternam nuncupationem meretur; quāto magis Epiſcopo vrbem Chriſtiana pietate moderanti nomen conuenit patris? Nos autem in priore libro Epiſcopum cum humanis tum diuinis virtutibus F
inſtituimus. Nunc uero qua ratione ſic inſtitutus Epiſcopus, hiſceque uirtutibus ornatus exercere ſe,in quibuſve officiis uerſari debeat; pro virili perſequemur. ſed quoniam actiones circa ſingula quædam ſunt;præcepta quoque tradentur à nobis particularia magis,quàm in ſuperiori libro fecimus.qua in re imitati pictorum ſolertiam uidebimur, qui prius lineis quibuſdam totam figuram informant ac comprehendunt;poſtmodum uero ſingulas partes effingunt lineamentis,coloribusque aptis ac propriis.eadem ratione nos quoque cum Epiſcopum virtutibus omnibus veluti primis lineis adumbrauerimus; nunc explicandum ducimus, quo'nam pacto in cuiuſcunque virtutis munere,quod ad Epiſcopū pertineat,recte uerſari queat. principio quia charitas, veluti princeps virtutum omnium exiſtit, ſi per ſingula charitatis offi- G
cia diſcurremus, nihil vtique à nobis omiſſum, quod ad hoc negotium ſpectet,iure uidebitur. primū ergo, ne à recto ordine veluti de via deflectat oratio,perſequenda ſunt à nobis officia,quæ pertinent ad diuinum cultum. proxima his erunt illa, quæ impendi debent in gubernatione ac curatione Chriſtiani gregis, iuxta Chriſti vitam ac mores. hæc ſequentur beneficentiæ officia, & liberalitatis, quibus vti Epiſcopum decet in leuanda ac fouenda inopū hominum egeſtate,poſtremo,qua ratione & exigi & impendi debeant redditus Epiſcopatus. his explicatis (vt reor) ſatis commodè ac diligenter tractatum erit de omnibus Epiſcopi officiis.Diuinus cultus præter interiorem animi habitum,de quo plura ſuperius à nobis ſunt dicta,primum requirit ab Epiſcopo, ſicut à quouis ſacerdote, ut quotidie diuinas laudes,ac preces, quæ in H
Eccleſiaſtico officio cōtinentur, dicat magna in Deū animi intentione (vtor autem vſitata officij appellatione,quæ quidem ab ea re deducta eſt, quod præcipuum ſacerdotis officium ſit,quotidie diuinas eas laudes narrare) neq; aliena animo verſet,cum diuinas laudes canit.verum omni conatu nitatur,ut ea, quæ uerbis promit,& intelligat, & quodam veluti animi guſtu, ſi fieri poſſit, attingat. mira certe huiuſce intētionis vis eſt,ſi probis ac pijs viris credimus, & ea,quam nullus,niſi experiatur, crediderit. commodius uero hoc aſſequetur,ſi non continenter totum diuinum officium dixerit, ſed per partes,aptis, conuenientibusque diei horis,adeò ut diei partibus ſingulis reddantur officij portiones eæ,quæ ſancto quodam inſtituto illis accommodatæ fuere. Nam

diutur-

A diotarnæ lectionis tædio mens affecta, plerunque potius faſtidio grauatur ac deprimitur, quàm ad ſublimiora attollatur; præterquam quòd ſic per partes diuinas laudes dici debere, & Propheta ipſe in Pſalmo innuit. ſepties namq; in die, inquit, laudem dixi tibi, & preces atq; hymni ſingulis portionibus accommodati palam explicant. quamobrem vellem ego, (vt ab initio tandem ordiar diei ad exitum uſq; Epiſcopum perducturus) ut Epiſcopus in ciuitate fidei ſuæ commiſſa reſidens (hoc namque eum præſtare oportere ſupra diximus) antelucanis horis è cubili ſurgeret, matutiniq́ue laudes caneret, ei nãq; diei horæ hymni ac preces matutini fuere accommodatæ: Propheta quoque dicit, media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. his accedit peropportunũ B eſſe id tempus, idq́ue ſilentium diuinorum contemplationi; nec non etiam matutinam eam vigiliam mirifice prodeſſe bonæ corporis valetudini, ſi Ariſtoteli credimus in œconomicis id dicenti: poſt matutini laudes cum aurora inſtat, ambiguaque inter diem ac noctem eſt hora, quàm maxime optarem, quando tunc & corpus ſomno penitus ſolutum eſt, & mens diuinarum laudum narratione erecta, ut id temporis impenderetur orationi, quæ ſine vocis vllius ſtrepitu ſola mentis erectione, meditationeq́ue in Deũ fieri ſolet. Nulla ratione fax maior menti adhiberi poteſt, quàm hac animi excitatione. ex qua perhibent uiri ſanctitate, ac religione inſignes interdum cordi influere tã magnam diuinorum, ac claram adeò intelligentiam, ut non amplius intelligendi modo conſueto, ſed aliena quadã ab homine ratione Deus menti adeſſe C ſentiatur; tantumq́ue excitari in animo diuini amoris ardorem, ut nihil aliud quàm Deum mens ſic affecta cogitare queat, neq; ſe ipſam, nedũ alia ſentire, eum Deum ſentiat. ſatis explicari oratione vlla non poſſet quantum intellectui luminis, quãtumq́ue uirium ac roboris menti accedet ex hac diuini radii illuſtratione. Nil uel abſtruſiſſimum non intelligere, nulli quãuis arduæ prouinciæ nõ ſatis eſſe poteſt mẽs tali fulgore perſtricta. Hoc uerò in munere humilem ſubmiſſumq; animum ſeruet, neq; mente aſſequi ſperet diuinum illud arcanum ab omni eo remotiſſimum, quod mens hominũ capere poſſit. Nam, ut in ſacris literis traditur, qui perſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. neq; ad ſatietatem morari in huiuſcemodi contemplatione eum velim, ex qua plerunque faſtidium ac torpor animi ſolet oriri. quamobrem ſi ſe D quandoque ſenſerit ingenio ad eam orationem inepto eſſe, nolim ut quicquã moliatur inuita, (ut aiunt) Minerua, id eſt, repugnante natura: ſed ea temporis hora ſe ad ſtudia cõferat, quæ uel ſint ſacrarum literarum, uel cuiuſpiam alterius, quod ad ſacras literas attineat. Nam impudica quædam ſtudia, nonnullasq́ue ſuperſtitioſas diſciplinas, ut magiam, diuinandiq́ue peritiam ſiue ex aſtris, ſiue ex huiuſmodi quopiam, non ſolùm aliena putet, atque aduerſantia Epiſcopi ſtudijs & officio: uerùm etiam pro virili nitatur, ut penitus expellantur è ciuitate ea, cui præeſt; cum uerò iam dies illuxerit, ſoliſq́ue radijs fuerint reſerata tenebrarum inuolucra, tunc primæ diei horæ laudes Deo concinat, quibus ſi uoluerit tertiæ quoque laudes continenter annectere, nil puto fecerit reprehenſione dignum. ab his ſtatim euchariſtiæ ſacra uel

 ipſe

Ipſe celebret, uel ſaltem ſingulis quibuſque diebus illis interſit alio ea cele- E
brante ſacerdote. Non tamen committendum reor, quin frequenter, ſi mi-
nus quotidie, celebret ſacra miſſarum, ſanctisſimumque eucharistiæ Sacra-
mentum, & conficiat & ſumat. Nam cum hoc cuilibet ſacerdoti facien-
dum incumbat; ne ſit Deo parum gratus pro ſacerdotij dignitate, ne've in-
termisſione tantæ oblationis viuorum, mortuorumque animas leuare ceſ-
ſet, aut parum lubenti animo dominicæ mortis memoriam colat; tum ma-
xime ad Epiſcopum uidetur hoc pertinere, qui cum ſacerdos ſit, purgatisſi-
mo etiam animo eſſe debet, & diuinæ illuſtrationi vndique peruio. quod
maxime aſſequetur frequenti illius Sacramenti oblatione atque vſu. quo fit,
ut improbandam quorundam Epiſcoporum conſuetudinem rear, qui raro F
admodum ad participationem menſæ cœleſtis accedunt. Vidi ego Petrum
Barocium Epiſcopum Patauinum, virum, qui nunquam ſatis pro meritis
laudari queat. quotidie, cum primùm dies illuxerat, in priuato quodam ſa-
cello miſſarum ſolemnia celebrantem eximia ſanctitate, animique intentio-
ne in Deum. idem quoque factitaſſe pleroſque probos Epiſcopos memo-
riæ proditum eſt, qui ex frequenti huius Sacramenti vſu aſſequebantur, ut
aptisſimo perſpicacique admodum ingenio eſſent ad abſtruſisſima quæque
ſcripturarum loca intelligenda, efficacique ac viuida oratione facillimè Chri-
ſtianam quemque ad ſuſcipiendam uitam & mores Chriſtianos impelle-
rent. Nam, ut inquit Propheta in Pſalmo, memoriam ſuauitatis tuæ eructa-
bunt. his peractis, quæ tum ad diuinum cultum, tum etiam ad animi erectio- G
nem quandam faciunt; tertia iam diei hora inſtante, conferet ſe Epiſcopus
noſter ad eos excipiendos, atque audiendos, qui ipſum uel tanquam iudicem,
uel tanquam conſultorem, uel tanquam adiutorem adibunt; quibus ſe faci-
lem, benignumque præbeat, ita tamen ne à grauitate recedat. Expediat ſta-
tim quæ poteſt, recte, iuſteque iudicet, conſulentibus fidum conſilium det,
opemque ferat quibus poterit; nec ab hoc munere ceſſet, quouſque omnes
audierit. hoc enim officium quibuſcunque aliis præferendum duco; dimittat
uero, quantum fieri posſit, omnes à ſe lætos, triſtem nullum. quod ſi non po-
terit, conetur ſaltem humana, lenique oratione mitigare eorum triſtitiam,
animique turbationem. non tamen præterea committendum puto; ut non
interdum virorum improborum ac peruicacium, quos ſi lenius tractes ma- H
gis exaſperes, contumaciam retundat aſperis grauibusq; uerbis; quibus pro-
fectò parentes in filios, quos maxime amant, vti quandoque ſolent. Hæc ue-
ro omnia quam optime præſtabit, ſi uera, non autem ficta charitate præditus
fuerit, ſuæque fidei commiſſos amauerit tanquam filios. probe enim in om-
nibus hiſce officiis ab ea erudietur uirtute. non me latet pleroſque Epiſcopos
hæc munera vicario delegare: quod (vt reor) ex mollitie quadã animi faciũt:
ne ſcilicet horum negotiorũ impedimentis interpellantur, ne animo queant
operam dare. Vacationem hanc, rerumque procuratione per Vicarium nun-
quam ego laudauerim; niſi Epiſcopus uel incommoda corporis valetudine,
aut cuiuſpiam alterius officij occupatione, quod ſine reprehenſione omitti

non

A non poſſit,impeditus,operam ipſe ſuam præſtare nequeat. non tamen alienũ eſſe puto,ut Epiſcopus vicarium habeat virum aliquem doctum,ac probum, cuius opera utatur in pleriſque. Nam,ſi multitudine negotiorum oppreſſus ad omnia expedienda ſatis ipſe non eſſet; uel ſi longinqua loca eſſent adeunda,ad quæ ſatis commode nequiret ipſe accedere;in hiſce huiuſmodiq́ue officiis vicarii opera uti,& decorum & neceſſarium prope eſt. Poſt peracta negotia iterum ad diuinas laudes reuertatur, ſextamq́ue ac nonam dicat. his nanque laudibus ea propemodum diei hora conueniret. poſt id,ſi uolet,ſe ad prandium conferat: in quo ſordes non laudo, magnificum uero apparatum & vaſorum & ciborum,miniſtrorumq́ue copiam & nimiam lautitiam ſum-
B mopere uitupero. Nam per Deum quid magis alienum à natura rerum conſpici poteſt,quàm paſtorem Chriſtiani gregis,cui uita Chriſti tãquam exemplar propoſita ſit,epulis emancipatum uidere,eaq́ue ipſa facientem ac perpetrantem,quæ in aliis uituperare ac corrigere in primis ille ipſe debet? præterea quid magis indecens, quàm reditus Epiſcopatus, quos probi viri olim legarunt ad diuinum cultum augendum & ad leuandam egentium inopiam,in magnis cœnarum apparatibus, atque gulæ ingluuie profundi? erit ergo Epiſcopi prandium non ſordidum, parcum tamen, ut magis naturæ neceſſitati quàm gulæ voluptati conſultum uideatur. ſed ne illo etiam tempore cibi uoluptate penitus capiantur, magnopere laudo quorundam conſuetudinem, qui ſemper prandio cœnæ've diuinam aliquam adhibent lectionem: ex qua
C duplicem fructum meo iudicio reportant. Nam primum, ut dicebam, erigitur animus, ne uoluptate cibi prematur, ſimulq́ue cauetur,ne fiat lapſus in ſcurriles iocos, quod interdum inter cœnandum accidere ſolet. quibus omnibus optime puto conſultum iri,ſi diuina lectio adhibeatur, ſi non toti prandio cœnæ've,attamen maximæ parti. poſt prandium iocari aliquantulum liceat cum familiaribus,qui aderunt, dummodo iocus neque in contumeliam alicuius, neque in obſcœnitatem labatur. verum & ſcurrilitas ſummopere uitanda, & in lepore orationis quàm maxime ſeruanda eſt grauitas. Riſus quoque immodicus cohibendus. Neque reprehenderim aliquod muſicæ genus. liberaliſſimam nanque relaxationem cenſuerim ex muſica animo adhiberi: ſed cum ualde afficiatur animus harmonia, multumq́ue ualeat & ad ſe-
D dandas,& ad excitandas perturbationes,nec non ad mores animi componendos, diligentiſſime obſeruandum duco, quod etiam inter Ethnicos Ariſtoteles philoſophorum princeps monuit in Politicis, & Plato in pleriſq; prodidit locis, ne Epiſcopi aures, ac per eas animus aſſueſcat mollibus quibuſdam cantus ac ſoni harmoniis, quibus uel robuſtiſſimi animi vigor molliri obtundi've queat,& ad libidines excitari: neque rurſus Phrygius ille harmoniæ modus eſt admittendus, quo in furorem hominum mentes plerunque aguntur; quo in genere, noſtris temporibus rarius peccatur, frequentiſſime uero in priori: ſed ſolida quædam conſtansq́ue muſica recipienda eſt: qua animum oblectare liberalis atque ingenui eſt viri, dummodo ne tota teratur dies in huiuſmodi oblectatione. Nam iocus atque animi relaxatio ad nego-

tia, actionesque ſerias referenda eſt, ut ſcilicet animus alacrior factus ex ioco in quauis functione melius uerſari queat. quo fit, ut, poſtquam id temporis iocis impenſum fuerit, quod ſatis eſſe uidebitur & ad animi relaxationem, & ad bonam ualetudinem corporis, continuo ad ſeria redeundum ſit, ac ſiqua negotia incumbent, danda opera eſt, ut conficiantur. ſi quid uero ſupererit temporis: uel conſuetudinibus amicorum, uel literarum ſtudiis eſt id omne impendendum, colloquia uero cum amicis à tenore uitæ diſcrepare nequaquam debent. ſint igitur de rebus Chriſtianis, aut de re aliqua, quæ ad bonos mores, uel ad ſtudia literarum pertineat. Hoc etenim cum eruditis ac probis viris conſuetudinis genus magni ſtudij interdum vicem gerit ac præſtat. multa namque plerunque ab amicis, veluti ex viuis libris, decerpimus. quæ magis inhærere animo quandoque ſolent, quàm ea, quæ ex librorum diſcimus lectione. Nollem tamen propterea quempiam ſuſpicari, laudare noſmo roſum quoddam ac graue conſuetudinis genus: immò quam maxime fieri poſſit affabilitatem ac facilitatem adhibendam eſſe cenſemus. At cum in occaſum inclinat dies, ad diuinas laudes reuertendum eſt: ne in poſtrema diei hora tanquam abortum feciſſe uideamur. dicendæ ergo ſunt veſpertinæ landes, dirigendaque mens in Deum. quibus ſi completorium, hoc eſt ultimam officij portionem coniunxerit; non ab re facturum puto. quod ſi poſtremam hanc partem poſt cœnam, cum cubile petiturus eſt, dixerit: ſatis arbitror tempeſtiue id faciet. Reliquum uero temporis, quod à veſperis ad cœnam vſque pertinet; vellem, ni aliud obſtiterit, lectioni ac ſtudiis impendi, quæ cuiuſmodi futura ſint, ſatis ſuprà à nobis eſt dictum. in cœna eundem morem ſeruet, quem in prandio ſeruauit, ut & parca ſit cœna, & diuina lectio adhibeatur, & vrbanitate concludatur, ac muſica, ſi lubebit. valde tamen proderit, ſi maiori utatur in cœna, quàm in prandio, abſtinētia cibi. Nam & leniorem ſomnum ducet, & alacrior erit ad matutinam vigiliam. quorum vtrunque impedit ſtomachus nimio cibo grauatus. Hanc ferè vitæ ſeriem Epiſcopo ſeruandam eſſe arbitramur, nullum tamen propterea opinari uellem ita hunc ordinem uiuendi à nobis inſtitui, ut & omnibus & ſemper ſeruandum eſſe ducamus. quin potius cenſemus fieri non poſſe, ut humanæ actiones in re quapiam certa quadam regula concludantur. ſed vtendum eſſe remur in humanis actionibus regula Lesbia, id eſt, plumbea, flexili inquam, non rigida, ut ſcilicet pro cōditione temporum ac perſonarum flecti, deduci, ac reduci queat. ſic igitur in hoc quoque negotio pro temporum occaſione ac rerum, pro perſonarum ingenio, & flecti & reduci regula hæc poterit à nobis præſcripta. Nihil enim prohibet, ſi quando rus ex vrbe ſeceſſerit, ut nonnullis honeſtisſimis exercitationibus per aliquot dies operam det, recreandi animi cauſa, alium uitæ morem ſeruare. ſiqua etiam uel negotij conficiendi occaſio, uel amici aduentus interuenerit, deeſſe vtique officio non debet, nec præſcriptam uiuendi normam deſerere. Difficile uero in huiuſmodi officiis ſeſe continere Epiſcopus poterit; niſi eam ſibi familiam paret, quæ & uitæ probitate ſit inſignis, nec bonas artes aſpernetur, quod ipſum etiam maxime ſpectare

puto

A puto ad decorem Epiſcopi. Nam familiaris, qui prauis ſit moribus, & uniuerſam familiam domi perturbat, & foris maximo plerunque dedecore afficit. quare magna illi adhibenda eſt diligentia, ne quempiam in familiam admittat, qui probitate conſpicuus non ſit. Hac enim ratione tum quietam domi uitam aget, tum etiam male foris non audiet; quod maximè Epiſcopo cauendum eſt, non tantum ſui commodi gratia, quantum ne ciuibus ſuis noceat malo exemplo. Natura enim comparatum eſt; ut imitatione præſulum quodcunque ſibi licere cæteri homines putent; ac illud quoque non eſt negligendum, ne aliquem in familiam ſibi adſciſcat, qui malis quidem moribus non ſit, ſed tamen ſuſpicionem iure afferre poſsit ma-
B læ cuiuſpiam artis, uel de ſe, uel de domino, uel de quopiam alio familiari. qua in re perpulchram mehercle ſententiam plane Cæſare dignam ſequetur, qui cum vxorem dimiſiſſet ex ſuſpicione tantum ſtupri cum Clodio, coniugem, inquit Cæſaris non ſolum culpa, ſed etiam ſuſpicione culpæ, uacare oportet. Sic Epiſcopus ac multo magis, cum eius vita velut exemplar aliis propoſita ſit, non tantùm macula, uerum etiam omni uel leuiſſima ſuſpicione maculæ carere debet. Danda ipſi etiam opera erit, ut familiam, quam probam elegerit, in officio contineat, atque unumquenque familiarium pro meritorum, ac uirtutum magnitudine ad maiorem promoueat dignitatis gradum. ea uerò ratione & victui & veſtitui conſulet domeſticorum, ut nec dignitas Epiſcopatus neglecta, nec luxuria
C aut pompa vlla adhibita eſſe uideatur. familiarium uerò, cum ægrotant, magnam habeat curam, prouideatque eo pacto illorum incolumitati, ut neque impenſæ, nec cuiuſpiam incommodi ratio habita fuiſſe uideatur. memini ego, dum Patauij agerem, Petrum Barocium, de quo ſupra dixi, inſignem Epiſcopum, conſtantiſſime hoc ſeruaſſe, præterquam quod ægrotis familiaribus omnia ſuppeditarentur, quibus erat opus, ne vnquam Medicus ſine ipſo ægrotum inuiſeret. aderat ipſe & conſultationibus Medicorum & prognoſticis. Hoc uerò præſtabat in ſingulos, ut ne poſtremos aut infirmos neglexiſſe uideretur. laudanda ſanè charitas, uereque Epiſcopo dignum officium. Conſuetudo autem cum familiaribus tum grauitate, tum facilitate condita ſit, ne ſcilicet uel deſpectui uel odio habeatur: ſed ea uta-
D tur dexteritate, ut & uerendum & charum ſeſe familiaribus præbeat. Satis dictum puto pro opuſculi noſtri breuitate de officiis Epiſcopi, quibus & diuinum cultum ſeruare, & ſe ac familiam in muneribus uirtutum continere debeat. Nunc, quod ſecundo loco propoſitum erat; ea nobis officia exponenda ſunt, quæ præſtare Epiſcopum oportet in gubernatione gregis fidei ſuæ commiſsi, quantum ad uirtutes, ac uitam Chriſtianam pertinet. Omnis ciuitatis multitudo in mares ac fœminas primo diuiſa eſt. marium porrò quidam ſacerdotes ſunt, uel ſacris initiati, alij prophani; mulieres item, quædam Chriſto virginitatem uouerunt, ac in cœnobiis viuunt. reliquæ aliud uitæ genus elegerunt. potior cura Epiſcopo de mari-

bus eſſe debet, quam de fœminis, tum quia mares natura fœminis præſtant, tum etiam, quoniam cum ordine quodam gubernatio procedat ciuitatis. fœminæ natura ſunt viris ſubiectæ, eorumque imperio præſto eſſe debent. quare Epiſcopi regimen mediis viris veluti inſtrumentis quibuſdam ad fœminas uſque pertendi uidetur. ac virorum quoniam quidam communi uitæ Chriſtianæ ratione funguntur, quidam uerò ſacris initiati ſunt, eadem ratione clerici primum ſpectant ad curam Epiſcopi. Nam eis veluti miniſtris utatur oportet ad gregis reliqui moderationem. In clericis uerò hi, qui ſæculares laici've dicuntur, præferendi itidem ſunt ijs, qui vulgo religioſi nocantur, qui propriis quibuſdam ducibus parent, & à ciuitatis grege ſecluſi eſſe uidentur; clerici ergo ij adſciſcuntur ad Eccleſiaſticos ordines ab Epiſcopo, & ab eo in officio contineri debent. principio igitur magna diſquiſitione, nec mediocri iudicio utatur opus eſt in promotione clericorum ad ordines Eccleſiaſticos. qua in re hac tempeſtate, meo quidem iudicio, grauiſſime ferè omnes peccant, nullo enim diſcrimine habito & ſceleſtiſſimi & maximè ignari omnium bonarum artium homines ad participationem diuinæ poteſtatis, quæ eſt in ſacerdotibus, admittuntur. qui poſtmodum pollutis ma nibus, inquinatiſſimaque mente tractant quotidie ineffabile, ac omni veneratione digniſſimum corporis Chriſti Sacramentum. in magnis autem ſceleribus deprehenſi Chriſtianæ rei maximum afferunt detrimentum. quibus tandem auctoribus præſtitam ſibi quoque eorum imitatione plebs licentiam putat quoduis facinus perpetrandi. quo fit, ut exiſtimem magnam adhiberi diligentiam oportere, ne huiuſmodi aliquod monſtrum Epiſcopo, quem inſtituimus, auctore ad ordines Eccleſiaſticos admittatur; quin potius eligentur viri & probis moribus ornati, & doctrina conſpicui, ut idonei miniſtri Epiſcopo adeſſe queant in erudienda ciuitate Chriſtiana religione, & bonis moribus excolenda. Hoc in loco illud quoque obiter admonere in mentem uenit, ne eos vllo pacto admittat ad ordinem Eccleſiaſticum, qui potius ut impunitatem peccati habeant ſacris initiandos ſe procurant, quàm quòd clerici eſſe uelint. ſunt inter hos plerunque viri genere nobiles, ſeruili tamen ingenio: qui tanquam ad arcem ſcelerum, quæ animo conceperunt, ad ſacra ordineſque confugiunt. Hi penitus relegandi ſunt à Sacramenti huius participatione: quòd ſi quando accidat, ut horum aliquis in ſcelere deprehenſus ſe ſe tutari uelit, ne debitas pœnas luat, ſacri ordinis cauſa ope ab Epiſcopo implorata, nequaquam committat, me auctore, Epiſcopus, ut ſcelerum patrocinium ac iuſtitiæ impedimentum ſacra ordineſque eſſe uelit. uerùm, niſi omnia ſeruauerit, quæ is, qui ſacris initiatus eſt, ſeruare debet, tum uita, tum cultu, tum etiam toto habitu corporis, illum prophano præſidi puniendum tradat. Si uero obſiſteret aliqua cauſa, propter quam tradendus non uideretur iudici, legibusque ciuilibus: tunc iudex ipſe ſeueriſſimo utatur iudicio, ne Eccleſiam Chriſti, Aſylum facere uideatur. Sed redeat, unde deflexit oratio. Parum

A rum quidem laboris reliquum erit Epiſcopo in cleri moderatione, ſi in electione clericorum non peccauerit. Nam facilè in officio continebit eos, qui ſtatim ab ineunte ætate bonis artibus, probisque moribus fuerint inſtituti. iuniores ergo erudiendos curabit, non humanitatis, aut huiuſmodi quibuſdam ſtudiis, niſi quantum ſit ſatis; ſed Chriſtiana diſciplina, Theologia inquam, nec non etiam iure pontificio, quod theologiæ illi conueniat. præferenda tamen omnibus ſunt ſtudia ſacræ ſcripturæ, quæ abſolutionem tandem imponant quibuslibet clericorum ſtudiis. Hæc volumina ſemper in manibus eſſe debent, ut, quod Flaccus dicit de auctoribus Græcis, dicamus nos de ſacris,

B *Vos ò ſacerdotes volumina ſacra nocturna*
Verſate manu, verſate diurna.

Impudici uerò poetæ, ſuperſtitioſæque nonnullæ artes procul ſint omnes à clerico. Opera uerò, atque induſtria Epiſcopi hæc omnia rectè præſtabit, ſi unumquemque nouerit clericorum, ſæpiusque ad ſe accerſiri iuſſerit; percunctandoque tentauerit quantum unuſquiſque proficiat. quod ſi quis non profecerit repugnante natura, ſaltem ne labatur in peius, procurabit: ſicque iuniores erudiet, ut ſingulis pro ratione profectus conferat etiam dignitates. ſenes uerò an officio ſuo deſint inquiret, eosque mulctabit, qui deerunt. qui uerò bene ſe geſſerint, laudabit, premioque afficiet, ſi occaſio dabitur. Diligentiſsime quoque horum iura tuebitur, ne ſacrorum mi-

C niſtri habeantur ludibrio, ſed ſuſtinere queant decus & maieſtatem ſacerdotalis dignitatis. maiori tamen ſedulitate vtatur opus eſt, in his ſacerdotibus curandis, quibus alios regendi cura commiſſa eſt; à quibus pœnitentiæ Sacramento veluti pharmaco, populi delicta ablui purgarique ſolent. Ac non tantum in vrbe hoc procurabit, ſed in oppidis villisque: licet non ea doctrina, neque ea ſtudiorum ratio, quæ ab vrbano requiritur, à ruſtico quoque ſacerdote requirenda ſit. non tamen rudem omnino literarum ruſticum ſacerdotem eſſe uellem, ſed tantum in literis profeciſſe, quantum ſit ſatis ad erudiendos ruſticos homines in his, quæ neceſſe eſt quemlibet Chriſtianum noſſe: præcipue tamen bonos mores atque integram uitam ab his requiri debere admoneo. Nihil enim magis no-

D xium Chriſtiano gregi, quam improbus atque inhoneſtus ſacerdos. Hactenus de clericis nulli certo ordine obſtrictis. At illi, qui ſub aliquo ordine familia've merent, ex prærogatiua quadam Romani Pontificis, Epiſcopi curæ ſolent non ſubeſſe, uerum duces ſeorſum habent, ſub quibus militent. Non tamen propterea Epiſcopo ceſſandum duco, quin & hortetur præſides cœnobiorum, ut monaſteria in religione contineant, & ſi quis eorum forte facinus quodpiam perpetrauerit, quod cedere queat in aliorum detrimentum, pro virili procuret, ut ex vrbe pellatur ſuæ fidei commiſſa, ſi alia ratione non dabitur manantem peſtem coercere. Atque hæc quidem priuata quædam officia ſunt, quibus erga clerum utendum eſt, Nunc uerò erga uniuerſum populum communia quædam of-

ficia

ficia perſequamur. Diebus ſolennibus, quorum plerique ſunt anniuerſarij, E
officium Epiſcopi eſt, ut miſſarum ſolennia ſacra coram uniuerſo populo ce
lebret, veſperis quoque adſit chori princeps, ueſtibus ſacris indutus oleum
Chriſmatis ipſe cōficiat, atq; cærimonias alias ſibi cōficiendas potius quàm
alijs mandandans exiſtimet. nam, ut inquit Paulus, qui Epiſcopatum deſiderat, opus deſiderat, non quietam ac deſidem uitam. illud etiam non ab re erit, ut moneam noſtræ tēpeſtatis Epiſcopos, ne penitus omittant uetuſtisſimum morem à patribus noſtris diligentisſime ſeruatum; ſolebant illi celebres uiri diebus feſtis, atque interdum quotidie inter miſſarum ſacra orationem habere ad uniuerſum populum, qua & erudiebant ignaros Chriſtianarum rerum, & ad bene uiuendum mirifice uniuerſos hortabantur. extant non ſolum Epi F
ſcoporum, ſed etiam ſummorum Pontificum quamplurimæ excellentisſimæque orationes ad populum habitæ; quod munus religioſi noſtris temporibus uſurparunt ob languorem ac ſegnitiem Epiſcoporum, cum tamen hoc onus, immò potius honor erudiēdi populi maxime proprium Epiſcoporum ſit. vellem ſi non omnino, aliquo ſaltem pacto morem hunc inſtaurari, ac in priſtinum reſtitui ab eo præſide, quem erudimus. nam feſtis quibuſque diebus, & qui aliqua inſigni celebritate aguntur, ſermonem ei habendum cenſerem, quo uel Euangelium declararetur, uel aliqua ex ſacris literis, aut ex morali philoſophia in medium adducerentur: ſi minus coram uniuerſo populo, ſaltem præſente atq; audiente clero, nam per clerum ad omnes quoque eam orationē manaturam uerisimile eſt. nequaquam, ut reor, huic officio bonus G
Epiſcopus deerit, niſi penitus ſe ineptum eſſe ſenſerit ad id præſtandum; de qua re potius aliorum quam ſuo iudicio credat. Proximum huic officium eſt, ut non monitu atque hortatione duntaxat, ſed decretis legumque ſanctione, uniuerſum populum in recto religionis propoſito contineat. Hoc uerò facillime aſſequetur, ſi duo contraria inter ſe uitia, quæ plerunque in cœtu hominum pullulare ſolent, medio quodam tenore deuitet. Horum alterum irreligioſitatem ſeu impietatem nominabimus, alterum uerò ſuperſtitionē: prius uitium oritur plerunque ex quibuſdam diſciplinis & artibus religioni aduerſantibus, quæ ſapientiæ nomen præſeferunt, cum tamen ueræ ſapientiæ aduerſentur. Huiuſmodi autem artes ſunt, nonnullæ ſcientiæ diuinandi, ut Magia & Aſtrologia, quas omnes ſub idolatriæ genere contineri compertum eſ- H
ſe poteſt omnibus, qui norint per has artes aſtris ſeu dæmonibus id aſcribi, quod tantum diuinæ naturæ eſt proprium: nec minus quoddam philoſophandi genus, quod noſtra tempeſtate in gymnaſijs inoleuit, à religione diſcrepat, penitusque diſſentit, deuiosque ducit ignaros adoleſcentes, qui cum nihil ſciant, ex neſcio quibuſdam figmentis magnam de ſe opinionem ſcientiæ nanciſcuntur: adeo ut per ſe alios nihili faciant, ignarosq; rerum naturæ putet, merumque vulgus nuncupent. has omnes pernitioſisſimas artes Epiſcopus pro uirili procul pellat à ſuo grege: ſanciatque omnes huiuſmodi artes tanquam religioni aduerſantes, ab omnibus fugiendas eſſe atque reijciendas; idque ut fiat, & ſanctionibus, ut dixi, & ſermonibus hortationibusque
ſedulo

A ſedulo curet. Huc pertinet illa diligentia, quam ſummam adhibere debet Epiſcopus, ne hæreſis ſerpat, neq; libri Hæreticorum latenter in ſuam dioeceſim importentur. Nulla enim capitalior peſtis, nec quæ facilius atheiſmo feneſtram patefaciat, quam hæreſis eſt, quæ fundamenta fidei cum tollat, etiã omnem Reipublicæ ſtatum ſubito euertit. Alterum uerò peccatum huic cõtrarium eſt ſuperſtitio, quæ exceſſus quidam religionis eſt, ſicuti ſuperius vitiũ defectus eſt quidam. omnis itaque ſuperſtitio diligenter tollatur: ita ut cum uel ſancti, qui uitam agunt in cœlis inuocantur, uel cum eorum reliquias veneramur: uel cum imagines Domini & beatisſimæ virginis, aliorum'ue in Eccleſiis pinguntur, omnia honeſtisſime ordinateq́ue fiãt, illamq́ue plebem B ad Dei unius cultum quemadmodum decet, quaſi per gradus manu ducant. Prudenti autem Epiſcopo, & Eccleſiaſtico facile fuerit, ſi quis in his rebus abuſus irrepſit, ſenſim abolere: ne, ſi inconſiderate, ſiue præcipites feramur, ipſum iam Dei cultum, fidemq́ue Sacramentorum, ordinem quoque Hierarchicum Eccleſiæ, ut hæretici fecerunt, tollamus. Doceatur itaque ſæpe populus in omnibus, & ſuper omnia Deum amandum atq; colendum eſſe, omnia autem propter Deum, ſine quo nihil eſt factum; ſanctiq́ue ipſi nihil eſſent. ita omnis actio, cogitatioq́ue ab ipſo proficiſcatur, & in ipſum denique, ut alpha & omega, referatur. ſi ad ſanctos cõfugiant, noſcant cur id faciant, cæteraq́ue, quæ à ſynodis ſapientisſime decreta ſunt, & expoſita. quod ſi quis aut ob auaritiam, aut ob aliam cauſam reliquiis, aut imaginibus ſacris abuteretur, pro- C tinus tales peſtes ab Eccleſia Dei arceantur, grauiq́ue mulcta afficiantur, ne hiſce monſtris Chriſtiana puritas inquinetur. Suſpitionis errore impietatiſq́ue ſcelere vitatis, facile in recta religione populus poterit contineri. procuret tamen, ut quilibet ſuis ſaltem temporibus Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta frequentet; idq́ue diligenter ſuſcitetur ab antiſtibus, qui vrbis regionibus ac vicis præſunt. Cui officio ſi quis decrit, primum nitatur ad ſe acceſitum ſuaſionibus, lenique increpatione ad rectum pietatis iter, ac munus reuocare. quod ſi pertinaci mente aliquem ſceleri cuipiam adſtrictum corrigi nolle ſenſerit, tunc mulctis notisq; Eccleſiaſticis mulctatum infamẽ cæteris reddat, ne contagione peſtis illius cæteri quoq; inficiãtur. Curet præterea adoleſcentium inſtitutionem, ac pro virili non permittat ſtatim ab incunte D ætate puerorum animos corrumpi poetarum, cœterorumq́ue huiuſmodi auctorum laſciuijs: quas ſi à teneris annis imbiberint; impoſsibile prope erit, ut in maturiori ætate ad meliorem frugem reuocentur. qua in re noſtris temporibus, ut in primo libro diximus, magnopere peccatur. præclare enim Ariſtoteles in Ethicis non parum, inquit, ſed totum differt, quomodo quis ab adoleſcentia aſſueſcat. quamobrẽ diuinus quoq; Plato in libris de Republica iure optimo execrari Poetas uidetur, & ab ea ciuitate pellere, quam optimam ipſe inſtituit. Nõ tamen propterea quempiam ſuſpicari velim nos eodem ordine Poetas omnes habere, neq; intelligere, non nunquã ſuperiorẽ quendã afflatũ Poetis ineſſe: non adeò rudes ſumus adeoq́ue tardo ingenio, ut id nõ ſentiamus. Verum longe præferendã cenſemus animi integritatem, ac pudicitiam

uoluptati

voluptati illi, ac titillationi, quæ ex lectione poetarum huiuſmodi capi ſolet. E
paulatim nanque tabes dulci cantu perfuſa, diuinoque poetæ ſpiritu condita
repit in animum, penitusque inhæret: vt poſtmodum vix vnquã ablui queat.
ab huiuſmodi poetarum ſtudiis abſtinere debent adoleſcentes. ſi quis uerò,
ut apud latinos Virgilius, uel componendis moribus ſtudet, quod optimum
eſt, uel bella tempeſtatesque canit, eum non eſſe legendum non pronuntio,
immò laudo, ſi quis ita legit, ut ab eo non ſolum delectetur, ſed etiã iuuetur.
Sed interim ſi fieri poſſet, ut cũ profanis auctoribus ſimul aliqua Chriſtiana
lectio pueris diſcenda proponeretur, mirum quàm bene id fieret. Nam, ut ue
rum fateamur, turpiſsimum eſt Chriſti pietatem profitẽtibus, Romanorum
geſta, cærimoniasque, atq; auguria noſſe, Chriſtianam uerò religionem peni- F
tus ignorare. vtinam noſtro Epiſcopo auctore talis inoleſceret cõſuetudo, ut
pueri cõtinuo ab infantia (vt ita dicam) Chriſtianis lectionibus aſſueſcerent.
Sunt enim etiã apud nos auctores latini ſatis multi, ne fortaſſe aliquis verea-
tur, ne eloquentia latina ſtudijs ſacrarum literarum corrumpatur. ſed iam ſa-
tis perſecuti uidemur pro noſtri operis modo Epiſcopi officia circa virorum
gubernationem impendenda: quæ ad eorum inſtitutionem, atq; in Chriſtia-
na pietate profectum pertinere uideatur. Sequitur, ut pauca quædã dicamus,
quæ curare Epiſcopus debeat circa mulierum vitam. hæ quoniam virorum
imperio ſubditæ ſunt, generali quadam ratione gubernari debent. ſingula ue-
rò eorum geſta maribus, quibus parent, moderanda linquantur. atque hoc de
laicis mulieribus dictum eſſe intelligatur, eas uerò, quæ Deo virginitatem G
vouere, atque in cœnobiis degunt; non modo communi quadam ratione ut
alias, Epiſcopus tueri, ac regere debet; verum omnem operam adhibere, ne
ignoret, uel minimam earum culpam. nam periculoſum admodum eſt in lu-
brico eo ſexu, parum etiam deflexiſſe de via. Niſi enim principiis obſtiteris,
fruſtra poſtmodum retinacula contrahas, cum in præceps delatæ iam retine
ri non poſſunt, quin omnino ruant. quæ res quanto dedecori ſit Chriſtianæ
religioni, in quantam ciuitatis ignominiam cedat, ſatis explicari non poteſt.
Nequeo hoc loco non ſummopere indignari, celebres nonnullas, ac princi-
pes Chriſtianorum vrbes adeo hac peſte coinquinatas eſſe, ut pleraque mona
ſteria virginum olim Deo dicata lupanarium vicem præbeant. quo quid tur-
pius, quid ſceleratius excogitari poteſt? cur tandem ludibrio ſanctiſsimam H
Chriſtianam religionem obnoxiam hæc culpa nõ facit apud eos omnes, qui
alieni à Chriſti grege, aut Iudaicam, aut Maumeticam, aut hæreticam perfi-
diam profitentur? quamobrem in primis Epiſcopi officium reor prouidere,
ne quod huiuſmodi ſcelus in ea, cui præeſt, ciuitate contingat, diligenterque
ſcrutetur cõmercia, ac conſuetudines monachorũ: ut principiis obſtare poſ-
ſit. Si quando uerò (quod auertat Deus) contractam alicubi hanc tabem ſenſe
rit, ad viuum vſque reſecet; imploret opem à principe ciuitatis, obſecret, ob-
teſtetur, imperet Dei iuſſu, ne hanc iniuriã patiatur fieri diuino nomini: nul-
lo tandem in munere ſe magis ardentem præbeat. Non tamen propterea lau
dauerim, ut Epiſcopus, aut quiuis Epiſcopi miniſter familiaritate, ac frequẽti

mona-

A monachorum cõſuetudine utatur. Nam, præterquam quod periculoſa eſt ea familiaritas,certe plerunq; culpæ ſuſpicionẽ præbet. qua maxime carendum eſt illi,cuius uita ueluti exẽplar cæteris propoſita eſſe debet. illud adeo dicere auſim,peiorem ferè eſſe in Epiſcopo ſuſpicionẽ innoxiã, quàm latentẽ culpã. Nunc quando de monachis mulieribus dictũ eſt,reſtat,ut pauca quædã de laicis quoq; dicamus. Hæ cũ virorũ imperio ſint ſubiectæ:generali tantũ ac cõmuni quadã ratione ab Epiſcopo curari debent. prætereo quædã ſuperius de viris præcepta,quæ ad mulieres quoq; pertinent,ut quotannis ſcilicet pœnitentiæ,& Euchariſtiæ Sacramenta frequentent,huiuſmodi alia nõnulla. dicã quædã ſolũ,quæ ipſarũ tantũ ſunt,nequaquam uerò ſpectant ad viros. primũ
B nitendum pro viribus eſt,ut decenti,pudico moderatoq; cultu corporis vtantur,iuxta regulã Apoſtoli Pauli; Non in tortis crinibus &c. impudicus enim, immodicusq; mulierũ ornatus religioni Chriſtianæ aduerſatur, & reipublicæ bono. Nã primũ eius, quæ eo vtitur cultu, mores corrumpit,dũ enim ſe, ſuamq; pulchritudinem,atq; ornatum admiratur & diligit,tum ſui, tum Dei obliuiſcitur,ſeq; aliis mulieribus digniorem,excellẽtioremq; facit. menteq; turgida nil nõ ſuperbum,nil non iniurium aliis ſapit. hæc prima eſt labes,primaq; mentis corruptio:qua infecta facile ad impudicitiã prolabitur. Nec minus obeſt mulierũ immodicus, atq; impudicus ornatus iuuenibus viris, qui facilius immoderati cultus muliebris illecebris ad libidines alliciuntur.hinc in ſanctisſimis templis amores exercent oculis atq; nutibus, pasſimq; inter
C ſe de amoribus ſermones conferunt. obiter hoc in loco, quando in huius rei mentionem incidimus,admonendus nobis Epiſcopus eſt,ut ſuaſionibus,increpationibus, ſanctionibusq; illud cõficiat: ne Dei immortalis templis pro areis & foro ciues vtantur, per ea deambulando, & inter ſe de mercatura, de bellis,plerunq; uerò de amoribus diſſerendo,ſed religioſè, ſanctèq; in illis uerſentur.Nunc reuertamur ad mulierum ornatum, quẽ quidem religionis primum aduerſari inſtitutis affirmamus, ſi nimis diffluat,deinde etiam reipublicæ bono tãtum nocere,ut nihil ſupra. dum enim magni ſumptus in ornatum mulierum à viris fiunt,alteraq; alterã ſuperare cõtendit;magna fit ciuium rei domeſticæ,totiusq; tandem ciuitatis opum iactura. cohibendus ergo,continendusq; erit iuxta præcepta Apoſtoli mulierum cultus. illud quoque præci
D piendum reor,curare Epiſcopum debere, ne impudicis ſpectaculis mulieres interſint.Corrumpunt mores bonos,mentisq; integritatem labefactant turpia ſpectacula,quæq; in eis obſcœna dicuntur,atq; aguntur.Hoc idem in pueris prouidendum erit. priſcis quidem temporibus huiuſmodi ſpectaculis ac fabulis,quæ publicè recitantur,magnam operam dabant,maximisq; ſumptibus publicè inſtructa erant theatra,in quibus populus ad prophana ea,& impudica ſpectacula conueniebat. quod veteres ſatyrici poetæ increpant vehementer. poſtmodum uerò, cum Chriſtiana ueritas illuxit, patrum noſtrorum inſtitutis ſublata fuere. noſtra uerò tempeſtate in pleraſque Italiæ ciuitates obrepſit hic morbus, qui à præſide Chriſtiano tollendus penitus eſſet, ſi fieri poſſet; ſin minus,ſaltem hac ratione cohibendus,ut pueri, ac mulieres

ab huiuſmodi ſpectaculis abſtinerent. Cæterum, quoniam nuptæ mulieres, E
ac pueri, qui parentes habent ſuperſtites, minus obnoxij iniuriæ ſunt, uiuendique præceptores parentes habent, ac maritos: iccirco uniuerſali quadam ratione ab Epiſcopo ſunt inſtituendi, eisque non peculiari quodam modo, ſed communi ſubſidium ferendum eſt. At pupilli, & viduæ quæ expoſitæ ſunt iniuriæ, neq; proprios præceptores habent, qui eos recte inſtituere ualeant, præcipua quadam ope tuendi ſunt. Epiſcopus enim cõmunis quidam eſt pater totius ciuitatis, à quo illi, qui magis indigent, magis item ſubleuandi, atq; adiuuandi ſunt. Hinc eſt, quod in ſacris literis præcipue commendantur hi, qui pupillum & viduam fouent, ab eisque propulſant iniuriam. quamobrem his vtriſque Chriſtianum præſidem decet maiore animi cura, atque ſtudio acriore opem ferre, ad eosque recte inſtituendos omnem diligentiam adhibere. ſatis arbitror hucuſque à nobis explicata ſunt officia Epiſcopi: quæ ciuitati, cui præeſt, inſtituendæ atque in Chriſtiana pietate continendæ accommodata uidentur: eoque proceſsimus ordine, quem charitatis iura præſcribunt. Nunc pauca quædam dicenda reſtant de officiis, quæ circa opes, ac reditus Epiſcopatus uerſantur. Eorum enim diſtributio ad Chriſtiani præſidis charitatem iure optimo ſpectare uidetur. Nam ſi huiuſmodi opum erogatio in ſacris literis, ac præſertim in Euangelio, prophanis viris præcipitur: qui nullo religionis priuato iure ſunt obſtricti: quique in comparandis ſibi opibus inſudarunt: quanto magis cenſendum eſt fuiſſe hoc Epiſcopis præceptũ, qui perfectisſimum in Chriſtiana religione ordinem profitentur: quibuſque G
opes nõ ſudore partæ, ſed teſtamentis legatæ ſunt, ut cultui diuino & egenorum neceſsitatibus inſeruirent. qua de cauſa uerius procuratores quidam, ac tutores bonorum, quæ pauperibus legata ſunt, quàm alia quauis appellatione nuncupari debent. Non ignoro tam in theologorum libris, quàm in ſacris canonibus ſancitum eſſe, qua regula vti Epiſcopum oporteat, in redituum Epiſcopatus diſpenſatione. Nos uerò præcepta dabimus: quæ ſeruanda eſſe putamus Epiſcopo viro bono, nõ autem illi, qui tanquam in foro ſibi cum Deo litigandum eſſe putet, nihil aliud agere uelit, quàm id, quod ei ſacris ſanctionibus iniunctum eſſe appareat, quodque ſine ſcelere præterire nõ poſſet. hoc (mihi crede) non eſt agere ex charitate, ſed ex mulctæ timore: qui ſi abſit, neque illud facias, quod nunc facis. hi qui hoc pacto ſeruari à ſe oportere Epi- H
ſcopi munera exiſtimant, intra præſcriptos quoſdam terminos liberalitatis, ac munificentiæ cõtinentur. At charitas terminum neſcit, nullis finibus cohibetur. quamobrem cum illud in primis ſtudeamus, ut Epiſcopus, quem inſtituimus, charitatis igne accẽſus nil nõ ex charitatis præcepto faciat: iccirco nullis præceptorum anguſtijs contineatur, ſed omne quod ex victus parci ac modici ſumptibus reliquum eſt, cum diuino cultui, tum maxime egenorum neceſſitatibus impendat. turpisſimum enim ac maximè nefarium reor, velle quempiam ex inopum peculio diuitias ſibi cõparare, aut bona pauperum in ſupellectilem domus magnificam, in longum ſeruorum ordinem, cæteroſq; huiuſmodi ſumptus profundere. de quibus, quoniã ſupra abũde ſatis à nobis

eſt di-

A eſt dictum, cum de vita ac victu Epiſcopi loqueremur, nil in præſentia amplius puto dicendum eſſe, niſi ut dignitatem ordinis tueatur, ſuperfluis impenſis omnino reiectis, cumque noſtra tempeſtate in ſumptibus non neceſſariis magis peccetur, ille ad defectum potius tendere conetur. ſic enim medium tenebit: in quo eſt virtus conſtituta. Diuino igitur cultui primum id, quod neceſſarium eſt, impendat, reliquum pauperibus eroget: quod ſi indigentia pauperum tanta eſſet, ut pro eorum uita tuenda oporteret aliquid demere de ſumptibus, quæ in diuino cultu de more fieri ſolent, cenſeo ego maximè ſecundum Chriſtianam pietatem Epiſcopum facturum, ſi minus magnificè Deum coluerit in templis lapideis, ut teſarciat, opemque ferat
B templis Dei non marmoreis & inſenſibilibus, ſed uiuentibus, atque intelligentibus. Dei enim templum uos eſtis, inquit ille. quod ſi tanta neceſsitas eum non vrgeat, Deum colat ea magnificentia, quæ pro conſuetudine, & vrbis dignitate ſatis eſſe uideatur. quod ſupereſt uerò pauperibus etoget, ſentiatque ſe procuratotem, ac tutorem potius pauperum eſſe, quam dominum: ſi quid autem adhuc ſupererit: ad ornatum templi id omne conuertat. pauperes uerò non omnes eodem ordine habeat, ſed potius opem ferat illis, qui ditioni ſuæ ſubiecti ſunt, quàm externis. Nam ea uidetur etiam mens fuiſſe illorum, qui bona ſua legarunt Eccleſiæ, cui præſidet, ut ſcilicet municipibus egenis potius quàm externis ea erogentur. Petrus Barocius, de quo ſupra quoque à nobis facta eſt mentio, diligenter hoc ſeruabat,
C malebatque Patauinis egenis opem ferre ex Epiſcopatus reditibus, quàm Venetis conſanguineis ſuis: quòd diceret eam vim agrorum, villarumque teſtamentis à Patauinis ciuibus Epiſcopo legatam eſſe ea mente, ut quilibet coniectari facile poteſt; quo Patauinorum inopum neceſsitati ex his opibus ſubueniretur. inter inopes uerò, bonos uiros, bonique nominis mulieres aliis non probis ſemper præferat. Hi etenim & Chriſto & nobis magis proximi ſunt quàm improbi, ac ſceleſti. ſceleſtos tamen extrema indigentia oppreſſos non negligat. Deumque imitetur, qui, ut ſacræ perhibent literæ, ſolem ſuum oriri æque facit ſuper iuſtos & iniuſtos. omnibus uerò in hoc officio anteferendi ſunt illi, quibus nobili genere ortis paupertas ignominiæ eſſe ſolet; neque mercenarias artes exercere ſine calumnia queunt. his maxi-
D me tribuendum, neque expectandum, ut eleemoſynas petant; uerum his etiam non petentibus largiendum, & quandoque inſciis. poſt hos alios curet pauperes. verum in hac largitione, & munificentia illud cauendum eſt, ne inertes nonnulli, quod frequenter accidit, liberalitate hac illecti ſe otio dedant, ſegnemque ac tandem turpem uitam ducant. attinet ad hoc officium etiam illud, vti Noſodochiorum ſiue hoſpitalium (vtar enim nouo uocabulo) curam habeat, quæ Epiſcopo deberi uidetur. Nam pleraque omnia hoſpitalia ſuos tutores, ac præſides habere ſolent, quibus hæc cura præcipue debetur, quæ & ſingula eorum viſere aliquando Epiſcopi debebunt. Dubitabit hic aliquis, clam ne hæc in pauperes munificentia, cæteraque virtutum officia præſtari debeant, an potius aperte, ita ut omnes ea intelligant &

ſciant. Arbitror ego in hac re,ſi præcep to Auguſtini vtatur, eũ optime factu- E
rum. ille enim inquit oportere ani mi intentionem eſſe in occulto, bona uerò opera, ſi inſpiciantur & luceant, ut lux coram hominibus prodeſſe. Non ergo ex his officiis laudem ſibi Epiſcopus, aut vllam nominis cele britatem, (ambitioſum enim hoc eſſet) ſed Dei laudẽ quærat. hac enim ratione intentionem in occulto habebit, opera uerò bona, quæ lucebunt coram hominibus, in laudem Dei cedent, omnibuſque exemplo proderunt atque imitatione: ut ergo laus Dei celeb rior fiat, ſimulque ut ciuibus ſuis exemplo proſit, optime factum reor, ſi non clam officia hæc virtutum præſtiterit, ſed palam. in quo illud obſeruet, ne aliquis iure ſuſpicari queat fieri ea palam propter ambitionem, aut aliquam improbam cauſam, ſic enim dum exem- F
plo prodeſſe vellet, multum obeſſet: id ergo ſi cauerit, facturum optime arbitror, ſi palàm, tum munificentia in egenos, tum cæteris virtutum muneribus vtatur. Nam inquit Chriſtus, vos eſtis lux mundi. vicem igitur lucis præſtare non pigeat. Hoc uero nequaquam fiet, niſi virtutum officijs velnti luce quadã fulgentisſima coram omnibus noſter Epiſcopus luxerit. His officiis, quæ ad impenſas ac ſumptus pertinere uidentur, ea attinent, quæ ad exigendos ſpectant reditus Epiſcopatus. Nam ſi hoc minus neglexerit, neq; erga pauperes liberalitate vlla vti, neque diuino cultui ſatisfacere poterit, prouidendum ergo pro viribus, ne reditus Epiſcopatus per inertiam pereant, ſed adhibeat diligentiam, ſeduluſque curet, ne procurator vrbanus, aut villicus bona pauperibus eroganda dilapidet, ſed fidis miniſtris diligentisſimiſque vtatur. qua in G
re illud cauendum eſt, ne à debitoribus, qui plerunque ruſtici ſunt admodum ægeni, crudeliter ea quandoque villicus exigat, quæ ſoluendo ipſi non ſunt, niſi à filiis totaque familia victus extorquatur. Hoc nanque maxime alienum cenſeri debet à Chriſtiana pietate, quodque in quouis prophano ſit ualde reprehendendum, nedum in Epiſcopo Chriſtiani gregis paſtore, præterea quæ'nam maior dementia eſſe poteſt, quam velle, dum inopum necesſitati inſeruis, in egenos ruſticos continuo crudelem eſſe, atque pietatis officium ab impietate auſpicari? medium igitur tenorem quendam ſeruabit: ne ſcilicet ſinat per inertiam, aut cupiditatem miniſtrorum bona Epiſcopatus dilapidari, ne've patiatur exactione pauperibus iniuriam fieri. ſatis ſuperque à nobis expoſita uidentur ea, quæ ab Epiſcopo in ſeriis rebus præſtanda ſunt. Cæ- H
terum, quoniam animus interdum requie indiget, quadamque curarum uacuitate: icci tco laxandus honeſtisſimis iocis quandoque erit, alicuiuſque ſeceſſus amœnitate leuandus, ubi & deambulationibus & aucupijs, venationibuſque & reliquis ruſticis oblectationibus relaxari poterit. Hac enim ratione & animum recreabit, & valetudini conſulet. Sed in iocis grauitatem ſeruare oportet: neq; ſumptus faciendi in venationes & aucupia. Nihil enim magis Epiſcopo indecens, magiſque eius officio cõtrarium exiſtimati debet, quàm quæ fiunt in huiuſmodi res impenſæ. ab vrbe uerò non ſecedat, niſi ijs diebus, quibus ſi ſeceſſerit, officio tamen non deerit. Hæc ferè officia eſſe puto, quæ pro operis noſtri breuitate ſtrictim colligenda cenſuimus. Reliqua

uerò

A uerò, quæ omiſſa ſunt, ex horum ſimilitudine facilè intelligi poſſe exiſtimo. Hactenus nobis diſſeruiſſe ſufficiat de officio viri boni, ac probi Epiſcopi: quales noſtra hac corruptisſima tempeſtate pauci ſunt. quamobrem nequaquam in animum inducas velim, aut turpe eſſe hiſce temporibus aliorum vita ac moribus ſpretis, proprium quoddam ſequi viuendi genus, aut difficile eſſe, ac prope impoſſibile muneribus hiſce fungi, atque hanc uitæ normam ſeruare. Nam illud eſt in primis viri Chriſtiani, nullo pacto duci humana laude, aut hominum iudicio, ſed diuina præcepta ſibi ſeruanda eſſe cenſere, quicquid de ipſo loquantur homines, charumque & honorificum ſibi putare, ſi pro Chriſti nomine, ac Chriſtiana uita dignus ſit ignonimiam

B pati. de qua re Chriſti Apoſtolos plurimum gauiſos ſacræ literæ teſtantur. deinde certo ſciat fruſtra ſe hoc metu terreri: nam virtutis officia eo ſunt præclariora, quò maiora; neque vereri debet difficultatem vllam ſibi fore in hac viuendi norma à nobis præſcripta, ſi non in ſe, aut in virtute ſua ſperauerit, ſed tantum à Deo optimo auxilium implorauerit. Nullus enim, qui in eius ope confidit, uel in perquam arduis prouincijs vnquam defecit. Habes itaque Reuerendisſime præſul amici munus, neque re ipſa de qua tractat, neque te dignum, ſed (ni fallor) ex animi noſtri erga te propenſione non ingratum omnino tibi futurum.

C

GASPARIS
CONTARENI
S. R. E. CARDINALIS,
SCHOLIA IN EPISTOLAS
DIVI PAVLI.

SCHOLIA IN EPISTOLAS DIVI PAVLI.

IN CAPVT PRIMVM EPISTOLAE AD ROMANOS.

QVI *prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum*
ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Do-
mini noſtri.] Locus hic difficilis eſt. nam primò, quomo-
do Chriſtus ſit prædeſtinatus filius Dei, multa dicunt
Theologi recentiores. Textus Græcus habet Definitus,
id eſt oſtenſus; ut etiam totum quod ſequitur, refera-
tur ad hanc oſtenſionem; quòd ſcilicet oſtenſus ſit filius Dei propter vir-
tutem, id eſt potentiam, qua per ſpiritum ſanctum reſuſcitauit ſe ex mor-
C tuis. In Actis Apoſt. cap. 13. Paulus hunc ſenſum innuit: & verſiculum
Pſalmi, Filius meus es tu, ego hodie genui te, refert ad diem, quo Chri-
ſtus à mortuis reſurrexit. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus.*] Fides qua
credimus,quamuis ſit in intellectu,pendet tamen à voluntate. Credimus et-
enim,quia uolumus obedire Deo. Hoc ergo prædicabant Apoſtoli,Deo obe
diendum eſſe, & illi ſubijciendam ceruicem, qui uoluit homines iuſtificari
per fidem, & uiuere ex fide; cui obediendum eſt, & recurrendum ad fidem,
ut infra ampliſſimè oſtendit. *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Ieſum*
Chriſtum.] Notandum,Paulum in locis innumeris,eum morem ſecutum; ut
ſemper vtatur mediatore & interpellatore Chriſto, cùm ad Deum conuer-
titur. Nam nihil noſtrum Deo placere poteſt, niſi per Chriſtum, & in Chri-
D ſto; in quo nos elegit, & in quo nos gratificauit, id eſt,gratos,ſibi fecit. *Iudæo*
primùm & Græco.] Vel uoluit præferre Iudæos Græcis, id eſt, Gentilibus, ad
retundendam ſuperbiam Gētilium: uel primo loco poſuit Iudæos, ut retun-
deret eorum ſuperbiam, cùm dicit, primùm illis ad ſalutem opus eſſe Euan-
gelio Chriſti. *Ex fide in fidem.*] Quoniā omnis Chriſtiani vita nititur fide. In-
nuit ergo ſemper nobis, qui incipimus à fide & nitimur fide, tendendum eſſe
ad maiorem fidei profectum. vel,ex fide, refert ad Deum, qui promiſit & de-
dit nobis fidem. Ad fidem, uerò refert ad nos, quorum aſſenſus & fiducia ni-
titur promiſſioni diuinæ, & fidei nobis datæ à Deo. *Reuelatur enim ira Dei*
de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum detinentium veritatem Dei
ex iniuſtitia.] Locus hic ualde difficilis eſt. ſi uolumus reddi rationem & cau-

ſam,

ſam, quamobrem iuſtus uiuat ex fide, & quod iuſtitia Dei reuelatur ex fide E
in fidem; Duobus modis reddi cauſa poteſt. Nam cùm ex Euangelio reuela-
tur ira Dei ſuper omnem impietatem, & ſuper omne peccatū, cogimur nos
(qui ex lege naturæ, quantùm ad Gentiles; & ex lege Moyſi, quantùm ad Iu-
dæos pertinet, cognoſcimus nos eſſe peccatores) confugere ad iuſtitiam fi-
dei, & ad iuſtitiam Dei, quæ eſt per fidem. Vel impietas & iniuſtitia, de qua
fit hîc mentio, non eſt referenda ad quodcunque genus peccati, ſed ad ſuper-
biam philoſophorum Gentilium; qui cùm agnouiſſent Deum, à quo erant,
uoluerunt tamen bonos & perfectos fieri & eſſe, non à Deo, ſed à ſeipſis, ob
animi tumorem. ac ideo non glorificauerunt Deum cognitum tanquam
Deum: quemadmodum nec Lucifer, cum cecidit à Deo, elatus in ſeipſo: & F
primi parentes, qui uoluerunt eſſe tanquam Dei, ſcientes bonū & malum: ac
propterea derelicti à Deo, traditi ſunt in reprobū ſenſum, & in immunditiā.

CAPVT II.

CVM *iudicabit Deus occulta cordium ſecundum Euangelium meum per Ie-
ſum Chriſtum.*] Sic Ioannes Euangeliſta; Pater non iudicat quēquam,
ſed omne iudicium dedit filio, quoniam filius hominis eſt.

CAPVT III.

QVID *ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas Circuncisionis? Multum per
omnem modum: primum quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei.*] Non G
intelligēdus eſt locus, quòd ab ipſis Iudæis fuerint credita Dei elo-
quia; ſed quòd Deus crediderit eis ſua eloquia. Nam aliis nationibus non fuit
lex data, ſed ſolis Iudæis. *Quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt? Nunquid
incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? &c.*] Solet dici & eſt regula iuris, Frangē-
ti fidem, fides frangatur eidem. Quapropter poſſet aliquis ſuſpicari, cùm pa-
ctum & fœdus fuerit factum inter Deum & nationem Iudaîcam, ac ipſi fidē
fregerint, & receſſerint à fide datà. (Sic enim puto intelligendum eſſe, Nō cre-
diderunt; & ſignificantius exprimitur in Græco textu) quòd propter hoc etiā
Deus non ſeruaturus eſſet fidem datam. Hanc ſuſpicionem remouet Apo-
ſtolus dicens, quod mendacium hominum non euacuat fidem Dei; eò quòd
Deus ſibi ipſi debitor eſt, & ſeipſum negare non poteſt; ut dicit idem Apo- H
ſtolus in ſecunda ad Timotheum. *Quid ergo? præcellimus eos? nequaquam, &c.*]
Videtur contradicere his, quæ paulò ante dixerat, quid, ſcilicet, amplius eſt
Iudæo? Senſus eſt, quòd ex parte beneficiorum Dei, Iudæi præcellunt gentes,
ut ſupra. Sed ex parte ipſorum minime præcellunt, eò quòd peccauerint, ſi-
cuti gentes. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.*] Ex textu Græco colli-
gitur, omnes inferiores eſſe gloria Dei, id eſt, ut coram Deo iuſtificentur, eò
quod peccauerint. *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium
delictorum.*] Hoc in loco fere reddit cauſam, cur Deus gratis iuſtificet pecca-
tores per fidem, in ſanguine Chriſti; & inquit, Voluit Deus gratis dimittere
peccata noſtra, ſeruata tamen iuſtitia ſua, quam exercuit Chriſti ſanguine

effuſo;

A effuſo; vlciſcens in eo omnia peccata noſtra, ut non dimitteret peccata impunita: ſicut dicit ad Corinthios. Eum, qui non fecit peccatum pro nobis peccatum fecit; ut nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Eſaias quoque ait, Poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrũ, & ideo ſubiungit in textu Paulus, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ in hoc tempore. Suſtinuit, inquit, Deus peccata, nec puniuit, ut per iuſtitiam ea puniret in Chriſto: & ita hoc in tempore oſtenderet iuſtitiam ſuam; ut ſcilicet ſit ipſe iuſtus, peccata puniens; & tamen gratis iuſtificaret eum, qui eſt ex fide Chriſti.

CAPVT IIII.

B QVID *ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem?&c.*] Notandum primò, Verbum illud, ſecundum carnem, poſſe referri ad patrem noſtrum. Nam Apoſtolus Hebræus erat: & in hac parte Epiſtolæ potius alloquitur Iudæos, quàm Gentiles, ad quos lex nõ pertinebat; qui omnes carnali generatione deſcenderant ab Abraham. Vel referri poteſt ad Verbum, inueniſſe, id eſt, inueniſſe ſecundum carnem; quod & de circuncisione poteſt intelligi; id eſt, quod contulerit Abraham circuncisio; de qua infra inquit, quòd accepit illam ſignaculum iuſtitiæ, quam habuerat in præputio. Vel, ſecundum carnem, poſſumus interpretari, opera illa bona & ſecundum legem, quæ Abraham operatus eſt. Nam ſæpe Apoſtolus utitur hoc modo loquendi, ut per carnem intelligat legem: dum eſſemus in

C carne, infra dicit, id eſt, ſub lege; vtpote ex qua & ex cuius operibus non trahamus ſpiritum, & ideò adhuc ſumus in carne. Præterea notandus eſt & colligendus ſenſus Pauli totus, quid nam ſibi velit ex hoc exẽplo Abrahæ, quod adducit. Abraham, ut in Geneſi legitur, vir bonus fuit, & ſine iniuria cuiuſpiam vixit: vnde poſſet facile quiſpiam credere, eum fuiſſe iuſtificatum & effectum amicum Dei ex ſuis operibus. Attamen ſcriptura non dicit fuiſſe eum iuſtificatum ex operibus; ſed dicit: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ergo ſcripturæ intentio eſt, quod quamuis Abraham potuerit apud homines iuſtificari, id eſt, haberi & pronunciari iuſtus; non tamen apud Deum, cur inquies, ſcriptura dicit, quòd reputatum eſt ei ad iuſtitiam, quod credidit Deo? Vbi notat Paulus primò, Verbum hoc, reputatum;

D quod non habet vim, nec eo vti rectè poſſumus, niſi cùm ex gratia prouenit reputantis, non ex meritis eius cui reputatur. Cùm igitur dicat ſcriptura, reputatum eſt ei ad iuſtitiam; manifeſtè apparet, quòd non tribuatur operibus; quia merces operum imputatur ſecundum iuſtitiam & ſecundum debitum, non autem ſecundum gratiam. Cùm ergo dicat ſcriptura, reputatum eſt, innuit gratiam, & excludit iuſtitiæ debitum. Notandum etiam, quòd hanc imputationem iuſtitiæ ſcriptura tribuit fidei. Credidit Abraham Deo, inquit, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: quod confirmat ex teſtimonio Dauid; qui attribuit beatitudinem hominis remiſsioni peccatorum, & non imputationi peccati. Et huic beatitudini, tanquam primæ, innituntur aliæ beatitudines, in aliis Pſalmis dictæ à Dauid. *Et propterea ex fide, & ſecundum*

cundum

cundum gratiam ſit firma promiſſio.] In Græco ſignificantius, & ideò ex fide, ut E
ſecundum gratiam, ad hoc ut ſit firma promisſio. quaſi dicat, ideo Deus iuſtificat ex fide, ut iuſtificatio ſit ex gratia Dei, & non ex nobis. Ideo autem ſecundum gratiam, ad hoc, ut promisſio ſit firma: nam ſi res penderet ex iuſtitia, ut ſcilicet redderetur operibus noſtris, & non ex gratia Dei; promisſio nullam haberet firmitatem, ob defectum noſtrorum operum.

CAPVT V.

SI *enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati ſaluabimur in vita ipſius.*] Vltima hæc particula Saluabimur in uita ipſius duobus modis poteſt intelligi. vel in ui F
ta ipſius, quoniam non oportet amplius Chriſtum mori, vt, priuſquam reconciliaremur, mortuus eſt; ſed uiuēte ipſo, & ideo in uita ipſius ſaluabimur. vel innuit id, quod dixerat in fine ſuperioris capituli; quòd ſcilicet Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtrā; quia eius uita immortalis, eſt cauſa exemplaris, & efficax noſtræ ſaluationis & uitæ ſpiritualis. *Propterea, ſicut per unum hominem peccatum intrauit in mundum, &c.* quæ ſequuntur.] Nota ſenſum totius huius loci, pulcherrimum ſcilicet Apoſtoli argumentum. Et eſt argumentum à ſimili, & à minori. Adam primus homo de terra terreſtris, typus & forma fuit, ſecundi Adam de cœlo G
cœleſtis; in contrariis tamen rebus. Nam primus origo fuit mali, & detrimēti hominum; ſecundus uerò omnis boni. Igitur ab detrimento illato per primum, poſſumus à ſimili conijcere bona acquiſita nobis per alterum. Immò, quoniam donum Dei ſuperat delictum, & longè eſt eo efficacius: iccircò bona, quæ nobis Chriſtus largitus eſt, ſuperant mala, quæ primus Adam nobis intulit. Enumeremus nunc mala, quæ intulit nobis primus Adam. primùm per ipſum peccatum intrauit in mundum, & in omnes homines. nam in ipſo omnes peccauerunt. inclinatio ergo ad malum per Adam intrauit in mundum, & reatus peccati: quoniam eius peccatum omnibus imputatur, qui ab eo originem trahunt per uirtutem ſeminalem: nā in eo omnes peccauerunt. & per peccatum intrauit mors: nam mors eſt pœna peccati. Vnde arguit Apoſtolus, quòd peccatū intrauit in omnes, quia omnes ab Adam vſque ad Moyſem mortui ſunt; ne putaret quiſpiam peccatum incœpiſſe poſt legem datam H
à Moyſe. Cùm igitur mortui ſint omnes, etiam ante Moyſem; in omnes intrauit peccatum. Lex autem operata eſt maiorem imputationē peccati propter tranſgresſionem legis. Hæc detrimenta accepimus à primo Adam, qui eſt typus & forma futuri in rebus contrariis. A ſimili ergo computabimus bona per Chriſtum donata nobis, immò maiora. quoniam donum ſuperat delictum. Primò namque in locum peccati & mortis, quam contraximus ex Adam, per Chriſtum adepti ſumus gratiam & iuſtitiam in uitam æternam. Ex uno peccato Adam cecidimus in condemnationem. Per Chriſtum autem non tantùm ſurreximus ab eo peccato, ſed à multis aliis peccatis, nō tantùm in abſolutionē, ſed etiam in iuſtificationem: quia habemur apud Deum iuſti

per

A per Chriſtum dominum noſtrum. quod ratione probat Apoſtolus. Nam ſi
delictum unius hominis tantum potuit, multò magis poterit donum per
unum hominem Ieſum Chriſtum. concludit deinde: igitur ſicuti per unius
peccatum, &c. quæ fuit concluſio primùm propoſita. Et, quemadmodum
ſumma totius mali, quod contraximus ex Adam, fuit ex eo, quòd omnes in
eo peccauimus,& ideò multi ſunt conſtituti peccatores; ſic per obedientiam
unius hominis Ieſu Chriſti, iuſti conſtituuntur multi; illi ſcilicet qui renati
ſunt,& inhæſerint Chriſto per fidem & charitatem, quia ſcilicet in ipſo obe-
dierunt; & ita iuſtitia, ac propterea meritum Chriſti nobis applicatur.

B

CAPVT VI.

QVOD *enim mortuus eſt,peccato mortuus eſt ſemel; quod autem viuit, viuit
Deo.*]Reddit rationem,cur mors illi,ſcilicet Chriſto,vltra non do-
minabitur:quoniã,ſcilicet,ſemel mortuus eſt peccato;id eſt,ad de-
ſtruendum peccatum. Vnica etenim oblatione conſummauit in ſempiternũ
ſanctificatos ad Hebr. 10. Vel per peccatum intelligit corpus Chriſti morta-
le,in quo præfiguratur peccatum:nam mors peccatum ſequitor;& ideò Chri
ſtus habuit ſimilitudinem earnis, id eſt, carnẽ mortalẽ ſimilẽ carni peccatri-
ci.quod autẽ viuit,viuit Deo,id eſt,virtute diuina, ex qua corpus eius eſt im-
mortale,& impasſibile.Iccircò & nos,qui in baptiſmo mortui ſumus pecca-
C to,id eſt,vitæ peccatrici, viuamus Deo, id eſt, in ſpiritu Dei, quẽ accepimus;
per quẽ adipiſcemur etiam corporis immortalitatem. *Humanum dico propter
infirmitatem carnis veſtræ.*] Dicit ſe dicere humanum.Nam multò magis debe
mus ſeruire iuſtitiæ,quàm ſeruiuerimus peccato. *Stipendia enim peccati mors;
gratia autem Dei vita æterna, in Chriſto Ieſu domino noſtro.*] Notandum hîc, quod
innuit Apoſtolus; ex iuſtitia,peccato deberi mortem. (Nomen enim ſtipen-
dij uidetur hoc ſignificare); vitam autem æternam eſſe ex dono Dei gratuito.

CAPVT VII.

AN *ignoratis fratres(ſcientibus enim legẽ loquor.)quia lex in homine domina-
tur,&c.*] Senſus primæ partis huius capituli uidetur ſatis perplexus,
D explicari tamen cõmodè poteſt. inquit Apoſtolus, lex tandiu homi
ni dominatur,quandiu viuit,id eſt,vel homo,vel lex. Nam ſi moritur homo,
quis dubitat eũ nõ eſſe amplius ſub lege?Si etiã lex moritur,verbi gratia,ſi cõ
traria lege abrogaretur,uel conſuetudine diuturna;pariter homo amplius nõ
eſt ſub lege. Hoc quod dixerat,morte,inquam, tolli & auferri ſeruitutẽ legis,
probat exẽplo.Nã vir & mulier matrimonio coniuncti, alterque ſub alterius
lege & poteſtate conſtitutus,ſi mors alterius euenerit,alter,qui ſupereſt, ſol-
uitur à lege & poteſtate mortui; ac multò magis mortuus ſoluitur à poteſta-
te uiuentis.Hæc,quæ dixerat,applicat legi Moſaycæ & homini Chriſtiano;di
citque, quòd, donec viuebat vita contracta ab Adam, cui vitæ data fuit lex,
erat ſub ſeruitute legis; quia ſuberat maledicto legis, & non accepto ſpiri-

tui, & coactus legi parebat. Poſtquam uerò mortuus eſt legi, id eſt, carna- E
li vitæ, & inſertus Chriſto; non eſt amplius ſub lege, id eſt, ſub legis maledi-
cto, neque coactè obedit legi, immò ſponte & alacriter. Hic mihi uidetur eſſe
ſenſus huius primæ partis. *Quando eramus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per
legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.*] Apud Apo-
ſtolum, eſſe in carne, accipitur pro, eſſe ſub lege: non quod lex ſit carnalis,
immò ſpiritualis eſt: ſed nos quandiu ſumus ſub lege, non ſumus in ſpiritu,
ſed in carne. quoniam lex non poteſt viuificare nos, quamuis ſit ſpiritualis,
ut in Epiſtola ad Galatas dicitur, ſi data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, ex
lege eſſet iuſtitia. *Peccatum non noui, niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſcie-
bam, niſi lex diceret, non concupiſces.*] Ex hoc loco colligi poteſt apud Apoſto- F
lum, concupiſcentiam eſſe peccatum; ut tenuit Auguſtinus. *Occaſione au-
tem accepta per legem operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.*] Etenim niti-
mur in vetitum. *Ego autem viuebam ſine lege aliquando.*] Id eſt, iudicio meo
uiuebam, quia putabam me uiuere. *Veniente autem mandato peccatum reui-
xit. Ego autem mortuus ſum.*] Reuixit, ut ſuprà diximus. Ego autem mor-
tuus ſum, quoniam ſenſi me mortuum eſſe. Nam per legem cognitio pec-
cati. *Peccatum enim occaſionem accipiens per mandatum decepit me, & per ipſum
ſeduxit*] Quomodo decepit & ſeduxit? nimirum, puto, ut dicit Auguſti-
nus in libro 83. q. quoniam ſuperbia extulit hominem, ut putaret poſſe ſe
ſuis viribus ſeruare mandata: quo pacto ſunt decepti philoſophi & Iudæi.
Quod operor, non cognoſco non enim quòd uolo, bonum hoc ago, &c. vſque ad finem capi- G
tuli.] Auguſtinus primùm interpretatus eſt, dici hæc de homine nondum
reparato poſt lapſum, poſtea ſe retractauit, & uoluit dici de Paulo ipſo, &
de quouis ſancto viro. Meo iudicio ex literæ contextu, magis dicuntur hæc
de homine poſt lapſum, nondum reparato. poſſunt tamen ad vtrumque re-
ferri; vt, ſcilicet, ex morbo, qui naturæ inhæret noſtræ, etiam poſt reparatio-
nem, cognoſcamus detrimentum nobis illatum per peccatum, à cuius rea-
tu liberati ſumus, per gratiam Ieſu Chriſti.

CAPVT VIII.

NIHIL *ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecun-* H
dũ carnẽ ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.] Nõ eſt quippiam dãnatio-
nis; tum quoniam ſolutus eſt reatus peccati originalis; tũ etiã quo-
niã per virtutẽ gratiæ Chriſti non ſuperamur à peccato. *Nam quod impoſſibile
erat legi, in quo infirmabatur per carnem, mittens Deus filium ſuum in ſimilitudinem
carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, ut iuſtificatio legis impleretur in
nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.*] Dixerat, quòd
lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauerat eum à lege mortis: nam per fi-
dem in Chriſtum adipiſcimur ſpiritum ſanctum, qui nobis præſtat vitam
ſpiritus & ſanctificat, ſoluens reatum omnem, & ita liberat nos à lege mor-
tis, in quam incideramus per peccatum. Huius, quod dixerat, reddit rationẽ,
inqui-

A inquiens. Non quod erat impoſſibile legi, in quo infirmabatur per carnem. Iam ſupra diximus, quod lex, quamuis ſpiritualis eſſet, non poterat tamen viuificare; & ideo ij, qui erant ſub lege, erant in carne. Inquit ergo, id, quod lex nõ poterat præſtare, vt, ſcilicet, transferret nos à carne ad ſpiritum; Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, id eſt, in carnem mortalem, quæ erat ſimilis carni, in qua eſſet peccatum, pronitas ſcilicet ad malum, quia paſſibilis & mortalis; damnauit peccatum de peccato. In carne, id eſt, patiendo & tradendo morti carnem ſuam non peccatricem; damnauit peccatum de peccato, id eſt, abſtulit vim omnem peccato in nobis exiſtenti; ne ſcilicet faceret nos reos, & ſuperaret nos: & ſic iuſtificatio legis impleB tur in nobis, qui ſecundum ſpiritum ambulamus, non ſecundum carnem. Et ne quis putaret, ſe poſſe eſſe in Chriſto, & liberum à peccato, quamuis ambulet ſecundum carnem, addit omnia, quæ ſequuntur, ad deſtruendum hunc errorem, *Nam expectatio creaturæ releuationem filiorum Dei expectat, &c.*] Auguſtinus in libro 83. quæſtionum, exponit de corpore noſtro ea, quæ hîc Apoſtolus dicit de creatura, quod ſcilicet expectat liberari à mortalitate. Videtur hic ſenſus ſequi ex dictis paulò ante. Tamen ſi quis etiam adaptaret ad uniuerſam creaturam ſenſibilem, optimè, ut reor, quadraret etiam ſuperioribus. Explicat etenim, quàm magna ſit futura gloria, quam expectamus non rantùm ex nobis, ſed ex uniuerſa creatura ſenſibili. *Similiter ſpiritus coadiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ſpiritus inC tercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*] Supra dixerat dona nobis collata per ſpiritum, liberationem ſcilicet à ſeruitute peccati & ſpem gloriæ. Addit nunc & aliud beneficium, quòd, ſcilicet, in orationibus noſtris adiuuat infirmitatem noſtram, ex qua efficeretur ferè ſemper, ut nobis noxia peteremus. at ſpiritus habitans in nobis dirigit voluntatem noſtram in Deum, ut, ſcilicet, ſemper dicamus, ſaltem in corde, cùm oramus. Non tamen ſicuti ego volo, ſed ſicut tu: quam in nobis voluntatem, factam à ſpiritu, inſpicit Deus, qui eſt ſcrutator cordium. *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.*] Subdit, ut reor, quod orationes hæ directæ à ſpiritu ſemper exaudiuntur, ad ſanctorum, in quibus eſt ſpiritus, vtilitatem. Nam omnia, quæcunque illis accidunt, cooperantur ad bonum. & ita orationes ſpiD ritus pro ſanctis ſemper exaudiuntur. *Quos enim præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius: vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*] Hîc reddit rationem, & probat ijs, qui ſecundum propoſitum Dei vocati ſunt ſancti, omnia cooperari ad bonum. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit, id eſt, etiam prædeſtinauit. Prædeſtinatio etenim eſt ex Dei voluntate, quæ præexigit ſcientiam. Addit poſtea ea, quæ à Deo efficiuntur in utilitatem prædeſtinatorum, ut nullus relinquatur locus, ubi offendant. Et iccirco palàm eſt, omnia eis cooperari ad bonum. Egreditur poſtremò Paulus ad explicandum amorem ſuum erga Chriſtum; & quaſi ecſtaſim patitur.

CAPVT IX. B

OPTABAM *ego anathema eſſe pro fratribus meis.*] Nulli dubium eſſe
poteſt ex his,quæ dixerat Apoſtolus ſtatim ſuperiùs,quod innuit ſe
fuiſſe ita animo affectum , ut Moyſes , qui dixit Deo, dele me de li-
bro tuo, & parce huic populo,ne fortè dicant,callidè eduxit Deus eos ex Ae-
gypto. Ita hîc Paulus, ne uideretur uerbum Dei excidiſſe,promiſsionem ſci-
licet factam patribus Iudæorum ; optabat ipſe anathema eſſe à Chriſto. Sed
dubitationem facere poterit,cur dixerit,Optabam,& non dixerit,Opto.Puto
ego ob modeſtiam ſic fuiſſe locutum Apoſtolum : nã eſſe maioris perſectio-
nis eſt,quàm fuiſſe; Ideò inquit,Optabam:ac ſi diceret, memini me tali fuiſſe F
animo præditum; quòd longè minus eſt , quâm ſi diceret, tali nunc ſum ani-
mo præditus.*Non quod exciderit verbum Dei:non enim omnes,qui ex Iſrael ſunt, hi
ſunt Iſraelitæ,&c.* Supra dixerat,ſe optaſſe anathema eſſe pro patribus,&c. In-
nuit hoc loco,ob Dei amorem & honorem ſe hoc optaſſe;ne,ſcilicet,aliqui-
bus uideri poſſet , verbũ Dei excidiſſe in promiſsionibus factis populo Iſraë-
lis.Verùm,inquit,uideri poterat excidiſſe conſiderantibus tantùm carnis ori-
ginem ; ſed non excidit verbum Dei , quod referri debet ad filios promiſsio-
nis , quibus ſcilicet, promiſſum fuit ducentibus originem fidei & ſpiritus A-
braham . deinde hanc Dei electionem , filiorum ſcilicet , promiſsionis am-
pliat; ut oſtendat pendere ex Deo non ex operibus noſtris, nec ex origine car
nis. Nam & Iſmaël fuit filius Abrahæ ſecundum carnem, ad quem tamen nõ G
pertinuit promiſsio. Magis deinde rem coarctat, ut oſtendat, non fuiſſe pro-
miſsionis Dei verbum deſcendentibus ſecundum carnem factum. Nam ea-
dem mulier Rebecca , ex eodem viro Iſaac , & eodem concubitu , concepit
Eſau & Iacob : tamen antequam quicquam boni facerent aut mali , dictum
eſt , Iacob dilexi , Eſau autem odio habui ; ut totum ſit ex vocante & eligen-
te Deo . *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas eſt apud Deum?*] Reor ego totum
quod ſequitur , vſque ad eum locum ; O homo tu quis es , qui reſpondeas
Deo? pertinere ad dubitantem & quærentem,interpoſitis quibuſdam uerbis
reſpondentis Pauli, ut in familiari ſermone fieri ſolet . Inquit ergo quærens
& dubitans ; ſi ex vocante tantùm Deo eſt electio , quid dicemus ? nunquid
iniquitas eſt apud Deum? Abſit,inquit Paulus . Proſequitur ille,ut incœpe- H
rat . Moyſi enim dicit, miſerebor, cuius miſereor,&c. quæ ſequuntur vſque
ad eum locum. Dicis itaque mihi,quid adhuc quæritur?Quæ ſunt Pauli ver-
ba reſumentis dubitationem adductam . *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?*]
Hîc Paulus dubitationi propoſitæ reſpõdet ; & primùm increpans audaciam
quærentis.Non enim debemus ita impudenter rationem exigere à Deo ſuo-
rum operum, iuxta dictum ſapientis in Eccleſiaſtico:& in pluribus operibus
eius ne fueris curioſus. Deinde,meo iudicio,quæſtioni reſpondet ibi,quod ſi
Deus volens oſtendere iram,&c. Inquit ergo,nullum eſſe locum querelæ no
bis, immò bonitatem & longanimitatẽ Dei ſummopere laudare,qui in mul
ta patientia ſuſtinuit vaſa apta in interitum; Nã nõ ipſe aptauit ea in interitũ,
ſed

A ſed ipſa ſe aptarunt; tum ex originali peccato,tũ ex aliis additis,ut oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ,quæ præparauit in gloriam.Nã vtiq; præparaſſet vaſa iræ in gloriam,niſi obſtitiſſent ipſi;iuxta illud Pſalmi,Hodie ſi vocem eius audieritis,nolite obdurare corda veſtra.Subdit poſtea vaſa miſericordiæ eſſe illos,quos Deus elegit ex gentibus & ex Iudæis.Nam prophetæ etiam hoc prædixerunt, vocandos eſſe à Deo & ex gentibus, & ex Iudæis. *Quid dicemus? quod Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, &c.* In hac poſtrema huius capituli parte,Apoſtolus colligit ſummam totius rei;cur,ſcilicet,& gentes apprehenderint iuſtitiam; & maior pars populi Iſraëlitici exciderit à iuſtitia; & totam cauſam refert ad fidem, & iuſtitiam fidei, quam ſecutæ ſunt

B gentes,& Iſraël auerſus eſt, ſectando iuſtificari ex ſuis operibus.

CAPVT X.

IN hoc capitulo nihil aliud agit Paulus,niſi ut oſtendat ignorantiam Iudæorum,qui non peruenerunt in legem iuſtitiæ, ut ſupra dictum eſt: propterea quod æmulati ſunt Deum, non tamen ſecundũ ſcientiam. Nam volentes Deo placere ex ſua iuſtitia, id eſt, ex ſuis operibus,ut ſupra dixerat,noluerunt eſſe ſubiecti iuſtitiæ Dei,ut eius,ſcilicet,fierẽt compotes.quæ iuſtitia Dei eſt Chriſtus.Nam Chriſtus eſt finis legis ad iuſtitiam omni credenti. Hoc poſtmodum declarat ex eo, quod lex dicit, quòd qui fecerit ea,quæ lex dicit, uiuet in ea:& alibi: Maledictus, qui non permanet in verbis

C legis huius.Quamobrem,ut dicit Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas: Qui ſunt ſub lege,ſunt ſub maledicto.Adiungit poſtmodum,quid ſcriptura dicat de fide.quod,quomodo faciat ad propoſitum,dicam paulò pòſt. *Non dicas in corde tuo,quis adſcendet in cœlum, &c.*] Hoc eſt verbũ fidei quod prædicamus, ad quã fidem requiritur & actus interior,qui eſt,credere;& actus exterior qui eſt,cõfiteri. Vtriuſq; Apoſtolus meminit,& alterum alteri attribuit;vt tamen intelligendũ ſit, vtrũque debere vtriq; attribui. dicit enim, cùm dicat ſcriptura in Deuteronomio, quis adſcẽdet in cœlum? addit Paulus,hoc eſt Chriſtum deducere. aut quis deſcendit in abyſſum? addit Paulus,hoc eſt Chriſtum ab inferis reuocare. Nam uelle perſcrutari & intelligere, & incarnationẽ uerbi, qua deſcendit ad nos è cœlis,& reſurrectionem eius, qua ab inferis reſurrexit, eſt

D dementis & aberrantis. *Sed quid dicit ſcriptura? prope eſt verbum in ore tuo & in corde tuo.*] Hoc (inquit Apoſtolus) eſt verbum fidei quod prædicamus. *Nam, ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum.*]Ecce applicat confeſsionem articulo de incarnatione uerbi, quæ præſupponit fidẽ cordis. Nam qui profitetur Ieſum eſſe dominum Deum,profitetur uerbum fuiſſe incarnatum. ſequitur. *Et credideris, quòd Deus ſuſcitauit eum à mortuis, ſaluus eris.*] Ecce applicat alteri articulo de reſurrectione,qui pertinet ad eam partem ſcripturæ, aut quis deſcendet in abyſſum,quod eſt Chriſtum reuocare à mortuis. *ſaluus eris.* Vtrumque tamen oportet credere,& utrumque,cùm fuerit opus,confiteri ore. Subdit. *Nam corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.*] Nam iuſtificamur per fidem cordis; tamen non poſſumus per hanc cordis iuſtitiam peruenire ad ſa

lutem: immò à ſtultitia decidimus niſi ore cõfiteamur vtrumque, cùm opus E
fuerit. Nunc dicendum quo nam pacto dictum in Deuteronomio, in quo
Moyſes loquitur de præcepto & lege Dei, applicat Apoſtolus ad propoſitum
fidei, de qua agit. Puto ego noluiſſe Apoſtolum ex dicto Moyſis, cùm loqui-
tur de lege & mandato, adducere rationem; quaſi Moyſes eſſet locutus de fi-
de. Nam haberet contradictionem ab aduerſarijs manifeſtam; ſed uoluiſſe
vti auctoritate ſcripturæ ſecundum analogiam, & proportionem quandam;
ſicuti dixit Moyſes de mandato Dei, quòd non repetendum nec requiren-
dum erat, nec à cœlo, nec ab abysſis, ſed propè erat. Ita nos dicimus de cre-
dendis, & de fide. Poſſemus etiam dicere, quòd Moyſes illis uerbis innuerit,
credendum eſſe ſimplici ex corde mandato illi, nec quærenda vlla ratio: ſic F
nos de Chriſto dicere, & fide in eius incarnatione, & reſurrectione. Nam in
his duobus articulis alii omnes continentur. Conuertit deinde ſe Apoſtolus
ad Iudæos; & eos reprehendit, quòd uocati à Deo, contradixerint & reſtite-
rint. Id quod inquit etiam prophetatum fuiſſe in ſcripturis, ſicuti propheta-
tum fuit de conuerſione gentium. Hæc ferè eſt ſumma huius capitis.

CAPVT XI.

REPREHENSIS Iudæis, conuertit ſe Apoſtolus ad retundendam ar-
rogantiam gentium, quæ Iudæis inſultabant: oſtenditque Deũ non
repuliſſe Iudæos: primùm quidem, quantum ad electionẽ, id eſt, ad
eos, quos Deus elegerat ex Iudæis. Nam & ſe profitetur eſſe Iudæum, ex tri- G
bu Beniamin, &c. aitque id accidiſſe hoc tempore, quod contigit ſub Elia. Nã
tunc cùm putaret Elias ſe ſolum relictum, accepit tamen ex diuino reſponſo,
relicta eſſe ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal.
Sic etiam nunc Iudæi, qui crediderunt, electi ſunt à Deo. quamobrem innuit
nõ rectè gentes facere, ſi inſultarent Iudæis electis. Subdit poſtmodũ Apoſto-
lus, uniuerſæ Iudæorum genti, à Chriſtianis gentilibus non debere inſultari;
quoniam is populus primùm eſt à Deo electus, & ſanctificatus in eius patri-
bus, Abraham, Iſaac & Iacob. Nec propterea debere cõtemni arborẽ, quam-
uis quidam rami ex ea fracti ſunt; nam ob incredulitatem fracti ſunt. Tu autẽ
fide ſtas. multaque adducit in hanc ſententiam. Prodit deinde arcanũ quod-
dam & myſterium; quòd ſcilicet, poſtquam gentes intrauerint in Chriſtum, H
etiam Iſraël intrabit, & ſaluus fiet. Deſinit tandem in admirationem diuino-
rum operum & diuinæ ſapientiæ. Hæc eſt ſumma huius capituli. *Secundum
Euangelium quidem, inimici propter nos; ſecundum electionem autem, chariſſimi pro-
pter patres. ſine pœnitentia enim ſunt gratiæ (ſeu dona) & vocatio Dei.*] Locus hic
obſcurior eſt. Auguſtinus vult, alios ex Iudæis eſſe inimicos, & alios chariſ-
ſimos. Inimicos eos, qui non crediderunt, chariſſimos ſecundum electionẽ,
& eos qui crediderunt. Ego potius puto, vtrumque referri ad eũdem Iudæo-
rum populum; qui, ſcilicet, ſit & inimicus Dei, & chariſſimus. Inimicus qui-
dem, quia eo tempore nondum receperat Euangelium: ex quo contigerat ſa-
lus gentibus, conuerſis Apoſtolis ad prædicandum gentibus, ut in actis Apo-
ſtolorum.

A ſtolorum. Ideo hic dicit Apoſtolus, propter nos. Hic idem populus eſt Deo chariſſimus, ſecundum electionem propter patres; id eſt, quoniam eius patres electi ſunt à Deo. Nam Dei dona & vocatio ſunt ſine pœnitentia; id eſt, non reuocantur à Deo quaſi eum pœniteat ſe illos elegiſſe. *Concluſit Deus omnes in incredulitate, vt omnium miſereatur*] Ambroſius exponit incredulitatem, deſperationem; id eſt, ut ex experientia de ſe deſperantes, conuertantur ad miſericordiam Dei; & ſic omnium miſereatur, & Iudæorum & gentium: ſed magis ad textum uidetur facere, ſi infidelitatem intellexerimus, ſub qua Deus prius concluſerat gentes, nunc autem Iudæorum populum: ut tandem, vtriſque ad fidem conuerſis, omnium miſereatur.

B

CAPVT XII.

OBSECRO *itaque vos fratres per miſerationes Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, beneplacentem Deo, rationabilem latriã veſtram.*] Hoſtiam uiuentem, commodè dictum. Nam hoſtiæ ſolẽt occidi; Deus uerò exigit à nobis corpora noſtra hoſtias uiuentes, ſanctas, & Deo beneplacentes; ſic etenim viuentes hoſtiæ erunt. addit, rationabilem latriam ueſtram, ne quiſpiam putaret, uerum Dei cultum pertinere tantùm ad corpus, & ad exteriora; iccirco addit Cultum Deo deberi ſecundum rationẽ, id eſt, ſecundum ſpiritum, vbi viget ratio. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona beneplacens & perfecta*] Vt ſcilicet experiendo cognoſcatis, quæ ſit uoluntas

C Dei, id eſt, mandatum & conſilium Dei bonum perfectum & beneplacens, id eſt, in quo perſiſtentes boni eritis, Deo placentes, & perfecti. Hanc Dei voluntatem poſtmodum explicat; ut ſcilicet non altum ſapiant, ſed ſapiant ad ſobrietatem; id eſt, intra terminos eis à Deo præſcriptos, iuxta menſuram fidei; id eſt, iuxta menſuram, quam ad aſtruendam fidem acceperunt. *Siue prophetiam, ſecundum rationem, vel proportionem fidei.*] Duobus modis locus hic poteſt exponi, vel, ſcilicet, ut prophetent, id eſt, exponant myſteria & arcana ſecundum regulas fidei; ne, ſcilicet, indulgeant ingenio ſuo, & quippiam interpretentur non ſecundum regulam rectæ fidei, uel ſecundum analogiam fidei, auditorum inquam; vt ſcilicet, accommodent ſe capacitati auditorum.

CAPVT XIII.

D SVPERIORI capite præcepit Apoſtolus, qualis unuſquiſque Chriſtianus debeat eſſe, & quo ad Deum, & quo ad ſe ipſum; ne ſcilicet ſapiat plus quàm oportet: in hoc præcepit, qualis debeat eſſe erga proximum, quod etiam in fine præcedentis capitis tetigerat; ſed ea potius pertinent ad bonitatem quandam animi: Hæc uerò pertinent ad iuſtitiam; ut ſcilicet unicuique reddatur debitum.

CAPVT XIIII.

IN hoc capite nihil aliud agit Apoſtolus, niſi ut reprimat quorundam gentilium & Iudæorum fortem arrogantiam: qui inſultabant quibuſdam infirmioribus in fide, qui adhuc detineban-

tur in obſeruatione legalium; tum in delectu ciborum, tum etiam in E
diebus quibuſdam obſeruandis, ſabbato ſcilicet, neomenijs, & eiuſmodi
aliis. Hos contemnebant alii firmiores in fide, qui ſcilicet ſtabilierant cor
fide, non eſcis. Econtrà arguit hos ſuperſtitioſiores, qui condemnabant eos,
qui his obſeruantijs non detinebantur; dicitque iudicium non ad nos perti-
nere, ſed ad Deum, cuius ſerui ſumus. Inſuper, cauendum illis eſſe, ne præ-
beant occaſionem ſcandali proximo, ac omnia inquit, quæ fiunt contra fi-
dem, id eſt conſcientiam, quamuis in ſe bona ſint, mala tamen eſſe ei, qui ea
facit. *Manducans non manducantem non iudicet; Deus enim aſſumpſit.*] Innuit
his uerbis Apoſtolus, perfectiorem eſſe manducantem non manducante;
vtpote qui ſit aſſumptus à Deo. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? proprio* F
domino ſtat, aut cadit; ſtabit autem. potens eſt enim Dominus eum ſtatuere.] Hic
Apoſtolus conuertit ſe ad eos, qui firmiores in fide, contemnebant illos in-
firmiores, qui non manducabant; ac propterea etiam eos iudicabant & con-
demnabant, docens non pertinere ad eos hoc iudicium, ſed ad eorum Do-
minum, qui ſtatuet eos; id eſt firmiores in fide faciet. potens eſt enim hoc præ
ſtare. *Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur.*]
Pertinet iudicium de morte & uita noſtra ad Deum, non ad hominem. *In*
hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, vt viuorum dominetur & mortuorum.]
Multa poſſent ſubtiliter inueniri & dici; ego, craſſius intelligens, puto ſen-
ſum Apoſtoli fuiſſe, Chriſtum, eò quòd & mortuus eſt, & reſurrexit, meruiſ-
ſe, ut index eſſet vtrorumque; tanquam qui utrumque ſtatum expertus eſſet; G
non quidem peccatorum, ſed mortuorum: mors autem peccato debetur, &
per peccatum introiuit in mundum.

CAPVT XV.

EPILOGVM facit in hoc capite Apoſtolus omnium ferè, quæ dixe
rat. ſcopus etenim huius Epiſtolæ fuerat, remouere contentiones,
quæ fuerant ortæ inter Iudæos & Gentiles, qui in Chriſtū credide-
rant. ſenſim ergo ex his, quæ ſtatim ſupra dixerat, de obſeruatione ciborum
& dierum, inquit firmiores debere ſubſtinere, & ferre imbecillitates infirmo
rum, nec nobis ipſis placere. poſtmodum ſenſim, poſt controuerſias has de ci
borum & dierum obſeruatione, deſcendit ad præcipuam controuerſiam in- H
ter Iudæos & Gentiles exortam, hortans ut ſe inuicem ſuſcipiant ex charita-
te; concludens Chriſtum natum fuiſſe & uerſatum in Iudæa ob ſeruandas
promiſſiones factas à Deo patribus Iudæorum: quibus promiſerat Chriſtum
ex eorum ſemine naſciturum; ideoque fuiſſe miniſtrum Circuncißionis; gen
tes uerò, quibus nihil fuerat promiſſum, quamuis de earum uocatione fuerit
prophetatum, debere laudare miſericordiam Dei: quarum ſibi datum fuiſſe
miniſterium dicit; multaque addit de profectione ſua ad urbem. Hæc ferè eſt
ſumma. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit; ſed, ſicuti ſcriptū eſt, improperia exprobran-*
tium tibi ceciderunt ſuper me.] Is ſibi placet, qui non ſe accommodat alteri;
neque à rigore diſcedit, ut imbecillioribus ſe accommodet. Hoc minime fa-

ciendum

A ciendum eſſe monet Apoſtolus; ac Chriſti exemplo nós hortatur. Nam Chriſtus ſibi non placuit, ſed peccatoribus ſeſe accommodabat, ac cum illis prandebat; adeò, vt fuerit appellatus vini potator, & amicus Publicanorum & peccatorum. Hoc innuit ac dicit Apoſtolus, cùm inquit, improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. quoniam ea opprobria, quibus ſolemus afficere illos, qui Deo improperant, & aduerſantur, ceciderunt ſuper Chriſtum. *Vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*] Ille enim, qui ſe infirmiori accommodat, patientia vtitur: nã illius mores patitur contra genium ſuum. conſolationem uerò capit ex ſcripturis, ad medelam eius modeſtiæ, quam patitur; legens ita etiam vixiſſe Chriſtum. *Sanctificans Euan-*
B *gelium Dei.*] Phraſis Paulina, qua attribuit Euangelio id, quod in nobis efficit Euangelium. Nam per Euangelium ſanctificamur nos. *Repleuerim Euangelium Dei.*] Eadem ferè phraſis. nam gentes & nationes eas, quas memorat, repleuerat Apoſtolus Euangelio Dei.

CAPVT XVI.

EI autem qui potens eſt vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti; ſecundum reuelationem myſterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum eſt, & per ſcripturas Prophetarum, ſecundum præceptum æterni Dei, in obedientiam fidei, in cunctis gentibus cogniti; ſoli ſapienti Deo per
C *Ieſum Chriſtum, cui honor & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen. Et per ſcripturas Prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei, in obedientiam fidei, in cunctis gentibus cogniti.*] Videntur hæc contradicere his, quæ ſtatim dixerat ſuperius. quomodo namque fuit Euangelium occultum temporibus æternis, ſi per ſcripturas Prophetarum fuit cognitum? Puto Paulum velle Euangelium, cùm re proditum eſt, fuiſſe etiam cognitum per ſcripturas Prophetarum, quæ ante rem proditam non intelligebantur. Sic dicit Petrus, & habemus firmiorem Propheticum ſermonem. Sic in Euangelio, ſpiritus domini ſuper me: in actis Apoſtolorum, de Eunucho qui legebat Eſaiam prophetam. *Cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum.*] Puto ſubintelligi prius ſoli Deo gloria; deinde ſubdi, per Ieſum Chriſtum, cui etiam honor & gloria.

IN CAPVT PRIMVM AD CORINTHIOS.

ARGVMENTVM facile & obuium. nam primò gratias agit Deo de Corinthiorum profectu in Chriſto Ieſu; deinde arguit ſchiſmata, quæ eſſe inter eos audierat, ex immoderato affectu, quo doctorem quiſque ſuum aliis præferebat. *Cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, in omni loco ipſorum & noſtro.*] Quidam diuidunt particulam illam, in omni loco, ab ea quæ ſequitur, ipſorum & noſtro, & coniungunt hanc poſtremam ijs, quæ prius dixerat, Domini noſtri Ieſu Chriſti, domini inquam ipſorum & noſtri; ſic etenim in Græco. vel appellauit locum ipſorum, G
etiam ſuum; vtpote ab eo conſtitutum, & in quo ius habebat. *Secundum quod teſtimonium Ieſu Chriſti confirmatum eſt in nobis.*] Teſtimonium Chriſti, accipi poteſt actiuè & paſſiuè. paſſiuè uidelicet, quod de Chriſto afferimus fideles omnes: uel actiuè, quod Chriſtus perhibuit & de ſeipſo, & de Deo, & de mundo. ipſe namque miſſus fuit in mundum, ut teſtimonium afferret veritati, ut apud Ioannem legitur. *Fidelis Deus à quo vocati eſtis.*] Si fidelis, omnia bona, quæ pollicitus eſt nobis in Chriſto, proculdubio præſtabit. *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Chriſti: diuiſus eſt Chriſtus.*] Vel dicit Chriſtum diuiſum eſſe apud eos: quoniam, quaſi ab his doctoribus non idem Chriſtus fuerit prædicatus, inter ſe diſſident: uel, quoniam nonnulli inter ipſos erant, qui diuidebant & ſeparabant Chriſtum ab doctoribus, quaſi H
connumerandus eſſet cum illis, & in eorum eſſet ordine conſtitutus. *Quoniam enim in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum; placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.*] Alia deinde ſubdit in eundem ſenſum. Sapientiam Dei appellat Paulus cõſtitutionem mundi, eiuſque gubernationem; ex quibus omnes fatẽtur ſummam eſſe in Deo ſapientiam. ſtultum uerò Dei appellat Paulus, redemptionem humani generis per crucem. Hoc etenim myſterium Dei uidetur ſapientibus huius mundi ſtultitia. Inquit ergo Apoſtolus, quoniam mundus non cognouit Deum per ſapientiam, id eſt, ex mundi conſtitutione (non quod non nouerint; nam nouerant Deum, ut in Epiſtola ad Romanos dicit; ſed quoniam non glorificauerunt

vt

A ut Deũ, neqoe ſeſe ei ſubiecerint; dicuntur in hoc loco non nouiſſe Deum:)
placuit Deo ſaluos facere credentes per ſtultitiam prædicationis, id eſt, per
crucis prædicationem. Nam verbum erucis, pereuntibus ſtultitia eſt, id eſt,
non eredentibus; credentibus uerò, eſt Dei virtus, qua ſaluantur credentes.
Nos prædicamus Chriſtum crucifixum. Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam.] Gen-
tes, quibus Prophetæ & lex omnino ignoti erant, putabant Chriſti prædica-
tionem ſtultitiam quandam eſſe & meras ſabulas: Iudæi uerò, qui & de Meſ-
ſia venturo, & de multis alijs pertinentibns ad Chriſtum, ex ſcriptura edocti
erant, in Chriſto offenderunt. nam ex ſignis cogebantur credere; & ex mali-
tia & inuidia obcæcabantur; & ideo offenderunt. *Ex ipſo autem vos eſtis in*
B *Chriſto Ieſu; qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio:
vt, ſicut ſcriptum eſt, qui gloriatur, in domino glorietur.*] Supra Apoſtolus, quod
ſicuti Deus per ſtultitiam crucis uoluit ſanos ſacere credentes, non per ſa-
pientiam; ita etiam elegerat homines ignobiles, indoctos, contemptibiles, &
qui tanquam non ſint; ut confundat nobiles, doctos & diuites. ſubdit Chri-
ſtianos omnes natos eſſe ex Deo In Chriſto Ieſu, qui eſt ſapientia, iuſtitia,
ſanctificatio, & redemptio noſtra, quod ad duo poteſt referri; ſcilicet, quo-
niam ex Chriſto in nobis influxit ſapientia, & iuſtitia, & ſanctitas; nam de
plenitudine eius omnes accepimus. ſubinde poteſt etiam intelligi, quòd ſa-
pientia, & iuſtitia, & ſanctitas, quæ eſt in Chriſto, tanquam in capite, attri-
buitor à Deo nobis; ita ot qui gloriatur, non in ſe ipſo glorietur, id eſt, ob vir-
C tutes, quibus ipſe ſit præditus; ſed in domino, id eſt, in Chriſto, capite ſuo,
cuius virtutes membris impotantur. vel, ob virtutes glorietur, quas accepit
de plenitudine Chriſti, non autem ipſe comparauit.

CAPVT II.

NIHIL aliud agit Apoſtolus in capite hoc, quàm ut doceat ſe eãdem
regulam ſectatom fuiſſe, (vt ſcilicet putaret inter eos nihil ſcire, niſi
Ieſom crucifixum) quæ ſtultitia habetur & ſcandalum. neque elo-
quentia vlla vſum fuiſſe, ſed tantùm ſpiritũ oſtendiſſe, eiuſque uirtutem, ac ſa
pientiam abſcõditam inter perfectos oſtendiſſe, (Chriſtum ſcilicet) quam ſa-
pientes huius mundi non nouerunt. Nouerunt uerò hi, qui habent ſpiritum à
D Deo. Nã ſpiritus Dei ſcrutatur Dei ſecreta. itaq; hi, qui acceperũt ſpiritũ à
Deo, poſſunt etiã ea petcipere & ſcire, quæ à Deo ſint nobis donata, quæ ani-
malis homo nequaquã percipit; immò ſtultitia ſunt illi. *Teſtimonium Chriſti.*]
Supra expoſitum eſt hoc teſtimonium. *Et ſermo meus non in perſuaſibilibus hu-
manæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis.*] Sermo, quo Corin-
thiis vſus eſt Paulus, non ornatus aut compſus fuit, ſed accommodatus, vt eis
oſtenderetur ſpiritus Dei per Chriſtum & uirtutem eius. Nam miniſtri, ac
prædicatores uerbi tantùm oſtendunt: Deus aotem per fidem Chriſti intus
operatur, & ſpiritum infundit; & ſic fides noſtra nititur, non humana aucto-
ritate, ſed diuina. *Sapientiam verò, non huius mundi, neque principium huius mundi,
qui deſtruuntur.*] Deſtruuntur utique huius mondi ſapientes: quoniam Deus

ſtultam fecit eorum ſapientiam, qua putarunt ſe poſſe ad fœlicitatem perue- E
nire. *Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſti-
nauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.*] Sapientia hæc Dei, de qua loqui-
tur, uel Chriſtus eſt, qui ante ſæcula prædeſtinatus eſt, ut fieret homo in glo-
riam hominum & naturæ humanæ; uel in gloriam eorum, qui eum recepe-
runt. vel per ſapientiam Dei, intelligit hoc Dei arcanum conſilium, quod
ante ſæcula prædeſtinauit, id eſt decreuit, ut ſuis temporibus fieret. Hoc Dei
conſilium nullus Principum huius ſæculi nouit. *Si enim cognouiſſent, nunquam
Dominum gloriæ crucifixiſſent.*] Populus Iudæorum non cognouit Chriſtum.
Principes & ſcribæ cognouerunt eum eſſe Meſsiam, non tamen eſſe Deum;
quæ cæcitas eis contigit ob eorum ſuperbiam & inuidiam. *Quæ & loqui-* F
*mur in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiri-
tualia comparantes.*] Vnaquæque doctrina ſua habet verba, ſuamque oratio-
nem ipſi accommodatam. doctrina humana habet verba docta & oratio-
nem comptam; doctrina ſpiritus, cuiuſmodi eſt Chriſti doctrina, habet ora-
tionem incomptam, verba non admodum exquiſita; ut tota præ ſe ferat
ſimplicitatem quandam, quæ à doctis humana ſapientia negligatur. vſi er-
go ſumus, inquit Paulus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes; id eſt, accom
modantes rebus ſpiritualibus ſpiritualia uerba, & ſpiritualem orationem,
quæ incompta & ſimplex eſt; ſpiritualibus, ſcilicet, rebus. *Animalis homo non
percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia ſiquidem ſunt illi. Spiritualis autem &c.*]
Homo animalis non ſolum is dicitur, qui brutorum vitam agit, voluptati- G
bus mancipatus, ſed omnis is, qui non tranſcendit humanum lumen, & ſine
ſpiritu eſt. Hi in Pſalmo dicuntur filij hominum. *Spiritualis à nemine iudica-
tur, & ipſe iudicat omnia.*] Potentia inferior, non aſcendit ad ea iudicanda,
quæ pertinent ad ſuperiorem; ſuperior uerò & ſua & inferiora diſcernit. *Si-
cut ſcriptum eſt, quis cognouit ſenſum Domini? aut quis inſtruxit eum? Nos autem
ſenſum Chriſti habemus.*] Neceſſe eſt, ut is, qui aliquem intelligit, & ab eo di-
cta & facta, eundem ſenſum habeat cum eo, quem intelligit. Is ergo, qui in-
telligit facta & dicta à Deo, eundem habet ſenſum cum Deo; quem cùm
prius non habuerit, oportet, uel quòd fuerit inſtructus à Deo, uel Deum
ipſe inſtruxerit. inſtruere Deum nemo poteſt; oportet ergo ut ſit à Deo in-
ſtructus. Nos, inquit Apoſtolus, habemus ſenſum Chriſti, à Chriſto inſtru- H
cti: homo uerò animalis, non inſtructus à Chriſto, ſenſum Chriſti non ha-
bet; & ideò non poteſt intelligere.

CAPVT III.

SVPRA multa dixerat Paulus, quæ pertinent ad reprimendam homi
num elationē, qui putant ſe eſſe præ aliis ſapientes, oſtendens hanc
ſapientiam eſſe apud Deum ſtultitiam; ſicut econtrà ea, quæ habe-
tur ab hominibus ſtultitia, eſt apud Deum ſapiētia; immò Dei ſapientia, qua
vſus eſt ad ſalutem hominū. Hæc autem omnia eò tendunt, ut reprimat eorū
inſolentiam, qui auctores fuerunt ſciſmatum Corinthiorum; dum quiſque

A ſibi vſurpat nomen Magiſtri & principis ſuæ ſectæ. Hoc autem Paulus obli-
què facit, ne auctores illos nimis irritaret, ac ad diſcipulos ſe conuertit, eò
quòd unus infletur aduerſus alterum pro hominibus; quiſque ſcilicet pro
ſuo præceptore: oſtenditque Deum ſolum auctorem eſſe ſui profectus co-
gnoſcendum, eique omnia attribuenda, homines autem eſſe miniſtros Dei,
& diſpenſatores myſteriorum Dei; & tandem, & miniſtros hos, & omnia
eſſe ſua; id eſt, à Deo inſtituta & facta propter eorum vſum & vtilitatem; eos
uerò eſſe Chriſti; Chriſtum uerò Dei; ut omnes tandem ſint unum in Deo.
*Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis dedi in eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec
nunc quidem poteſtis.*] Innuit hoc in loco Apoſtolus, nondum eos, qui ſe ma-
B giſtros faciebant, & auctores erant ſchiſmatis, ſolidiorem eſcam guſtaſſe in
Chriſto; ſed tantum lac; ut paruuli; tamē uelle haberi magiſtros. *Dei adiutores
ſumus; Dei agricultura eſtis.*] Miniſtri ſunt adiutores, non quia dant virtutem
agenti; ſed ut inſtrumenta & organa. *Vt ſapiet; Architectus fundamentum po-
ſui, alius autem ſuperædificat, &c.*] Vt oratio conſequens ſit ſibi, oportet hunc lo
cum potius ad doctrinam referri, quàm ad opera; in hoc enim verſatur Pau-
lus. attamen docere, opus quoddam eſt doctoris, pro quo mercedem habitu-
rus eſt, uel detrimentum paſſurus: quod tamen detrimentum, ſi non deſtruxe
rit fundamentum, quod eſt Chriſtus, ſed ædificauerit ſuper fundamentum,
non ceſſurum eſt in illius perniciem, ſed ad operis deſtructionem. Ex quo
fiet, ut ipſe ſit ſaluus, ſic tamen quaſi per ignem. Ex hoc loco piè, & non abſq;
C ratione colligitur, proditum fuiſſe ab Apoſtolo ignem purgatorium. Verùm
fideli, (vt inquit Auguſtinus in libro de cura agenda pro mortuis) ſufficit Ec-
cleſiæ auctoritas, etiamſi nullus eſſet ſcripturæ locus de igne purgatorio. *Om-
nia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Caphas, ſiue Apollo, ſiue mundus, ſiue uita, ſiue mors,
ſiue præſentia, ſiue futura; omnia enim veſtra ſunt, Vos autem Chriſti, Chriſtus autem
Dei.*] Cùm finis præſtantior ſit illis, quæ ſunt ad finem; contra naturam eſt, ſi
quis glorietur in eo, qui eſt ſe inferior, nullus ergo in hominibus præceptori-
bus, Dei miniſtris glorietur: quia nobis ſeruiunt à Deo dati: ſic mundus no-
bis ſeruit, ſeruiunt uita & mors: nam ad utilitatem noſtram cedunt, Sic præ-
ſentia nobis ſeruiūt, etiam cùm tribulationes patimur. faciunt enim ad pro-
fectum noſtrum; ſic futura nobis parata ſunt, ut in ea uita fœlices ſimus. Nos
D autem Chriſti ſumus, quia illi ſeruimus; non autem ob illius utilitatem, ſicu-
ti cætera noſtra ſunt; ſed ut in illo ſimus, unum, & ut in nobis glorificetur.
Sic etiam Chriſtus eſt Dei, quia Deus clarificatur in ipſo, & per ipſum in no-
bis. Sicuti dicitur in Euangelio, pater clarifica filium tuum, vt & filius tuus
clarificet te. &c.

CAPVT IIII.

TOTIVS rei ac negotij, de quo inſtituerat agere Apoſtolus vſque ab initio, in hoc capite ſummam manum imponit; inquitque componendo ſe cū aliis, deberi omnes nos exiſtimari non auctores & Dominos, ſed miniſtros & diſpenſatores myſteriorum. In miniſtris uerò requiritur fidelitas. Is autem fidelis eſt miniſter, qui ſibi non vſurpat locum Domi-

 ni.

ni. Docet deinde ſe tranſtuliſſe omnia in ſe & Apollo; ne uideretur acrius il- E
los inceſſere, & de ſe altius ſentire. Ironia quadam deinceps vtitur, ac ſe do-
ctoribus illis Corinthiorum confert: poſtremò dicit ſe eorum charitate mo-
tum, mittere Timotheum diſcipulum chariſſimum, Corinthum. *Mihi au-*
tem pro minimo eſt, vt à uobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque me ipſum iudico;
nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem me iudicat Do-
minus eſt.] Sententia lata à non iudice, nihili eſt facienda. Cùm ergo ſolus
Deus ſit noſter iudex, aliorum hominum de nobis iudicium & condemna-
tio; noſtræ quoque ipſius conſcientiæ abſolutio, minimi facienda eſt. quan-
doquidem ad ſolum Deum iudicium de nobis pertineat. appellat humanum
diem, homines illuſtres, qui inter alios ſplendent ut dies quidam. *Quis enim* F
te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?] Diſcernuntur illi à populo, qui con-
ſtituuntur aliorum doctores & præceptores. Hoc autem Deus conſtituit, niſi
ipſi ſibi honorem aſſumant. quamobrem ea de cauſa, non debent quicquam
ſibi arrogare & inſoleſcere. *Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus om-*
nium peripſema.] Purgamenta ea dicuntur, in quibus ſordes colliguntur: ſimi-
liter peripſema, linteum eſt, quo corpus abſtergimus; ſignificans Apoſtolus
in ſe & labores, & maledicta, & iniurias omnes confluxiſſe tanquam ad ſen-
tinam & purgamēta. *Si decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto; ſed non mul-*
tos patres: nam per Euangelium ego vos genui.] Innuit hîc ſe meritò præferri debe
re à Corinthijs omnibus aliis eorum doctoribus; cùm ipſe ſit veluti pater, il-
li uerò tanquam pædagogi. ob eandem etiam cauſam innuit, & maiorem ſibi G
eorum curam deberi, quàm aliis. quamobrem dicit ſe eis miſſurum Timo-
theum. *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu lenitatis?*]
Hoc accommodandum eſt potius his, quæ dicturus eſt, quàm his, quæ ſupra
dixerat. Nam nimius uideretur Apoſtolus contra Doctores illos, iccircò
melius annectitur illis, quæ infra dicturus eſt de eo, qui duxerat, ſeu habebat
uxorem patris.

CAPVT II.

REM aliam Apoſtolus aggreditur, & ſumma per ſe nota eſt. Nam a-
criter reprehendit & incuſat Corinthium illum, qui habebat vxorē
patris ſui; nouercam inquam; eumq́; tradit Sathanæ, in interitū car H
nis, ut ſpiritus ſaluus fiat. nam excommunicatio eſt pœna medicinalis. demū
docet exercendam eſſe excommunicationem & iudicium contra fideles, &
eos qui ſunt in Eccleſia; non contra infideles, qui ad nos non pertinent. *Si is,*
qui frater nominatur, inter vos ſit fornicator aut auarus.] Notandum, quòd in Græ-
co Codice deeſt particula, ſit; & ideo intelligitur uerbū, nominatur, adaptari
his quæ ſequuntur. quamobrē bene adducitur hic textus, ad probandum con
uerſationem cum excōmunicatis non prohiberi, niſi fuerint pronunciati ex-
communicati. *Scripſi vobis in Epiſtola, non commiſceri fornicarijs, &c.*] Vel aliam,
uel hanc eandem Epiſtolam innuit, in qua hoc ſcribit; ut ſit quidam Hebraiſ-
mus. ecce prius excōmunicat fornicarium, deinde docet, cū fornicariis, &c.

non

A non eſſe conuerſandum; fornicariis inquam fratribus & nominatis fornicariis &c. id eſt, publicatis & pronunciatis.

CAPVT VI.

IN duobus taxat Corinthios Apoſtolus in hoc capite. primũ, quòd iudicia inter fratres exercebant ſub iudicibus infidelibus; deinde quod dabant operã ventri, ſub prætextu libertatis & licentiæ, quod non ſubijciebantur legibus ciborum & ventri. Hæc ſumma eſt. *Sæcularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum, ad verecundiam veſtram dico, &c.*] Appellat cõtemptibiles in Eccleſia per
B ironiam: quoniam illi qui ſub infidelibus litigabant, dicebãt imperitos Chriſtianos eſſe, ac præterea minus idoneos iudices. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. eſca ventri, & venter eſcis. Deus autem hunc & hanc deſtruet.*] Quoniam ab obſeruantia ciborũ in libertatem Chriſtiani uocati erant; quidam dabant ſe crapulæ. ob hanc libertatem dicit Apoſtolus, non debere nos ea omnia agere quæ licent, nulla habita ratione eius quod expedit; ſed quæ expediunt eligenda & faciẽda. Nec propterea quod quipiam licet, debemus nos in ſeruitutem tradere cupiditati; quam cupiditatem appellat ventrem, quæ addicta eſt & famulatur cibis. Hanc inquit ſimul cum cibis, id eſt ſuperfluis, in quã Deus deſtruet; quia vlciſcetur & puniet. Vel dicit eſſe deſtruendam ſimul cum cibis poſt reſurrectio-
C nem corporum. Modus loquendi eſt, quo vti ſolemus cum actionem, ſeu affectum aliquem volumus improbare; vt ſimul quoque faciamus mentionem obiecti illius affectus ſeu actionis. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.*] Simplex, vt reor, intelligentia; quoniam in fornicatione immunditiam quandã contrahit corpus, quod non contingit in aliis peccatis, vnde in lege veteri mundos legimus à mulieribus: hicque fermè eſt omnium gentium conſenſus.

CAPVT VII.

FACILIS eſt ſumma totius huius capituli. Nam ob incontinentiæ periculum conſilium dat, vt vnuſquiſque habeat propriam vxorẽ, & vnaquæque habeat proprium virũ. Si quis, aut ſi qua uerò habue
D rit virginitatis donũ, ſummopere laudat, quod virgo ſeu innupta perſeueret: & allicit homines ad virginitatem ex cõmodo. Nam præſentis vitæ neceſſitas, maritis & vxoribus multa affert incommoda. Vxorem non debere à viro ſeparari dicit eſſe præceptum Domini. Ipſe deinde conſilium dat fideli, qui copulatus ſit infideli, ne ab ea diſcedat: ac tandem ſuadet unicuique in ea manere uocatione, in qua uocatus eſt. Sic ſeruis & liberis ſuadet manere in ſua uocatione. poſtmodum ob breuitatem huius uitæ aſſerit pro nihilo habenda eſſe ea omnia, quæ habemus. & exiſtimare nos debemus, tanquam nihil eorum habeamus. repetit nonnulla, quæ dixerat de uirginibus & nuptis, ac ita definit. *Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro reconciliari.*] Auguſtinus, de adulterinis connubijs ad Pollentium, ex hoc loco deducit, quòd

etiam dimiſſa ob fornicationem à viro, non poteſt alteri nubere, neque vir aliam ducere. *In pace autem vocauit vos Dominus &c.*] Nam ſi, cum primùm vir aut mulier facta eſſet Chriſtiana, fieret diuortium matrimonij; multæ diſcordiæ orituræ fuiſſent: ideò cùm Dominus vocauerit nos in pace, illud con ſilium dat Apoſtolus. *Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini. Similiter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. pretio enim empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.*] Antithetis quibuſdam orationem ornat: ſimulque docet Chriſtianam libertatem & ſeruitutem. Nam qui uocatus eſt ſeruus exiſtens, parere domino non debet in his, quæ ſunt impietatis & vitioſitatis: nam ab ea ſeruitute liberatus eſt à Chriſto. Icircò Apoſtolus dicit, eum eſſe libertum Domini. Ecõtrà is, qui liber uocatus eſt, emptus à Chriſto factus eſt ſeruus Chriſti, ſicuti ſeruus iuſtitiæ. Icircò concludit, nolite fieri ſerui hominum, ea parte ſcilicet, qua eſtis liberati à peccato, & facti ſerui iuſtitiæ, ideſt, Chriſti. E F

CAPVT VIII.

INTER Corinthios Chriſti nomen profeſſos, quidam erãt, qui peritiores cæteris ſibi uidebantur. hi non abſtinebant ab eſu victimarũ, quæ fuerant immolatæ idolis; dicentes, & rectè, idolum nihil eſſe, quatenus, ſcilicet, idolũ eſt: ideoque victimas illas non infici, propterea quòd eſſent immolatæ idolis. Hos peritiores infirmi quidam & imperiti uidentes non abſtinere ab eſu talium uictimarum, putabant eos peritiores adhuc ue ne rari idola; & ideo ſcandalizabantur. Hos arguit Apoſtolus inquiens ſcientiã abſq; charitate inflare, ſed charitatem ædificare: docetque abſtinendum eſſe ab his, quibus frater ſcandalizatur, etiamſi nobis his uti liceat. ac concludit ſe non comeſturum nedum uictimas idolorum, ſed nec etiam ullam carnem in æternum; ne proximum & fratrem ſcandalizet. *De his, quæ idolis ſacrificantur, ſcimus quia omnes ſcientiam habemus. Scientia inflat, charitas ædificat.*] Apoſtolus ſe interſerit illis peritioribus; dicens ſe cum illis ſcire, quod bene intelligant victimas illas non eſſe infectas. ſed innuit ſe ab illis differre, quod ſciat ſcientiam inflare ſine charitate, charitatem uerò ædificare, ſcilicet & eum qui charitatem habet, & eius proximos. *Si quis autem putat ſe ſcire aliquid, nondum cognouit, quemadmodum oporteat ſcire. ſi quis autem diligit Deum, cognitus eſt à Deo.*] Duobus modis primum, quod dicit, exponi poteſt: uel ſcilicet, ut arguat imbecillitatem ſciẽtiæ noſtræ, ut ſit ſenſus, ille qui putat ſe quippiam ſcire, nondum nouit quid ſit ſcire, nã clara, certa, & ſtabilis cognitio rei, & eius principiorum, ſcientia eſt; quam hîc nõ habemus, præſertim rerum diuinarũ. Ignorat ergo quid ſit ſcire, & quomodo oporteat ſcire, ille qui putat ſe aliquid ſcire. Vel referendum eſt hoc, quod dicit, non ad ſcientiam, ſed ad modum, quo uti debemus noſtra ſcientia: quoniam ad ædificationem proximi ea eſt utendum. Ideò inquit, nondum ſcit, quemadmodum oporteat ſcire. Sequitur: qui autem diligit Deum, hic cognitus eſt à Deo. Meo iudicio, cognitus, hîc non ſignificat approbatus & dilectus, ſed ſignificat figura quadam dicendi Hebraica, in cognitionem adductus; id eſt is, qui charitatem habet & Deum diligit, docetur à Deo, quomodo oporteat ſcire; id eſt quomodo G H

oporteat

A oporteat nos vti ſcientia noſtra, quia ſcilicet ad proximi ædificationem. *Idolum nihil eſt in mundo.*] Quoniam Idolum figmentum eſt hominum; uel quia ſimulachrum eſt rei nullius, ſed confictæ ab hominibus: uel etiam quod numen illud, quod ei ab hominibus tribuitur, nihil eſt, ſed merum figmentum. Vnde etiam alibi Idolum appellatur in ſcriptura mendacium. *Nullus eſt Deus niſi vnus. Nam & ſi ſunt qui dicantur Dij, ſiquidem ſunt dij multi, & domini multi; nobis tamen unus eſt Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia & nos per illum; ſed non in omnibus eſt ſcientia.*] Deus non poteſt eſſe niſi unus: opinio tamen hominum confinxit Deos multos, & dominos multos; ſed Chriſtianis unus eſt Deus pater, ex

B quo omnia, ut dicit Auguſtinus & Hilarius. Vnitas eſt in patre, & Trinitas una eſt propter patrem. Iccircò de patre mentionem facit, ex quo eſt omnis creatura per creationem; non excludendo filium & ſanctum ſpiritum: ſed & Filius & Spiritus ſanctus eſt à patre per originem; & à patre habent, quod ſunt, principium creaturæ. ideo ex patre ſunt omnia, & nos in illo. Deus non tantùm eſt efficiens omnium cauſa, ex qua ſunt omnia, ſed etiam eſt cauſa finalis omnium. ideo ſubdit Apoſtolus, & nos iu illo: Chriſtus uerò eſt uerbum Dei, & eius ars, per quam facta ſunt omuia, & nos ſumus inſtaurati & reformati. Hæc eſt ueritas, & Chriſtianis notiſſima; non tamen omnes idiotæ hanc ſcientiam firmam habent. *Eſca nos non commendat Deo, neque enim ſi manducauerimus, abundabimus: neque ſi non manducauerimus, deficiemus.*]

C Oſtendit Apoſtolus ab indifferentibus omnino abſtinendum eſſe, ob vitandum ſcandalum proximi. *Aedificabitur ad manducandum idolothyta.*] Hoc pacto ædificabitur, quia putabit in dolo numen eſſe: & ideo cum veneratione eius numinis idolothyta manducabit; & ſic labetur in idolatriam. *Peccantes in fratres, & percutientes eorum conſcientiam, peccatis in Chriſtum.*] Nam fratres ſunt membra Chriſti; vnuſquе eſt Chriſtus cum Eccleſia. ideo qui in fratres peccat, peccat in Chriſtum. ſic in Euangelio, Quod uni ex iſtis minimis feciſtis, mihi feciſtis.

CAPVT IX.

D LONGAM digreſſionem Apoſtolus facit, ut id, quod dixerat, communiat ſui exemplo; abſtinendum ſcilicet etiam eſſe ab his quæ licent, ne ſcandalizetur proximus; aut etiam, ut magis ædificetur. Habebat poteſtatem Apoſtolus, officij ſui ratione, & victum petere ab his quibus Euangelium prædicabat; & ſororem mulierem circumducendi, quæ ei inſeruiret, ut alii Apoſtoli: abſtinebat tamen ab omni huius poteſtatis vſu, propter Euangelium; id eſt, ut omnes magis ædificarentur, ac facilius allicerentur ad Euangelium. immò ſubdit ſeſe omnibus accommodaſſe, ut omnes lucrifaceret. Hæc ſumma eſt. *Etſi alijs non ſum Apoſtolus, vobis ſum. nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.*] Supra dixerat ſe genuiſſe Corinthios in Euangelio, ſeque eſſe eorum patrem, alios uerò pædagogos. idem

nunc repetit; dicitque, quamuis aliis non eſſet Apoſtolus, eſſe tamen ſe Apoſtolum Corinthijs, quos genuerat in Euangelio; & illos eſſe ſignaculum ſui Apoſtolatus. translatione vtitur: Nam ſicuti priuilegium munitur ſignaculo Principis; ita actio & poteſtas cauſæ, ex effectu dignoſcitur. Cùm ergo Apoſtolus genuiſſet in Euangelio Corinthios; Corinthij vtique erant veluti ſignaculum ſui Apoſtolatus. *Mea defenſio apud eos qui me interrogant, hæc eſt, &c.*] Defenſionem hîc dicit reſponſionem, ad eos, ſcilicet, qui ab illo inquirebant rationem vitæ, quam agebat. *Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtique dicit?*] Deus vniuerſorum prouidentiam habet, prout eorum naturæ competit. in ſcriptura tamen edenda, tantùm hominum curā habuit & prouidentiam; non boum & brutorum animalium, ad quæ ſcripturam non inſtituit. *Nam & ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria. Neceſſitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: Si autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium Chriſti: vt non abutar poteſtate mea in Euangelio.*] Sententia clara eſt. Nam inquit, cùm ſibi mandatum à Domino fuerit, vt Euangelium prædicet; neceſſariò ſibi eſſe hoc munus obeundum; nec ob hoc, quod mandato Dei obediat, vllam ſibi gloriam, vllam've ampliorem mercedem aliis deberi; ſed ſi hoc faciat ſine ſumptu & impenſa eorum, quibus prædicat, quod non cogitur ex mandato Chriſti præſtare; ex hoc ſibi gloriam & præ aliis mercedem deberi. ideoque ſemper ſe eam regulam ſeruaturum. Verba nonnulla difficilia; vt ſi volens fecero, ſi autem inuitus:quæ debent accipi in hunc ſenſum,vt volens dicatur ea facere, quæ hilari & prompto animo, non tantùm ex mandato & debito, ſed etiam ex charitate Dei & proximi: Inuitus verò, cùm tantùm ex mandato & debito quaſi coactus agat. quod etiam addit, vt non abutar poteſtate mea in Euangelio; notandum quod apud Apoſtolum, etiam is, qui ſeruat mandatum, ſi non dirigat actionem ſuam ad charitatem proximi, ita quòd non vitat ſcandalum, & omne illud quod impedit profectum, dicitur poteſtate abuti. *His qui ſub lege ſunt, quaſi eſſem ſub lege &c. his qui ſine lege erant, tanquam eſſem ſine lege: cum ſine lege non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti.*] Hoc in loco Apoſtolus,qui ſui exemplum aliis proponebat, pergit oſtendere,quantoperè omnes ſuas actiones dirigebat ad charitatem proximi, & ad cuiuſque profectum & ædificationem. ac propterea inquit ſeſe accommodaſſe Iudæis,ſeruādo eorum cæremonias, quæ nōdum factæ erant mortiferæ; vt eos lucrifaceret & inuitaret ad Chriſtum: ſic ſeſe accommodaſſe gentilibus ſeruando eorum conſuetudines non improbas, ac ſi ſub nulla lege eſſet; vt gentiles lucrifaceret.Per parentheſim autem interponit,ſe tamen eſſe ſub lege Dei & Chriſti,quod poſitum eſt ad remouendam obiectionem & calumniam;ne ſcilicet ex his verbis aliquis obijceret Apoſtolum eſſe exlegem: ſicuti hi, qui putant mundum à caſu gubernari; & nullum eſſe Deum, ideo per parentheſim ea verba interponit, Dicit etiam ſe factum fuiſſe infirmatum cum infirmis, his ſcilicet, de quibus mentionem fecit in Epiſt. ad Romanos, & paulò ſupra; qui,

A qui,ſcilicet,adhuc detinebantur obſeruantijs legalibus. *Omnia autem facio pro-
pter Euangelium, vt particeps eius efficiar.*] Cupit fieri Apoſtolus particeps Euan
gelij, non ut doceatur ipſe ab alijs, ſed ut alios doceat, & participes efficiat
Euangelij. hebraîſmus enim eſt. vel cupit fieri particeps præmij promiſſi in
Euangelio; ad quem ſenſum quæ ſubdit, videntur poſſe rectè accommodari.

CAPVT X.

PROSEQVITVR Apoſtolns id,quod cœperat; ac inquit,non ſuffi
cit induiſſe Chriſtum,& baptizatum eſſe; verùm oportet in vita be-
nè agere,& legitimè pugnare, necubi offendere. Nã & patres noſtri
B omnes fuerunt ſub nube & in mari,ac ſub Moyſe baptizati.nihilominus ple-
rique eorum omnes non fuerunt Deo accepti,ſed perierunt in deſerto. Eorũ
autem actiones & euentus, figuræ quædam fuerunt rerum noſtrarum, & no-
ſtri, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Paùlatim poſtmodùm Apoſtolus
redit unde ſuerat digreſſus, ac inquit, omnia fieri debere à nobis in ædifica-
tionem,& vitanda eſſe ſcandala. Proſequitur deinde de eſu victimarum ido-
lorum,ac primò,ut reor ego,increpat Chriſtianos,qui comedebant in idolio
idolothyta,aitq́ue illos fieri participes Dæmoniorum; quoniã edunt in ido-
lio ea,quæ ſunt Dæmonijs immolata. Deinde inſtruit eos, qui non comede-
bant in idolio, ſed uel eas emebant in macello, vel inuitati à gẽtilibus eas car
nes comedebant; ut in textu patet. Poſtremo in calce,quaſi aliud agens, con-
C uertit ſe ad eos, qui ſcandalizabantur, cùm uidebant Chriſtianos doctos co-
medere idolothyta; oſtendens eos ſcandalizari non debere, eò quod proxi-
mus ea edat,gratias tamen agat Deo; cuius ea animalia factura ſunt,creata in
vſum hominis. Hæc eſt ſumma. *Omnes ſub Moyſe in nube baptiZati ſunt & in
mari.*] Plura baptiſmatum genera connumerat Damaſcenus in quarto libro:
inter quæ etiam hæc: quæ non uerum baptiſma ſunt,ſed ueri baptiſmatis figu
ræ. *Non poteſtis fieri participes calicis domini, & calicis dæmoniorum.*] Pars hæc ad
eos pertinet, qui recumbebant in idolio, ac fiebant participes eorum ſacro-
rum. *An dominum æmulamur? an fortiores illo ſumus?*] Sæpe in Pſalmis dicit Da-
uid,eos qui ex Iudæis ſeruiunt idolis,prouocare dominum ad æmulationem
& ad zelum,conſtituentes illi veluti riuales alios Deos. fortiorem is uidetur
D ſe facere Deo,qui Deum negligit,eumq́ue offendere non veretur. *Omne quod
in macello venit, manducante.*] Hîc alia pars incipit,in qua admonet eos,qui ve-
ſcebantur idolothytis,vel domi ſuæ,vel apud gentiles, à quibus inuitabantur
ad prandium ſeu cœnam. *Vt quid enim libertas mea iudicatur à conſcientia alie-
na?*] In hac poſtrema parte callidè & argutè vertit ſe ad eos reprehendendos,
qui infimi erant, & ſcandalizabantur de eſu idolothytorum.

CAPVT XI.

HVIVS capitis principiũ eſt annexũ præcedẽtibus. Chriſtus ſe omni
bus accõmodauit,ſicuti in Epiſtola ad Romanos inquit Apoſtolus,
quẽ imitari ſe dicit. Iure ergo hortat Corĩthios,ut imitent ſe. Laudat

deinde quod meminiſſent ipſius traditionum; quas ſaltem nonnulli eorum E
meminerant & ſeruabant. Præcipit poſtmodùm mulieribus, ut orent, & prophetent velato capite. Demũ eos reprehendit, quòd non conuenirent ad cœnam domini, ut par eſt & decet. Hæc ſumma. *Caput mulieris vir, caput viri Chriſtus; caput Chriſti Deus.*] Caput, principium eſt, & id, à quo ea, quorum eſt caput, diriguntur. Hic ergo eſt uerus & rectus ordo, vt vir dirigat mulierem; virum Chriſtus; Chriſtum Deus. Iccircò, cùm vir nõ habeat ſupra ſe terrenam poteſtatem, ut liber, non debet caput velare. Econtrà mulier, cùm ſit ſub viri poteſtate, debet uelare caput in ſignum ſubiectionis. Multa Auguſtinus in 12. de Trinitate. *Vir imago & gloria Dei.*] Non propterea hoc dicitur, quod mulier non ſit etiam ipſa ſecundùm mentem facta ad imaginem Dei, in qua F
non differunt vir & mulier. Sed quoniam, ſicuti Deus eſt principium & finis totius creaturæ; ita vir eſt principium mulieris, ex quo facta eſt mulier; & eſt etiam finis, quia propter virum facta eſt mulier, non propter mulierem vir.

CAPVT XII.

CVM Apoſtolus in initio Epiſtolæ arguiſſet Corinthios ob ſchiſmata, quæ erant inter eos, ob æmulationem præceptorum & doctorũ; ac poſtea quædam alia in eis reſpondiſſet, ac benignè eos admonuiſſet: in hoc capite iterum admonet eos, vt caueãt zelum, & æmulationem, qua laborabant ob dona ſpiritus ſancti. Vnuſquiſque etenim donum ſibi datum aliis præferebat. Hoc Apoſtolus arguit, docens omnia dona neceſſaria eſſe ad G
perfectionem corporis huius myſtici, quod eſt Eccleſia: idq; mirificè probat ex comparatione humani corporis, ſeu cuiuſuis animalis. Verùm, quoniam tota Chriſtiani hominis perfectio conſiſtit in fide, & charitate, in exordio huius capitis oſtendit differentiam inter Chriſtianum habentem ſpiritum ſanctum, & eum qui ſpiritum ſanctum non habet; ex confeſſione ſcilicet diuinitatis Chriſti. Confeſſio etenim eſt poſterior actus fidei, prior uerò credere: ut in Epiſtola ad Romanos. in ſequenti uerò capitulo aget de charitate. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem dominus: diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.*] Aptè ſingula ſingulis accommodauit Apoſtolus. Nam, cùm primum donum Dei ſit ſpiritus; reliqua dona & gratiæ à ſpiritu pendent. Miniſtri, & miniſtrationes ad dominum referuntur: operationes uerò ad primam omnium cauſam, quæ operatur in omnibus. vſque modo pater meus operatur, & ego operor, apud Ioannem. Vnus tamen atque idem Deus eſt, dominus & ſpiritus, H
ſed diſtinctio hæc eſt ſecundum rationem & effectus diuerſos. *Alij ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſeu cognitionis, alij fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutem.*] Quoniam ſancti doctores, & S. Thomas in prima ſecundæ, de gratijs gratis datis, has gratias optimè diſtinguunt; vnum tantùm admonebo, quod S. Thomas notat, per fidem hoc loco intelligi, non illam, qua quis efficitur Chriſtianus; ſed certiorem quandam & clariorem euidentiam. Item gratiam virtutum differre à gratia ſanitatum; quòd

A ſanitates & curationes fiunt ex miraculis,quæ fiunt ad hominis utilitatem:uirtutes oerò miracula fiunt circa res naturales alias ab homine. *Omnia corporis membra cùm ſint multa,unum tamen corpus ſunt:ita eſt Chriſtus.*]Notandum,quòd Eccleſiam totam, & hoc corpus myſticum appellat nomine Chriſti. idem etenim corpus eſt caput cum membris. *Sed multò magis, quæ putantur membra corporis infirmiora eſſe,neceſſariora ſunt: & quæ ignobiliora putamus, abundantiorem his honorem circundamus.*]Notandum hoc loco,quòd Apoſtolus tacitè arguit illos, quibus uidebantur datæ gratiæ potiores; ne ſcilicet, ob eam cauſam ſe extollerent & aliis præferrent: immò putarent ſe membra eſſe infirmiora & ignobiliora; & ideo maiorem ſibi honorem tribui *Aemulamini chariſmata meliora,* B *& adhuc excellentiorem vobis viam demonſtro.*]Statuit primò,de quo poſterius aget, præferens donum prophetiæ & interpretationis, dono linguarum; & concludit id,in quo eſt ſumma omnium donorum, charitatem.

CAPVT XIII.

IN toto hoc capite,ut patet legenti,nihil aliud agit Apoſtolus, quàm ut extollat charitatem.Nam,ſicuti ſuprà diximus, Chriſtiani hominis uita fide cõſtat & charitate: ſed per fidem uenitur ad charitatem, per quam ſpiritus ſanctus habitat in nobis. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.*] Fidem hoc loco quidã interpretantur,gratiam miraculorum, ad fidei confirmationẽ. *Charitas non æmulatur,non agit perperam.*] Perperã agit, C qui inconſideratè agit,nulloque ſibi fine conſtituto.Charitas uerò ſemper in Deum tendit, tanquam in finem, propter quem agit omnia; & ideò non agit perperam. *Nunc cognoſco ex parte, tunc cognoſcam, ſicuti & cognitus ſum.*]Similitudo hæc non eſt commoda:nã Deus perfectius nos cognoſcit,ac comprehendit, quàm nos ſimus Deum cognituri. Sed in eo ſimilitudo eſt, quod ſicuti cogniti ſumus abſq; ullo medio à Deo, ita Deum ſine medio cognoſcemus.

CAPVT XIIII.

IN hoc capite Apoſtolus, cùm declaraſſet uiro Chriſtiano potiſſimũ incumbendũ eſſe charitati, in qua omnis rei ſumma conſiſteret; accedit ad gratias datas gratis,ad Eccleſiæ ædificationem.Et quoniam D Corinthij magni faciebant donum linguarum, ipſe præfert donũ prophetiæ & interpretationis,dono linguarum; idque multis argumentis conatur oſtẽdere.Prophetiæ donum hic dicitur,quo arcanus & myſticus ſenſus ſcripturæ intelligitur,& exponitur Eccleſiæ. interpretationis donũ refertur ad ſenſum literæ. *Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat:qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat.*] Is qui lingua loquitur, uel intelligit quid dicat, uel non intelligit. ſi intelligit,nec tamen habet donum interpretãdi; quia fortaſſe ineptus eſt,nec ſcit explicandi rationem, & ideò non interpretatur; ſeipſum utique ædificat; non Eccleſiam,quæ non intelligit quæ dicit ille. Si non intelligit; ſeipſum etiam ædificat ex deuotione & motu interiori ſpiritus; ſciẽs ſe laudare Deum & orare; quamuis non intelligat in particulari quid oret, & quas laudes proferat.

ſerat. Sic in Epiſtola ad Romanos,neſcimus quid oremus,ſed ſpiritus inter- B
pellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Quid vobis prodero, niſi loquar vo-*
bis,aut in reuelatione,aut in ſcientia, aut in prophetia,aut in doctrina.] Satis difficile
eſt quatuor hæc diſtinguere. Reuelatio eſt à Deo. ſcientia eorum quæ antea
ſciebamus, nec noua reuelatione nobis innoteſcunt. prophetia eſt ſenſus my
ſtici. doctrina,ut reor, eſt, cùm quis non interpretatur aliena, ſed ex ſuo pro-
fert;& docet,ea præſertim,ut puto,quæ pertinent ad mores. *Si orem lingua,ſpi*
ritus meus orat,mens autem ſine fructu eſt.] Hîc vtique de his loquitur Apoſtolus,
qui nõ intelligunt id,quod pronunciant:nam à ſpiritu impelluntur,vt orent,
cùm tamen ſpeciatim non intelligant quid dicant. mens vacat fructu; quia
non intendit in ea,quæ proferuntur, cùm non intelligat. Neque etiam poteſt F
ea exponere Eccleſiæ; & iccircò etiam fructu vacat, in aliis ſcilicet, id eſt, in
Eccleſia,quam non ædificat. *Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli*
eſtote.] Is puer eſt ſenſibus,qui non intelligit,quæ pronunciat,ut pueri ſolent.
Itaque linguæ in ſignum ſunt,non fidelibus, ſed infidelibus: Prophetia autem,non infide
libus, ſed fidelibus. Si ergo conueniat Eccleſia tota in vnum, & omnes linguis loquan-
tur, intrent autem idiotæ aut infideles, non'ne dicent quòd inſanitis? Si autem omnes
prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur
ab omnibus.] Videtur Apoſtolus ſibi in paucis his verbis contradicere. nam,
cùm primùm dixiſſet linguas eſſe in ſignum non fidelibus, ſed infidelibus;po
ſtea dicit, quod ſi introierit infidelis, & audiat vos loquentes linguis, vtique
dicet quod inſanitis. ideò locus prior exponendus eſt, vt, per ſignum, intel- G
ligat ſignum perditionis & condemnationis infidelis obſtinati, quem Deus
non putat dignum, ut audiat ſermonis ſui interpretationem. poſtmodum
autem loquitur de infideli non pertinaci, ſed qui futurus ſit fidelis per ver-
bum Dei intellectum: ideò ſubdit, quod occulta cordis eius manifeſta fiunt;
& ita cadens in faciem adorabit Deum, dicens, quod Deus in nobis eſt. Oc-
culta cordis, ut reor, appellat Apoſtolus, occultos ſtimulos cordis immiſſos
à Deo,qui per uerbum excitantur,& foras procedunt. *An à vobis proceſſit ſer-*
mo Dei? aut in vos ſolos peruenit?] Auctores cuiuſpiam rei maiorem fidem me-
rentur, quàm alij, qui eos ſunt ſecuti. illi etiam apud quod ſolos eſt res quæ-
piam maioris ſunt auctoritatis:quibus alij cedere debeant. *Si quis autem igno-*
rat, ignoret, aut ignoretur.] Is dicitur ignorare ab Apoſtolo, qui in ſua ignoran- H
tia eſt pertinax.talis ergo,quoniam ita vult,ignoret, id eſt,perſeueret in ſua il
la ignorantia:aut ignoretur,id eſt,à nobis habendus eſt vt ignotus & alienus.

CAPVT XV.

HVIVS capitis argumentum facile eſt,& in promptu.Nã Apoſtolus
agit de mortuorũ reſurrectione.Etenim nõnulli pſeudoapoſtoli,co
nati erant perſuadere Corinthijs,falſam eſſe mortuorũ reſurrectio-
nẽ. Hos acriter arguit Apoſtolus,inquiens;cùm eadem ſit ratio capitis & cor
poris;ſi hi qui pertinent ad corpus Chriſti,non reſurgunt,neque Chriſtus re-
ſurrexit:quod ſi Chriſtus nõ reſurrexit,deſtructa eſt prædicatio fidei in Chri-
ſtum.

A ſtum. Nam & falſa teſtati ſumus nos, qui prædicauimus Chriſtum reſurre-
xiſſe. deinde ſpes noſtra omnino inanis eſt. Etenim in hac uita mortali addi-
cti ſumus uariis tribulationibus & anguſtijs; ſi poſt hanc uitam nihil ſpera-
mus, miſeri magis ſumus, quàm quipiam alij homines. Poſtea multa differit
de reſurrectione; quæ patebũt clarius infra. *Notum vobis facio Euangelium, &c. qua ratione prædicauerim vobis ſi tenetis: niſi fruſtra credidiſtis.*] In principio in-
quit, ſe uelle illis in memoriam reuocare Euangelium quod prædicauerat;
deinde ut eos faceret attentiores, ſummis effert laudibus hoc Euangelium;
dicens, quod in illo ſtant; ne ſcilicet cadant, &, per quod ſaluantur. ſubdit
poſtmodum, ſi tenetis qua ratione prædicauerim vobis; ac ſi diceret, niſi ob-
B liti penitùs eſtis, nam longiore præceptore indigeretis. addit deinde, niſi fru-
ſtra credidiſtis: hoc ad duo poteſt referri; ad obliuionem, ſcilicet Euangelij:
nam fruſtra eo prædicante credidiſſent, ſi poſtmodum obliti eſſent: uel ad re-
ſurrectionem mortuorum, quam pſeudoapoſtoli dicebant non eſſe. Nam ſi
ita eſſet, ut infrà dicet, inanis eſt fides noſtra; quia ex ea nihil nobis eſt ſperan-
dum. *Tradidi enim vobis quod & accepi.*] Vt reor dicit Apoſtolus ſe accepiſſe,
non quidem ab aliquo homine, ſed à Deo, & per reuelationem Dei. *Si au-
tem Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?*] Vt in præfatione diximus, eadem eſt
ratio capitis & corporis. *Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: ad-
huc enim eſtis in peccatis.*] Mors intrauit in mundum per peccatum, ut in Epi-
C ſtola ad Romanos inquit Apoſtolus; ex quo arguit peccatũm perueniſſe ad
omnes: quia mors peruenit ad omnes. Sic econtra hîc argumentatur: ſi reſur
rectio mortuorum non eſt, & Chriſtus non reſurrexit: ergo non deſtruxit
mortem. quod ſi mortem non deſtruxit; neque deſtruxit peccatum. Sumus
ergo adhuc in peccatis; & qui in Chriſto ſunt mortui, perierunt. *Vnuſquiſque
in ſuo ordine. Primitiæ Chriſtus; deinde hi qui ſunt Chriſti, qui in aduentum eius ſpe-
rauerunt. deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & patri: cùm euacuauerit omnem
principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponat om-
nes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſimè autem inimica deſtruetur mors.*] Exponit A-
poſtolus ordinem, quo genus humanum, hi, ſcilicet, qui pertinent ad Chri-
ſtum, peruenturi ſint ad uitam, deſtructa morte. Primùm inquit, uita ad Chri
D ſtum pertinet; qui uita eſt, ut uerbum Dei, ut homo plenus gratia, nulli pec-
cato obnoxius: deinde primus etiam reſurrexit ad uitam omnino immorta-
lem. Deinde uiuificatio hæc contigit, & continget his, qui ſunt Chriſti; qui
prius incipiunt uiuere in Chriſto, vita animæ & ſpiritus viuificati per ipſum;
deinde reſurgent ad ueram corporis immortalitatem, ut Chriſtus. Sed de hac
reſurrectione ſpeciatim in poſtremis uerbis mentionem facit. Interponit au
tem, poſtea finis cùm tradiderit regnum Deo & patri: quoniam reſurrectio
corporum futura eſt in fine ſæculi, & omnium ſimul. ideò antequam expreſ-
ſè de hac reſurrectione dicat; inquit, futurum eſſe finem huius ſcilicet muta-
bilis ſæculi, & finem omnium: quia omnes peruenient ad finem; neque di-
rigentur & regentur amplius. ad finem etenim adipiſcendum, directio fit; &

hoc

hoc innuit, cum dicit, Oportet illum regnare,&c. Et quòd euacuabitur om- E
nis poteſtas & principatus. Poſtmodum deſcendit ad corporum reſurrectio-
nem, & ad omnimodam mortis deſtructionem. *Cùm autem illi ſubiecta fue-
rint omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit illi, qui ſubiecit illi omnia: vt ſit Deus om-
nia in omnibus.*] Filius,ut Deus eſt, quamuis ſit de patre tãquam de principio;
non tamen ſubiectus eſt patri: immò in omnibus eſt æqualis patri. Vt autem
homo eſt, ſtatim à ſua cõceptione ſubiectus fuit patri & Deo. Ideò hîc Filius
accipitur, pro Chriſto cum eius corpore,quod nos ſumus. Nam tunc totum
corpus Chriſti erit omnino Deo ſubiectum; neque indigebit interpellatore
& mediatore, cuius iuſtitia fulcimur, ut apud Deum iuſtificetur. Sed tunc
Deus erit omnia in omnibus, ita S. Auguſtinus in primo de Trinitate. *A-* F
*lioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? vt quid &
pro illis baptizantur?*] Quidam putant Apoſtolum argumentari ex quorun-
dam more, qui baptizabantur pro mortuis hominibus. Sed mihi non ſatis
probabile uidetur, quòd Apoſtolus ſumpſerit argumentum ex auctoritate il-
lorum,qui errabant in ea ratione & modo baptiſmatis.Ideò melius eſt,ut in-
telligamus mortua peccata,quæ alibi appellat opera mortua:ut argumentum
nitatur eo fundamento, quod, ſcilicet,mors & peccatum ſeſe conſequantur.
Fruſtrà enim pro peccatis, id eſt, ad ea abluenda baptizantur, ſi mortui non
reſurgunt:nam non mundantur baptiſmate à peccatis. *Quotidie morior propter
veſtram gloriam, fratres, quàm habeo in Chriſto Ieſu.*]Gloria Apoſtoli erat conuer
ſio Corinthiorum ad Chriſtum, tanquam de illis optimè meritus eſſet. Hæc G
vtique gloria nulla eſſet,& omnis eius labor inanis,ſi mortui non reſurgunt.
Ignorantiam Dei quidam habent,ad reuerentiã vobis loquor.] Paulò acrius & aſpe-
rius increpat eos Apoſtolus, ut magis reſipiſcerent. Dicit itaque eos habere
ignorantiam Dei, id eſt,ignorare quæ Dei ſunt; & hoc aſſerit ſe dicere ad eo-
rum reuerentiam,id eſt,ut reuertantur & compeſcantur. Sæpe in Pſalmis in-
uenimus nomẽ hoc Reuerẽtiam, & Reuereantur, in hac ſignificatione poni.
*Factus eſt primus Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuifican
tem.*] Anima uiuens,eſt ea quæ dat uitam mortalem corpori;qua,ſcilicet,cor
pus nutritur,augetur, ſentit,&c. talis fuit vita primi Adam. In Chriſto uerò
nouiſſimo Adam eſt ſpiritus viuificans; qui, ſcilicet, dat uitam animæ, & in
ſe animam transformat, & per animam, ſubiectum corpus. *Hoc autem di-* H
*cò, fratres, quòd caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt; neque corruptio in-
corruptionem.*] Senſus eſt, quod fieri nequit, ut uiuens hac mortali uita, qua
nutrimur,comedimus, potamus,poſſideat regnum Dei: hoc etenim intelli-
gimus per carnem & ſanguinem. *Ecce myſterium vobis dico,omnes quidem reſur-
gemus,ſed non omnes immutabimur.* Græcus textus. *Omnes quidem non dormiemus,
ſed omnes immutabimur.*] Locus hic à S. Hieronymo, in quadam Epiſtola,
multum tractatur, & diuerſimodè exponitur:uideant qui uoluerint. Nos ad
literam dicimus, ſenſum eſſe, omnes reſurrecturos eſſe, ſed non omnes im-
mutandos ad uitam gloriæ. Sic in Pſalmo; quoniam non reſurgent impij
in iudicio. In eo enim ſenſu capit Apoſtolus immutationem.Si uerò textum

Græcum

A Græcum exponimus, per immutationem intelligemus, (ſi loquitur tantùm de bonis, non autem de omnibus tam bonis quàm malis) immutationem ad uitam gloriæ, ut ſuprà. Sin uerò de omnibus, tam bonis, quàm malis intellexerimus eum loqui, per immutationem accipiendum eſt, ad uitam immortalem ſeu gloriæ, ſeu miſeriæ. Id autem quod dicit, non omnes dormiemus, uidetur fauere eorum opinioni, qui uolunt non omnes morituros; qui ſcilicet inuenientur uiui in hora iudicij. Sed poteſt dici etiam ſecundum aliorum ſententiam, quod tam breuem mortem non putat Apoſtolus dicendam mortem: ideò dicit non omnes dormituros. Expoſitor quidam Græcus, coniungit hoc dictum cum inferioribus quæ ſequuntur, ſcilicet, in momento, in ictu B oculi: quoniam, ut habetur in Apocalypſi, non omnes morientur in ictu oculi & in momento, immò per interualla; omnes tamen reſurgent in momento & in ictu oculi. *Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus mortis peccatum, virtus peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.*] Mors intrauit in mundum per peccatum. lex uerò dedit vim peccato, quia addidit tranſgreſsionem legis datæ, ut in Epiſtola ad Romanos plenè & cumulatè dicit Apoſtolus. Chriſtus uerò vicit peccatum & mortem, & ſic liberauit nos à reatu legis, & à peccato; quare etiam à condemnatione mortis. *Scientes, quòd labor veſter non eſt inanis.*] Non eſt inanis labor, cui datur reſurrectio & vita immortalis, vt diſſeruit ſuprà.

C

CAPVT XVI.

IN hoc poſtremo capite, admonet eos quædam familiaria, ut ita dicam, officia, ſimulque certiores eos facit, quid nam ſit ipſe acturus; & de fratribus nonnulla alia, quæ ſatis ſunt expoſita legenti. *Quos probaueritis per Epiſtolas, hos mittam, &c.*] Vel Epiſtolas dicit eas, quas ad illum daturi erant Corinthij, antequam ipſe Corinthum perueniret. Vel Epiſtolas appellat libellos & tabellas, quibus ſecreto notabantur nomina eorum, quos electuri erant. *Vt vos me deducatis quocunque iero.*] Figura loquendi Paulina, non reor deduci dixiſſe, quoniam ab illis peteret viaticum, & pecuniam, quæ ſufficeret ad iter, ſed deduci intelligit dimiſsionem, quaſi ultimum vale, vt ità dicam, quo ſolemus vti, cùm quis lōgius eſt iter ingreſſurus. ſic infrà, Deducite D illum in pace. *Gaudeo in præſentia Stephanæ, Fortunati, & Achaici.*] Amphibologicum eſt. Nam referri poteſt præſentia ad Corinthios, quia ſcilicet præſentes erant Corinthiis: uel ad ipſum Paulum, quoniam aderant Paulo. nam quæ ſequuntur vtroque modo commodè poſſunt aptari. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, Maran atha.*] Execratur eos, qui non amant Chriſtum: hoc enim ſignificat, anathema. Addit deinde, Maran atha, id eſt, Dominus uenit vindex illius. Quod contra eos dicitur, qui non amabant Chriſtum, eò quod non fatebantur Ieſum eſſe dominum, & verbum Dei quod in carne ueniſſet.

SECVNDA AD CORINTHIOS EPISTOLA.

CPAPVT PRIMVM. I

HVIVS capitis argumentum in promptu eſt. Nam primum facit Corinthios certiores de tribulationibus, quas paſſus fuerat, & de conſolationibus ei à Deo præſtitis; quarum vtræque in profectum eorum cedunt. Deinde excuſat ſe, quod ad eos non uenerit, ut dixerat ſe venturum; ac rationem reddit, cuius pars eò pertinet, quod noluerit Corinthios contriſtare. *Et ſpes noſtra firma ſit pro vobis; ſcientes, quoniam ſicuti ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.*] Ea quæ Apoſtolus dicit in in toto hoc
contextu tria ſunt; quorum duo pertinent ad Apoſtolum, unum ad Corin- G
thios. Inquit ergo ſe multas tribulationes paſſum, conſolatum tamen à Deo fuiſſe: ea de cauſa puto, quoniã tribulationes eas euaſerit. Ex quo euentu perſuadere ſibi poſſunt etiam Corinthij, quòd ſi in quampiam tribulationẽ inciderint, quod parata eſt etiam ipſis à Deo propinqua conſolatio; qua ſpe ſemper læti & tuti eſſe queunt. Hinc duplex Apoſtolo gaudium; primum, quoniã Corinthij ex hoc fiunt meliores, & magis firmi in fide: alterum, quòd ſi in quaſpiam anguſtias inciderint, ſpem firmam ipſe conceperit, paratam ipſis à Deo conſolationem. *Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis, vt ex multarum perſonis facierum, eius quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.*] Hîc notandum omnia Apoſtolum direxiſſe ad gloriam & laudem Dei. Non
inquit ſe petere adiuuari ab eis in oratione, ut facilius impetret, & ibi ſiſtat; H
ſed ut à multis gratiæ Deo agantur pro impetrata eius ſalute. *Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, &c.*] Dubitare quiſpiam poteſt, cuiuſnam rei cauſam reddat Apoſtolus, cum inquit. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. reor ego reddere cauſam, quòd iure petat ab illis adiuuari in oratione, eò, ſcilicet, quòd eos ex corde dilexerit & diligat, ſicuti & cæteros, ſed abundantius Corinthios; cuius affectus teſtimonium habet conſcientiam ſuam; quo nam pacto? ex ſynceritate cordis, qua cum eis fuerat conuerſatus. ſubdit poſteà eos etiam poſſe teſtimonium afferre, cùm uiderint & cognouerint. ideò inquit; Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ legiſtis & cognouiſtis: ſpero autem quod & vſque in finem

cogno-

A cognoſcetis, &c. *Quia gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra.*] Gloriari poteſt di-
ſcipulus in bonitate præceptoris; ſimiliter præceptor in probitate diſcipuli.
*Cùm ergo hoc voluiſſem, nunquid leuitate vſus ſum? aut quæ cogito, ſecundum homi-
nem cogito? vt ſit apud me eſt, eſt; non, non.*] Apoſtolus duo à ſe remouet, primum,
ſe non vſum fuiſſe leuitate, ut ſententiam leuiter mutauerit. alterum, ſe non
duci ſua voluntate humana, ſed Dei ſpiritu & inſtinctu: ideóque apud ſe non
eſſe, eſt, eſt; non, non. Id eſt, ut perſiſtat in ijs, quæ ſemel dixit ſe facturum: non
enim ſuæ ſpontis ſe eſſe. *Fidelis Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt
in illo, eſt & non; ſed eſt in illo, eſt.*] Veretur Apoſtolus, ne quis poſſit ſuſpicari,
ex his quæ dixerat, apud ſe non eſſe, eſt, eſt; non, non: etiam in doctrina, quam
B eos docuerat, poſſe mutationem fieri. Huic obiectioni ſtatim obſiſtit, & in-
quit; Deum fidelem eſſe & promiſſis ſtare: iccircò etiam ſermonem eius, qui
nititur fide à Deo data, firmum eſſe, immutabilem eſſe, neque in eo inueniri,
eſt, & non; ſed tantum, eſt. *Et in ipſo, Amen, Deo ad gloriam propter nos.*] Dicit
promiſſiones à Deo factas in Chriſto Ieſu, habere, Amen, id eſt, firmitatem
& complementum, quod cedit Deo ad gloriam: propter nos autem, quia
ad utilitatem noſtram. Ea etenim, quæ habemus à Deo, in Chriſto, ad glo-
riam Dei ſunt & ad noſtram utilitatem. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in
Chriſto; & qui vnxit nos Deus; & qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus
noſtris.*] Declarat promiſſiones & dona nobis fuiſſe à Deo præſtita. *Ego autem
teſtem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis non veni vltra Corinthum:
C non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri. Nam fide ſtatis.*]
Apoſtolus, in hac poſtrema huius capitis parte, explicat rationē, qua motus,
Corinthum non uenerit, quam ſuprà tacuerat: inquitque ſe ideo non ueniſſe,
ne afficeret eos triſtitia. Hæc ſumma. Dicit autem, parcens vobis non veni: &
ne quis ſuſpicaretur, his uerbis innuere Apoſtolum, uel eos parum firmos in
fide haberi ab eo, uel quod uellet imperiū exercere in eos; iccircò ſtatim ad-
dit, non quòd dominemur fidei veſtræ. Ad vtrunque hoc referri poteſt: & ad
dominiū Pauli, & ad exiguam eorum fidem; quod in poſtremis uerbis expli-
cat, inquiens, nam fide ſtatis. Explicat ſubinde cauſam cur non iuerit; ſed ad-
iutores ſumus gaudij veſtri: id eſt, cupimus noſtra præſentia afferre vobis gau
dium, non mœſtitiam; quam certè uobis intuliſſet noſtra mœſtitia, quam
D fueramus cōcepturi ex eius delicto, qui nouercam habebat in delitiis, nec pœ
nitentiam egerat. Hæc, quia tangit & innuit, latius explicat in capite ſequēti.

CAPVT II.

IN hoc capite explicat id, quod in fine præcedentis tantùm tetigerat:
rationem, ſcilicet, cur non prius ad eos rediſſet: ne ſcilicet afficeret
eos triſtitia, triſtis ipſe effectus ob illum, qui in ſe cōmiſerat id ſce-
lus, ut haberet nouercam, ne adhuc egiſſet pœnitentiam. de quo ad eos ſcri-
pſerat priori Epiſtola ex abundantia charitatis; qua eos proſequebatur præ
cæteris. Hortatur autem, ut cùm iam eum ſceleris admiſſi pœnituerit, ue-
lint ei condonare hoc delictum, quod & ipſe in perſona Chriſti, eius ſcili-
cet vicem gerens, condonaret. Narrat demum iter ſuum Troadem primò,

deinde in Macedoniam : & quod eſſet bonus odor Chriſti, quibuſdam in vi- E
tam; aliis autem indiſpoſitis in interitum. Hæc ſumma. *Si quis autem me con-
triſtauit, non me contriſtauit, ſed ex parte; vt non onerem omnes vos.*] Apoſtolus ſe
unum cum omnibus Corinthiis facit, eundemque affectum induit. ideo in-
quit ſe non contriſtatum fuiſſe, niſi ex parte; id eſt, non ex omnibus Corin-
thiis cœpiſſe triſtitiam, ſed tantùm ex illo, qui nouercam duxerat. Quod au-
tem paulò ſupra dixit, ſe ſcripſiſſe per multas lachrymas, referendum eſt ad
priorem Epiſtolam, nõ ad hanc. Nam in hac ſcribit, ſe iam illi donaſſe in per-
ſona Chriſti; & hortatur Corinthios, ut illum conſolentur, ne nimia triſtitia
abſorbeatur, & deſperans de venia, maioribus flagitiis ſe polluat. *Deo autem
gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu. nam Chriſti bonus odor ſumus, in his* F
*qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt. Alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem
odor vitæ in vitam.*] Triũphat nos in Chriſto, Hebraîca locutio; id eſt, trium-
phare nos facit, uel facit per nos triũphare Chriſtũ de Sathana. Quod ſubdit,
ſe eſſe bonum odorem Chriſti, quamuis quibuſdam ſint odor mortis in mor
tem: nihil prohibet bonum ſuapte natura odorem nocere, & detrimentum
quibuſdam afferre, ob indiſpoſitionem eorum. *Non enim ſumus, ſicuti plurimi,
adulterantes verbum Dei.*] In textu Græco, cauponantes, id eſt, lucrum nobis
comparantes ex prædicatione verbi Dei, ſicuti caupones ſoliti ſunt agere.

CAPVT III.

CVM in capite ſuperiori dixiſſet ſe non cauponam facere uerbũ Dei, G
quod plurimi faciebant, hîc proſequitur quod cœperat. Nam pſeu-
doapoſtoli, ut facilius deciperent, afferebant commendatitias lite-
ras: Apoſtolus uerò inquit ſe non indigere commendatitiis literis, aut aliorũ
ad Corinthios, aut Corinthiorum ad alios. Nam Corinthios eſſe ſuam Epi-
ſtolam, quam ad ipſos gerebat; eò quòd deferret eam ſcriptam in corde ſuo.
Item Corinthios eſſe ſuam Epiſtolam ad alios, cùm opere omnibus indicent
ſe eſſe Epiſtolam Chriſti. aliaque addit de ſuo miniſterio, quod dicit eſſe ſpi-
ritus, non literæ, ut miniſterium Moyſi: quod, ſi fuit in gloria, multò magis
hoc Pauli miniſterium debet eſſe in gloria, &c. *Aut egemus commendatitijs lite
ris ex vobis, aut ad vos? Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur
& legitur ab omnibus hominibus; manifeſtati quod eſtis Epiſtola Chriſti, miniſtrata à* H
nobis & ſcripta, non atramento, ſed ſpiritu Dei viuentis, &c.] Nota, ut diximus
ſupra, quòd Corinthij & eorum opera erant Epiſtola Pauli ad ipſos Corin-
thios, & ad alios omnes. Ad Corinthios, quatenus erant inſculpti cordi Pau-
li: ideo cum deferret eos in corde, eius affectum Corinthij cognoſcentes, nõ
egebant aliis commendatitiis literis ad ipſos. Item cùm Corinthij oſtende-
rent omnibus, ſeſe ex doctrina Pauli bonos Chriſtianos, & habere legẽ Chri-
ſti ſcriptam in cordibus ſuis, miniſterio Pauli, erant vtique apud omnes Epi-
ſtola commendatitia Pauli. *Non quòd ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis,
tanquam ex nobis, &c.*] Hoc pertinet ad miniſterium, de quo ſuprà meminit,
& paulò infrà, dicens; qui & idoneos miniſtros nos fecit noui Teſtamenti,

A non literæ,ſed ſpiritus. *Quod ſi miniſtratio mortis literis deformata,&c.* (& infrà.)
nam ſi miniſtratio damnationis in gloria.] Notandum quòd appellat teſtamen-
tum vetus, miniſtrationem damnationis, & miniſtrationem mortis; non
per ſe,ſed per accidens,ob infirmitatem liberi arbitrij, quod ſine gratia Chri-
ſti,& lege noua,ſeruit peccato. *Vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius, quod
euacuatur* (in Græco) *in finem.*] Cùm finis legis ſit Chriſtus,vt alibi dicit Pau-
lus,& lex fuerit pædagogus in Chriſto; Iudæi,qui non potuerunt uidere Chri
ſtum,non potuerunt intendere oculos in finem legis, quæ euacuatur in Chri
ſto; quia Chriſtus exemit nos à maledicto legis, factus pro nobis maledictũ.
Dominus ſpiritus eſt: vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.] Per libertatem, hîc Paulus
B non intelligit libertatem à peccato, aut à miſerijs: ſed libertatem penetrandi
ad interiorem ſcripturæ ſenſum,qui legitur ſub velamine literæ. *Nos uerò,re-
uelata facie gloriam domini ſpeculantes,in eandem imaginem transformamur à clari-
tate in claritatem, tanquam à domini ſpiritu.*] Declarat quam libertatem ſpiritus
nobis attulerit. inquit ergo,nos non velata,ſed reuelata facie gloriam domi-
ni ſpeculantes: in Græco textu hoc melius explicatur, tanquam in ſpeculo ui
dentes. Speculum, in quo inſpicimus Dei gloriam in hac vita,donec ambu-
lamus per fidem,& non per ſpeciem,eſt Chriſtus; qui finis legis eſt: in quem
Iudæi,velata facie,nequeunt oculos intendere. Nos uerò, in eum oculos in-
tendentes,transformamur à claritate in claritatem;à claritate fidei ad clarita
tem ſpeciei,tanquam à domini ſpiritu. In Græco dicitur,ſicuti à domini ſpi-
C ritu,id eſt, ſicut par eſt, nos transformari à domini ſpiritu. Et Græcus textus
poteſt exponi,tanquam in ſpeculo referentes.

CAPVT IIII.

EX his,quæ ſtatim in fine præcedentis capitis dixerat, habere ſe faciẽ
reuelatam, qua poteſt introſpicere ſenſum interiorẽ literæ, & Chri
ſtum in ea; poteſt etiam ipſe inſpici,ita ut nihil occultum afferat au
ditoribus ſuis; ſed animum totum ac mentem eis pateſaciat; quod non ſerua
bant pſeudoapoſtoli,ſed occultabãt, fictis & compoſitis verbis ac geſtu, aua-
ritiam & intemperantiam animi.Quod ſi quibus adhuc opertum erat Euan-
gelium Pauli,non contingebat hoc eis ob velamen, quod Paulus geſtaret,ſed
D ob eorum cæcitatem.Non enim ſeipſum prædicabat Paulus,ſed Ieſum Chri-
ſtum; cuius mortem ob varias & magnas tribulationes, quas patiebatur,cir-
cunferebat in corpore ſuo,ob ſpem futuræ reſurrectionis. nam in ea, quæ nõ
uidentur & æterna ſunt,intendebat oculos, non autem in temporalia,quæ vi
dentur. Hæc ſumma. *Ideo habentes hanc adminiſtrationem, iuxta quod miſericor-
diam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abijcimus occulta dedecoris:non ambulantes
in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis.*] Occul-
ta dedecoris,omnes ferè intelligunt ſcelera,quæ in occulto fiunt,ſed ego po-
tius intelligo dolos & aſtutias, quibus animi malitia occultatur; adulteran-
tes,in Græco,doloſè prædicantes verbum Dei. *In quibus Deus huius ſæculi ob-
cæcauit mentes infidelium.*] Deum ſæculi, appellat Diabolum; quem amatores

ſæculi, præſertim idololatræ, ſibi Deum fecerunt: & ideò infideles erant; nec B
poterant Chriſtum intueri. *Ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu.*] Dicit Paulus, cordibus noſtris Deum illuxiſſe, vt illuminati ſciremus quàm magna ſit claritas Dei in facie Chriſti Ieſu. quia per faciem præcipuè homo cognoſcitur, ideo dicit in facie Chriſti Ieſu, id eſt, in eius cognitione perſpici & ſciri Dei claritatem. *Ergo mors operatur in nobis, vita autem in vobis.*] Præter modos, quibus hic locus ab aliis exponitur, hunc addam in textu Græco verbum ἐνεργεῖται voce paſſiua ponitur; &, ſi como, odoperatur, paſſiuè exponamus, ſenſus facilis eſt. Nam in Apoſtolo ob tribulationes & anguſtias mors efficiebatur, id eſt, effingebatur in eo mors Chriſti; vt in Corinthiis, qui ſine afflictionibus ſpiritualiter viuebant, F
effingebatur vita Chriſti. *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt; credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus propter quod loquimur: ſcientes quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.*] Supra commemorauerat afflictiones, quas patiebatur; & quòd mors Chriſti in eo effingebatur. Nunc ſubdit qua ſpe id faciat; inquitque ex ſpe fidei ſe ea facere, quæ erat Apoſtolo cum illis communis; loquebatur & docebat ſciens ſe cum illis ſuſcitandum eſſe ab eo, qui ſuſcitauit Ieſum, id eſt, à Deo. *Omnia enim propter vos, vt gratia abundans in gratiarum actione, per multos abundet in gloriam Dei.*] Duo nobis conſtituendi fines; vtilitas ſcilicet proximi, & gloria Dei: quorum prior referri debet ad poſteriorem. Ideò dicit omnia fieri propter Corinthios, & alios eius diſcipulos, id eſt, ad eorum vtilitatem & confirmationem in finem; vt poſtmodum cùm gratia Dei afflictiones præterierint, abundans gratia Dei abundet in gratiarum actione ad Dei gloriam. G

CAPVT V.

DIXERAT in fine ſuperioris capituli ſe propter afflictiones non deijci: ſed quamuis homo exterior corrumperetur, interior tamen de die in diem fiebat robuſtior & renouabatur, quia in nouitate creſcebat: quia in æterna intentus, ſpiritualia ſcilicet, non in ſenſibilia temporalia. Nunc proſequitur id, quod cœperat de bonis æternis, in quibus eſt noſtra cœleſtis habitatio parata, quotieſcunque terrena hæc diſſoluetur; quæ non tantùm animas in ſe recipiet & transformabit, ſed etiam corpora noſtra, quæ H
ſpiritualia efficietur, abſorpta mortalitate: ut in fine prioris Epiſtolæ abundè diſſeruit. quoniã uidetur Apoſtolus ſe aliquantum laudaſſe, ideo cauſam reddit, cur id fecerit; vt ipſi ſcilicet poſſint gloriari aduerſus pſeudoapoſtolos. Poſtremo dicit ſe omnia facere cauſa Chriſti; vt non ſibi viuat, cùm mortuus ſit in Chriſto; ſed in Chriſto, in quo viuit, ſibi ipſi mortuus. Et quoniam Chriſtus miſſus à Deo fuerat, ut per eũ, & in eo mundus Deo recõciliaretur; ideò inquit ſe pro Chriſto etiam, in quo uiueret, legatione fungi, ut mundus Deo reconcilietur in Chriſto ſcilicet: cuius rationem & modũ exponit. Nã Deus, inquit, fecit Chriſtum peccatum, qui tamen nullum habebat peccatum proprium, ſed in eo poſuit iniquitatem omnium noſtrum, & ei imputauit: pro

quibus

A quibus paſſus eſt; vt nos efficeremur Iuſtitia Dei in ipſo: nam Chriſti iuſtitia nobis donata eſt. Hæc ſumma. *Si tamen veſtiti, & non mundi inueniamur.*] Hoc meo iudicio, referendum eſt ad animi dotes & virtutes; quibus veluti ſuperinduitur beatitudo & fœlicitas. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati; eò quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.*] Hîc, ut reor, amplificat hanc domum æternam, quam habemus in cœlis: quæ tam ampla eſt & efficax, ut non tantum animam abſorbeat, ſed etiam mortale corpus. *Audentes autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe apud Deum.*] Videtur Apoſtolus ſibi contrarius eſſe. nam ſupra dixerat, nos ingemiſcere, eò quòd nolu-
B mus expoliari, ſed ſuperueſtiri. Hîc uerò dicit habere ſe bonam uoluntatem magis peregrinari à corpore & præſens eſſe ad Deum. Non tamen contraria dicit, ſi quis rectè animaduertat. Tria namque ſunt inuicem conferenda; eſſe in corpore mortali, peregrinus à Domino; eſſe ſeparatus à mortali corpore, & præſens Deo; & eſſe Deo præſens ſuperindutus corporis immortalitate. Nulli dubium eſt, hoc poſtremum eſſe aliis duobus præferendum; iccircò etiam illud primò optamus, & hoc ſupra dixerat. Comparat poſtea duo priora adinuicem, inquitque ſe malle peregrinari à corpore, & præſens eſſe ad Deum; quàm peregrinari à Deo, & eſſe in mortali corpore. *Scientes autem terrorem Domini hominibus ſuademus: Deo autem manifeſti ſumus. ſpero autem & in conſcientijs veſtris manifeſtos nos eſſe.*] Loco infiniti poſuit participium, in-
C quitque, Deus nouit; hominibus autem, qui cor inſpicere nequeunt, ſuademus ſcire nos timorem Domini, id eſt, quantoperè ſit Deus timendus, coram quo præſentari nos oportet; ut paulo ſupra dixerat. *Siue enim mente excedimus, Deo: ſiue mente ſobrij ſumus vobis.* Reor Apoſtolum rationem reddere cur uelit ſe condemnari; & inquit ideo hoc facere, quoniam non ſibi uiuat, ſed Deo & proximo; dicitque ſiue mente excedat, penetrando & exponendo myſteria, ſe hoc facere ad Dei honorem: ſiue ſobrius ſit, cùm ſcilicet ſe dimittit ad paruulos; propter eorum utilitatem hoc agere, nullam ſui ipſius rationem habens. *Charitas enim Chriſti vrget nos, exiſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi uiuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & re-
D ſurrexit.*] Declarat cur nullam ſui habeat rationem; hocque facere dicit ea charitate Chriſti, qua ſibi mortuus eſt, & uiuit Chriſto: quod etiam nos facere debere innuit, cùm pro nobis quoque mortuus ſit Chriſtus. *Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, nunc iam non nouimus.*] Cognoſcere Chriſtum ſecundum carnem, eſt ipſum ex coniunctione carnis cognoſcere. Verbi gratia, quia Iudæus & ſemen Abrahæ, ſicut Paulus; quia conſanguineus & huiuſmodi alia: qualem affectum erga ſe Christus in Euangelio reprehendit. *Omnia autem ex Deo, qui nos ſibi reconciliauit per Chriſtum.*] Declarat à quo, & qualiter ſimus noua creatura, nobis mortui & creati in Chriſto; inquitque hoc eſſe à Deo, & ob reconciliationem per Chriſtum, quam ampliat, ut patet legenti. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficere-*

mur iuſtitia Dei in ipſo.] Declarat modum reconciliationis noſtræ & crea- E
tionis in Chriſto; & rationem innuit. Nam Deus Chriſtum, qui non nouit
peccatum, fecit peccatum, id eſt hoſtiam pro peccato, cui imputantur pecca-
ta eorum, pro quibus offertur; ita etiam Deus poſuit in Chriſto iniquitatem
noſtram, ut ait Eſaias, ut econtra nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo; quo-
niam eius iuſtitia facta eſt noſtra, nobis donata.

CAPVT VI.

DIXERAT ſuperius ſe pro Chriſto legatione fungi. Iccirco incipit in
hoc capite obire munus ſuum, & eos hortatur, ne fruſtra gratiam
Dei accipiant. Is autem fruſtra accipit, qui non eam accipit ad ſalu- F
tem, non benè ea vtens, neque exercens bona opera. iccirco hortatur Corin-
thios ad patientiam, ad charitatem, cœteraſque virtutes; ac poſtremò reuo-
cat eos à participatione idolorum & communicatione cum infidelibus. Hæc
ſumma. *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*] In
textu Græco dicitur, cooperantes; & eſt ſenſus idem. Nam miniſter coopera
tur Domino, veluti eius inſtrumentum; ſic etiam adiuuat dominum: non au
tem adiuuat, quia ei det aliquo pacto virtutem agendi. *Nemini dantes vllam
offenſionem ne vituperetur miniſterium noſtrum.*] Miniſterium hîc appellat offi-
cium, quo miniſtri ſumus Dei in bonis operibus; quod declarat paulò poſt,
dicens, ſed exhibeamus nos tanquam Dei miniſtros, &c. *In multa patientia, in
tribulationibus, in neceſſitatibus &c. in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, &c.*] Pa G
tientia coniungi debet cum omnibus quæ ſequuntur, vſque ad caſtitatem; nã
in prioribus omnibus opus eſt patientia, cui adiungitur caſtitas, & aliæ virtu
tes, de quibus meminit. Longanimitas differt à patiẽtia; quia patiẽtia vtimur
in malis tolerandis; longanimitate, in dilatione bonorũ. *In virtute Dei.*] Eam
virtutem reor intelligere, qua fiebant miracula: vel generali nomine compre
hendit particulares virtutes, de quibus fecerat mentionem. *Sicuti ignoti & co-
gniti.*] Viles ignoti ſunt; & celebres, cogniti. *Os noſtrum patet ad vos o Corinthij,
Cor noſtrum dilatatum eſt. non anguſtiamini in nobis; anguſtiamini autem in viſceribus
veſtris. eandem autem habentes remunerationem, dilatemini & vos.*] Apoſtolus fun
gens officio ſuo, legatione pro Chriſto, erga Corinthios dilatat os ſuum, do-
cendo; dilatat cor amando. Corinthij uerò non recipiendo monita Apoſto- H
li, & communicando cum infidelibus anguſtiati erãt, non capientes nec ad-
mittentes quæ dicerentur. Inquit ergo anguſtias non eſſe ex parte eius docen
tis & monentis, ſed ex parte Corinthiorum.

CAPVT VII.

PENDET huius principium à fine ſuperioris. Nam cum dixiſſet nos
eſſe Dei templum, in quo habitat per gratiam Deus, & habitaturus
ſit per gloriam: iccirco iam infert, mundemus nos ab omni inqui-
namẽto carnis & ſpiritus, ut ſimus dignũ Deo habitaculũ. Seipſum deinde il
lis proponit exẽplũ. Oſtẽdit demũ quãtopere illos amet; quantũ de ipſis cõfi
dat;

A datỉ quantum gauiſus ſit ex aduentu Titi, qui ei retulerat eorum pœnitentiam, & obedientiam, & quàm amanter fuiſſet ab eis exceptus & tractatus, & quantopere erga eos propterea eſſet benè affectus. Hæc ſumma. *Capite nos neminem læſimus.*] Idem ferè eſt quod ſuprà, cùm dixit dilatemini & vos, ut ſcilicet eius doctrinam & affectum caperent. Hoc dicit hîc, capite nos. *Multa mihi fiducia apud vos; multa mihi gloriatio pro nobis.*] Ad ſuperiora, & ad inferiora adaptari poteſt hæc particula; ad ſuperiora, quoniam eos reprehendit ob magnam fiduciam, quam habet erga ipſos. Ad infra dicenda, pro his quæ ei retulerat Titus ueniens ex Corintho. *Veſtram æmulationem pro me.*] Aemulationem hîc appellat Zelotypiam. Nam zelum habebant Co-
B rinthij, ne alieniori animo Apoſtolus factus eſſet erga eos, ob ſtuprum, &c. *Vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.*] Videlicet, quoniam ex reprehenſione & monitis Pauli nihil paſſi eſſent detrimenti: quandoquidem illa eorum concepta triſtitia eis profuiſſet ad ſalutem. *Sed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed vindictam. In omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio.*] Hæc ad diuerſa ſunt referenda, & ad diuerſos. Deſenſio ad illos pertinet, qui non deerant officio ſuo. Indignatio in illum, qui perpetrauerat facinus illud: timor, ad Deum; quia timebant Deum vltorem ſceleris. Deſiderium, ut ſatisfieret delicto. Aemulatio, ne Paulus factus eſſet animo alieniori: vindicta pertinet ad ſatisfactionem, quam fecerat & ſubierat is, qui peccarat; adeo quòd omnes exhibuerant ſe incontaminatos in eo negotio, id eſt, non am-
C plius reos. *Gaudeo, quoniam in omnibus confido in vobis.*] Supra Apoſtolus oſtenderat ſe magnam habere confidentiam in Corinthijs: quæ de illis opinio, ex his quæ Titus retulerat, non eum fallebat. Ideo inquit ſe gaudere & voluptatem capere, quod in omnibus confidentiam haberet in ipſis.

CAPVT VIII.

POSTREMA ſuperioris capituli verba de confidentia Apoſtoli in Corinthijs procœmium ſunt eorum, quæ hîc dicturus eſt; adhortationis, inquam ut pro viribus & hilariter pararent Eleemoſynam, qua ſanctis exiſtentibus in Hieruſalem prouideatur. ad quod faciendū prom-
D pte eos prouocat ex liberalitate Macedonum, ex imitatione Chriſti: ad quam rem conficiendam dicit ſe mittere Titum, & nōnullos alios diſcipulos; quos ut amanter excipiant, eos hortatur. Hæc ſumma. *Qui non ſolum facere, ſed etiam velle cœpiſtis ex anno ſuperiore.*] Nota apud Apoſtolum plus ſignificare, velle, quàm facere. Nam per, velle, promptitudo quædam animi exprimitur. Ita in ſuperiori Epiſtola, quod ſi volens hoc fecero, merces eſt mihi. *Cum eſſet ſolicitior, ſua voluntate profectus eſt ad vos.*] Eodem modo etiam hic accipit voluntatem, pro animi promptitudine. *Confidentia multa in nobis, ſiue pro Tito, qui ſocius noſter eſt, & in vobis adiutor: ſiue fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum gloria Chriſti.* Figura dicēdi Hebraica. reddit cauſam, cur cōfidat eos quos mittit amanter recipiendos. De Tito inquit, ſocius noſter eſt, & veſter adiutor: reliqui

ſunt

ſunt fratres noſtri, & miſſi ab Eccleſijs; vt de Luca ad hoc munus ordinato E
ab Eccleſijs dixerat. In quibus amanter recipiendis tribuitur etiam Chriſto
gloria.

CAPVT IX.

SVMMA huius capituli in promptu eſt. Nam ſenſim Paulus reuer-
titur ad eos hortandos, vt liberaliter agant in Elemoſyna, quam pa-
rant mitti ſanctis, qui Hieroſolymis erant; ac variis inductionibus
accendit eorum animos ad hoc agendum; quarum quædam pertinent ad glo
riam Dei; partim ad præmia maiora, quæ eis deberentur, quanto magis fue-
rint liberales; partim ad honorem Corinthiorum, & ad vitandum infa-
miam, quæ in promptu ſunt legentibus omnibus. *Vt in omnibus locupletati* F
abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.]
Simplicitatem Apoſtolus appellat, innocentiam ſine auaritia: quoniam aua-
ri duplices & mendaces eſſe conſueuerunt.

CAPVT X.

ALIAM rem incipit aggredi: cōtra pſeudoapoſtolos ſe vertit, qui ſui
moris hominem Paulum reputantes, diuerſis eum calumniis inſe-
ctabantur. Hoc Paulus admonet, terret, & vndique verſat. Senſus in
promptu eſt legenti. *Abſens autem confido in vobis.*] Appellat Paulus confiden
tiam, audaciam; quoniam per Epiſtolas eos reprehenderat. *Nam arma militia*
noſtra non carnalia ſunt; ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum.] Carnalia G
arma ſunt aſtutiæ, illecebræ, & humana] vis. Arma Apoſtoli erant potentia
Deo, id eſt, ad Dei honorem, uel diuinitus potentia. *Qui gloriatur, in Domino*
glorietur. non enim qui ſe ipſum commendat, probatus eſt; ſed quem Deus commendat.]
Hæc eſt concluſio totius poſtremæ partis huius capituli; in qua ſignificat ſe
à Chriſto miſſum eſſe, poteſtatem ſibi datam à Chriſto, & ita à Chriſto pro-
batum eſſe, non à ſeipſo. Econtra uerò pſeudoapoſtolos non miſſos à Deo
in quo poſſint gloriari, & ita probari; ſed à ſeipſis miſſos, elatione inquam
& auaritia ſua: quos etiam gloriari innuit non in Deo, in donis à Deo ſibi
datis, ſed à ſeipſis; id eſt, poteſtate, & aliis huiuſmodi à ſe ipſis vſurpatis.

CAPVT XI.

HOC in capite proſequitur id, quod fuerat orditus de pſeudoapoſto- H
lo quondā, qui abſente Paulo Corinthum venerat, & molitus erat
eos auertere à ſimplicitate Chriſti, ad cæremonias Iudaîcas, ut cō-
ijcere poſſumus. Nā pſeudoapoſtoli hi Iudæi erant; & gloriabantur, quòd nō
deſcendiſſent ab Idololatris, ſed à populo, qui Deū ſemper coluiſſet; aliaque
huiuſmodi iactabāt. Apoſtolus in hoc capite zelans ſalutem & integritatem
Corinthiorum, tanquam virginis deſponſatæ Chriſto, ac verens ne corrum-
perentur, à Chriſti ſimplicitate declinantes ad Iudaîcas cæremonias; dicit co
gi ſe eſſe inſipientem, ut ſcilicet laudet ſeipſum. Iccircò multa de ſe ipſo di-
cit; quorum pars pertinet ad eius genus, pars uerò ad labores ſuſceptos, &
pericula propter Euangelium Chriſti. Hæc ſumma. *Vtinam ſuſtineretis, &c.*]

A Sapiens expectat laudem alienam, non ſe laudat, iuxta illud, Non te laudet os
tuum, ſed alienum. *Aemulor vos Dei æmulatione. deſpondi enim vos uniuiro vir-
ginem caſtam exhibere Chriſto.*] Sumit hîc æmulationem pro zelotypia, qua
non ſibi, ſed Chriſto erat ſolicitus. *Ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant
à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu.*] Chriſti religio ſimplex eſt, qua per fidem
& charitatem inhæremus Deo per Chriſtum; & eſt ſcripta in tabulis cordis,
non in tabulis ligneis aut aheneis. Econtra Iudaicæ cæremoniæ & lex erat
tantum exterior, multumque inuoluta & grauis, adeo ut nec Iudæi, nec eo-
rum patres potuerint illam portare. *Nam ſi is, qui venit, alium Chriſtum præ-
dicat quem non prædicauimus; aut alium Spiritum accipitis, quem non accepiſtis; aut*
B *alium Euangelium, quod non recepiſtis, rectè pateremini.*] Quæri poteſt. Cur er-
go reprehendendus is qui uenit, ſi eundem Chriſtum prædicat? &c. Dici-
mus reprehendendum & uitandum, quia aſtute, ſub Chriſti prædicatione, Iu
daïcas cæremonias ſubinferebat. *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia:
In omnibus autem manifeſtus ſum vobis.*] Locutio ipſa Pauli, ut dicit Hierony-
mus, oſtendit eum non admodum fuiſſe peritum ſermonis Græci & Latini;
non tamen erat imperitus ſcientia; immò adeò doctus & peritisſimus; dicit
autem ſe eis manifeſtum eſſe. *Iterum dico, ne quis me putet eſſe inſipientem: alioquin
velut inſipientem accipite me.*] Longè differt inſipiens ab eo, qui ſciens & uolens
ex cauſa ſuſcipit perſonam inſipientis. Inquit ergo Paulus: Non me putetis
inſipientem eſſe, ſi me laudauero; ſed date ueniam, & aſſumite me tanquam
C gerentem perſonam inſipientis. *Secundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi
fuerimus in hac parte.*] Modus locutionis Paulinæ, qui certè fuit imperitus ſer-
mone. Hæc quæ hactenus dixi; quòd ſuſtinetis illos, qui extolluntur, qui à vo
bis accipiũt, qui uos in faciem cædunt; dixi, quaſi ego fuerim ignobilis, quaſi
fuerim ego infirmus. Sic etenim de me illi ſignificabant, & uos fortaſſe era-
tis perſuaſi. iccirco ex cauſa incipio audere, incipio eſſe inſipiens, cogor à vo-
bis. Quæ tamen omnia faciebat Paulus, non ad aſtruendam ſuam gloriam;
ſed ad profectum Euangelij, quod prædicabat ipſe miſſus à Chriſto. *Nocte ac
die in profundo maris fui.*] Quando hoc contigerit Paulo, neſcimus. Non ta-
men putauerim hæc ab eo dici, quia uerè fuerit in profundo maris; ſed quo-
niam in tali periculo conſtitutus in mari, cùm naufragium fecit, ac ſi fuiſſet
D in profundo maris. *Periculis ex genere, periculis ex gentibus.*] Pericula ex gene-
re, ſuorum ſcilicet Iudæorum, qui eum perſequebantur.

CAPVT XII.

FACILE eſt cuiuis colligere ſummam huius capitis. Nam Apoſto-
lus coactus ut ſuprà diximus, ſeipſum laudare, narrat primò reuela-
tiones & uiſiones, quas habuit à Deo, raptum ipſius ad tertium cœ-
lum & ad Paradiſum. Hæc autem dicit non ſua eſſe, non ad ſe pertinere, ſed
ad donum Dei. In ſe autem ſe non poſſe gloriari, niſi in infirmitatibus ſuis,
ſiue propter perſecutiones, quas paſſus eſt à Diabolo in tentatione carnis, &
ab hominibus aliiſque externis rebus; in quibus expertus eſt ſuam infirmi-
tatem, & uirtutem ſibi à Deo præſtitam. Demum narrat beneuolentiam

ſuam

ſuam,qua proſequebatur Corinthios.Monet ut pœnitentiam faciant, ne co- E
gatur veniens acerbior eſſe uerſus eos. *Si gloriari oportet,non expedit quidem.*] In
Græco eſt,Non expedit vtique gloriari.Magis mihi placet Latinus rextus.nā
innuit ſe eligere id quod opus eſt fieri, quamuis ſibi non expediat. In Græco
uerò ſatis mancum & mutilum uidetur, ſi dicat, non expcdit vtique gloriari.
Veniam ad reuelationes & viſiones meas.] De raptu Pauli ante annos quatuorde-
cim cum hanc Epiſtolam ſcripſit,an tunc fuerit,cùm conuerſus eſt prope Da
maſcum,fulgore illo perſtrictus,an aliàs,quærant diligētiores,nihil facir hoc
ad intelligendum textum Pauli,nec ad noſtram ædificationem. *Datus eſt mihi
ſtimulus carnis meæ* (in Græco) *carni meæ.*] Quidam putant ægritudinem quan-
dam quam patiebatur, innuiſſe Apoſtolum; quidam putant libidinis ſtimu- F
lum. *Rurſus putatis, quod excuſemus nos apud vos? coram Deo in Chriſto loquimur,
omnia autem propter ædificationem veſtram.*] Remouet obiectionem,quam ſupra
remouerat. Dicit itaque ſe non ea dixiſſe,ut ſe excuſaret;ita quòd ſui rationē
habeat:ſed inquit primùm ſe uera dicere, & Deum teſtatur. Poſtmodum di-
cit,omnia propter ædificationem eorum ſe dixiſſe. *Et lugeam multos, ex his qui
ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper fornicatione, & immunditia, &
impudicitia quam geſſerunt.*] Non puto hîc ab Apoſtolo tangi fornicarium il-
lum, qui habebat patris vxorem:iam enim de eo dixerat, quod pœnitentiam
fecerat. Alios fornicarios & impudicos tangit, ut reor.

CAPVT XIII.

IN hoc capite ſe venturum tertiò Corinthum pollicetur; & pro po- G
teſtate ſua ſe & iudicaturum & vlturum eos dicit: orat deinde ut cō
uertantur:cupere etenim ſe non poſſe vti poteſtate ſua,& uideri in-
firmus. Hoc demum hortatur ad omne virtutis genus. *An* (vel, vt in Græco)
*quoniam experimentum quæritis eius,qui in me loquitur Chriſtus,qui in vobis non infir
matur, ſed potens eſt in vobis. Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, viuit ex virtute
Dei.*] Hoc eſt, quod ſuprà dixerat, quòd vita Chriſti operabatur ſeu effingeba
tur in Corinthiis. *Nam & nos infirmi ſumus in illo, ſed viuemus cum eo, ex virtute
Dei in vobis.*] Item ſupra dixerat, quod mors Chriſti operabatur ſeu effingeba
tur in ipſo:ſperare tamē ſe victurum cum Chriſto,ex virtute Dei,quam nunc
uidemus operari in uobis. Ne cuipiam varius & ſibi non conſtans uideatur
Apoſtolus;quomodo namq; illos reprehendit & arguit,in quibus uita Chri- H
ſti effingebatur? Iccirco aduertendum alios fuiſſe Corinthi, quos laudat, a-
lios quos vituperat: ſed cum in vniuerſum omnes compellar, attribuit illis,
& id quod eſt laudis, & id quod eſt increpationis.

AD GALATAS.

CPAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM Epiſtolæ obuium eſt omnibus. Nam
cùm Galatæ ab Apoſtolo conuerſi fuiſſent ad Chriſti Euan
gelium,poſt eius inde diſceſſum Iudaizantes quidam pſeu-
doapoſtoli,in Gallatiam ſe cōtulerunt.ac perſuaſerant Ec-
cleſiis Gallatiæ neceſſariam eſſe circuncisionem; aliosq́ue
ritus Iudaicos,fortaſſe,ſuaſerant ſeruandos eſſe. Apoſtolus
vehementior aliquanto,quia ſic eorum morbus exigebat, reprehendit Gala-
tas. acprimum perſonam ſuam ſtatuit; inquit ſe non miſſum ab homine
C quopiam,ſed à Chriſto.eos deinde reprehendit,quòd tam citò Chriſti Euan-
gelium à ſe prædicatum reliquerint. Poſtmodum narrat & priorem affe-
ctum ſuum erga Iudaiſmum, & conuerſionem;& quòd à Chriſto doctus non
contulerit Euangelium cum quopiam homine; ſed pòſt triennium profe-
ctum Hieroſolymam, ac ibi fuiſſe cum Petro dies quindecim: aliaq́ue in
hanc ſententiam. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt eriperet nos de præſenti ſæcu-
lo nequam,ſecundum voluntatem Dei & patris noſtri.*]Chriſtus eripuit nos de præ
ſenti ſæculo nequam;quia liberauit nos à ſeruitute peccati,quo detinebamur
vincti in hoc ſæculo nequam. Secundum voluntatem Dei; Primariam
cauſam ſalutis & liberationis noſtræ, Paulus ſemper Deo attribuit. *Miror
quod ſic tam citò transferimini ab eo, qui vocauit vos in gratiam Chriſti, in aliud E-
D uangelium: quod non eſt aliud; niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt con-
uertere Euangelium Chriſti.*] Ex abruptò orditur zelo percitus. Ab eo qui
vocauit vos in gratiam Chriſti; id eſt, à Deo. Deus enim quos præſci-
uit, vocauit. in aliud Euangelium, quod non eſt aliud vel, quod non
eſt aliud, quoniam unum tantùm eſt Euangelium Chriſti, quod nos præ-
dicauimus. Vel, quod non eſt aliud; quoniam pſeudoapoſtoli nihil af-
ferunt noui ad Chriſtum pertinens; ſed perturbant ſynceritatem Euan-
gelii Chriſti. *Modò enim ſuadeo hominibus an Deo?*] Adducit Deum in te-
ſtem; ac ſi diceret, coram Deo loquor, non coram hominibus: illum
adhibeo teſtem non homines, quod referri poteſt ad dicta, & ad dicenda.

Ad anteceſſores meos Apoſtolos.] Euidentius in Græco; qui fuerunt Apoſtoli E
ante me.

CAPVT II.

PROSEQVITVR id quod cœperat in capite priori, aſtruens ſe non
accepiſſe ab homine, neque doctum ab homine Euangelium, ſed à
Chriſto. Inquitque poſt primum illum congreſſum cum Petro, poſt
triennium conuerſionis ſuæ, annos quatuordecim permanſiſſe, antequam ſe-
cundò Hieroſolymam reuerteretur. Reuerſus contulit Euangelium quod
prædicabat, cum Petro, Iacobo & Ioanne; vt illos certos faceret Euangelii
quod prædicabat, & eorum auctoritate confirmaret etiam alios. Nam ipſe F
certus erat, vtpote doctus à Chriſto. Addit Titum, qui gentilis erat, ab Apo-
ſtolis non fuiſſe coactum circumcidi, ob libertatem quam adepti ſumus in
Chriſto Ieſu; de qua proſequitur, & inquit; poſtmodum, cum eſſet Antio-
chiæ, ſe reſtitiſſe Petro in faciem, qui ſimulatione, qua vſus fuerat, cogebat
gentes Iudaizare. Poſtmodū in uniuerſum de lege loquens, & de fide in Chri
ſtum; docet homines iuſtificari per fidem, non autem per legem. *Seorſum au-
tem his, qui videbantur eſſe aliquid.*] Seorſum accipitur pro præcipuè; vt ſcili-
cet eorum auctoritate confirmaret gentes in Euangelio, quod prædicabat.
Ne fortè in vanum currerem, aut cucurriſſem.] Hoc non eſt referendum ad Apo-
ſtolum; nam conſcius ſibi erat ueritatis Euangelij, quod prædicabat doctus à
Chriſto: ſed referendum eſt ad eius auditores, & gentes, quas confirmatura G
fuerat apoſtolorum auctoritas. *Sed propter introductos falſos fratres, qui ſub-
introierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu; vt nos in ſer-
uitutem redigerent: quibus neque ad horam ceſſimus ſubiectioni, vt veritas Euangelij
permaneat apud vos.*] Contulit Apoſtolus Euangelium cum Apoſtolis, ut gen-
tes confirmaret, & argueret falſos quoſdam fratres, qui ut exploratores ſub-
introierant; & ex libertate Chriſti uolebant gentes ſubijcere ſeruituti le-
gis. *Ab his qui uidebantur eſſe aliquid, quales quondam fuerint, mea non intereſt;
Deus enim non accipit perſonam hominis.*] Obſcurè loquitur Apoſtolus, taxans
Petrum, ut ego reor, propter ſimulationem illam, de qua infra; vel innuens
ignobilitatem & vilitatem eorum, qui ignari piſcatores fuerant: qua in re
eis Paulus præſtabat. Sed ſe corrigens inquit, Deum non accipere perſonam H
hominis, ſeu vilis, ſeu nobilis, ſeu docti, ſeu ignari; Ideoque nihil intereſſe
ſua hoc quod quiſpiam in eis reprehenderit. *In faciem ei reſtiti, quia reprehenſi-
bilis erat,* [in Græco] reprehenſus; & ut reor, innuit rationem Apoſtolus, cur
non clam, ſeu in faciem reſtiterit Petro; quoniam audierat ſcandalizari gen-
tiles, & eum reprehendere; inde palam reſtitit, ut ſcilicet ueritas eſſet euiden-
tior, faſſo Petro id uerum eſſe, quod à Paulo dicebatur. *Non ex gentibus pecca-
tores.*] Quoniam ſanctus putabatur, Iudæus populus; gentes uero ne-
quam & peccatores. *Scientes autem quod non iuſtificabitur homo ex ope-
ribus legis; ſed ex fide Ieſu Chriſti: & nos in Chriſto credimus.*] Notan-
dum

A dum quod Paulos occaſione ſumpta ex cæremoniis legis Moſaicæ, amplifi-
cat ſermonem ſuom, & extendit ad uniuerſam legem, in qua etiam moralia
præcepta continentor; iuxta ea quæ dixerat & tractauerat in Epiſtola ad Ro-
manos, differens nullum hominem iuſtificari ex operibus legis, ſed ex fide Ie
ſu Chriſti. *Quod ſi quærentes iuſtificari in Chriſto, inuenti ſumus & ipſi peccatores, nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? abſit. Si enim quæ deſtruxi, iterum readiſico, præuaricatorem me conſtituo.*] Illi qui ſimul cum fide Chriſti aſſerebant ſeruandam
eſſe legem & legalia præcepta, per eorum tranſgresſionem peccabant; quia
non ſeruabant legem, coi ſe ſubiecerant. Hoc autem non contingebat illis ex
Chriſto, ſed ex ipſis. Nam per Chriſtum liberati erant ab eo legis imperio,
B cui tamen ſponte ipſi ſe ſobijciebant. Ideo Chriſtus non erat eis miniſter
peccati, ſed ipſi ſe peccatores ſubijciebant. *Ego enim per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam.*] Quoniam ex vaticiniis legis & Prophetarum prædictus
fuerat Chriſtus, qui eſt finis legis, & per qoem liberamor à ſeruitute legis, à
legis maledicto; Iccirco dicit Apoſtolus ſe legi mortuum eſſe, vt viuat Deo
per Chriſtum & in Chriſto: & hoc per legem, id eſt, per ea qoæ lex dicebat,
& vaticinata erat. quæ ſubdit, pertinent, ad eandem ſententiam explicandam,
antea dicta.

CAPVT III.

C ACCENSVS Paulus amore Chriſti, & gratia Chriſti; quam miſeri
Galatæ reiiciebant, putantes ſe ioſtificari per legem; in eos inuehi-
tur, ob nimiam charitatem, appellatque eos inſenſatos & ſtultos:
qui cùm cœperint ſpiritu, nunc uolunt profici carne. Supra diximus carnem
Apoſtolum appellare legem; & qua ratione explicauimus. Multa deinde diſ-
ſerit, ac eadem ferè quæ in Epiſtola ad Romanos; vt aſtruat hominem iuſtifi-
cari per fidem, per quam inſeritur Chriſto, ſibi ipſi mortuus: vt iam non ſit ip
ſe, ſed Chriſtus in quo viuit, & qoi in eo oioat. Nam promisſiones factæ A-
brahæ factæ ſunt ſemini, non ſeminibus; quia in ono, & non in multis, id eſt
in Chriſto. In eo enim donec viuimus imperfecti & multas habentes macu-
las, benedicimur, iuſtificamur apud Deom, & Deo placemus; non in nobis.
D Interpellat nunc Chriſtus pro nobis; qoia ſe medium opponit inter nos &
Deum, vt Deus oideat nos in ipſo. Cùm autem tradiderit regnum Deo & pa
tri, & Deos erit omnia in omnibus; tunc non interpellabit pro nobis. In pri-
mo de Trinitate Auguſtinos polchrè hoc tractat. Hæc ſumma. *Ante quorum oculos Chriſtus proſcriptus eſt, in vobis crucifixus.*] Galatæ, cùm primùm fidem ac-
ceperunt ab Apoſtolo prædicatam, adeo ei adhæſerunt, adeo imbiberunt, vt
non credere, ſed oiderentur proſpicere Chriſtum ante eorum oculos crucifi-
xum. *Sic ſtulti eſtis, vt cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini.*] Semper cõ
ſummatio ex perfectiori fit, quàm initium. Cœperant Galatæ ex ſpiritu, ex fi-
de; poſtmodum uolebãt perfici per legem, per cæremonias illas, præpoſterus
certè progresſus. *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa, ſi tamen ſine cauſa.*] Laborat & pa-

 titur

titur ſine cauſa, qui fruſtra laborat, nec aſſequitur finem, ad quem inſtitu- E
tus eſt labor: quod omen poſtmodum auertit à Galatis, dicens, ſi tamen
ſine cauſa; ac ſi diceret, abſit, ut ſine cauſa paſſi fueritis & laboraueritis. *Chri-
ſtus nos redemit de maledicto legis; factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt,
maledictus omnis qui pendet in ligno; vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chri
ſto Ieſu.*] Mira commutatio, Iuſtitia ſeruata eſt, & nobis iuſtè donata eſt
Chriſti Iuſtitia; facti omnes unus in Chriſto. Suſcepit Chriſtus in ſe male-
dictum noſtrum, quod incurrimus legi ſubiecti, & factus eſt maledictum
pro nobis, ut promiſsio Abrahæ, id eſt, ut benedictio, quam Deus Abra-
hæ promiſerat, fieret in gentibus in Chriſto Ieſu; id eſt, vt gentes per fidem
inſertæ Chriſto, & in ſe mortuæ, in illo viuentes, fierent in Chriſto benedi- F
ctio. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius: non dicit in ſeminibus qua-
ſi in multis; ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.*] Ex his verbis A-
poſtolus adſtruit, quod dixerat ſupra; nos, ſcilicet, benedicendos & bene-
dictos eſſe in Chriſto, & non in alio; quia dicit ſcriptura Abrahæ, Et in ſe-
mine tuo benedicentur omnes gentes; non dicit in ſeminibus, ſed in ſemi-
ne, quaſi in uno. Hoc unum ſemen eſt Chriſtus. *Quid igitur lex? propter
tranſgreſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat; ordinata per Angelos
in manu mediatoris.*] Legem poſitam eſſe propter tranſgresſionem. Augu-
ſtinus de verbis Apoſtoli exponit, legem datam, ut efficeremur tranſgreſſo-
res; vt facti tranſgreſſores, recurreremus ad Chriſtum. ſed magis conuenit
his, quæ ſequuntur, cum dicit, lex pædagogus fuit in Chriſto, ideo dictum G
ab Apoſtolo, legem poſitam fuiſſe propter tranſgresſionem, vt, ſcilicet, ti-
more pœnæ coërceret nos à tranſgresſione; & cùm non generaret in nobis
amorem iuſtitiæ, tandem nos ipſos nobis oſtenderet iniuſtos. ideoque aſſi-
milatur pædagogo, qui continet puerum in officio timore pœnæ, donec a-
dultus eadem faciat ſponte, & amore decori ciuilis. Sequitur, donec ueni-
ret ſemen, cui promiſerat. ſemen hoc unum Abrahæ Chriſtus eſt, in quo be-
nedicimur omnes. Ordinata per Angelos: Nonnulli interpretantur An-
gelos Moyſem & Aaron, tanquam Dei nuncios. Sed mihi magis placet, ut
veri Angeli intelligantur, qui apparuerunt Moyſi, & ei locuti ſunt in perſo-
nam Dei. in manu mediatoris, id eſt, in eius poteſtate, Chriſti inquam; quo-
niam per Chriſtum impleta eſt, quoad cæremonialia, & ideo abrogata: à H
Chriſto impleta eſt, quoad moralia, pro nobis: eius etenim iuſtitia & meri-
ta, noſtra ſunt. Liberauit etiam nos Chriſtus ab eius maledicto, & ab eius po-
teſtate. Iccirco poſita fuit in eius manu. *Mediator autem vnius non eſt: Deus
autem vnus eſt.*] Mediatorem non eſſe unius, quidam interpretantur, quaſi
inter duos ſemper mediator ſit. quod quamuis ſit uerum, neſcio quomo-
do faciat ad propoſitum. Niſi fortaſſe velit Chriſtum dicere mediatorem,
non tantùm inter nos & Deum, ſed inter vetus teſtamentnm & nouum. Sic
in Epiſtola ad Hebræos: Noui teſtamenti mediator eſt. Et hoc pacto con-
ueniret cum his, quæ dixerat de lege. Poſſumus tamen exponere, ut ea de cau
ſa Paulus addiderit hæc uerba: Nam cùm dixiſſet legem poſitam fuiſſe in

manu

A manu mediatoris, oſtendit conuenire Chriſto eſſe mediatorem quatenus ho
mo eſt, vnitus Deo in unitate perſonæ. *Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? abſit.*
Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit ſcri-
ptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.] Quo-
niam ſuprà dixerat promisſionem & teſtamentum anterius, legem poſterio-
rem non abrogaſſe, ſed firmum manere; ut ſcilicet hæc promisſio, id eſt, be-
nedictio promiſſa daretur credentibus in ſemine, in quo promiſerat ſe eam
daturam, poſſet aliquis obijcere, ex hoc ſequi, legem datam eſſe contra pro-
miſſa Dei; vtpote quæ faceret nos præuaricatores, & ideo non compotes
promiſſorum. Hanc obiectionem remouet Apoſtolus, & dicit; abſit. Ac de-
B inde proſequitur, oſtendens primò legis infirmitatem, ad iuſtitiam in nobis
faciendam. quoniam non eſt data lex, quæ posſit viuificare animam. Sed quid
vtilitatis nobis lex præſtat? præſtat hoc, quia oſtendit nos peccatores, ut quo-
quouerſum nos uerterimus, uideamus nos concluſos eſſe ſub peccato; ut ex
ea admoniti curramus ad fidem, ut ſcilicet credētes promisſionis efficiamur
compotes, & benedicamur in Chriſto: & per ipſum uitam accipiamus, quam
lex dare non poterat. *Priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in*
eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iu-
ſtificemur. At vbi venit fides, non ſumus ſub pædagogo] Proſequitur id quod cœ-
perat de lege & fide; & inquit, antequam veniret fides prolata & prædicata
per Chriſtum, cuſtodiebamur ſub lege, à qua timore pœnæ quoquomodo à
C peccatis abſtinebamus; concluſi in eam fidem quæ reuelanda erat, per quam
in Chriſto benediceremur; & acciperemus promisſionem factam ad Abra-
ham. Itaque concludit legem fuiſſe pædagogum in Chriſto, ut iuſtificemur
ex fide. Cùm ergo uenit fides, non ſumus amplius ſub pædagogo. Nota tamē,
quod prima ea uerba, quæ ſuprà expoſuimus, Si enim data eſſet lex, quæ poſ-
ſet viuificare, uerè ex lege eſſet iuſtitia. Quod, cùm Apoſtolus uideatur red-
dere cauſam, dictorum ſuprà, ſcilicet quòd lex nō eſt aduerſus promiſſa Dei;
poſſet etiam alio modo exponi ab eo, quem ſupra tetigimus. Nam Dei pro-
misſio fuit, quod in ſemine Abrahæ omnes gentes erant benedicendæ. Po-
ſtea uerò data fuit lex, quam qui ſeruabat, benedicebatur: ergo uidebatur lex
eſſe Dei promisſio, cùm aliqui eſſent benedicendi per legem, & non in ſemi-
D ne Abrahæ. Inquit Apoſtolus, abſit ut lex ſit contra promiſſa Dei: quia non
eſt data lex, quæ poſſet viuificare, ac propterea poſſet ſeruari. Sed data eſt lex,
quæ oſtēderet nos peccatores, ut inuitaret nos ad fidem; & per fidem in Chri
ſtum, eſſemus compotes benedictionis & promisſionis Dei. *Omnes enim filij*
Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. (vſque ad finem capituli.) Ex hoc lo-
co clarè perſpici poteſt, quonam pacto, ſecundum ſententiam Apoſtoli, iu-
ſtificemur, id eſt, reconciliemur Deo, efficiamur filij Dei, & accipiamus Spi-
ritum Sanctum. Nam per fidem inſerimur in Chriſtum, induimus Chri-
ſtum, nobis mortui, transformamur in ipſum, & omnes unus ſumus in ipſo,
& ſic ſumus in ſemine Abrahæ, & in ipſo efficimur compotes benedictionis,
iuxta promisſionem Dei.

CAPVT IIII. E

PROSEQVITVR comparationem quam incœperat de pædagogo
& lege, Inquitq; hæredem eſſe ſub pædagogo vſq; ad tempus præ-
finitum; poſtmodum fieri, liberum & dominum. ita nos quoq; par-
uulos fuiſſe ſub lege, vſque ad temporis cõſummationem, quando Deus mi-
ſit Filium ſuum factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret. quo-
niam Chriſtus pro nobis legem impleuit; per quem liberati ſumus à lege, &
adoptati in filios Dei. Deinde hortatur Galatas, ut quomodo cœperant,
pergant. & tandem interpretatur allegoricè filios illos duos Abrahæ, Iſmaël
& Iſaac; & transfert ad duo teſtamenta; res perſpicua eſt. *Sub Elementis mun-* F
di eramus ſeruientes.] Appellat mundi Elementa traditiones legis Moſaicæ,
ſub quibus erudiebamur; ſicuti pueri qui dicunt Elementa. *Quoniam autem
eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem Abba pater.*] No
tandum, ex hoc loco Pauli poſſe elici, nos prius eſſe Dei filios, & ob id acce-
piſſe ſpiritum filii Dei; & non è contrà, vt ſcilicet, propterea ſimus filii Dei,
quia accepimus ſpiritum filii ſui clamantem Abba pater. *Nunc autem cùm
cognoueritis Deum, immò cogniti ſitis à Deo.*] Figura loquendi Hebraica, cogni-
ti ſitis à Deo, id eſt, in cognitionem adducti. Sic in alio loco, qui diligit
Deum, cognitus eſt à Deo, id eſt, in cognitionem adductus: ut ſuprà notaui-
mus in prima ad Corinthios. *Eſtote ſicut ego, quia ego ſicuti vos.*] Perſecutus
fuerat Paulus Eccleſiam Chriſti, ut ſeruaret cæremonias Iudaicas; poſtmo- G
dum conuerſus ad Chriſtum, omnes illas reliquit: quare ad idem ſuo exem-
plo hortatur Galatas.

CAPVT V.

HORTATVR Galatas, cùm Chriſtiani ſint, filij liberæ, & non an-
cillæ, vt perſiſtant in eâ libertate, in quam illos uocauit Chriſtus;
neque iterum ſe ſubiiciant ſeruituti legis. Nam qui circumciditur,
debitor eſt ſeruandæ uniuerſæ legis, neque Chriſtus quicquam illi proderit.
Et ne fallerentur ſub hoc nomine libertatis, declarat ſe per libertatem intelli
gere, libertatem ſpiritûs, non carnis; per quam non perficimus opera carnis,
neque ſequimur eius concupiſcentias, quæ in nobis ſunt. Narrat deinde ope- H
ra ſpiritus, aduerſus quæ non eſt lex: & deinde opera carnis, aduerſus quæ lex
eſt. *State & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri.*] In Græco textu, principium
huius capituli cõnectitur fini alterius: inquit enim, qua ergo libertate libera-
uit uos Chriſtus, ſtate, & nolite iterum iugo ſeruitutis cõtineri. *Ecce ego Pau-
lus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*] Nihil pro-
deſt Chriſtus ei, qui fide non eſt ei coniunctus: non eſt autem ei fide coniun-
ctus, qui circumciditur; nam facto teſtatur Chriſtum venturum eſſe. *Teſtificor
rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.*]
Nã qui circumciditur ſubmittit ſe legi, & eam ſeruare profitetur; debitor er-
go eſt uniuerſæ legis faciendæ. *Fides quæ per dilectionem operatur.*] Græci aucto-

A res paſsiuè exponunt: ſic ſuprà in ſecunda Epiſtola ad Corinthios: Mors in nobis operatur, id eſt, efficitur & effingitur. *Nemini conſenſeritis.*] Id eſt, gratia nullius hominis; perſuaſio nullius hominis auertat vos ab Euangelio quod accepiſtis. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis, &c.*] Sanctus Auguſtinus notat, aliud eſſe apud Apoſtolum, facere; & aliud, perficere. qui concupiſcit, facit quod non vult: ſed ſi non conſentiat concupiſcentiæ, non perficit opera carnis. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, &c.*] Quòd charitas & fides ſit fructus ſpiritus, Apoſtolus inquit; cùm tamen fides præcedat acceptionem ſpiritus, & charitas ſit ipſe ſpiritus: demum quòd procedimus ex fide in fidem, & charitatem, creſcendo in Chriſto Ieſu.

B

CAPVT VI.

SI *ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem inuidentes, inuicem prouocantes.*] Hoc loco taxat pſeudoapoſtolos, qui, ob cupiditatem gloriæ, quærebant peruertere Galatas, ut apud Iudæos gratiam adipiſcerentur. *Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit.*] Et ideo oportet, ut quiſque probet opus ſuum, & gloriam habeat apud ſe, non apud alterũ. *Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*] Illi crucifixus eſt mundus, qui putat mũdum, & ea quæ ſunt mundi veluti mortua, & tanquam non ſint. Et è contrà ille eſt crucifixus mundo, quẽ mundus nihil facit, & putat veluti mortuum. *Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & ſuper Iſraël Dei.*] Ita in Epiſtola ad Romanos, iuſtificati ex fide pacem habemus ad Deum. inquit ergo quicunque ſequuntur hanc regulam, ut fiant in Chriſto noua creatura, pax ſuper illos: non enim amplius habent, cur diffidant ſe non eſſe reconciliatos Deo: & hi uerè ſunt Iſraël Dei; non autem illi qui circumcidunt ſe, ut fiant Iſraël. *De cætero nullus mihi moleſtus ſit. ego enim ſtigmata domini Ieſu in corpore meo porto.*] Inſinuat ſe totum in Chriſtum transformatum eſſe. Vnde etiam in corpore ferebat ſtigmata Chriſti; eò quod virgis percuſſus fuerat, & tot paſſus ob nomen Chriſti.

AD EPHESIOS.

HAEC Pauli Epiſtola grauisſima eſt, & plena myſteriorum.
Nam gratias agit Deo, quòd Epheſij crediderint, & iudica-
ti ſint in charitate erga ſanctos: aperitque myſterium, do- F
cens eos, omnia hæc beneficia eſſe ipſis à Deo præſtita in
Chriſto Ieſu; qui uocauit eos cùm gentes eſſent, alienati à
Deo: nec tantùm uocauit, ſed etiam elegit & prædeſtina-
uit ante mundi conſtitutionem, multáque in hanc ſententiam affert; vt eis
oſtendat, quantum debeant Deo & Chriſto. In poſteriori deinde parte Epi-
ſtolæ, iuxta morem, quem etiam in aliis Epiſtolis ſeruat, multa eis præcepta
tradit, quæ pertinent ad benè uiuendùm ſecundum Chriſtianam pietatem.
Hæc ſumma.

CAPVT I.

NIHIL ferè aliud agit in hoc capite, præterquam agere gratias Deo, G
pro beneficiis collatis Epheſiis, immò omnibus Chriſtianis, quos
elegit in Chriſto ante mundi conſtitutionem; in quo omnia uo-
luit inſtaurare, quæ in cœlis, & quæ in terris; & hoc gratis, ſecundum pro-
poſitum gratiæ ſuæ, nullis meritis noſtris præcedentibus. *Benedictus Deus,
& pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in
cœleſtibus in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.*] Scopus
Pauli in hoc loco eſt, vt, gratias agens Deo, oſtendat beneficia grata nobis
collata, per Chriſtum & in Chriſto: à quo etiam uenit, ut, facti Chriſtia-
ni, mereri posſimus vitam æternam. Ideò bene dicit primò Deum, quem
coniungit cum Chriſto, dicens, Pater domini noſtri Ieſu Chriſti. Subdit
deinde pro qua re illum laudet, & gratias agat. (nam tantum ualet benedi- H
ctus, id eſt, ſit Deus, &c. ſicut in aliis Epiſtolis, gratias ago Deo meo.) & in-
quit, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali. benedictio pertinet
ad largitionem boni effluentis & ſeſe multiplicantis. Sic ferè vſurpatur in
omnibus ſcripturæ locis. Hæc autem boni largitio ſpiritualis eſt, non
corporalis; & pro bonis cœleſtibus, non terrenis: & hanc habemus in
Chriſto, id eſt, in quantum ſumus inſerti Chriſto, cuius ſumus participes:
& habemus gratiam in nobis participatam, in eo uerò plenam. Et ut oſtendat
quàm magnum ſit in hac benedictione Dei beneficium, inquit, ſicuti elegit
nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. Videre hinc poſſumus, quàm nihil
ſit noſtrum in hac benedictione: quandoquidem ante mundi conſtitutionē

A Deus nos elegit in Chriſto; quod vbique Paulus conatur oſtendere, nos per fidem & charitatem inſertos eſſe Chriſto;& quod Deus reſpiciat nos ſemper per Chriſtum; vnde ſuppleatur omnibus defectibus noſtris. *Vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu Dei, in charitate.*] Deus non elegit nos, quia ſancti eramus; ſed elegit, ut nobis ſanctitatem elargiretur; quam in hac vita incipimus habere, in conſpectu tamen Dei, qui nobis largitur iuſtitiam Chriſti, & nos inſpicit per ipſum, iam habemus,& immaculati ſumus in eius conſpectu. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.*] Per filium naturalem in eo inſerti, efficimur filij adoptiui Dei, in ipſum ſcilicet Deum; eò

B quòd efficiamur participes diuinæ naturæ per Chriſtum: & eſt phraſis Paulina. & hanc adoptionem adipiſcimur, non ex nobis, ſed ſecundum propoſitum uoluntatis Dei,in laudem gloriæ gratiæ ſuæ; ut ſcilicet ſolus ipſe laudetur,ſoli ipſi gloria debeatur, pro gratia quam nobis eſt impartitus. *In qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.*] Per gratiam Dei, & ſpiritum ſanctum inſerimur in Chriſto, & in ipſo perfectè ſumus grati Deo. *In quo habemus redemptionem peccatorum.*] Nam inſerti Chriſto, redempti ſunt à ſeruitute Diaboli, & peccati; & obtinuerunt remisſionem peccatorum. *Secundum diuitias gratiæ eius; quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia & prudentia: vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum eius.*] Non poteſt Paulus verbis aſſequi id, quod mente conceperat, de beneficiis nobis à Deo collatis

C per Chriſtum, & in Chriſto. Ad pleniorem boni poſſeſſionem, pertinet cognitio magnitudinis boni illius quod posſidemus. Sic Petrus in ſecunda Epiſtola, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Ita hîc Paulus appellat diuitias gratiæ Dei, quòd nobis reuelauit Sacramentum, id eſt, arcanum voluntatis ſuæ; quòd, ſcilicet, ſibi placuit inſtaurare omnia in Chriſto Ieſu; & ſub eo capite. (ſic enim in Græco recapitulare) conciliare inuicem ea, quæ ſunt in cœlis,id eſt,angelos,& ea quæ ſunt in terris,id eſt,homines. Vide quãtum ſit hoc beneficium; quod etiam latius patet erga gentes, quæ erant alienæ à Deo,ut infrà docet expresſius. *In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ eius, nos qui ante ſperauimus in Chriſto.*] Sortem hîc appel-

D lat Paulus,non caſum & temeritatem,ſed partem & hæreditatem; ſic in aliis ſcripturæ locis,nam apud Græcos κλῆρος & ſortem,& hæreditatem ſignificat. Ea, quæ ſubdit, omnia pertinent ad expresſionem gratiæ Dei; ut omnis laus & gloria ei ſoli debeatur,nihil autem nobis. *In quo & vos cùm audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ, in quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.*] Orditur id, quod poſtea clarius & vberius eſt explicaturus.Nam cum dixiſſet ſuprà, in quo nos uocati ſumus; quod pertinet ad Iudæos qui crediderant; accedit ad Gentiles,in quibus erant Epheſij, & inquit, in quo & uos, ſcilicet,uocati eſtis; ſicuti ſuprà,in quo nos uocati ſumus; cùm audiſſetis uerbum ueritatis, appoſitione, Euangelium ſalutis ueſtræ. Nam fides ex auditu; auditus autem per uerbum Dei.Sequitur,in quo credentes ſignati eſtis ſpiri-

tu

tu promiſsionis ſancto; id eſt,in quo Chriſto ſignati eſtis uos credentes; quia E
per fidem inſerimur Chriſto , à quo haurimus gratiam & ſpiritum ſanctum;
ut dixit ad Galatas:ut accipiamus pollicitationem ſpiritus per fidem;quo ſpi
ritu ſignati ſumus, vncti ſumus , & Chriſtiani appellati. vocat ſpiritum pro-
miſsionis,ſpiritum promiſſum,more Hebræorum. *Qui eſt pignus hæreditatis ve
ſtræ,in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.*] Spiritus ſanctus qui ha
bitat in cordibus Chriſtianorum, eſt pignus; in Græco ἀῤῥαβὼν, quod notat Au
guſtinus de uerbis Apoſtoli. Nam pignus reſtituendum traditur,cùm reddi-
tum fuerit id,pro quo datum eſt pignus:ſed arra nõ reſtituitur.Nam eſt quæ-
dam portio eius,quod eſt accepturus is,qui arram habet. Sic ſpiritus ſanctus,
non redditur , ſed augetur , vſque ad plenam poſſesſionem . Sequitur , in re- F
demptionem acquiſitionis. Hebraiſmus eſt : appellat acquiſitionem , popu-
lum credentem,acquiſitum à Chriſto:redemit nos Chriſtus à ſeruitute Dia-
boli ; à ſeruitute peccati . Hæc redemptio fit perfecta , cùm accipimus ſpiri-
tum ſanctum , & efficimur Dei participes , per ſpiritum ſanctum nobis da-
tum. Ideò dicit Paulus,ſignatos arra ſpiritus ſancti, in redemptiouem acqui-
ſitionis. Sequitur, in laudem gloriæ ipſius. Non ſibi,& affectui cordis ſui ſa-
tisfacere poteſt Apoſtolus in tribuendo omnem laudem & gloriam Deo. *Vt
Deus domini noſtri Ieſu Chriſti,pater gloriæ.*] Quidam ita diſtinguunt,ut Deus,do
mini Ieſu Chriſti pater,gloriæ ; ut ſcilicet, Deus coniungatur cum particula,
gloriæ . Deus etenim gloriæ, eſt Deus glorioſus,domini Ieſu Chriſti pater.
Eſt enim Chriſtus,Dei patris vnigenitus filius. Tamẽ credo, quòd etiã Deus G
poſsit coniungi cum Chriſto;qui ut homo Dei eſt,& Deũ habet. Sic in Euan
gelio: Adſcendo ad Deum meum & Deum veſtrum . Ita Apoſtolus ſuprà ſe-
cunda ad Corinthios, caput Chriſti Deus . eſt enim minor patre ſecundum
humanam naturam , & ita Deum habet maiorem ſe . *Illuminatos oculos cordis
veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius; & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſan
ctis; & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos , qui credimus , ſecundum
operationem virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto Ieſu , ſuſcitans eum à mortuis.*]
Maximum uitium eſt ingratitudo . iccircò Apoſtolus nos omnibus modis
prouocat ad gratitudinem : gratitudo autem excitatur ex cognitione benefi-
cij in nos collati. Ideò Apoſtolus orat,ut Epheſij cognoſcant,ſciant,illuminẽ
tur in cognitione , quæ ſit ſpes vocationis eorum, id eſt, quo tendere debeat H
eorum ſpes. Et quia ſpes noſtra eſt, ut ſimus compotes hæreditatis; ideò ad-
dit,& quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis. Et quia cor noſtrum ma
gis in Deum erigitur, ſi,præter beneficiorum magnitudinem, perſpiciat etiã
magnitudinem uirtutis , qua utitur Deus conferens nobis tam magna benefi
cia; ideò ſubdit & quæ ſit magnitudo uirtutis eius in nos, qui credimus. De-
clarat deinde qualis ſit magnitudo hæc, & dicit eſſe parem magnitudini ope-
rationis, qua ſuſcitauit Chriſtum à mortuis , & conſtituit ad dexteram ſuam
in cœleſtibus, ſuper omnem principatum, &c. Etenim eadem eſt ratio capi-
tis & membrorum,licet prius & excellentius ſit in capite,quàm in membris.
Eadem ergo virtute, qua ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, & ad tam ſublimem

ſtatum

A ſtatum erexit, vtitur Deus etiam in nobis, qui nunc ſecundum ſpiritum ſuſcitati ſumus, per fidem & ſpiritum Chriſti nobis infuſum: cuius vi ſuſcitabuntur etiam corpora noſtra mortalia. Senſus hic magis conuenit, ut reor, quàm ſi coniungatur particula, ſecundum operationem virtutis eius, cum ſuperiori uerbo, credimus, ut ſcilicet credamus reſurrexiſſe Chriſtum. *Omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc mundo, ſed etiam in futuro.*] Sicuti in futuro ſæculo lõgè altior erit noſtra cognitio, ita etiam erunt altiora nomina & plura. *Et in ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.*] In Græco, & ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ; id eſt, ipſum conſtitutum ſuper omnia, ut ſuprà dixerat, dedit caput eccleſiæ. *Quæ eſt corpus eius, & plenitudo eius, qui omnia in omni-
B bus adimplet.*] Eccleſia eſt corpus Chriſti, cuius ipſe eſt caput. quare, ſicuti mẽbra, corpus capitis implent & conficiunt; ita Eccleſia eſt plenitudo Chriſti: eſt enim corpus eius capitis, & nos membra Chriſti; ideò plenitudo eius eſt. Sequitur, qui omnia in omnibus adimplet, ſeu adimpletur; nã in Græco uerbum medium eſt, quod actiuè & paſſiuè accipi poteſt. Et in vtroque ſenſu hîc commodè accipitur. Nam & Chriſtus adimpletur ab Eccleſia, ut ſupra diximus; quia corpus eius eſt Eccleſia: quare tota etiam cum capite poteſt appellari unus Chriſtus. & Chriſtus implet per omnia, & in omnibus Eccleſiam & omnia eius membra; quia in ea influens perficit: & ſi quis in membris defectus eſt, in ipſo euaneſcit & diluitur.

C
CAPVT II.

EXPLICAT in hoc capitulo Paulus illud quod ſuprà preſſius dixerat, oſtendens Epheſiis quantum debeant Chriſto, qui prius in peccatis & deſideriis carnis vixerant, ſicuti & Iudæi; nunc autẽ in Chriſto renati ſunt. Ideò hac ratione tantum debent, quantum omnes alij. ſed præter hanc communem cum aliis cauſam, magis adhuc Chriſto debent; quoniã cùm gentiles eſſent, erãt alieni à populo Dei, & à promiſſionibus factis Iſraëlitico populo. Nunc uerò facti unum cum Iudæis credentibus in Chriſto Ieſu; in quo ſunt diſſolutæ omnes inimicitiæ inter nos & Deum, inter gentes & Iſraëlem; pariter in eodem ſpiritu habemus acceſſum ad Deum. Non mirum eſt, quòd adeò ſtudeat Paulus, ut ſimus grati Deo & Chriſto, à quo om-
D nia bona, & ſine quo nihil eſt factum. *Et vos cùm eſſetis mortui in delitijs & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aeris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ.*] Appellat Paulus, ſæculum mundi huius, durationem, & vitam eorum qui amant mundum. Hoc nomen, ſæculum, ſeu æuum, durationem cuiuſcunque rei ſignificat: vnde & vita & medulla dorſi in quà eſt vita, ſecundum Platonem, ab Homero appellatur αἰών. Sequitur in textu, ſecundum principem poteſtatis aëris huius ſpiritus: Hebraiſmus, & figura locutionis Paulinæ. Secundum principem, id eſt, ſecundum inſtituta & exempla principis aëris huius ſpiritus, &c. Caliginoſus hic aër habitatio eſt Dæmonum, qui nos exercent, & qui habent poteſtatem in prauos homines qui eis ſeruiunt. Filios diffiden

tiæ appellat eos, qui fidem reijciebant, p er quam eſt introductio ad vitam & ad libertatem. *Facientes voluntatem carnis & cogitationum.*] Quicquid eſt in mundo inquit Ioannes,uel eſt concupiſcentia carnis,uel concupiſcentia oculorum,uel ſuperbia uitæ. Ad hæc poſteriora,pertinet volũtas cogitationum, ſicuti concupiſcentia carnis ad primum.*Eramus natura filij iræ,ſicut,&c.*] Non ſumus natura filii, id eſt, ex principiis naturæ; ſed ab ipſa natiuitate, propter originale peccatum, in quo cõcipimur omnes & naſcimur. *Conuiuificauit nos in Chriſto,&c. quæ ſequuntur.*] Animaduerte hunc perpetuum eſſe ſcopum Pauli, ut doceat nos eſſe inſertos Chriſto: vnde omnia quæ Chriſti ſunt, nobis attribuit. *Vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus.*] Sæcula ſuperuenientia poſſunt intelligi æuum illud poſt iudicium; quod ſuperuenturum eſt tempori, id eſt, poſt deſtructionem temporis: tunc enim perfectè apparebunt diuitiæ bonitatis Dei ſuper nos. vel intelligit tempus omne poſt mortem Chriſti, in quo reuelata eſt hæc bonitas Dei erga nos, per Chriſtum. vel intelligit tempora poſt ipſum Paulum futura;promulgato iam Euangelio,& in honore habito apud omnes gentes. *Dei enim donum eſt,non ex operibus, vt ne quis glorietur.*] Hæc particula poteſt referri & ad gratiam, qua ſalui facti ſumus; hæc enim eſt Dei donum, non ex operibus noſtris; & ad fidem. nam etiam fides donum Dei eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Propter quod memores eſtote quod aliquando vos, qui gentes eratis in carne,&c.*] Hæc eſt pars ſecunda huius capitis, in qua, poſtquam oſtenderat maximum beneficium eis per Chriſtum collatum; quod commune erat in omnibus credentibus, tam Iudæis quàm gentilibus; oſtendit priuatum erga eos Dei beneficium, ob id, quòd erant ipſi gentiles,alieni à populi Dei, alieni à promiſsionibus Iſraêlitici populi, vocati tamen fuerant ad Chriſtum. *Sine Deo in hoc mundo.*] Non quod Deus, non eſſet illorum Deus; ſed quoniam ipſi alieni omninò erant à cultu veri Dei. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans; vt duos condat in ſemetipſo, in vno nouo homine.*] Diuiſi erant gentiles à populo Iſraêlitico per legem, quæ data fuerat Iudæis, & ſub qua viuebat populus ille; ad gentes autem non pertinebat. Hac igitur, veluti maceria diſiuncti inuicem erant.Erant etiam diuiſi à Deo,propter peccata,quæ admiſerant,& in quibus nati erant. Primò ergo dicit Apoſtolus, quod Chriſtus vtrunque populum reconciliauit,condens eos denuo in ſemetipſo i n nouum hominem; & ita liberauit vtrunq; à legis maledicto,& à ſeruitute legis,cui ſeruiebant ob timorem pœnæ. Ipſe autem Chriſtus perfectè legem ſeruans, & condens vtrunque in ſemetipſo, in nouum hominem, per ſpiritum ſanctum nobis datum, liberauit à lege, id eſt, à legis maledicto; & à ſeruitute timoris,dans nobis ſpiritum charitatis & adoptionis: ideo dicit Paulus, quod Chriſtus diſſoluit parietem maceriæ inter vtrunque popu lum,& euacuauit legem poſitam in decretis veterum mãdatorum. *Vt reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.*] Altera erat diſiunctio inter Deum & vtrunque populum, propter peccata vtriuſque gentis. Hanc Paulus tractat, & eius

diſſolu-

A diſſolutionem per Chriſtum, qui per crucem in ſemetipſo deſtruxit inimici-
tias inter nos & Deum. Inimicitias peccata appellat, propter quæ eramus
Deo inimici: peccata omnium noſtrum poſuit Chriſtus in ſemetipſo, & pro
illis ſatisfecit amplisſimè per crucem, & pro nobis efficacisſimè; ſi dignè
Deo ambulemus. Et ſic in ſemetipſo deſtruxit inimicitias, & nos Deo re-
conciliauit.

CAPVT III.

SVPRA expoſuerat Apoſtolus; quantum Epheſij priuato nomine
deberent Deo & Chriſto, quod uocati eſſent per Euangelium, &
B inhæſiſſent Chriſto, in quo facti eſſent participes promisſionis Dei,
&c. In hoc capite magis hoc Dei arcanum explanat, dicitq́ue ſe miniſtrum
conſtitutum fuiſſe à Deo, in gentibus, ut eis hoc arcanum patefaceret, & vo-
caret eos per Euangelium ad Chriſtum, pro quo miniſterio, ſibi credito, vin-
ctus erat. Rogat deinde Deum, ut det Epheſiis indies magis corroborari in
ſpiritu, ſecundùm interiorem hominem; & Chriſtum per fidem habitare in
cordibus eorum, ut posſint comprehendere, quæ ſit longitudo, latitudo, &c.
Huius rei gratia ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu pro vobis gentibus.] Sermo pendet,
multis interpoſitis, vſque ad eam particulam, propter quod peto, ne deficia-
tis in tribulationibus. *Quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum.*] Fi
lios hominum appellat prudentes & ſapientes ſæculi, qui ſapiunt ſecundum
C humanam prudentiam. Sic in multis ſcripturæ locis. *Eſſe gentes cohæredes, con-
corporales, & comparticipes promisſionis in Chriſto Ieſu per Euangelium.*] Promisſio
Dei facta Abrahæ, fuit, quòd in eius ſemine benedicerentur omnes gentes;
quod ſemen Chriſtus eſt, ut in Epiſtola ad Galatas ſuperiùs. In Chriſto au-
tem per Euangelium, id eſt, prædicationem fidei, gentes fiunt cohæredes
cum Iſraêlitico populo, qui eſt in Chriſto: concorporales, quia ſimul mem-
bra eiuſdem corporis; & comparticipes hæreditatis & benedictionis pro-
miſſæ à Deo in Chriſto Ieſu. *Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti.*] Quo-
niam facti ſumus diuites in illo, eò quòd diuitiæ illius nobis donatæ ſunt, &
nobis communicantur. *Vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus,
per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.*] Fuit reuelatum myſterium Chriſti
D angelis, multa tamen particularia non fuêre eis reuelata, quæ de die in diem
uidentes in Eccleſia fieri, eis nota fiebant. Hæc autem multiformia erãt: ideò
dicit Apoſtolus, multiformis ſapientia Dei innoteſcit principatibus, & pote-
ſtatibus, per Eccleſiam. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia, per fi-
dem ipſius.*] Hoc in loco, ut reor, Paulus explicat, quid nam per fidem intelle-
xerit in multis locis aliis. Nam explicat nos habere fiduciam & acceſſum in
confidentia, per fidem ipſius, id eſt, Chriſti. Nam, quoniam credimus in Chri
ſtum, id eſt, ad eum, per eius præcepta, credendo benéque agendo ambula-
mus; & ipſi fidimus, à quo nobis fuit facta promisſio, & prædicatum Euan-
gelium; habemus fiduciam ad Deum, itemq́ue acceſſum ad Deum in con-
fidentia. *Propter quod, peto ne deficiatis in tribulationibus meis probis.*] Ecce

Tt locus,

locus; cui anne&ctitur prima huius capituli particula. Ego Paulus vinctus E
Ieſu Chriſti, peto ne deficiatis, à fide ſcilicet; & ne deſpondeatis animum in
tribulationibus meis: nam erat vinctus, pro eis: eò enim quòd prædicabat
Euangelium in gentium utilitatem, vinctus erat. *Ex quo omnis paternitas in cœ-
lo & in terra nominatur.*] In Græco πατριά. ſignificat autem cognationem & ge-
nus, ab quopiam vno deducta. Quia ergo pater in diuinis, eſt primum prin-
cipium totius diuinitatis in perſonis diuinis; & ab eo, in quo primo inueni-
tur ratio alicuius nominis, deducitur illa ratio ad poſteriora omnia; Iccircò
omnis paternitas, id eſt, hominum uel angelorum collectio ab uno deducta;
ſeu per originem, ut in hominibus; ſeu per gubernationem & directionem,
ut in angelis; deriuatur à patre diuino; in quo primò huiuſmodi ratio eſt & F
inuenitur. *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis; quæ ſit longitudo, latitu-
do, ſublimitas, & profundum.*] Aliqui hæc referunt ad crucem; quos non im-
probo: ſed melius referuntur ad Dei potentiam, gubernationem, virtutem,
& ſapientiam. vt longitudo, ad temporis immenſitatem, quæ ſub æternitate
eius concluditur: latitudo, ad omnium comprehenſionem. nam ſicuti nullũ
eſt tempus, quod non contineatur ab eius æternitate; ita nulla res vnquam
eſt, fuit, aut erit, quæ ſub eius ſapientia & potentia non contineatur. Sublimi-
tas, ad excellentiam, quoniam, quantumuis excelſa, excellit. profundum con-
tra ſublimitatem; quoniam Deus demittit ſe ſub omnibus, quantumuis infi-
mis, & ea continet, iuxta illud: ſi deſcendero in infernum, ades. Poteſt etiam
profundum referri ad Abyſſum iudiciorum Dei, ut Auguſtinus exponit. *Ut* G
impleamini in omnem plenitudinem Dei.] Phraſis Paulina. plenitudo Dei eſt, non
ſola eius ſcientia, neque ſola potẽtia, aut bonitas; ſed omnia hæc, & alia com-
plura, quantum, ſcilicet, ad noſtrum modum intelligendi. Iccircò dicit hîc
Paulus, vt vos impleamini in omnem plenitudinem Dei, id eſt, ut attingatis
& miremini, non tantùm ſapientiam aut bonitatem Dei, ſed omnem eius
excellentiam; quam inſinuauimus per longitudinem, latitudinem, ſublimi-
tatem, & profundum. *Ipſi gloria in Eccleſia & in Chriſto Ieſu.*] Gloria Dei nobis
nota eſt in eius operibus, quæ percipimus maxima in rationali creatura; &
ea, in qua eſt adoptio filiorum, quæ Eccleſia eſt fidelium; cuius caput eſt Chri
ſtus: ideò de Eccleſia & de Chriſto mentionem facit.

CAPVT IIII. H

CVM fuerit conſtitutus à Deo Apoſtolus doctor gentium, & in ſupe
rioribus confirmauerit Epheſios in Chriſto, eorum fidem laudans;
nunc hortatur eos ad bona opera, quæ per viuam fidem operamur.
Hunc morẽ Apoſtolus ſeruat in omnibus ſuis Epiſtolis; nequis putaret, quia
Moyſis legem antiquatam eſſe oſtendit, opera Euangelicæ legis non eſſe ob-
ſeruanda. Eos autem præcipuè hortatur ad charitatem mutuam, & pacem, in
qua perfectio legis conſiſtit. præcepta deinde particularia quædam tradit, fa-
cientia ad charitatem ſeruandam. Hæc ſumma. *Aſcendens in altum, captiuam du-
xit captiuitatem; dedit dona hominibus.*] In quibuſdã Codicibus ſcribitur, accepit

dona

A doña in hominibus. Captiuitas, quam Chriſtus captiuã duxit, eſt peccatum,
Diabolus, & mors; quæ dicuntur captiuas, eò quòd nos tenebant captiuos.
Ab horum captiuitate Chriſtus nos liberauit, ideò triumphans de eis, & ea
captiua ducens aſcendit in cœlum. Inde dedit dona hominibus uaria; uel ip-
ſe accepit dona hæc in membris ſuis, tanta enim eſt vnitas Chriſti, cum mem
bris ſuis, ut inuicem ea quæ unius ſunt, alteri tribuantur. *Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia.*] Chriſtus ut uerbum Dei
omia implet: ſed ut homo, etiam impleuit omnia; nõ per eſſentiam, ut Deus,
ſed per uirtutem & operationem uirtutis ſuæ. Superna implebit, inſtaurando
& reſarciendo choros angelorum, qui ob caſum eorum, qui effecti ſunt Dæ-
B mones, diminuti erant. Impleuit etiam inferiora, ſupra terram; ſuper quam
paſſione & reſurrectione ſua, tot & tam magna bona hominibus cõtulit. In-
fra terram etiam triumphans principatus & poteſtates, & ſpolians infernũ,
animabus piorum inde deductis & liberatis: & ita adimpleuit omnia idem
Chriſtus, deſcendendo in inferiores partes terræ, & aſcendendo ſuper cœlos.
Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, quoſdam verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum.] Apoſto
li huc illuc ibant & mittebantur. Prophetæ dicebantur, qui exponebant arca-
na, & myſteria contenta in ſcriptura ſacra: Euangeliſtæ qui prædicabant Euã-
gelium, bonum ſcilicet nuncium, remiſſionem, inquam, peccatorũ per Chri
ſtum, huic obediendo. Paſtores & doctores idem erant; Epiſcopi, ſcilicet, præ
C poſiti ſingulis ciuitatibus. Nam ad Epiſcopos pertinet & docere populum, &
dirigere ad paſcua Chriſti, moribus, exemplo, & rectis inſtitutis. *In ædificatio-
nem corporis Chriſti; donec occurramus omnes in vnitatem fidei & cognitionis filij Dei,
in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*] Corpus Chriſti Ec-
cleſia eſt, quæ ædificatur ex lapidibus viuis; non tantùm carnis uita, ſed uita
ſpiritus. Aedificatur ergò dum noui lapides imponuntur, & hi qui iam ſunt
poſiti per bona opera; ſuam uocationem certam faciunt; & perfectius inhæ-
rent fundamento & capiti, quod eſt Chriſtus. Perficietur autem, cùm omnes
electi erimus in Chriſto: & tũc Deo dedicabitur, cùm tradiderit Chriſtus re-
gnum Deo & patri, ut inquit ad Corinthios. idem nunc dicit, donec occur-
ramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei; in hoc enim viua fides
D conſiſtit. In virum perfectum. ſicuti in vita naturæ, quidam ſunt pueri, quidã
adoleſcentes, quidam viri perfecti; ſic in uita Chriſtiana, in uita ſpiritus, qui-
dam pueri & paruuli ſunt, quidam augentur, quidam ad perfectionem deue-
nerunt; ad perfectionem uiæ nõ patriæ. Hoc eſt ergo quod nunc dicit, donec
occurramus omnes in virum perfectum: occurramus autẽ uel inuicem, uel
Chriſto capiti noſtro & Deo. In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. im-
plet Chriſtum, qui perfectus eſt in Chriſto: qui autẽ imperfectus eſt, quam-
uis ſit membrum Chriſti, non tamen eſt perfectum membrum; & ideo non
implet. Perſiſtens ergo in metaphora Paulus inquit, in menſurã ætatis, id eſt,
in ætatem ſpiritualem perfectam; ut adimpleamus Chriſtum, corpus ſcili-
cet eius, quod ſimul cum capite unus eſt Chriſtus. Sequitur ſecundum can-

dem metaphoram, vt non ſimus paruuli fluctuantes,&c. *Veritatem autem facientes, in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus.*] Sicuti mala opera in ſcriptura dicuntur mendacia, ita bona dicuntur veritas. quoniã correſpondent legi diuinæ, ſicuti cùm res intellecta æquatur intellectui. peccata uerò, quia diſcordant à lege æterna, dicuntur mendacia; ſicuti cùm non eſt æquatio inter rem intellectam & intellectum, falſitas eſt & mẽdacium. *Ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.*]Exactè Paulus perſiſtit in metaphora quam accepit. Nam ſicuti ex capite deductis neruis, totum animalis corpus connectitur & compingitur iuncturis; ita & totum corpus Eccleſiæ & omnia eius membra connectuntur & compinguntur in unum, ex vi ſpiritus demiſſi à capite Chriſto in omnia membra. ſubminiſtrationis ſecundum operationem. Non eſt ita copulandum ut dicamus, ſecundum omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſed ſecundum operationem ſubminiſtrationis. Nam Chriſti operatio eſt, ſubminiſtrare cuiuis membro virtutem. ſequitur, in menſuram vniuſcuiuſque membri: non enim omnium membrorum eſt eadem menſura, neque conuenit omnibus eadem, ut in humano corpore; & ſic facit augmentum corporis, Chriſtus, ut reor; uel corpus ipſum facit augmentum corporis, quoniam ſe ipſum auget ex virtute influxa à capite. Sequitur, in ædificationem ſui in charitate. ſi ſuperius intellexerit, quod Chriſtus facit augmentum, &c. hîc ſui, debet referri ad Chriſtum, quia, ut dixi, totum corpus cũ capite Chriſtus dicitur. Si referatur ad corpus, ita quod corpus ſeipſum auget, &c. vt diximus, ſui, referendum eſt ad corpus. *Per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis eorum.*] Cæcitas cordis appellatur malitia, ex qua fit, ut finis actionũm noſtrarum malus ſtatuatur. Inde uerò prouenit ignorantia in actionibus noſtris, iuxta illud, Omnis malus, ignarus. *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.*] In Græco textu ἀπηλγηκότες, quaſi qui dolere deſierint de peccatis. tradiderunt ſe, quaſi totos ſe, omninò dederunt impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ, quocunq; ſcilicet libidinis genere cõtaminati. In auaritia, in Græco, πλεονεξίᾳ quæ referri poteſt, non tantùm ad auaritiam, ſed ad libidinem, quæ fit cum alterius iniuria, ut in adulterio, raptu, &c. *Qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.*] Phraſis Paulina, in ſanctitate ueritatis, id eſt, in uera ſanctitate. *Nolite dare locum Diabolo.*]Duobus modis exponi poteſt locus hic; uel ut referatur ad cuiuſque animum. Is enim dat locum Diabolo, qui cedit ſuggeſtionibus eius, vel ut referatur ad omnes eos, eorumque ſocietatem. nã cum Diabolus ſit ſeditionis ſtimulator, & quærat diſſidiũ, debemus nos colere unitatem; & nõ dare hoſti locum, vt diuidat vnitatem ſocietatis noſtræ.

E F G H

CAPVT. V.

MVLTA præcepta tradit in hoc capite; ut imitentur Deum, ut uitia fugiant, nec imitentur improbos homines; immò potius illuſtratione ſuarum virtutum, vt detegant eorum uitia. Poſtmodum vertit

tit

A tit ſe ad mulieres & viros, qui ſunt matrimonio iuncti; & exemplo Chriſti
& Eccleſiæ eos admonet, qua uiuendi ratione inuicem vti debeant. *Nemo vós*
ſeducat inanibus verbis. propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.] Variis
modis homines in uitia inducuntur: ſpe miſericordiæ Dei, ſpe baptiſmatis
Chriſti, in quo ſumus inſerti. Omnia hæc, & ſimilia appellat Apoſtolus uer-
ba inania. filios diffidentiæ, id eſt, diffidentes & non cre dentes, ſcilicet, quòd,
niſi ſimus mortui à peccato, non poſſumus eſſe inſerti in Chriſto; & ſunt ſub
ira Dei qui mala agunt. *Non inſipientes, ſed quaſi ſapientes, redimentes tempus, quo-*
niam dies mali ſunt.] Eò quòd dies huius vitæ mali ſunt, nam mundus poſitus
eſt in maligno; iccircò oportet tempus redimere. Is redemit tempus, ut di-
B cit Auguſtinus, qui dat quippiam de ſuo, ut tēpus habeat ſeruiendi Deo. In-
dicenti litem cedit; ut tempus illud, quod erat perdendum in cauſæ tuitione,
Dei obſequiis impendat. Sic alia damna patitur, ut tempus redimat. *Sacra-*
mentum hoc magnum eſt: dico autem in Chriſto & in Eccleſia.] Sacramentum, id
eſt, hoc magnum myſterium in Chriſto & Eccleſia. Ita uerò matrimonium
magnum Sacramentum eſt, quod latet ſub matrimonio viri & vxoris.

CAPVT VI.

PROSEQVITVR quæ inſtituerat, præcepta; filios inſtruit & paren
tes, ſeruos & dominos: omnes tandem adhortatur, ut ſumant ar-
maturam Dei, & fortiter pugnent aduerſus Diabolum. Quoniam
C expoſitores ſatis ample exponunt omnia ea, quæ pertinent ad hanc armatu-
ram; nihil amplius dicam. De Euangelio pacis tantùm dicam; dictum
eſſe Euangelium pacis, quoniam annunciat nobis pacem cum
Deo, & pacem inter Iſraëliticum populum & gentes, ſi in
Chriſtum credentes ſecundum eius ſanctam
legem ambulemus.

AD PHILIPPENSES.

CAPVT PRIMVM.

F

LAVDAT Philippenſes, quod perſtiterint in puritate Euan
gelij; confidens quod vſque in extremum diem perſiſtent
in eo. Narrat quòd ſit in vinculis pro Euangelio, & quòd
vincula eius ceſſerunt in profectum Euangelii. Hæc huius
capituli ſumma; & in tota Epiſtola ferè in ijſdem verſatur.
*Omnibus ſanctis qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & diaconi-
bus.*] Nullam fecit mentionem de presbyteris; nam cum Epiſcopis eos com-
putat. quia eo tempore, qui presbyteri erant, erant etiam Epiſcopi. non quod
ordines non differrent, ſed vterque conferebatur presbytero. *Gratias ago Deo* G
meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis.] Memoria repete-
bat Apoſtolus omnes Chriſtianos in ſuis orationibus; inter quos etiam Phi-
lippenſes, pro quibus ſemper gratias agebat Deo; quoniam proficiebant ma-
gis de die in diem In Euangelio Chriſti. *Sicuti mihi iuſtum eſt hoc ſentire pro om
nibus vobis; eò quòd habeam vos in corde, in vinculis meis, & in defenſione & confir-
matione Euangelij ſocios gaudij mei omnes vos eſſe.*] Meo iudicio particula illa,
ſicuti iuſtum eſt me ſentire pro omnibus vobis, referenda eſt ad omnia quæ
ſuprà dixerat, tam de orationibus, quàm de gratiarum actionibus, & de ſpe
quam conceperat de ipſorum perſeuerantia vſque in finem. Hæc enim om-
nia ſunt amantis officia, quorum nec in vinculis oblitus fuerat vnquam. Se-
quitur, ſocios gaudij mei omnes vos eſſe. In Græco habetur, ſocios gratiæ H
mecum vos omnes exiſtentes. Nã cùm amaret vehementiſſimè omnes, Apo
ſtolus, qui communicantes erant gratiæ Chriſti; vtique amabat vehementer
Philippenſes comparticipes gratiæ. *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam vos in
viſceribus Ieſu Chriſti.*] Cupiebat Apoſtolus Philippẽſes eſſe maximè intimos
Chriſto: & quoniã viſcera ſunt ualdè intima corpori, ideo inquit, ſe eos cupe-
re in viſceribus Ieſu Chriſti eſſe, id eſt, habitare. *Repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum
Chriſtum in laudem & gloriam Dei.*] In Græco, repleti fructibus iuſtitiæ, id eſt,
bonis operibus, quæ fructificat iuſtitia: qui fructus ſunt per Ieſum Chriſtũ, in
laudẽ & gloriã Dei. Nã Deus per Chriſtũ reſpicit nos & noſtra opera, & per
eũ & in eo ſunt ei grata. *Vt plures è fratribus in domino, confidentes in vinculis meis,*

abundan-

A *abundantius, &c.*] Nota primò, diſtinguendum eſſe & dicendum plures è fratribus in Domino: omnes namque ſumus fratres, quia eundem Dominum patrem habemus; deinde proſequendum, cõfidentes in vinculis meis abundantius audeant. Vide quantum poſsit virtus, & gratia Dei. Vincula Pauli non perterrefecerunt fratres alios, immò audaciores fecerunt; excitati exemplo Pauli, & feruore fidei, quam in eo uidebant firmiorem & efficaciorem fieri in vinculis; non autem vllo pacto deferueſcere, propter vincula. *Quidam quidem propter inuidiam, & contentionem, &c.*] Hi Pauli inimici, & inuidi eius gloriæ, prædicabant Chriſtum, non ſincere, ſed ob contentionem; exiſtimantes ſe preſſuram addere vinculis Pauli. Hic locus duobus modis po-
B teſt intelligi: uel quòd Paulo non prædicante, putabant hi mali ſe in maiorem exiſtimationem deuenturos carentes æmulo; & ita ſe preſſuram addituros eius vinculis, cuius animum ex ſuo æſtimabant; ac propterea putabant eũ doliturum de eorum æſtimatione. vel quia arbitrabantur, Imperatorem, aliosq́ue primores, qui dolebant quòd Chriſtiani creſcerent, omnem culpam reiecturum in Paulum, ac magis in eam ſæuiturum. *Mihi viuere Chriſtus eſt; & mori lucrum.*] Sibi mortuus erat Apoſtolus, & uiuebat tantum in Chriſto, & in opus Chriſti; iuxta illud primæ ad Corinthios: Pro Chriſto legatione fungimur &c. Mori uerò erat ipſi lucrum, qui ad beatitudinem, excluſis moleſtiis per mortem venturus erat. Cætera vſque in finem capitis pertinent ad eundem ſenſum.

C

CAPVT II.

POSTQVAM Paulus Philippenſes confirmauit in fide Chriſti, nunc inſtruit uitam ipſorum; ac præcipuè ad humilitatem hortatur, ut ſibi inuicem cedant, & curent non ſua ſed alienum, ut Chriſtus fecit. Poſtmodum dicit ſe miſſurum Timotheum, immò ipſum venturum ad eos: Interim uerò mittere Epaphroditum, de quo multa dicit. *Si qua viſcera miſerationis.*] Nota feruorem charitatis Pauli. putabat ſe miſerum eſſe, ſi Philippenſes in quopiam deficerent, & ideo miſeratione indigere, ac ſi diceret; Si qua mei miſericordia vos tangit, implete gaudium meum. *Per humilitatem ſuperiores inuicem arbitrantes.*] Vt dicit S. Auguſtinus de verbis Apoſtoli, non
D admonet Paulus, ut ficta humilitate vtamur, & quod non uerè arbitremur ad inuicem ſuperiores, ſed ſimulemus. Hoc autẽ uerè fieri poteſt, ſi unuſquiſque conſideret interiora ſua mala, quæ certò ſcit ſibi ineſſe; de proximo uerò, cuius cor non uidet, ut ſuum, poteſt credere, & aliqua ex illis ſuis malis non ineſſe; & quoddam ſibi occultum, & ignoratum bonum. *Non rapinam eſt arbitratus eſſe ſe æqualem Deo.*] Omnes ferè exponunt, quòd cùm Chriſtus de ſe dixerit, quòd erat Deus, non rapuit ſibi honorem, quem non habebat, ſed naturalem ſibi honorem attribuit. Ego uerò non incongruè exponi poſſe crederem, quod Chriſtus, cum eſſet Deus ſecundum naturam, non ſeruauit morem, quem ſolent ſeruare illi, qui non habent honorem ex natura, ſed ex rapina. Hi namque ſuperbi ſunt & arrogantes; at Chriſtus ſeipſum exinaniuit.

Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini. Deus eſt enim qui operatur in E
vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.] Iure poſſet quiſpiam mirari de hac cauſa, quam affert Apoſtolus; cur, ſcilicet, debeamus operari cum timore & tremore ſalutem noſtram, eò quòd Deus operatur in nobis, &c. Nam potius uideretur poſſe dici contrarium. Nam ſi Deus in nobis operatur, qui ſummæ virtutis eſt, & bonitatis, confidentisſimè debemus ſalutem noſtram operari. Iccircò aduertendum, quod vtrumque ſequitur, ut ſcilicet, confidentisſimè operemur noſtram ſalutem, innixi diuina bonitate & potentia: quòd ſi reſpiciamus ad nos, qui tam peccatores fuimus, & tam fragiles ſumus, debemus, ut inquit Apoſtolus, ſemper operari cum timore & tremore. *Lucetis ſicuti luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.*] Verbum uitæ lux eſt, qua illuminati lucent, & facti ſunt luminaria; & hoc cedebat in gloriam Apoſtoli, quod non in vanum in illis laboraſſet. ac propterea ſi immolandus erat ob ſacrificium fidei Philippenſium, ſeu gentium omnium, quibus prædicauerat, & qui obſecuti Deo crediderant; gaudebat & illis congratulabatur, hortans ipſos quoque ad idem officium vicisſim, vt ſcilicet, ſibi gaudentes, & ipſi Apoſtolo congratulentur. F

CAPVT III.

HORTATVR in hoc capite Apoſtolus Philippēſes, ut caueant pſeudoapoſtolos, qui inculcabant cæremonias legis, tāquam neceſſarias ad ſalutem, præſertim circumciſionem: quos carnes Paulus appellat, dicens, quòd quamuis ipſe poſſet habere cōfidentiam in carne, id eſt, in lege, ut mos eius eſt; tamen quo ad cæremonias, & genus, & conuerſationem moralem in lege; nihilominus omnia putauit ſtercora, ut lucrifaceret Chriſtum, ut inueniretur in eo particeps illius iuſtitiæ per fidem, & communicās eius pasſionibus; ut in eo ueniret etiam ad gloriam reſurrectionis. Addit excelſa quædam de Chriſto in poſtremis uerbis; hæc ſumma. *Propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti.*] Nam ſcientia hæc qua cognoſcimus Chriſtum, & beneficia nobis in eo præſtita à Deo, ſuperat omnem aliam ſcientiam. *Et arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam quæ eſt ex fide Ieſu Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide.* Hoc in loco Paulus clarè oſtendit, quàm ſit negligenda & nihili facienda iuſtitia moralis, quæ ex nobis eſt, cùm dicat ſe arbitratum eſſe, præter multa alia; quæ commemorauit, etiam fuiſſe in lege ſine querela, (Hoc etenim pertinet ad uitam moralem, & præcepta moralia legis) vt ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret, & ut inueniretur in illo fixus, ſcilicet, ut illius membrum. non habens meam iuſtitiam, id eſt moralem, quam habebam ex obſeruatione legis, ſed eam, quæ eſt ex fide Ieſu Chriſti. Hæc iuſtitia duplex eſt; altera nobis inhærens, quæ imperfecta eſt, & perficitur continenter. Altera quæ eſt in capite noſtro, quæ plena eſt & perfecta, & nobis donatur; nam obediuimus omnes in Chriſto, & meruimus omnes in Chriſto, ſicuti peccauimus omnes in Adam, & in eo mortem meruimus, ut dicit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos. Vt hanc iuſtitiam, quæ eſt ex fide, & eſt ex Deo iuſtitia, Apoſtolus G H

A ſtolus lucrifaceret, omnia alia putauit ut detrimenta, & ſtercora. *Ad cogno-
ſcendum eum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum eius, configu-
ratus morti eius, ſi quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.*] Chri-
ſtus reſurrexit propter iuſtificationem noſtram; Hæc eſt virtus, quam Paulus
optat cognoſcere. *Et, ſocietatem paſſionum eius;* Duobus modis hæc ſocie-
tas poteſt intelligi. nam qui eſt in Chriſto, iam eſt ſocius paſsionum, quas per
tulit Chriſtus: nam ei attribuuntur, ac ſi ipſe paſſus fuiſſet. uel intelligit hanc
ſocietatem paſsionum, propterea quod quotidie affligebatur, & patiebatur;
& ſic efficiebatur particeps & ſocius paſsionum Chriſti. Sic alibi, ut ſupplea
ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti, in corpore meo, &c. Ideo fortaſſe ſubdit;
B configuratus morti eius: quamuis hoc poſsit referri ad mortificationem paſ-
ſionum, cui debemus ſemper intenti eſſe. *Sequar autem, ſi quo modo comprehen-
dam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.*] Eſſe comprehenſum à Chriſto
Ieſu, duobus modis poteſt intelligi: uel quoad opus & perfectionem vitæ, ad
quam à Deo & Chriſto electus fuerat; vt ſit ſenſus, Sequor, non deſiſto ut aſ-
ſequar id, ad quod à Chriſto ſum electus. Hoc enim ſignificat, comprehen-
ſus. vel quoad communicationem. nam membris Chriſti, ea quæ illis de-
ſunt ad perfectionem iuſtitiæ, cõmunicantur ex iuſtitia & meritis Ieſu Chri-
ſti. Ad eam ergo perfectionem aſſequendam, & comprehendendam, prope-
rabat Apoſtolus, in qua iam comprehenſus erat à Chriſto Ieſu. *Quicunque er-
go perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quis aliter ſentit, & hoc illi Deus reuelabit.*]
C Videtur Apoſtolus ſibi ipſi repugnans. nam ſuprà negauit ſe perfectum eſſe;
non quod perfectus ſim, inquit: hîc autem dicit, quotquot perfecti ſumus,
hoc ſentiamus. Auguſtinus de uerbis Apoſtoli ſoluit: Hîc non ſumus perfe-
cti; neque erat perfectus Paulus, ſicuti ſunt illi, qui iam comprehenderunt
brauium ſupernæ vocationis. nam nos adhuc ambulamus per fidem, non
peruenimus ad ſpeciem. Erat tamen perfectus viator; quia perſequebatur,
intẽdebat vires, vt perueniret ad brauium. Pertinet autem ad perfectum via-
torem, ut cognoſcat ſe non perueniſſe, nec comprehendiſſe; ac propterea
non ſiſtit in via, ſed continenter progreditur. *Veruntamen in quod peruenimus,
vt idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.*] In Græco Codice non eſt
peruenimus, ſed præuenimus. Meo tamen iudicio idem eſt ſenſus. nam pro-
D pterea dicit ſe præueniſſe, quo peruenit, quoniam continenter ſe extendebat
in vlteriora, ac ſeipſum præueniebat. Ergo hortatur Philippenſes, ne recedãt
à regula in hoc proceſſu, ſed utantur regula Apoſtoli, & idem ſapiant: quod di
cit propter pſeudoapoſtolos, qui conabantur eos diuertere à regula Apoſto-
li, quæ erat in Chriſto Ieſu, & conuertere eos ad obſeruantiam legis; quod po
ſterius ſtatim probè declarat, & explicat, imitatores mei eſtote, &c. *Secundum
operationem virtutis eius, qua poſſit ſubijcere ſibi omnia.*] Nam Chriſtus ſubiecit
ſibi mortem, reſurgens immortalis, & nos ad eandem immortalitatem per-
ducens.

CAPVT IIII. E

SALVTAT, hortatur; & gratias agit, quòd ei miſerant neſcio quæ.
Etiam te rogo germane compar.] Nonnulli ex hoc loco dixerunt, Pau-
lum vxorem habuiſſe,quam nunc compellat;leui,ut reor, argumen-
to.nam in Græco uerbum quod ponitur, quamuis ad vxorem referri poſſit,
nihilominus ſignificat eos,qui pariter ſub eodem ſunt iugo, & ad marem ac-
cõmodari melius poteſt, quàm ad fœminam, γνήσιε quaſi qui fuerit ei ſocius
legitimus. *Dominus propè eſt,nihil ſolliciti ſitis; ſed in omni oratione, & deprecatio-
ne, petitiones veſtræ cum gratiarum actione innoteſcant apud Deum.*] Qui habet ad-
iutorem Dominum propè, non debet eſſe ſollicitus cuiuſpiam rei; immò,
ut ſecurus,debet in omni petitione agere primùm gratias Deo, quod ſemper F
facit Apoſtolus. *Refloruiſtis pro me ſentire,ſicuti & ſentiebatis,ſed occupati eratis.*]
Mira locutio Pauli;translatio ab arbore; quæ per intermiſſionem temporis
iterum floret. Sic Philippenſes poſt intermiſſum tempus cœperunt iterum
ſentire pro Apoſtolo, id eſt, illius curam habere, miſſis ad eum muneribus,
quos excuſat. *Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in rationem
veſtram.*] Solent quidam,eleemoſynas dari conſuetas ab aliquo, veluti debi-
tum repetere. Ideo Apoſtolus dicit,non ſe ab eis quærere datum,id eſt,
id quod alias dederint; quod fortaſſe detrimentum & impenſam
eis eſſet allaturum,ſed quærere eorum fructum, quo abun-
dent in rationem ſuam, id eſt, in ſuum com-
pendium & vtilitatem.

AD

AD COLLOSSENSES.

B NON viderat Paulus Colloſſenſes; audierat tantùm eorum
fidem, & quod pſeudoapoſtoli quærebant eos auertere à fi-
ducia ſeu fide in Chriſto, ad cæremonias & obſeruantias
veteris legis. Ideo Apoſtolus, cùm primùm eos laudaſſet, ac
oſtendiſſet quantùm deberent Deo, à quo tranſlati eſſent à
tenebris, in lumen dilecti filij ſui, docet ne ſe decipi per-
mittant, & trahi in obſeruantias legis, tanquam per illas iuſtificandos; cùm
per fidem Chriſti ſit prima iuſtificatio apud Deum, & illa iam eneruata eſ-
ſent. Dat deinde præcepta quædam ad mores & bonam uitam pertinentia.
Hoc eſt Epiſtolæ argumentum.

CAPVT I.

C IN hoc capite nil aliud agit, præterquam quòd confirmat Colloſ-
ſenſes in Chriſto, gratias agens Deo pro eorum fide, & charita-
te erga ſanctos; oſtendens omnes nos tranſlatos à tenebris in lu-
men Chriſti; in cuius ſanguine habemus redemptionem, & remiſſionem
peccatorum. Demonſtrat deinde excellentiam Chriſti, qui primatum in
omnibus teneat, cuius prædicationis ipſe Apoſtolus fuerat factus miniſter.
Quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij.] Veritatem Euangelij, uel dicit,
propterea quòd per Euangelium eis fuerat ueritas annunciata: vel, vt in-
dicet illud, quod audierant eſſe uerum Euangelium, per quod euangeliza-
tur ueritas; non autem eſſe ueritatis Euangelium id, quod docebant pſeu-
D doapoſtoli. *Et tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.*] Mos loquendi Pauli,
id eſt, in filij ſui dilecti regnum. *Primogenitus omnis creaturæ.*] Non quod
creatura ſit à Deo genita, ut filia, & ipſe ſit genitus priuſquam creatura, ut
contingit in fratribus; nam uerbum à patre procedit, ut genitus ex eius
ſubſtantia, creatura procedit, ut facta ex nihilo. Sed quoniam ipſe fuit
genitus ante omnem creaturam, id eſt, ante factionem cuiuſuis creatu-
ræ; quoniam omnia per ipſum facta ſunt. *Primogenitus ex mortuis.*] Mul-
ti ante Chriſtum reſurrexerunt, ut Lazarus, quem ipſe ſuſcitauit; ſed ad ui-
tam mortalem, iterum morituri. Solus Chriſtus ſuſcitatus eſt ad uitam
immortalem, cui mors non amplius dominatur; & nullus ante ipſum. Notan
dum in ſcriptura, reſurrectionem dici generationem, ac ſi ex cadauere; tan-

quam,

quam, ex ſemine, ut inquit Paulus ad Corinthios prima, generetur ac naſca- E
tur immortale corpus. In regeneratione cùm ſederit filius hominis, &c. in
Euangelio; & Paulus in actibus Apoſtolorum, ad reſurrectionem Chriſti ap-
plicat verſiculum pſalmi, ego hodie genui te. *Et vos cum eſſetis aliquando alie-
nati, & inimici ſenſu, in operibus malis.*] Inimicos ſenſu eos fuiſſe dicit, quoniam
non bene ſentiebant de ratione viuendi, addicti malis operibus. *Nunc autem
reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos ſanctos & immaculatos
& irreprehenſibiles.*] Sic ſupra ad Epheſios, vt reor, deſtruens inimicitias in
carne ſua; eò quod Deus poſuerit in eo iniquitates noſtras, & per mortem
eius, eis ſati factione digna deſtructis, reconciliauit nos ſibi. in corpore er-
go Chriſti reconciliauit nos, & deſtructis peccatis, exhibuit nos ſanctos & F
immaculatos, &c. *Et adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro
corpore eius, quod eſt Eccleſia, cuius &c.*] Non ea ratione hæc dicuntur à Paulo,
quaſi paſsiones Chriſti non ſufficiant, quantum eſt ex ſe, ad delenda peccata;
& quod illis quippiam deſit, quod oporteat in nobis impleri; abſit hoc: Sed
quoniam debemus nos imitari Chriſtum, & pati pro ædificatione Eccleſiæ,
ſicuti Chriſtus paſſus eſt. Modus autem paſsionis noſtræ præſcriptus eſt à
Deo, ſicuti & munus nobis ab eo impoſitum. Ideò dicit Paulus, quod im-
plet ea, quæ deſunt in carne ſua paſsionum Chriſti, id eſt, ut imitetur paſsio-
nes Chriſti pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. In textu Græco ἀνταναπληρῶ; qui-
dam expoſitores Græci exponunt, quod Paulus appellauerit paſsiones ſuas
quas patiebatur, collatas paſsionibus Chriſti, eo vocabulo; ac ſi diceret, ve- G
ſtigia quædam, inferiora paſsionum Chriſti. *Ut impleam verbum Dei, myſte-
rium, quod fuit abſconditum.*] Locutio Paulina: dixit implere uerbum Dei, &
myſterium, id eſt, in gentibus illud diffundere & prædicare. *Certando ſecun-
dum operationem eius, quam operatur in me in virtute.*] Veretur Paulus, ne fortè
lapſu linguæ uideri poſſit ſibi attribuere, quaſi ipſe eſſet, qui ageret uirtute
ſua: ideo, ſicuti alibi, ita etiam hîc dicit, hanc operationem Dei eſſe, & in vir-
tute ipſius Dei, quam Deus operabatur in ipſo Paulo.

CAPVT II.

PROSEQVITVR Paulus id quod cœperat; ac præcipuè eò inten- H
dit orationem ſuam, ut eos inſtruat magnitudinem, & plenitudi-
nem ſcientiæ, & perfectionis omnis, quæ in myſterio Chriſti conti
netur. Nam coniuncti illi capiti, in eo ſumus repleti omni perfectione; quip-
pe in quo habitet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & hoc myſteriũ
noſſe, ſuperat omnem aliam ſcientiam. Quamobrem ſubdit, ut non ſinant ſe
à quopiam decipi, quaſi ex quapiam alia obſeruantia, & quopiam alio cultu,
vt angelorum, poſſint quippiam perfectionis acquirere, quam in Chriſto fue
rint adepti. & ſic ab obſeruatione veterum cæremoniarum legalium, eos
quantùm poteſt dehortatur. *Ut conſolentur corda ipſorum inſtructi in charitate,
& in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitione myſterij patris & Chriſti*

Ieſu

A *Ieſu, &c.*] In Græco, ut corda ipſorum conſolationem capiant inſtructorum in charitate, Nam fides inchoat, & charitas perficit hoc ſpirituale ædificium. Sequitur, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus; deeſt uerbum, ut putà, proficiant, uel quippiam ſimile, proficiant, inquam, in has diuitias plenitudinis & perfectionis intellectus. Sequitur, in agnitione myſterii Dei & patris, id eſt, ut cognoſcant arcanum Dei & Chriſti, quod ſcilicet arcanum eſt in Chriſto. Sequitur, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi; id eſt, in quo, uel Chriſto; ſed melius & magis ad ſenſum literæ puto eſſe, in quo, ſcilicet myſterio, & arcano Dei, ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ. quoniam nos in hac vita nihil melius, nihil utilius,

B nihil amplius poſſumus ſcire, quam myſterium Chriſti; quod ſcilicet in eo radicatis, nihil deſit, neque quopiam alio medio inter ipſos & Deum indigeant. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum; quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.*] Colloſſenſes imperiti erant, decepti duplicibus inſidiis. nam & Iudaizantes, illos uolebant trahere ad obſeruationem cæremoniarum veteris legis, quaſi neceſſarias præter fidem Chriſti. Philoſophi alii uolebant eos trahere ad culturam Angelorum, à quibus putabant ſe purgatum iri; de qua re Auguſtinus in decimo de ciuitate Dei multa agit. Iccircò Apoſtolus admonet Colloſſenſes, ne ſinant ſe decipi, nec à Iu-

C dæis nec à Philoſophis; quoniam in Chriſto eſt omnis plenitudo, neque quippiam aliud requiritur ad implendum; & perficiendum hominem, præter Chriſtum; ac conſequenter, quod ipſe in ſua Eccleſia faciendum iuſſit. Vnde & obſeruantias veteres reijciendas eſſe, & cultum ſuperſtitioſum; quippe quæ eò tendunt, ut nobis perſuadeant Chriſtum, ſuaque nobis non ſufficere, ſed quippiam aliud neceſſarium eſſe, ad perfectionem & impletionem noſtri. Appellat autem elementa mundi; legem Moyſi, quæ cùm fuerit pædagogus, impoſita illi populo, tanquam puero, continebat lex illa veluti elementa, quæ ſolemus docere pueros. dicit in Chriſto habitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter; uel quia diuinitas in Chriſto aſſumpſit corpus ſicuti animam; vel corporaliter, id eſt, non in vmbra, ſi-

D cuti ſunt cæremoniæ legis; ſed in ueritate, ut corpus habet ſe ad vmbram corporis. ſic infra, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Sequitur, & eſtis repleti in illo, qui eſt caput omnis principatus &c. docet, quòd cum omnis plenitudo ſit in Chriſto, repletis in illo nihil ſit prætereà quærendum; Immò quod quærere quippiam, in quo repleamur præter Chriſtum, eſt decidere à uera agnitione Chriſti. *In quo & circumciſi eſtis, circumciſione non manu facta.* & cætera quæ ſequuntur.] Enumerat Apoſtolus quæ in Chriſto adepti ſumus; ea omnia ſcilicet uera, quorum vmbra erat lex, ut circumciſio, &c. *Delens quod auerſus nos erat Chirographum decreti, quod contrarium nobis erat, affigens illud cruci.*] Chirographum, propriè eſt ſcriptura ma-

nu noſtrâ confecta, qua nos obligauimus ad quippiam. Iccircò Paulus hîc appellauit Chirographum, obligationem noſtram ad ſeruandam legem, quam populus Iſraël ſuſceperat, & promiſerat ſe ſeruaturum, & ideò qui non ſeruabat eam ſuo proprio Chirographo, erat ſub maledicto. Hoc ergo maledictum, ex Chirographo npbis debitum, deleuit, & affixit cruci, factus pro nobis maledictum. Vel Chirographum appellat Apoſtolus, obligationem noſtram, qua ſponte uendidimus nos peccato & Diabolo. vtriuſque ſerui effecti; ut per decreta, ſeu in decretis, non intelligamus legem Moyſi, ſed communem & naturalem legem, qua quis efficitur ſeruus illius, ſub cuius poteſtatem ipſe poſuit & uendidit. *Expolians principatus & poteſtates traduxit confitenter palam, triumphans in ſemetipſo.*] Fortior fuit Chriſtus Diabolo, ideo ingreſſus in domum eius, corda ſcilicet hominum, diripuit vaſa eius; & ita expoliauit poteſtates & principatus, malos dæmones, ex illis ordinibus Angelorum traduxit confidenter; tranſtulit enim nos de tenebris in admirabile lumen ſuum, triumphans illos in ſemetipſo, eò quod nullum adiutorem habuit in hac victoria & triumpho; ſolus ipſe calcauit torcular, ut eſt apud Eſaiam, & inquinauit ueſtimenta ſua ſanguine, neque erat vir ſecum. *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut potu, aut parte diei feſti, aut neomeniæ, &c.* item *nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum, &c.*] Diximus ſuprà, quod apoſtolus docens nos eſſe repletos omnino in Chriſto, propterea docet etiam nos non indigere ad expiationem noſtram, ſeu ad perfectionem, neque obſeruantiis legis Iudaicæ, neque cultu bonorum Dæmonum & Angelorum, ut Porphyrius & alii Philoſophi ſunt opinati; de quibus Auguſtinus in 10. de ciuitate Dei. Horum vtrumque hîc tangit Apoſtolus, & primum obſeruantias legis, quas dicit eſſe vmbram, corpus uerò eſſe Chriſti: icircò qui tenet Chriſtum, vmbris illis non indigere. Poſtmodum dicit de cultu & religione Angelorum, quem philoſophi efferebant, quam uocat humilitatem; non virtutem, ſed depreſſionem animi, qui enim perfectus eſt in Chriſto, deijcit ſe, ſi uoluerit expiari per angelos. Quæ non uidit ambulans: Addit hæc ut doceat Philoſophos illos mendaces eſſe; quippe qui aſſerebant multa ſe uidiſſe ex Angelis, quæ tamen non uiderant. Sed mendax & inflatus ſenſu carnis ſuæ, id eſt, carnali ſenſu; neque tenens caput Chriſtum, ſcilicet, ex quo totum corpus connexum &c. vt ſuprà ad Epheſios. *Si igitur mortui eſtis cum Chriſto, ab elementis mundi, &c.*] Iterum legem Iudaicam, & obſeruantias illas appellat elementa mundi, quæ pueris debentur. *Quæ ſunt omnia in interitu ipſo vſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt quidem rationem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.*] Locutio & phraſis valdè extranea, & eius qui erat ſermone imperitus. inquit ergo, cibi & potus in interitu fiunt ipſo vſu, uel, ut in Euangelio dicit Chriſtus, quod intrat per os, non coinquinat hominem;

nam

A nam in ſeceſſum vadit, &c. vt ita hîc dicat Apoſtolus, quod cibi & potus cum ipſo ipſorum vſu intereant, non poſſunt nos inficere. Vel ut uelit has obſeruantias nobis interitum afferre ipſo vſu, ſeu abuſu, ut in Græco; quoniam nos auertunt à Chriſto & à capite. Sequitur, quod rationem habent ſapientiæ, id eſt ſpeciem ſapientiæ propter ſuperſtitionem, & humilitatem, nam ſuperſtitio uidetur multis religio; & deiectio animi humilitas. Sequitur, & non ad parcendum corpori. Aliam etiam ſpeciem ſapientiæ habent; eò quòd non indulgere corpori in cibis, & potu, videtur eſſe religioſi, & ſapientis. Sequitur non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis: Complet ſuperiorem particulam; nam non indulgere corpori, neque in honore habere,
B ea, quæ pertinent ad ſaturitatem carnis, præſeferunt quandam ſapientiæ, & religionis ſpeciem. Omnia uerò hæc de Iudaiſmo intelligit, ut ait Sanctus Auguſtinus ad Paulum; ne quis putet ſanctum Eccleſiæ ieiunium, abſtinentiamque, ad cœleſtia contemplanda, & ad carnem edomandam, neceſſariam reijci.

CAPVT III.

IN hoc capite iuxta morem ſuum Apoſtolus, Poſtquam ſtatuit eos in Chriſto, & ea reiecit, quæ dimotura erant eos à Chriſto capite; docet eos ea, quæ ipſis agenda ſunt, ut Chriſti membra, ut in-
C duti nouum hominem, & mortui veteri homini cum Chriſto. deſcendit ad officium viri & vxoris, patris & filii, ſerui & domini. *Cùm apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum eo in gloria.*] Mortui huic mundo ſunt ueri Chriſtiani, & viuunt in Chriſto. iccircò nihili ſiunt in hoc mundo, quoniam eorum gloria & uita latent in Chriſto. Cum Chriſtus apparuerit, eorum quoque gloria, quæ nunc latet, apparebit. *Mortificate membra veſtra, &c.*] Membra correſpondent corpori; mundani corporis membra ſunt uitia, ex quibus quaſi conflatur, quatenus mundanum eſt. *Auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei ſuper filios diffidentiæ ſeu inobedientiæ.*] Illi propriè ſeruimus, quod tanquam finem vltimum nobis conſtituimus; auaritia autem hoc in nobis agit, ut diuitias nobis conſtituamus tanquam
D finem ultimum, & ita honorem, ac ſeruitutem Deo debitam auro intendimus, neque ex perturbatione animi; ſed ex electione. hoc faciunt auari; ideò dicit Apoſtolus auaritiam eſſe idolatriam. Filij diffidentiæ ſeu incredulitatis ſunt illi, qui carent ea fide, qua in Deum intendimus; omnes autem mali, qui non recedunt à peccatis, in hoc ordine ſunt. In Græco uocabulum poſitum, poteſt etiam applicari ad inobedientiam, id eſt, ad filios diffidentes, ſeu incredulos, & inobedientes. Vocat autem filios more ſcripturæ, & Hebraicæ linguæ, ut filius gehennæ. *Eum qui renouatur in agnitione Dei, ſecundum imaginem eius, qui creauit eum.*] Renouamur in cognitione Dei, id eſt, quando cognoſcimus bonitatem noſtram non eſſe

Vv ij à nobis,

à nobis, ſed à Deo per Ieſum Chriſtum; & infirmitatem noſtram cogno- B
ſcimus, tunc renouamur in nouum hominem per ſpiritum Chriſti. imago uerò & effigies huius noui hominis, quem induimus, eſt imago Dei, nam efficimur participes diuinæ naturæ, & imago Dei in nobis obſcurata per peccatum renouatur. *Charitatem, quod eſt vinculum perfectionis.*] Quoniam omnes virtutes, quibus perficimur, continentur & vinciuntur in vnum, per charitatem. Necnon etiam nos omnes, ex quibus tanquam membris compingitur corpus Chriſti myſticum, id eſt Eccleſia, vincimur inuicem per charitatem.

CAPVT IIII. F

OMNIA, quæ in hoc capite continentur, præcepta ſunt ad uitam & mores pertinentia, & ſunt facilia omnibusque expoſita.

AD THESSALONICENSES PRIMA.

B PAVLVS fuerat Theſſalonicæ, ibiq́ue docuerat Chriſtum; paſſus tamen multa fuerat: unde conceſſit Berræam & Corinthum; ubi multa etiam paſſus fuerat. Quare ſollicitus factus ex charitate, ne ob huiuſmodi perſecutiones Theſſalonicenſes dimouerētur à firmitate fidei, illuc deſtinauit Timotheum, ex Athenis; quo reuerſo, illis hanc Epiſtolam ſcripſit, in qua, more ſuo, prius eos in fide confirmat. docet deinde quæ ad mores & uitam pertinent. deinde tractat de reſurrectione mortuorum, quod ſimul omnium erit; tempus uerò & horam incertam eſſe. Vnde hortatur, ut nullam fidem præſtent his, qui dicebant diem Domini inſtare. Hæc eſt ſumma Epiſtolæ huius.

C CAPVT I.

FACILIS ſumma huius capitis. Gratias Deo agit pro eorum conſtantia in fide; laudat eos quòd imitati fuerint Apoſtolum, accepta fide in multis tribulationibus, prout ipſe etiam multa fuerat paſſus. *Suſtinetis ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti ante Deum.*] Perſeuerantiam in ſpe, dixit ſuſtinentiam ſpei, inquam, qua ſperabant, certò futura, quæ Deus fuerat pollicitus per Chriſtum.

CAPVT II.

D ARGVMENTVM Facile. in memoriam eis reducit, quàm magna charitate illis Euangelium prædicaſſet; ac item quàm magna charitate illi Euangelium excepiſſent, multis aduerſantibus & perſequentibus, præſertim Iudæis. *Scitis introitum noſtrum ad uos; quia non fuit inanis, ſed antè paſſi multa.*] Inanem appellat, ut reor, leuem, id eſt, ex quadam animi leuitate prodeuntem. Nam qui ex leuitate mouentur, facile etiam deſiſtunt: Paulus autē multa perpeſſus, non deſtiterat tamen à prædicatione Euangelij. *Sed facti ſumus paruuli in medio ueſtri, ſicuti ſi nutrix foueat filios ſuos.*] Nutrix accommodat ſe infantibus, & eorum balbutiem imitatur: ſic Apoſtolus ſeſe accōmodauerat & demiſerat, ut eos foueret in Euangelio Chriſti. *Aut corona gloriæ.*] Dicit Theſſalonicenſes eſſe coronam gloriæ ipſi Paulo, quoniam in profectu illorū, doctorum ab ipſo, gloriabatur, & coronari à Deo expectabat.

CAPVT III.

E

NARRAT pro animi affectu ſe miſiſſe ad illos Timotheum; à quo, nuper redeunte, intellexerit eorum conſtantiam in fide & charitate; & quanto animi affectu proſequerentur Paulum: pro quo nuncio effunditur totus in gratiarum actionem. Nihil eſt difficile, quod expoſitione egeat.

CAPVT IIII.

MVLTA in hoc capite præcipit Apoſtolus Theſſalonicenſibus; præſertim ut abſtineant à fornicatione, quã gentiles non putabant eſſe peccatum. laudat eos, quòd charitatem habeant erga omnes; ſed admonet, ut in ea proficiant. Tandem, quoniam nonnulli eorum magis dolebant, in obitu charorum, quàm par erat; ſermonem facit de reſurrectione mortuorum. *Scio enim quæ præcepta dederim uobis per Dominum Ieſum.*] Id eſt, per virtutem mihi præſtitam à Domino Ieſu; item, per auctoritatem & officium mihi datum ab illo. *Vt ſciat unuſquiſque ueſtrum uas ſuum poſſidere in ſanctificationem.*] Per vas ſuum, vel intelligit corpus vniuſcuiuſque. corpus enim eſt veluti vas animæ. vel vas ſuum, id eſt, vxorẽ ſuam, quæ ſeruit viro vt vas. Is autem tenet vxorem in ſanctificatione, qui ei fidem ſeruat, nec vtitur vxore laſciuè, ut meretrice. *Et ne quis ſuperegrediatur, an circumueniat in negotio fratrem ſuum.*] Nonnulli referunt hoc ad auaritiam & iniuſtitiam, qua in commerciis inuicem vtuntur nonnulli. Mihi magis probatur, quod perſtet Apoſtolus in his, quæ dixerat de fornicatione; in qua, vitanda eſt laſciuia & petulantia libidinis. Sed in primis uitanda eſt iniuſtitia; cum quiſpiam non veretur iniuriam & fraudem illatam proximo, ut libidini faciat ſatis. ideo concludit ſermonem, non enim uocauit uos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. *Non hominem ſpernit, ſed Deum; qui etiam dedit ſpiritum ſanctum ſuum in nobis.*] Deum ſpernere, magnum eſt; ſed inſuper ingratiſſimum Deo eſſe, intolerabile malum. iccirco addit Paulus, qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis. *Et ut nullius aliquid deſideretis, &c.*] In Græco, ut nullius indigeatis; id eſt, ut perfecti ſitis, ut viatores inquã. Ille enim qui imperfectus eſt, indiget aliquo quo perficiatur: is uerò qui perfectus eſt, nullius indiget. Quæ addit de reſurrectione mortuorum; ferè ſunt eadem cum his, quæ dixerat in eundem ſenſum, in Epiſtola prima ad Corinthios. Id tantùm notandum, in voce Archangeli, dictum eſſe, ut nonnulli exponunt, id eſt, in voce Chriſti; quem appellat Archangelum, quaſi principem Angelorum omnium.

F

G

H

CAPVT V.

PROSEQVITVR ſicuti certiſſimum eſt futuram reſurrectionem, ita incertiſſimum eſſe tempus & horam, quæ ventura eſt tanquam fur in nocte. Deinde in hac noctis & diei metaphora fœliciter verſatur, dicens nos non eſſe in nocte neq; in tenebris, ſed in luce & in die; ideoque honeſtè nobis ambulandum. Nonnulla deinde monita ſubdit, ſicque finit Epiſtolam. *Pacem habete cum eis.*] Is pacem habet cum doctore ſuo, qui ei paret & bene agit. in Græco potius eſt, inuicem habete.

AD THESSALONICENSES SECVNDA.

B ARGVMENTVM Epiſtolæ promptum & facile. Scopus eſt,ut amoueat Theſſalonicenſes à perſuaſione, quòd dies domini inſtaret. Verùm, primùm eos laudat, quòd ſint in fide radicati; & quòd ob eam rem ſint facti exemplum aliis, à quibus laudentur. Docet deinde ante iudicium vniuerſale venturum Antichriſtum,de quo multa dicit;quem detineri innuit quodam myſterio,ſeu arcano: ac demum multa tradit præcepta quæ ad uitam & mores pertinent.

CAPVT I.

GRATIAS agit Deo, & laudat Theſſalonicenſes pro eorum fide &
C charitate; in qua gloriari ſe dicit apud alias Eccleſias. *Quia creditum eſt Euangelium noſtrum ſuper uos, in die illo; in quo oramus etiam ſemper pro uobis,ut dignetur uos ſua uocatione,&c.*] Locutio Paulina, duobus modis exponi poteſt; ſcilicet, uel quòd in die illo reuelationis Chriſti apparebit corũ fides,qua crediderunt Euangelio, & teſtimonio Apoſtolorum; pro quo dicit ſe ſemper orare pto illis. Vel quod crediderint Theſſalonicenſes teſtimonio Apoſtolorum,de fide reſurrectionis & uniuerſalis iudicij:nam in eo articulo eſt ſumma fidei noſtræ;pro quo indeſinenter Paulus orabat. *Et impleat omnem uoluntatem bonitatis ſuæ, & opus fidei in uirtute.*] Cùm bonitas ſui ipſius ſit diffuſiua,is implet voluntatem bonitatis, qui maximè perfectionem & bonitatem largitur. *Et opus fidei:* Omnia etenim bona opera noſtra nituntur fide.
D *In virtute:* id eſt,uel in animi robore in tolerandis tribulationibus; vel in perfectione. Nam virtus eſt rei perfectio.

CAPVT II.

MONET eos ne terreantur, quaſi inſtet dies domini; & de Antichriſto multa dicit. *Niſi uenerit diſceſſio primum.*] Diſceſſio, Apoſtaſia Græcè. Hæc quænam ſit ignoramus: fortaſſe innuitur Maumethana. Certam rem meo iudicio,adferre non poſſumus. *Et nunc quid detineat ſcitis, ut reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis, tantùm ut qui tenet nunc teneat, donec de medio tollatur.*] Noluit Apoſtolus intelligi. Quidam putant locutum fuiſſe de Romano imperio,cuius deſtructionem nolue-

rit palam prædicare. Ego certè non auſim certum quippiam aſſerere. Nam E
myſterium iniquitatis iam operatur; puto ego uerbum Græcum ἐνεργεῖται paſſiuè accipi; quaſi diceret, hoc iniquitatis arcanum iam concipitur. *Eò quod ueritatem charitatis non receperunt, &c.*] Iudæos innuit. Veritatem charitatis appellat myſterium Chriſti: ſic enim Deus dilexit mundum, &c. Vel ueritatem charitatis, refert ad conſortium gentilium, quibus Iudæi nolebant Euangelium prædicari. In textu Græco, charitatem ueritatis, & ſenſus eſt planus; eò ſcilicet quòd non fuerit affecti ueritati, & reiecerunt ueritatem, miſit in eos Deus ſpiritum erroris, ut credant mendacio.

CAPVT III. F

QVONIAM. pleriq; pſeudoapoſtoli otioſi homines erant, qui abſq; labore volebant dilatari; Iccircò huiuſcemodi homines notat Apoſtolus, & ſuo exemplo inuitat ad operandum, & uiuendum ex ſudore & labore ſuo. *Dominus dirigat corda ueſtra in charitate Deì & patientia Chriſti.*] Chriſti patientiam, dicit expectationem aduentus Chriſti. *Vos autem fratres nolite deficere benefacere.*] Notauit ſuperius hos otioſos: ſed ne ex hac exhortatione, eorum multi pigriores fierent ad eleemoſynas largiendas; addit, quòd propterea ipſi non efficerentur pigri, & deficerent in benefaciendo alijs. *Quòd ſi quis non obedierit uerbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate.*] Particula, per Epiſtolam, poteſt iungi & ſuperioribus; verbo, G
ſcilicet, noſtro per Epiſtolam, id eſt, vobis ſignificato hac noſtra Epiſtola: uel inferioribus; hunc, ſcilicet notate per Epiſtolam. Melius tamen iungitur ſuperioribus meo iudicio.

AD

AD TIMOTHEVM PRIMA.

R ESCENTI vbique fidei in Chriſtum Iudæi inſidiabantur, ſubinferentes legem Moyſi: acſi non iuſtificarentur
B homines per fidem in Chriſtum; ſed præter fidem, tanquam per ſe non ſufficientem, oporteret etiam addi obſeruantias veteris legis. Vbique ferè ſtruebantur hæ inſidiæ fidei; contra quas acerrimus fuit fidei propugnator Paulus. Quamobrem, cùm reliquiſſet Timotheum Epheſi, vbi etiam inueniebantur, qui hoc pacto fidem oppugnarant; Apoſtolus ſtatim in exordio redigit Timotheo hoc in memoriam. Inſuper docet vſum legis legitimum, qui tendit ad hunc finem, ut nos liberos faciat à veteri lege; id eſt, à coactione legis. Et hoc eſt Euangelium, nam per Chriſtum perducimur ad hunc legis finem: cuius erat conſtitutus à Deo prædicator Paulus. Subdit multa deinde, quæ pertinent ad morum correctionem; qui mos eius per-
C petuus eſt.

CAPVT I.

REDIGIT in memoriam Timotheo, quæ præceperit ei, cùm diſcederet ab Epheſo, in eos qui intermiſcebant legem fidei, veluti per ſe non ſufficienti. Docet vim legis: ſeque per Dei miſericordiam, licet perſecutorem & blaſphemum, conſtitutum fidei & Euangelij prædicatorem. *Sicuti rogaui te, vt remaneres Epheſi, &c.*] Figura locutionis, in qua deeſt verbum principale; ideo ſupplendum, verbi gratia, ita facito, vel quippiam ſimile. *Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.*]
D Multa alia quidam dicunt. Ego uerò ſimplicius puto intelligendum locum hunc: nam ad ueram charitatem, quæ eſt finis præcepti, requiritur fides uera non ficta, viuaque non mortua; & cor purum, conſcientiaque bona, id eſt, bona intentio, quo ad finis conſtitutionem; & conſcientia bona, quoad operis exhibitionem: quorum vtrumq; apertius tangit in fine huius capitis. *Scimus autem, quia lex bona eſt, ſi quis ea legitime vtitur; ſcientes hoc, quod iuſto lex non eſt poſita, ſed iniuſtis, &c.*] Lex, ut ait Ariſtoteles in decimo Ethicorũ, de ſui ratione habet vim cogendi. Iccircò qui ſponte agit & amore iuſtitiæ ea, quæ præcipit lex, non eſt ſub lege, ſed peruenit ad finẽ legis. lex etenim ducit nos ad hoc, ut, ſcilicet, non ſimus ſub lege; ſicuti finis pædagogi eſt, perducere adoleſcentẽ & puerũ ad hoc, ut non ſit amplius ſub pædagogia. *Secundum Euangelium glo-*

ria

ria beati Dei.] Gloria beati Dei eſt, quod præſtat nobis ex ſua bonitate per fi- E
dem in Chriſtum, & charitatem, quæ eſt finis legis, & quæ nós liberat à ve-
teri lege; id eſt, à coactione legis. *Sed miſer zordiam conſecutus ſum; quia igna-
rus feci in incredulitate, &c.*] Notandum, quòd eorum, qui longè ſunt à Deo,
quidam longius ſunt, quidam propius. Paulus longè erat à Deo; quia tamen
fallebatur ſub ſpecie boni, minus diſtabat; ideò minus erat per ſe ineptus, vt
à Deo traheretur. Non ergo accipienda ſunt eius verba, tanquam ſe excuſare
uoluerit; ſed quod minorem quãdam ineptitudinem ſignificarit. iccircò ad-
dit ſuperabundaſſe Dei gratiam, præſtando ei fidem & dilectionem; & quod
Chriſtus venerit, vt ſaluos faceret peccatores, quorum ipſe eſſet primus. *Hoc
præceptum commendo tibi fili Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias; vt mi-* F
lites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conſcientiam.] Præcedentes
prophetias (vt alias expoſitiones omittam) fortaſſe appellat benedictiones
& orationes, quibus vtimur in conſecratione ſacerdotis; quibus & fides &
bona conſcientia, id eſt, bona vita & morum probitas continetur. Infrà hoc
tanget cùm dicet, cum impoſitione manuum presbyterij. *Quos tradidi Satha-
næ, vt diſcant non blaſphemare.*] Hæc finis excommunicationis, correctio ex-
communicati.

CAPVT II.

IN hoc capite monet orandum pro principibus; docet item officia
mulierum & virorum. *Obſecro vos, &c.*] Quid interſit inter oratio-
nes, poſtulationes, obſecrationes, & gratiarum actiones, B. Thomas G
in ſecunda ſecundæ declarat optimè: Sanctus Auguſtinus etiam in quadam
Epiſtola ad Paulinũ, ſiue Probam. *Qui vult omnes homines ſaluos fieri, &c.*] Quo-
modo Deus velit omnes homines ſaluos fieri, in primo ſentẽtiarum agitur;
ubi multa ex ſancto Auguſtino. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro multis; cu
ius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt.*] In Græco exemplari impreſſo di
citur, teſtimonium temporibus ſuis. paſſio Chriſti fuit teſtimonium iuſtitiæ
Dei & veritatis Dei; qui, ſcilicet, ſtat promiſſis, & nullum peccatum ſinit im-
punitum; quã paſſionem ſuis & deſtinatis tẽporibus exhibuit. Idẽ ſenſus La-
tini exemplaris verbis adaptari poteſt. attamen Latino textui adaptari etiam
poteſt, ut per teſtimoniũ intelligantur etiam prophetiæ, quæ præceſſerant de
Chriſto, quarum ueritas eſt exhibita ſuis temporibus. *Saluabitur autem per fi-* H
*liorum generationem; ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrie-
tate.*] Poſtquam inſerti ſumus Chriſto per fidem, ambulãdum eſt nobis in bo
nis operibus, ut dicit Apoſtolus ad Epheſios. Bona opera ſunt officia, quæ
cuiq; cõueniunt. Ideo hîc Apoſtolus cõmemorat officia mulierum. Id quod
dicitur, per filiorum generationẽ, intelligendũ eſt, & referendum ad mulie-
res, ut in pluribus quæ nõ vouent caſtitatem, ſed nubunt. (cõmunia namque
officia tangit, non gratiam paucarum) & non tantùm carnis illam generatio-
nem intelligit, ſed bonam educationem liberorum; quæ eſt perfecta ipſorum
generatio. *Et ſanctificatione cum ſobrietate.* Tangit hîc pudicitiam, cui annexa
eſt ſobrietas. ſic ad Theſſalonicẽſes: Hæc eſt volũtas Dei, ſanctificatio veſtra.

A
CAPVT III.

INSTRVIT Epiſcopum & Diaconum, eorumq́ue officia refert,u
patet ex textu. *Fidelis ſermo,* id eſt fide dignus. *Non neophytum;ne i*
ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.] Is qui nouus eſt, & a
ſummum dignitatis gradum euehitur,dum id putat ſuæ excellentiæ attribui
facile inflatur; & ſic incidit in iudicium Diaboli: nã ob ſuperbiam præcipu
damnatus fuit Diabolus. *Oportet autem & teſtimonium habere bonum ab his,qui f*
ris ſunt;vt non in opprobrium incidat,& in laqueum Diaboli.]Laqueus Diaboli pr
cipuus eſt,exempla malorum præpoſitorum. Laqueus ergo hîc,vt reor,no
dicitur,quo ipſe capiatur à Diabolo;ſed quo Diabolus alios capiat eius exen
B plo,ſi malè audierit. *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.*] Arcanum fi
dei coniungi debet conſcientiæ puræ; aliter nihil prodeſt. *Mulieres ſimilite*
&c.] Prius de mulieribus in generali locutus fuerat,nunc agit, ut reor,de his
quæ erant vxores diaconorum,de quibus tractat. *Qui benè miniſtrauerint, gra*
dum bonum ſibi acquirent.]In græco ſignificantius, βαθμὸν, nam per gradus adſce
dimus. Innuit hîc diaconos benè miniſtrantes ſibi parare aſcenſum ad ſacer
dotium. *Quæ eſt Eccleſia Dei,columna & firmamentum ueritatis.*] Non quod Ec
cleſia firmet & ſuſtineat ueritatem,ſed quoniam firmatur & ſuſtentatur à ue
ritate; ſicuti fundamentum quoddam ſtabile & columna, qua qui innititu
innititur etiam ueritate. *Et manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum,quod m*
nifeſtatum eſt in carne,iuſtificatum eſt in ſpiritu,apparuit angelis, prædicatum eſt ge
C *tibus, creditum eſt in mundo,aſſumptum eſt in gloria.*] Eccleſia firmata eſt & innix
ueritate. Veritas Chriſtus eſt; ſic ad Epheſios ædificati ſuper fundamentum
Apoſtolorum & Prophetarum,ipſo angulari lapide Chriſto Ieſu. Chriſtus e
go eſt manifeſtè magnum Sacramentum,id eſt,arcanum pietatis, qua in ipſ
Deus proſecutus eſt mundum: quod arcanum carne manifeſtatum eſt; qui
uerbum Dei arcanum,aſſumpta carne,factum eſt viſibile. Tamẽ iuſtificatum
eſt in ſpiritu; quia habitum iuſtum à ſpiritualibus,iuxta illud, & iuſtificata e
ſapientia à filiis ſuis. Apparuit angelis, qui Chriſtum primi nunciauerun
paſtoribus & Magis. Prædicatum eſt gentibus, omnibus, ſcilicet, popu
lis; & ſic creditum eſt in mundo, & aſſumptum in gloria poſt reſurrectio
nem.

D
CAPVT IIII.

MVLTA in hoc capite præcipit,quæ manifeſta ſunt cuique qui textũ
legerit. *Cauteriatam habentium conſcientiam.*] Alibi dicit Paulus, me
lius eſt nubere, quàm vri. Is enim vritur, cuius cor perturbationi
bus animi penetratur & foditur.ſic hoc loco.Cauteriatã habentiũ conſciẽtiã
id eſt,vſtam perturbationibus & peccatis.*Sanctificatur enim per verbum Dei &*
per orationem.] Hoc dicit Paulus,pt probet,etiamſi aliqua ratione cibi quidã e
ſent immundi, quòd tamẽ ſanctificantur per orationẽ & verbum, quod ante
menſam ſeu prandiũ & cœnã recitamus.*Exerce autem teipſum ad pietatem·nan*
corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt. Pietas autem ad omnia vtilis eſt,promiſſio
nem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.] Non poſſum mihi perſuadere, Paulun
hîc

hîc intellexiſſe per corporalem exercitationem,eam quæ fit labore corporis, E
quæ valet ad tuendam ſanitatem.Sed puto per exercitationem corporis,Pau
lum intellexiſſe ieiunia, abſtinentiasque cæteras à cibis, &c. Quæ quidem ſi
fiant ſine interiori pietate,parum valent,& ad modicum vtiles ſunt. Sed pie-
tas eſt illa,cui ſunt propoſita præmia in hac vita & in futura; vt patet ex non-
nullis locis Euangelij. *Qui eſt ſaluator omnium hominum,maximè fidelium.*] Deus
vnicuique prouidet ſecundum propriam naturam: ita etiam hominibus pro-
uidet, & eos ſaluat. Fidelibus uerò benè uiuentibus dat ſupernam gloriam.
Gratia quæ data eſt tibi per propetiam, cum impoſitione manuum presbyterij.] Hoc in
loco per prophetiam intelligit orationes, & verba conſecrationis, cùm ini-
tiantur ordinibus ſacris ſacerdotes & Epiſcopi. ſuprà, ſecundum præceden- F
tes de te prophetias: nam in illis continetur officium cuiuſque ordinum.

CAPVT V.

MVLTA quoque præcipit in hoc capite, quæ facile patere poterunt
legenti cuilibet. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non ha-
bet, fidem negauit, & infideli deterior.*] Fundamentum virtutum om-
nium Chriſtianorum eſt fides. iccircò in multis locis Paulus, omne ferè er-
ratum dicit eſſe contra fidem. Nam omne Chriſtianũ ædificium pertinet ad
fidẽ,tanquam ad fundamentum,quo primum nititur. *Cùm luxuriatæ fuerint in
Chriſto,nubere volunt.*] Illa,ſeu is luxuriat in Chriſto,qui ſub habitu & prætex-
tu religionis dat operã genio. *Sine præiudicio nihil faciens in alteram partem decli
nando.*] Præiudicium hîc Paulus appellat conſultationem & deliberationem, G
quæ iudicium debet præcedere. *Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt,præ
cedentia ad iudicium,quorundam & conſequuntur. Similiter & facta bona,&c.*] Mul
ti multa dicunt in expoſitione huius loci, quæ omittimus; dicã tantùm, quæ
mihi uidentur.Puto hunc locũ pendere ex ſuperiori;ubi præcipitur nihil eſſe
faciendũ ſine præiudicio,id eſt, conſultatione & deliberatione & inquiſitio-
ne; & nemini citò eſſe manũ imponẽdã. inquit ergo,quòd cùm incidit locus
imponendi manus, quidam ita ſe habent, quòd eorum facta mala manifeſta
ſunt ante inquiſitionem; quædam uerò fiunt ex inquiſitione,id eſt,ex præiudi
cio, manifeſta. Sic etiam benefacta. Hic ſenſus uidetur mihi planus & uerus.

CAPVT VI.

PROSEQVITVR monita,quæ tradere cœperat. *Radix omnium ma* H
lorum eſt cupiditas,quam quidem,&c.] Auaritia eſt radix malorum om
nium; vel,vt inquit B.Thomas,quia præſtat nutrimentũ malis om
nibus: nam pecuniæ omnia ſeruiunt. vel quoniã ob vehementiam appetitus
pecuniarũ innumera mala perpetramus. *Et confeſſus bonam confeſſionem coram
multis teſtibus.* In baptiſmate, ubi renunciamus Sathanæ & omnibus pompis
& vitiis eius; & in conſecratione,cum receptione ordinis. *Et Chriſto Ieſu, qui
teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem.*] Chriſtus patiendo red
didit teſtimonium veritati; bona, ſcilicet, hæc,& uitam paruipendenda eſſe.
reddidit etiã teſtimonium obediendum Deo; iuxta illud: Venit princeps hu-
ius mundi,& in me non habet quicquam, ſed ut cognoſcat mundus, quia di-

ligo

A go patrem; & ſicuti mandatum mihi dedit, ſic facio, ſurgite eamus hinc. *O
Timothee depoſitum cuſtodi, &c.*] Depoſitum hic appellat, uel eos Chriſtianos,
qui eius fidei, ſicuti depoſitum, crediti erant: uel gratiam Dei & ſpiritum ſan
ctum, quem acceperat; quod Dei depoſitũ eſt, & cuſtodiendũ omni conatu.

B

EPISTOLA SECVNDA AD TIMOTHEVM.

RELIQVERAT Timotheum Paulus, & peregrinatus fue-
rat, comites habens nonnullos, prædicans gentibus Euan-
gelium Chriſti. Tandem ductus fuerat vinctus. Comites
Pauli pleriq; omnes timentes eius cathenam deſeruerant
C eum: nonnulli etiam pſeudoapoſtoli, inſerentes ſe vanis
quæſtionibus, fidem corrumpebant. Scribit igitur Paulus
ex Roma ad Timotheum, omniaque, quæ ſuprà narrauimus, ei ſignificat; ac
inſuper inſtare tempus ſuæ reſolutionis & obitus, ſicuti Chriſtus ei ſignifica-
uerat. quamobrem rogat Timotheum ut ad ſe ueniat, vitetque nonnullos; ac
deferat ſecum membranas & penulam.

CAPVT I.

SENSVS capituli huius per ſe patet legenti. Laudat Timotheum,
magnificat Dei gratiam & Euangelium, & enarrat ſuas tribulatio-
nes. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, ſecundum pro-
miſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu.*] Primis his verbis Apoſtolus explicat ſe.
D Apoſtolum eſſe conſtitutum, non ab homine, ut inquit ad Galatas, ſed per uo
luntatem Dei; & eſſe conſtitutum ad hoc, ut patefaceret promiſſionem Dei,
qui promiſit nobis uitam in Chriſto Ieſu, in quo nos elegit ante mundi con-
ſtitutionẽ. *Quæ data eſt nobis ante tempora ſæcularia; manifeſtata autem nunc, &c.*]
Ante tempora ſæcularia, id eſt, quæ menſurantur per ſæcula, quæ conueniunt
& tempori noſtro continuo & quanto; & durationi angelorum, quorum du-
ratio ſæculi nomen habet. æternitas uerò, in qua eſt diuina prædeſtinatio, eſt
ſupra hæc omnia ſæcula, & tempora ſæcularia. *Potens eſt depoſitum meum ſer-
uare in illum diem.*] Depoſitum hîc appellat gratiam Dei ipſi inſpiratam, & ei
creditam, veluti quoddam depoſitum. *Bonum depoſitum cuſtodi.*] Iterum in ea-
dem ſignificatione accipit depoſitum.

CAPVT II.

PROSEQVITVR multa præcepta & ad doctrinam & ad uitam pertinentia: quorum quædam referuntur ad bona, quæ ſunt agenda; nonnulla ad mala, à quibus eſt abſtinendum. *Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, &c.*] Puto Apoſtolum innuere, non tantùm ſimplicem quandam doctrinam, ab eo traditam fuiſſe Timotheo, ſed probatam teſtimoniis ſcripturarum, & miraculorum fortaſſe. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.*] Verbum illud, primum, copulandum eſt, cum, laborantem; non autem, cum, accipere: vt ſit ſenſus: Primum oportet laborare, deinde de fructibus accipere. *Memor eſto dominum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis, ſecundum Euangelium meum.*] Omnis vis fidei Chriſtianæ conſiſtit in reſurrectione Chriſti, ut ſcilicet credamus eum reſurrexiſſe à mortuis. Nam inde & eius diuinitas, & noſtra reſurrectio aſtruitur; cæteraque ferè omnia, quibus nititur noſtra ſalus. *Si non credimus, ille fidelis manet, ſeipſum negare non poteſt.*] Sic in Epiſtola ad Romanos; nunquid incredulitas noſtra fidem Dei euacuauit? Abſit. quia ſibi ipſi eſt debitor, neque poteſt agere contra uoluntatem ſuam. Non autem nobis debitor, ut ex infidelitate noſtra minus nobis debeat. *Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Cognouit dominus qui ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen domini.*] Dei fundamentum firmum, quod ſcilicet Deus conſtituit, & firmauit, ſunt electi; quorum ſignaculum, quo ſcilicet ſignati ſunt, primum eſt ex Dei præſcientia, & prædeſtinatione: ſecundum ex parte ipſorum, quo eos nos poſſumus cognoſcere, ſunt bona opera. *Si quis ſe emundauerit ab iſtis, erit vas in honorem.*] Ecce, quod niſi reſiſtamus Deo, efficiemur vas in honorem, ex vaſe in contumeliam fabrefacto. *Nequando det eis Deus pœnitentiam, & reſipiſcant, &c.*] Locutio quæ & in Euangelio; ne quando, id eſt, ſi quando à Deo ei detur pœnitentia, &c. Omnia bona noſtra à Deo eſſe teſtatur. E F G

CAPVT III.

MONET Timotheum iam prædictum eſſe, futuros poſt Chriſtum homines improbos, ſub ſpecie pietatis peccantes, & alios decipientes: hortatur ut hos deuitet, & ſequatur doctrinam, quam ab eo didicerat: demum hortatur ad ſtudium ſacrarum literarum. *Quemadmodum autem Iamnes, & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati.*] Nomina hæc non ſunt prodita in Exodo. Fortaſſe per manus tradita Paulus acceperat. H

CAPVT IIII.

PROSEQVITVR monita & hortationes: ſuũ obitum inſtare prædicit: rogat demum ut ad ſe ueniat, cum Marco. *Teſtificor coram Deo & Chriſto Ieſu.*] Idem eſt ac ſi diceret; adiuro te coram Deo & Chriſto; ita alibi, ſi rectè memini. *Increpa in omni patientia, & doctrina.*] Oportet doctorem in docendo patientem eſſe, & accommodare ſe infirmitati audientium, eoſque tolerare, imitans Dei longanimitatem. *Liberabit me dominus ab omni opere malo.*] Quamuis generaliter intelligi poſſit, tamen, ut reor, præcipuè opus malum intelligit, receſſum à uera prædicatione fidei, & morum.

EPISTO-

EPISTOLA AD TITVM.

B SCRIBIT ex Nicopoli, vbi hyemem acturus erat, ad Titum in Creta degentem; eumque admonet, ſeu potius in memoriam ei redigit, quæ iam præceperat de conſtituendis clericis per ciuitates; de vitandis pſeudoapoſtolis, & præſertim Iudæis; qui commiſcebant ea, quæ ſunt legis, cum fide in Chriſtum. Multa deinde monet, quæ ſpectant ad populi inſtitutionem: Et ſic concludit Epiſtolam.

CAPVT I.

ADMONET Titum de conſtituendis per ciuitates Epiſcopis; vbi notandum, quòd, quem prius appellauerat presbyterum, vocat Epi-
C ſcopum: pro eodem enim vtrumque accipit, eò quod quicunque ordinabantur presbyteri, ordinabantur etiam Epiſcopi. Docet vitandos eos, qui obſeruantias legis miſcebant fidei in Chriſtum. *Paulus ſeruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem, eſt in ſpem vitæ æternæ.*] Cùm Apoſtolus ſit miſſus, docet Paulus ad quid fuit miſſus, & ſecundum quidnam eſſet Apoſtolus: inquit igitur ſe eſſe Apoſtolum ſecundum fidem electorum Dei, id eſt, ad fidem ſtatuendam, ad quam uocantur electi à Deo, & qua ueritas cognoſcitur; quæ ueritas eſt ſecundum pietatem, quæ præcipua pars eſt charitatis, erga Deum ſcilicet, & maiores. In ſpem uitæ æternæ. nam fideles, & pij compotes erant uitæ æternæ. *Quam promiſit, qui non mentitur, Deus, ante tempora ſæcularia: ma-*
D *nifeſtauit autem temporibus ſuis verbum ſuum, in prædicatione, quæ credita eſt mihi, &c.*] Dei ab æterno ordinationem, appellat Dei promiſſionem. Tempora uerò ſæcularia, dicit, hæc noſtra, quæ menſurantur per ſæcula: deſtinato deinde tempore eſt manifeſtata. Hæc autem omnia dicit Paulus, ut oſtendat prædicationem Euangelij non eſſe rem nouam, neque nouum inuentum, ſed Dei præordinationem, ante mundi conſtitutionem. Alibi multa in eandem ſententiam.

CAPVT II. E

PROSEQVITVR monita quæ cœperat. *Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices ſeu calumniatrices.*] Notandum quod in Græco textu dicitur, in habitu qui ſanctas deceat; ex quo quiſpiam poſſet credere Paulum loqui de uxoribus presbyterorum, uel de anibus, quæ ſe dedicauerant Deo, uiduis inquam. Sed quoniã ſubdit de iunioribus, fortaſſe melius accipietur, hîc omnes anus monitas eſſe. *Sobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.*] Sobrielas compoſitionem ſui ipſius indicat, iuſtitia proximum reſpicit, pietas Deum. *Nemo te contemnat.*] Id eſt, contemptibilem iudicet ex tua uita, & moribus.

CAPVT III. F

DISCANT *fideles bonis operibus præeſſe.*] In Græco, anteſtare, id eſt, primos & præcipuos eſſe, quos alii ſequantur, non ut ipſi ſequantur alios. *Hæreticum hominem, poſt primam, & ſcundam correptionem deuita, ſciens quod ſubuerſus eſt, & delinquit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus.*] Hæreticus admonitus ſæpe, & non reſipiens, eſt proprio iudicio condemnatus: quia ipſe ſe poteſt iudicare pertinacem, quod conſtituit hominem hæreticum.

EPISTOLA AD HEBRAEOS.

B HANC Epiſtolam ab Italia ſcripſit Apoſtolus ad eos qui crediderant, Hebræos. qui,quoniam pendebant à lege, & obſeruantiis legis erant addicti, quaſi fides in Chriſtum non iuſtificaret homines credentes,ſed vmbra veteris legis: iccircò primum ſtatuit dignitatem Chriſti, tum pertinentem ad diuinam naturam, tum etiam pertinentem ad naturam humanam quam aſſumpſit: ac primò præfert eum angelis, deinde Moyſi,poſtremò ſacerdotibus Leuiticis. demum definit in fidem quam definit, & fidei vim, declarans ſanctos omnes merè iuſtificatos fuiſſe, ex fide & per fidem. Hæc ſumma. *Multifariam multiſq; modis olim loquens Deus patribus in prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.*] Quidam dubitarunt, an hæc Pauli ſit Epiſtola, nixi nonnullis argumentis, inter quæ eſt hoc,
C quod in exordio nulla eius nominis facta ſit mentio, quemadmodum mos eius eſt in omnibus aliis ſuis Epiſtolis. Nos ſequemur auctoritatem Eccleſiæ, quæ hanc Epiſtolam recognoſcit, & legit ut Pauli Epiſtolam. quòd nomen eius non ſit poſitum in exordio, præter alias cauſas, puto hanc ueram. Erat gentium Apoſtolus Paulus, non circuncifionis, ut in Epiſtola ad Galatas patet: iccircò ſcribens gentibus, ſuæ auctoritatis non obliniſcitur, & nominis ſui meminit; ſcribens autem Hebræis, quorum non erat Apoſtolus, humilitatem ſecutus eſt. Dicit Deum locutum in Prophetis, potius quàm per Prophetas, & in filio potius quam per filium, cùm tamen vtraque locutio ſit commoda; ut oſtenderet Deum ita locutum fuiſſe per Prophetas, ut tamen in eis eſſet: quamobrem putandum eſt potius fuiſſe uerba eorum
D uerba Dei, quàm Prophetarum; nam ſic rex loquitur per oratorem ſuum,ut ſit in ipſo. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula.*] Nota Paulum velle adſtruere Chriſtum fuiſſe & Deum, & hominem uerum: ideò vtrunque dicit. Nam conſtitui hæredem, pertinet ad hominem; ſed per eum facta eſſe ſæcula, pertinet ad Dei verbum. *Cui enim angelorum dixit, filius meus es tu, &c.*] Auctoritates quas adducit ex ſcriptura ſacra, quibus oſtendit Chriſtum omnibus angelis prælatum fuiſſe, ſumptæ ſunt ex diuerſis ſcripturæ locis, quibus adſtruit Chriſtum ut Dei verbum, per quem facta ſunt omnia, ita angelis antecellere, ſicuti creator creaturæ. Chriſtus etiam ſecundum humanam naturam, propter plenitudinem gratiæ omnibus angelis prælatus eſt, & ab eo omnes accipiunt: licet in naturalibus paris ſit inferior.

ferior. Prima auctoritas eſt ex Pſalmo,& poteſt ad literam accipi de Chriſto. E
Alia ex libro regum; ad literam loquitur de Dauid,qui Chriſti figuram gerebat. Alia eſt ex Pſalmo 96. In quo deſcribitur ſecundus aduentus Chriſti, in quo ueniet tanquam iudex, & tanquam regnans, ut patet ex lectione Pſalmi. Alia de Angelis in Pſalmo. Benedic anima mea Domino. Alia ex Pſalmo 44. qui eſt Epithalamium Chriſti & Eccleſiæ, ſeu humanæ naturæ in beatæ virginis conceptione. Poſtrema ex Pſalmo 101. quæ præſefert nonnullam difficultatem. Nam non uidetur poſſe commodè applicari ad filium, & uerbum Dei, ſeu ad Chriſtum; nam totus ille Pſalmus dirigitur ad Deum. Nihilominus ſi quis interius ſpeculetur, cùm præmiſerit; Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum; videtur lo- F
qui ad literam de populo Chriſtiano, & de die iudicij: quamobrem poſſunt ea uerba commodè attribui Chriſto. Poſtrema ex Pſalmo 109. apertisſima, de qua in Euangelio fit mentio à Chriſto.

CAPVT II.

IN hoc capite proſequitur id, quod cœperat, ut ſcilicet Chriſtũ Angelis præſtantiorem oſtendat, cùm ei Deus ſubiecerit omnia; quod tamen nondum appàret, in die Iudicij uerò omnibus apparebit. ac oſtendit ſumma ratione uerbum Dei; hominem pasſibilem factum eſſe, ut homines ſanctificaret, & pro eis ſatisfaceret; non autem apprehendit naturam angelicam, in unitate perſonæ. Hæc ſumma. *Sic enim qui per angelos fa-* G
ctus eſt ſermo.] Hinc colligitur datam fuiſſe legem Moyſi à Deo, miniſterio tamen Angelorum. *Quæ cum cœpiſſet enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo, &c.*] Ex hoc loco quidam ſuſpicantur hanc Epiſtolam non fuiſſe Pauli, ſed poſterioris cuiuſdam. Ego uerò putauerim Paulum, pro humilitate animi, ſe cum aliis miſcuiſſe, ac ſi eſſet vnus ex Hebræis ad quos ſcribit. Vitat enim quantum poteſt uideri arrogans. *Teſtatus eſt in quodam loco dicens; quid eſt homo? quia innotuiſti ei &c.* [vſque ad eum locum] *nondum videmus ei omnia ſubiecta.*]In Pſalmo octauo ea, quæ de homine Dauid dicit, meritò Paulus tranſtulit ad Chriſtum, per quem humanum genus poteſtatẽ perditam non tantùm recuperauit, ſed ampliori potitus eſt; & in quo humana natura, longè maiori gratia, & potioribus donis donata ſit quàm H
Angeli; adeò ut de eius plenitudine etiam Angeli accipiant. Subdit; nunc autem non uidemus omnia ei ſubiecta. Hæc poteſtas ſuper omnia data eſt Chriſto, ſtatim ab exordio ſuæ conceptionis, tum ratione diuinæ perſonæ, ad quã aſſumpta eſt humana natura, tùm ratione ſuperabundantis gratiæ. Apparuit autem Apoſtolis, & aliis qui uiderunt Chriſtum poſt reſurrectionem, cùm dixit, data mihi eſt poteſtas in cœlo & in terra. Dicitur enim in ſcriptura ſæpius, tunc res dari, cùm apparet eius datio: apparebit autem omnibus in die iudicii. *Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.*] Carnem pasſibilem & mortalem uerbum Dei aſſumpſit, ut pro omnibus nobis pœnas ſubiret & ſatisfaceret: & ideo hac in parte tunc minoratus eſt ab Angelis; & vicisſim

deinde

A deinde per reſurrectionem,gloria & honore coronatus? *Decebat enim eum per*
quem omnia, & propter quem omnia,auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſumma-
re. qui enim ſanctificat & qui ſanctificantur ex vno omnes.] Probat Apoſtolus iure
merito uerbum Dei, carnē & naturam humanam, paſsibilem, & mortalem
aſſumpſiſſe. Nam mediator futurus erat Chriſtus,Dei & hominum: icciredò
vtriuſque naturæ particeps eſſe debuit, iuxta illud, Mediator vnius non eſt,
Deus autem unus eſt.Deinde oportebat eum pati & ſatisfacere,qui peccaue
rat.Peccauerat autem homo,ideò hîc dicit,quod decebat Deum adducere au
ctorem ſalutis noſtræ ad conſummationem, id eſt, ad perfectionem reſurre-
ctionis,per paſsionem mortis.Nam qui ſanctificat & qui ſanctificatur ex uno
B omnes, id eſt, ex eadem natura, & ex eadem origine,id eſt, ab Adam deſcen-
dente, quamuis non ſecundum ſeminalem rationem: quæ ſequuntur, hinc
pendent omnia. *Vt per mortem, deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt*
diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.]
Per mortem,quæ Chriſto indebitè fuit à Diabolo illata,eo quod nullum ha-
beret peccatum, & qua ſatisfecit pro peccatis omnium, liberati ſumus nos
peccatores à poteſtate & ſeruitute Diaboli;adeò ut ſecundum animam uiua-
mus, & expectemus per Chriſtum immortalitatē corporis, adeò ut amplius
non ſimus ſub Diabolo,qui per mortem animæ nobis illatam,conduxerat e-
tiam nos ad neceſsitatem mortis corporis. Item cùm omnes ferè cupidita-
tes,referantur ad cupiditatem huius uitæ mortalis quam degimus; & omnes
C timores ad formidinem mortis,cui ſeruiebamus,aliam uitam & reſurrectio-
nem corporis deſperantes, Chriſtus ab hoc timore,cui eramus obnoxii, nos
liberauit, per promiſsionem melioris uitæ: cuius arram iam dedit per ſpiri-
tum ſuum,& per certam promiſsionem futuræ reſurrectionis corporis. *Vn-*
de debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt fieret miſericors, & fidelis Pontifex ad
Deum:in eo enim,in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & eis,qui tentantur, auxi-
liari.] Concludit id quod ſuprà dixerat, cur ſcilicet oportuit filium Dei car-
nem aſſumere; Nam oportebat inuenire hoſtiam,& Pontificem,per quos hu
mano generi Deus reconciliaretur; quorum vtrunque oportebat hominem
eſſe,& Deo gratiſsimum; iccircò, inquit debuiſſe Chriſtum aſsimilari fratri-
bus,id eſt hominibus per omnia, id eſt, quæ ſunt naturæ humanæ præter pec
D catum; ut eſſe poſſet Pontifex miſericors, non ſolum quia Deus, ſed etiam
quia homo, qui naturalem cognationem habet cum aliis hominibus, & eſ-
ſet etiam fidelis tam Deo, quàm hominibus cognatis ſecundum natūram,&
ut propitiaret delicta populi; non tantùm ut Pontifex, ſed ut hoſtia ſub-
dit rationem. Nam in quo eſt paſſus & tentatus: potens eſt & eis, qui ten-
tantur,ſubuenire. Hoc etenim iuſtitiæ eſt,ut is qui tanquam hoſtia pro om-
nibus paſſus eſt & tentatus, non pro delictis propriis, poſsit auxiliari illis,
qui tentantur & patiuntur, vtpote qui pro illis iam ſoluerit pretium,& iuſti-
tiæ ſatisfecerit.

CPVT III. E

CVM mentionem feciſſet de Pontificatu Chriſti;accedit in hoc capi-
te ut Chriſtum conferat Moyſi, & præferat. Nam in domo Dei,
quæ nos ſumus, Moyſes verſatus eſt tanquam famulus, Chriſtus ue
rò tanquam Dominus,qui eam fabricatus eſt; quod maximè propriè compe
tit Chriſto,prout eſt Deus,quamuis ut homini etiam idem poſſet aliquo mo
do,præ Moyſe,ei attribui,ſed Deum tantùm tangit Apoſtolus in textu. Poſt-
modum declarat quod nos oporteat initium hoc ſubſtantiæ, quam habemus
in Chriſto retinere vſque ad finem, ne incidamus in infidelitatem Iudæo-
rum,& demus pœnas pares eis propter incredulitatem.Hæc ſumma.*Et Moy* F
ſes fidelis erat tanquam famulus.] Nota quod ſupra dixerat,ideo Chriſtum præ-
ferendum Moyſi, quoniam is qui domum fabricatur, potior eſt, quàm do-
mus ipſa: ex quo infertur, quod Moyſes ſit pars huius domus, quam Deus
ædificauit per ſpiritum ſuum in Chriſto. Nunc dicit in hac domo Moyſem
fuiſſe tanquam famulum; Chriſtum uerò, tanquam filium in domo ſua: fa-
muli partes ſunt domus, miniſtrant tamen aliis, ut ex primo Politicæ pa-
tet. Vnde non repugnat, eſſe partem domus, & famulum. *Ut non obdure-
tur quis ex vobis fallacia peccati.*] Peccatum non eſt niſi cum quapiam igno-
rantia, unde fallit nos. Eſt etiam cum cordis obduratione, contra Dei in-
ſpirationem interiorem.

CAPVT IIII. G

PROSEQVITVR id quod cœperat, raramque figuram Ioſue tem-
poribus in populo Hebræo expreſſam, eorum quæ ſub Chriſto fa-
cta ſunt,explicat. Inquit ergo, figuram noſtrorum temporum in fa
ctis ſub Ioſue cõtemplemur, & caueamus ne nobis propter incredulitatẽ idẽ
accidat,quod & illis accidit;ne ſcilicet ſicuti illi nõ potuerunt ingredi in ter-
rã, quam Deus eis promiſerat, propter incredulitatẽ & impatientiam; ita &
nos quibus promiſſa uera in Deo requies,de qua mentio fit; quod Deus in ea
requieuit die ſeptima,propter incredulitatem,& fallaciam peccati obdurato
corde, nequeamus introire in requiem Dei. Hortatur denique, ut cùm fidu-
cia adeamus ad thronum gratiæ,talẽ Pontificem habentes,&c. *Et quidem ope-* H
*ribus ab inſtitutione mundi profectis. dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic; &
requieuit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, & in illo rurſum, ſi introibunt in
requiem meam.*]Paulus ex ſcripturæ locis cõuenientibus inuicẽ oſtendit,quod
requies promiſſa fidelibus Chriſti,eſt requies ĩ Deo, æterna ſcilicet fœlicitas
& beatitudo,cuius figura fuit requies in terra promiſſionis ſub Ioſue. Nã in
Pſalmo dicitur in perſona Dei,Si introibunt ĩ requiẽ meã, & ĩ geneſi dicitur,
quod die ſeptima requieuit Deus ab operibus ſuis.Ecce requies quã ĩ Pſalmo
meminit Dauid,cùm tamẽ loquatur de exacerbatione & obduratione Iudai-
ci populi ſub Ioſue & Moyſe.*Quoniam igitur ſupereſt introire quoſdam, & illi qui-
bus promiſſum eſt non introierunt; iterum terminat diem quendam hodie in Dauid di-*

cendo

A *cendo, &c.*] Omnibus Iudæis ſub Moyſe & Ioſue, promiſſa fuerat requies, in terra promisſionis, multi tamen eorum non introierunt propter incredulitatem: Iccircò cùm illa, fuerint figuræ eorum, quæ nunc aguntur, Dauid in Pſalmo, poſt tantum temporis ab Moyſe & Ioſue, terminat quendam diem, dicens; Hodie, qui referri debet ad præſens tempus prædicationis Euangelij, cui & illa requies, & eorum incredulitas, ac fides quorundam accommodari debent. *Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, nunquam de alio loqueretur poſthac, die. Itaque relinquitur Sabbatiſmus populo Dei.*] Subtiliter, & diuine, Paulus argumentatur, inquiens; ſi Dei promisſio de quiete, referretur tantùm ad eã quietem corpoream, quam habituri eſſent in terra Cananeorum, nũquam Dauid
B de alia requie poſt tãtum temporis locutus fuiſſet: ſed quoniam illa fuit vmbra & figura huius; iccircò Dauid de hac alia quiete mentionem facit, quæ Sabbatiſmus uerus relinquitur populo Dei. *Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, requieuit ab operibus ſuis, quemadmodum Deus à ſuis, &c.*] Nonnulli dicunt opera noſtra, intelligi labores & moleſtias, à quibus quieſcunt, qui quieſcunt in requie Dei. Sed reor ego altiorem fuiſſe ſenſum Pauli, ut ſcilicet oſtendat id, quod Dionyſius dicit, altiorem ſcilicet eſſe noſtram fœlicitatem, & cum Deo coniunctionem, & ab Deo abſorptionem noſtri, quàm quoduis opus, ſeu operatio noſtra; vnde requies illa eſt in ceſſatione omnium noſtrarum operationum; quia eas tranſcendit & ſupergreditur. *Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax & penetrabilior, &c.*] Sermo Dei, eſt uerbum Dei, quod factum
C eſt caro, nam in Græco idem vtrobique verbum, eadem dictio. Hæc uerò Apoſtolus ſubdit ut reor, ut ſcilicet oſtendat uerbo Dei Chriſto Ieſu, & ineſſe vim diuinam, qua posſit & ſanctificare nos interius, & præſtare promiſſa, ſimulque ſcientiam, qua ſimulationes & disſimulationes omnes cognoſcit, ideò ſincerè nobis agendum eſſe & cum fiducia. *Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.*] Hortatur ad fiduciam, ex conditione Sacerdotis & Pontificis noſtri, qui cùm ſit filius Dei, omnipotens eſt; & cùm ſit homo, tentatus & paſſus multa, quamuis abſque peccato exiſtens, ſed habens tãtum ſimilitudinem carnis peccati; iccircò ex cognitione naturæ; & experimento tentationum, quæ ualidæ ſunt; ex merito, quia abſque peccato tentatus & paſſus, noſtri miſerebitur, & gratiam præſtabit.

D

CAPVT V.

PRAETVLIT ſuperius Paulus Chriſtũ angelis, prætulit Moyſi; nunc vult præferre Sacerdotiũ Chriſti, Sacerdotio Aaron, eò quod Chriſtus cõſtitutus ſit Sacerdos in æternũ, ſecundum ordinẽ Melchiſedech, & per Dei iuſiurandum; de quibus inferius in hoc capite, veluti proœmium facit ad ea, quæ dicturus eſt. Ac primò ſtatuit qualis ſit Sacerdos, & Põtifex, quod eius officiũ, & quod nullus ſeſe ingerere debet huic muneri, ſed tãtùm vocatur; ſic Aaron, ſic etiã Chriſtus effecti ſunt Sacerdotes. Poſtmodum ſenſim deſcẽdit ad Chriſtũ, & eius Sacerdotiũ, qui eſt ſecundum ordinẽ Melchi-

chiſedech; de quo inquit grãdem ſermonem eſſe, ob eorum imbecillitatem, E
Hebræorum ſcilicet, qui nondum erant apti ſolido cibo, ſed lacte erant nutriendi. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus,pro hominibus conſtituitur in his,quæ ſunt ad Deum,&c.*] Conditiones Pontificis,quòd homo ſit,quòd cõſtituatur pro hominibus in his,quæ ad Deum pertinent, ut pro populo offerat munera & hoſtias Deo; quod ſit circundatus infirmitate, ut condolere poſsit peccantibus; vnde & pro ſe debet offerre pro peccatis, ſicuti pro aliis hominibus. Harum conditionum priores ſunt neceſſariæ; vt ſcilicet,ſit homo, ut conſtituatur pro hominibus ad Deum, ut offerat munera & victimas Deo:quod uerò ſit circundatus infirmitate; vnde debeat & pro ſe ipſo offerre pro peccatis;non ſunt neceſſariæ conditiones Sacerdoti;ſed conſequentes F
humanæ naturæ corruptionem.vnde non fuerunt in Chriſto.Sed ad bene eſſe Sacerdotis requiritur,quòd ſit etiam ipſe corpore infirmus,qui pati poſsit, qui tentari poſsit; immò qui paſſus & tentatus ſit; vt ex experientia cognoſcens vim paſsionis & tentationis miſericors ſit.Et hæc conditio fuit in Chriſto. Sequitur alia conditio Sacerdotis, ut ſit uocatus, non ut ipſe ſeſe ingerat huic muneri. *Qui poſſit eum ſaluum facere à morte.*] Non ut non moreretur, & non pateretur, ſed ut à morte non detineretur. Sic Petrus in ſua Epiſtola, & in Pſalmo;non detinebis animam meam in inferno,nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem, id eſt corporis diſſolutionem. *Et quidem cùm eſſet filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.*] Non dicit obedientiam, quam neſciret, & cuius habitum non haberet; ſed didicit experiendo, & actu obediendo: vnde eius obedientia iuſti effecti ſunt multi; ſicuti inobedientia Adam peccatores cõſtituti ſunt multi. factus eſt enim obediens vſque ad mortem &c. ad Philippenſes. *Et facti eſtis quibus lacte opus eſt, non ſolido cibo &c.*] G
Idem eſt cibus, & lac, & ſolidus: lac quidem, ſecundum ſenſum quem præſefert litera: ſolidus uerò, ſecundum ſenſum interiorem, qui latet ſub litera. Ideò Apoſtolus cùm interiorem ſenſum ſcrutaturus eſſet Sacerdotij Chriſti, qui conſtitutus eſt per iuſiurandum à Deo Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; Hebræi autem addicti eſſent cortici literæ, eique inhærerent, ac cæremonias legis ægrè relinquerent; iccircò eos Paulus hîc reprehendit, ac paruulos vocat:licet poſtmodum in fine dicat ſe de eis credere meliora; & accedit ad interiorem ſenſum huius Sacerdotij. *Qui exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.*] Lac non eſt cibus malus, immò bonus, ſed paruulis: grandibus uerò malus eſt cibus; quia eis non conuenit. Sic exterior literæ ſenſus bonus eſt, ſed paruulis, Iudaico ſcilicet populo; qui ut paruulus detinebatur ſub pædagogo. At factis grandibus in Chriſto non eſt conueniens;ideo illis malus efficitur. H

CAPVT VI.

REPREHENDIT Hebræos ut paruulos & ineptos ad ſolidũ cibũ ſuperius,vt eos excitaret;nũc quaſi excitatis loquitur,ſeq; intermiſſurũ inquit,initiũ ſermonũ Chriſti,& ad perfectiora aſcenſurũ. Deinde

A de parentheſim magnam facit pertinentem ad ea, quæ ſupra tetigerat, ut ſci-
licet, deterreat eos à cortice legis, & à cæremoniis Iudaicis, quibus annexi
erant. & tandem in fine capitis redit ad id,quod inſtituerat;vt ſcilicet,oſten-
dat ex interiori ſenſu legis, Sacerdotium Chriſti longè præferendum eſſe Sa-
cerdotio Leuitico. Hæc ſumma. *Quapropter, intermittentes inchoationis Chriſti
ſermonem,ad perfectiora feramur; non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab
operibus mortuis, & fidei in Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque ma-
nuum, ac reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni.*] Sermo inchoationis Chri-
ſti, ſunt elementa Chriſtianæ religionis, quæ doceri debent & ſolent Cate-
chumeni;& Sacramenta,quibus inſerimur Chriſto.Primum horum eſt pœ-
B nitentia à peccatis, quæ hîc appellat mortua opera. Alterum poſt pœniten-
tia eſt fides ad Deum per Chriſtum. Sequitur baptiſma, quod eſt Sacra-
mentum fidei. Sequitur doctrinæ. Hoc uerbum ad omnia ſuperiora & infe-
riora referri poteſt,ut ſcilicet, dicamus,iacientes fundamentum pœnitentiæ
ab operibus mortuis, & fundamentũ doctrinæ fidei ad Deum, & baptiſmatũ
& impoſitionis manuum, & reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni.
Hæc enim omnia doceri ſolebant Catechumeni,& huiuſmodi doctrina per-
tinet ad lac.poteſt etiam exponi & accipi doctrina per ſe,id eſt,iacientes fun-
damentum. Nam Catechumeni & docebantur, & ſimul præſtabant ipſi om-
nia hæc, quæ memorat Apoſtolus. nam & pœnitebat eos veteris vitæ, & ba-
ptizabantur, & manus eis imponebatur, & per baptiſma reſurgebant à mor-
C tuis,& expectabant iudicium æternum.Dixit autem,baptiſmatum;quia plu-
ra ſunt baptiſmatis genera,ut dicunt Theologi,& Damaſcenus meminit.Vel
fortaſſe hîc Hebræos perſtringit & carpit,quòd obſeruarent cæremonias Iu-
daicas, inter quas in Euangelio fit mentio baptiſmatum. *Impoſſibile eſt enim
eos, qui ſemel ſunt illuminati &c. & prolapſi ſunt rurſum, reuocari ad pœnitentiam;
rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.*] Diximus ſuprà
omnia ſuperiora,quæ ſunt lactis, pertinere ad Catechumenos: nam & ea do-
cebantur, & re præſtabant, ideo docti, ad baptiſma accedebant, quod iterari
non poteſt:cum fiat in mortem Chriſti, qui ſemel mortuus eſt, & reſurrexit,
non moriturus. Ideo qui baptiſma iterant,irrident Chriſti mortem; & quan
tùm in ſe eſt,profitentur eum non reſurrexiſſe immortalem. Sicuti ergo ba-
D ptiſma iterari non debet; ita quæ ante baptiſma ab ijs percepta fuerant, non
debebant ex eorum memoria decidere, ut eſſent iteranda, ſiue iterum incul-
canda. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam
oſtendiſtis in nomine ipſius,&c.*]Increpauit ſuprà Apoſtolus Hebræos, vt paruu-
los.Nũc uerò delinit animos eorum,laudatque eos ab operibus eorum; qui-
bus retributionem à Deo ſperandam aſſerit: ſimulque ad perſeuerantiam in
huiuſmodi operibus Hebræos hortatur; oſtendens maximã uoluiſſe Deum
ſuæ promiſsioni adhibere firmitatem; cùm & promiſerit,& iurauerit per ſe-
metipſum, ut ſpem noſtram firmam ſtatueret; quæ eſt velut anchora, quæ
penetrat vſque ad interiora velaminis; id eſt, ad bona æterna & ſpiritualia,
quæ latent vltra temporalia & ſenſibilia; quibus coniungimur & nitimur

per

per ſpem,donec peregrinamur à Domino. *Vbi præcurſor pro nobis introiuit Ie-* E
ſus, ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.] Aptè reuertitur
eò vnde digreſſus erat; ad Sacerdotium, ſcilicet, Chriſti ſecundum ordinem
Melchiſedech. Dicit autem,quòd Ieſus introiuit præcurſor pro nobis; quia
eius introitus aditum nobis reſerauit ad ea interna & ſpiritualia bona.

CAPVT VII.

IN hoc capite rem aggreditur, de qua ſe dicturum propoſuerat,diſtu
lerat tamen. dicitque primùm, quæ ex ſcriptura colligi poſſunt de
hoc Melchiſedech; ſecundum cuius ordinem eſt inſtitutum,& præ F
dictum in Pſalmo,ſacerdotium Chriſti. Huius nomen interpreratur per ea,
quæ conueniunt Chriſto. De patre,& matre,& genealogia huius nulla fit mẽ
tio in ſcriptura. Sic dictum eſt de Chriſto; Generationem eius quis enarra-
bit? Comparat deinde ex hiſtoria Geneſis,hunc Melchiſedech Abraam, lon-
geq́ue illi eum præfert:vnde & Leui præferri oſtenditur,& translationem Sa
cerdotii debere fieri;quare etiam legis:& hoc propter imperfectionem prio-
ris,quæ non poterat viuificare.Multa poſtremò addit de excellentia Sacerdo
tij Chriſti; & quantum vtilitatis nobis attulerit, & afferat eius Sacerdotium.
Hæc ſatis. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum habens*
neque finem.] Non vult Paulus ex his, vt nonnulli crediderunt, Melchiſedech
non habuiſſe patrem & matrem; ſed quòd in ſcriptura, nulla fiat mentio de G
patre, aut de matre Melchiſedech, neque de eius ortu aut obitu; vt ſcilicet in
eo poſſit conſtitui conueniens figura filij Dei, & eius Sacerdotii. *Et amplius*
adhuc manifeſtum eſt: ſi ſecundum ordinem Melchiſedech exurgat alius Sacerdos,qui
non ſecundum mandatum legis carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ indiſſo-
lubilis factus eſt. (conteſtatur enim, quoniam tu es Sacerdos in æternum ſecundum or-
dinem Melchiſedech.) reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmita-
tem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adducit lex; introductio verò me-
lioris ſpei, per quam appropinquamus ad Deum, &c.] Suprà dixerat Apoſtolus,
quòd, translato Sacerdotio à tribu Leuitica ad tribum Iuda, neceſſe erat fieri
legis translationem:nunc uerò quantò hoc Sacerdotium ſit illo præſtantius.
nam illo conſtituebant Sacerdotes mortales, & ad adipiſcenda bona morta- H
lia.Hoc enim vult Apoſtolus cùm ait,qui non ſecundum legem mandati car
nalis factus eſt.Nam mandatum carnale,quod non viuificat, bonis ſenſibili-
bus,tanquam præmiis, allicit ad virtutem; & pœnis temporalibus deterret à
vitio. Inſuper miniſtrabatur hoc Sacerdotium ab hominibus in carne mor-
talibus:at de Sacerdotio Chriſti cùm dicitur, quòd eſt Sacerdos in æternum;
conſtitui ſignificatur Sacerdos ſecundũ virtutẽ vitæ indiſſolubilis.infert Pau
lus ex his, quòd fit reprobatio prioris teſtamenti, tanquam infirmi: quia lex
non poterat viuificare; & ideo inutilis. & fit introductio melioris ſpei, per
quam proximamus ad Deũ; vt ſcilicet fruamur Deo, & diuina nobis debea-
tur hæreditas; quamobrem & æterna. Vide quàm acutè Paulus ex æternitate

Sacerdotis,

A Sacerdotis, arguit æternitatē bonorum nobis promiſſorum. His addit, quòd hic ſit factus Sacerdos cum iureiurando; nō item alii. alii plures, quia mortales; hic unus tātùm, quia immortalis. *Hoc enim fecit ſemel ſemetipſum offerendo.*] Differt huius Sacerdotis oblatio, ab oblationibus Sacerdotum Leuitici generis. quia illi ſæpè offerūt hoſtias pro peccatis, primùm ſuis, deinde populi: Hic uerò pro ſuis peccatis non opus habet, ut offerat; quippe qui innocens eſt & immaculatus: pro peccatis uerò populi ſemel obtulit ſemetipſū; cuius oblationis virtus manet ī æternū, quæ quotidiè per eādē hoſtiā nobis applicatur.

CAPVT VIII.

NIHIL aliud agit in hoc capite, quàm quòd conatur oſtendere excel-
B lentiam Sacerdotii Chriſti; & quòd in Sacerdotio Leuitico vmbra quædā fuit eorum, quæ ſunt præſtita per Sacerdotium Chriſti; quæ, enumerat & declarat. *Capitulum ſuper ea quæ dicuntur.*] Summa eorum quæ vult Paulus nos docere de Sacerdotio Chriſti, hæc ſunt. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis, Sanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quòd fixit Deus & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerenda munera, & hoſtias conſtituitur.*] In ſuperiori capitulo dixerat, quòd Chriſtus cum iureiurando eſt conſtitutus à Deo Sacerdos in æternum; quod declarauit, ac duplicem rationem reddidit. Eſt enim Sacerdos in æternum, quia eius Sacerdotij effectus eſt acquiſitio, & hæreditas bonorum æternorum, non temporalium. Eſt etiam Sacerdos in æternum, quia ſemper ſaluare poteſt accedentes ad
C Deum per ipſum; vnde dictus eſt etiam eſſe poſitus ad interpellandum pro nobis, & quod interpellat pro nobis. Cyrillus ſuper Leuiticum dicit, duo eſſe ſacrificia Chriſti figurata in ſacrificiis veteris legis; vnum in terris, quaſi extra caſtra cœleſtia; ubi immolatus eſt pro peccatis; cuius figura erat hoſtia, quæ offerrebatur pro peccato. aliud autem ſacrificium Chriſti eſt in cœlis, quod Cyrillus applicat Angelis; nos autem commodè poſſumus adaptare nobis hominibus. Nam ſicuti poſt immolationem hoſtiæ pro peccato, quæ comburebatur extra caſtra, Pontifex cum eius ſanguine introibat in Sancta Sanctorum, ibiq; ſepties aſpergebat ſanguinem verſus arcam: ita Chriſtus poſtquam in terris extra caſtra Angelorum, ſeipſum obtulit, in proprio ſanguine introiuit in tabernaculum, non huius creationis, ſed in cœlum: vbi in æter-
D num manet offerens ſe Deo pro nobis: & hæc oblatio, proportionata oblationi Sacerdotis in Sancta Sanctorum, ſemper manet: & ideo eſt Sacerdos in æternum, & in perpetuum ſaluare poteſt accedentes per ipſum ad Deum. *Quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus,*] Exprimit cauſam cur ſtatuere velit Deus teſtamentum nouum. Cauſa, inquit, eſt, quoniam Iudæi, quibus data fuit lex, non permanſerunt in teſtamento dato eis à Deo; ac proptereafuerunt neglecti à Deo; nam lex iram operatur. iccirco Deus, propter infirmitatem illius & langorem mentis noſtræ, voluit nobis dare teſtamentum nouum, in cordibus noſtris ſcriptum, quo viuificaremur. Hic ſenſus. *Et non docebit vnuſquiſque proximum ſuum &c. quoniam omnes ſcient me à minore vſque ad maiorem.*] Hoc non impletur in hac vita, ſed in

patria impletur; ubi omnes per eſſentiam Deum uident immediatè. quamuis quantùm ad infuſionem Spiritus Sancti, & luminis fidei interius, omnes immediatè, etiam nunc in hoc ſæculo doceantur à Deo. E

CAPVT IX.

ANALOGIAM, ut prædiximus, Paulus proponit; ac comparat ſacrificium expiationis Iſraëliticum ſacrificio Chriſti, quo ſe obtulit Deo pro nobis. Prius narrat ritum prioris ſacrificii: poſtmodum accommodat huic ea, quæ Chriſtus geſſit in ſui immolatione, & ad Deum oblatione: ſimulque oſtendit, in quibus præſtat longè Chriſti ſacrificium, ſacrificio Leuitico: hæc ſumma. *Habuit quidem & prius iuſtificationes culturæ & ſanctum ſæculare.*] Iuſtificationes culturæ intelligit Paulus, veteris teſtamenti cæremonias; quibus illi iuſtificabantur, non ſecundùm cor & mentem; ſed ut eſſent idonei ad diuinum illum cultum exteriorem; ſicuti apud nos dicerentur abſolutiones ab irregularitate, iuſtificationes; ſic abſolutiones ab excommunicatione. Sanctum ſæculare, ſeu mundanum, appellat eam ſanctitatem, quæ non eſt mentis & animæ; Sed ſanctitas eſt mundana & in hoc ſæculo, qua illi, qui in ea ſunt, habentur in congregatione Sanctorum; qui, ſcilicet, ab ea non expelluntur propter aliquam labem, quam exterius contraxerint, ut immundi &c. *Aureum habens Thuribulum, &c.*] Magnus hîc ſcrupulus; nam altare thymiamatis non erat intra velum in ſecundo tabernaculo, ſed in primo contra velum. vnde multi exponunt, vasquoddam fuiſſe hoc Thuribulum, in quo incenſum ab altari thymiamatis ferebatur in ſancta ſanctorum. *Hoc ſignificante ſpiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente ſtatum. quæ parabola eſt inſtantis temporis, iuxta quod munera & hoſtiæ offeruntur.*] Eſſe parabolam inſtantis temporis, non eſt ſic accipiendum, quaſi velit intelligere tempus noui teſtamenti poſt Chriſtum; ſed inſtans tempus intelligit, tempus Iudaicorum ſacrificiorum: quare inquit, iuxta quod offeruntur munera & hoſtiæ; ac ſi diceret, voluit Spiritus Sanctus per tabernaculum prius, & per velamen, poſt quod erat tabernaculum ſecundum, infra quod ingrediebatur Sacerdos; oſtendere nondum fuiſſe propalatam Sanctorum viam Moſaicæ legis tempore. *Per tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis.*] Tabernaculum intra quod ingreſſus eſt Chriſtus (per quem Pontificem futura bona, æterna inquam, nobis præſtantur) quod non eſt huius creationis, duplex eſt; corpus ſcilicet ſuum, quod non moreretur, neque ſecundum ſeminalem cauſam eſt formatum, ut aliorum hominum corpus; ſed per uirtutem Spiritus ſancti. aliud etiam tabernaculum ingreſſus eſt Chriſtus, id eſt cœlum; quod non eſt manufactum, neque per homines, ut prius Iudaicum; ſed à Deo creatum. *Inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.*] Ecce quam emundationem præſtabant veteris legis cæremoniæ, & quomodo iuſtificabant, exterius, ſcilicet; ut emundati eſſent

F
G
H

A idonei ad cultum illum exteriorem. vnde Apoſtolus alibi appellat eas iuſti-
tias carnis,& hic ad emundationem carnis inquit. *Et ideo noui teſtamenti me-
diator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earum prauaricationum, quæ erant
ſub priori teſtamento &c.*] Eſt hic notandum, quod Paulus vtitur nomine te-
ſtamenti, quod aliqui accipi volunt pro fœdere, ſicuti in plerique ſcriptu-
ræ locis. Attamen cum agatur de hæreditate,cuius nos hæredes ſumus,non
incongruè Paulus accipit teſtamentum hic magis propriè, & ei accommo-
dat ea, quæ in teſtamentis propriè dictis ſolent obſeruari; vt, ſcilicet, con-
firmentur per mortem teſtatoris, ut infra pluribus dicit. Verùm mors Chri-
ſti non tantùm nobis teſtamentum hoc hæreditatis confirmauit, verùm e-
B tiam idoneos nos fecit capeſcendæ illius hæreditatis, propter redemptio-
nem præuaricationum; quibus obuoluti, non poteramus hæreditatem adi-
re. Hoc primum hic tangit, aliud poſterius de confirmatione promisſionis
& hæreditatis. *Et quemadmodum hominibus ſtatutum eſt ſemel mori; poſt autem
iudicium. Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: Se-
cundò ſine peccato apparebit omnibus expectantibus ſe in ſalutem.*] Ea quæ poſt
mortem accidunt, omnia firma ſunt, nihil mutabile. Sic in hominibus om-
nibus accidit; ſemel moriuntur; poſt mortem ſtatim ſequitur iudicium; ſta-
tus, in quo ſemper futuri ſunt. Sic & Chriſtus, qui per ſuam mortem nos re-
demit, & reliquit hæredes æternæ hæreditatis, ſemel mortuus eſt ad exhau-
rienda multorum peccata; pro quibus ſatisfecit, non tantùm ſufficienter ſed
C etiam efficienter; pro electis, ſcilicet, & compotibus hæreditatis. poſtmo-
dum illis eiſdem apparebit ſine peccato; vel ſine hoſtia noua pro peccato; uel
ſine carne mortali, quæ habet ſimilitudinem carnis peccati: & apparebit in
ſalutem eorum; cùm ſcilicet, tradet regnum Deo & patri.

CAPVT X.

PROSEQVITVR primùm id quod cœperat; oſtenditque quan-
tum iure præcellat ſacrificium Chriſti, quo ſeſe Deo obtulit ho-
ſtiam immaculatam in cruce; ſacrificiis quæ ſecundum legem of-
feruntur. Nam in his vmbra erat, non expreſſa imago futurorum bonorum,
D Iccircò non auferebantur peccata per ea ſacrificia, ſed fiebat peccatorum cō-
memoratio quotannis; & erant figura & ſimulachra ueri ſacrificij, quo abla-
ta ſunt peccata mundi: quod, quia perfectisſimum eſt, vnicum etiam eſt.
vnus enim & idem Chriſtus eſt, qui & nunc offertur in ſanctisſimo Alta-
ris ſacrificio. Vna autem oblatione, id eſt, re oblata, omnes ſanctificamur
in Chriſto. Accedit deinde Paulus ad monita & præcepta iuxta morem,
quem perpetuum ſeruat. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ip-
ſam imaginem rerum.*] Duobus modis locus hic intelligi poteſt; uel ut per
imaginem rerum res ipſas intelligamus; ac ſi diceret, faciem rerum. Nam
res eſt redemptio noſtra à peccatis; quæ præſtita eſt, per pasſionem Chri-

ſti; & eius ſacrificium. Vmbra huius rei fuère ſacrificia veteris legis, qui- E
bus ſignificabatur & præfigurabatur unum illud ſacrificium. vel per imaginem rerum, intelligenda ea, quæ proximè & propinquè res repræſentant; per vmbram uerò illa quæ longius diſtant, & à longè repræſentant. Nam, ſicut dicit S. Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia, noſtra Eccleſia eſt media inter Hierarchiam cœleſtem, & legem veterem: nam in hac noſtra, nonnulla ſunt figura cœleſtis Hieruſalem; quædam uerò figurata à lege veteri; in qua etiam ſunt figuræ cœleſtis hierarchiæ, ſed remotæ. In paſſione Chriſti eſt Sacramentum, & imago noſtræ mortificationis, quoad veterem hominem, & noui hominis noua natiuitas. Huius vmbra quædam
longinqua eſt in ſacrificiis veteris legis. *Non deſerentes collectionem noſtram,* F
ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam] Maximum Chriſtiani viri officium eſt tenere unitatem Eccleſiæ, ab unitate non ſeparari ob vllas tentationes & moleſtias: Hoc admonet Paulus in hoc loco. *Voluntariè enim peccantibus vobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur vlterius pro peccatis hoſtia: terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æterni*] Idem repetit quod ſuprà dixerat, impoſſibile eſſe renouari per pœnitentiam. Nam ſicuti ſemel tantùm mortuus eſt Chriſtus; ita ſemel tantùm baptizamur, nec poſt baptiſma, ſi peccauerimus, poſſumus iterùm expiari per aliud baptiſma. non tamen propterea tollitur pœnitentia, & renouatio per pœnitentiam, non tamen noua natiuitas.

G

CAPVT XI.

SVPRA dixerat opus eſſe Chriſtianis, in perſeuerantia bonorum operum, patientia & fide; ſcilicet ut certiſſimè confiſi promiſſionibus diuinis, patienter ferant & tolerent, quicquid acciderit. In hoc capite proſequitur tractare de fide; priusque eam definit. Deinde exemplis innumeris oſtendit fidem eſſe Deo maximè gratam, & per illam antiquos patres placuiſſe Deo, & cùm fidem viuam habuiſſent conſecutos fuiſſe mira præmia. *Eſt itaque fides ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non appa-*
rentium.] Fides eſt qua credimus. Quia ergo res ſperandæ futuræ ſunt, iccir- H
cò ſubſtantiam & eſſe habent in credente per fidem: ſic etiam cùm non appareant, neq; ex ratione colligi poſſunt, eis tamen aſſentimur ex fide: & ideò fides veluti argumentum quoddã eſt, per quod aſſentimur non apparentibus. *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes.*] Senes, patres, maiores conſecuti ſunt teſtimonium placuiſſe Deo, & cõpotes factos promiſſionum, eò quod crediderint, & firmiter confiſi ſint diuinis promiſſis. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.*] Creationem mundi & aptationẽ, ſeu formationẽ materiæ corporeæ per uerbum Dei, ex Geneſi intelligimus per fidem. Et quantum ad hoc, fides eſt argumentũ non apparentiũ;

A ut ex inuiſibilibus uiſibilia fierent,in uerbo Dei inuiſibilia erant ſæcula;poſtmodum viſibilia facta ſunt. *Fide vberiorem, hoſtiam Abel, quam Cain obtulit.*] De Abel & Cain ſacrificiis ſcriptum eſt, quod Cain malè diuidebat; quia, ut inquit B.Auguſtinus, ſacrificium interius cordis, Cain Deo non offerebat, obtulit autem Abel;quod cordis ſacrificium maximè nitebatur fide. Quod ſi quis dubitauerit, an hîc Apoſtolus loquatur de fide in Chriſtum, per quam iuſtificamur; an latius de fide, qua credimus Deo, quicquid dixerit, & eius promisſis quibuſuis fidimus. Crediderim ego potius Apoſtolum loqui de fide latius ſumpta; ut ex hac adſtruat, per fidem in Chriſtum, in quo habemus promisſionem remisſionis peccatorum, & hæreditatis vitæ æternæ;ac-
B cedendum eſſe nobis ad Deum,ut ſimus compotes promisſionum. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.*] Dixerat imposſibile eſſe placere Deo ſine fide. Quod ſi ſimpliciter intelligatur, ut,ſcilicet,quiſpiam ſit ſimpliciter gratus Deo, vtique hoc eſſe non poteſt ſine fide mediatoris, uel explicita, uel implicita.Si uerò quod ad aliquid conſequendum,placere Deo accipiatur,fides illa latius ſumpta hîc à Paulo ſumitur, cùm dicit, ſine fide imposſibile eſt placere Deo. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.*] Hoc quoque ad vtramque fidem aptari poteſt: Si ad eam, qua Deo ſimpliciter placemus, referas; opus eſt,ut exponas ſub illis uerbis (& quod inquirentibus ſe remunerator ſit) implicitè contineri fidem in Chriſtum; ut ſit ſenſus, oportet credere Deum aliquo modo
C nobis,etiam ignotis,prouidere, ut qui illi fidunt,ſalutem cōſequantur: quòd ſi ad fidem latius ſumptam aptetur, ſenſus eſt, quòd oportet credere Deum veracem eſſe promiſſorem; & quod retribuat illis,qui quærunt ipſum, & ipſi fidunt. *Per quam damnauit mundum, & eius iuſtitia, qua eſt per fidem, factus eſt hæres.*] Mos ſcripturæ, ut dicat, eum qui bona operatur, iudicare & condemnare eum qui operatur mala. Sic in Euangelio,regina Saba dicitur condemnatura Iſraëliticum populum. *Qui vocabatur Abraham.*] In Græco, vocatus Abraham, à Deo uidelicet, à quo fuit ei mandatum; Exi de domo tua & de cognatione tua. *Expectauit enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & auctor eſt Deus.*] Ex his uerbis Pauli facilè intelligere poſſumus,omnia ferè quæ hîc dicuntur de fide, quamuis de fide illa latius ſumpta ad literam
D exponantur; intelligi tamen in ſenſu myſtico, qui ſub litera iacet,de fide iuſtificante,per quam compotes iuſtitiæ,futura bona expectamus. *Unde & eum in parabolam accepit,&c.*] Locus hic duobus modis exponi poteſt: vel, vt Iſaac & immolatio illa dicatur fuiſſe parabola Chriſti; cuius diuinitas, cuius fuit parabola Iſaac, non eſt immolata; immolatus autem fuit ſecundum humanam naturam,cuius parabola fuit hircus.Vel quod hircus ille fuerit parabola Iſaac,quia pro eo fuit immolatus:uel potius è contra, quod Iſaac fuit parabola illius hirci;unde euaſit ipſe,qui prius erat hoſtia, & hircus immolatus eſt. *Et adorauit faſtigium virgæ eius.*] In Hebræo,fulchrum lecti. *Maiores exiſtimans diuitias Theſauro Aegyptiorū improperium Chriſti.*]Ecce ſub litera latet ſen-

ſus myſticus, qui ad Chriſtum pertinet, & ad bona futura, ad quæ ſperamus E
peruenire per Chriſtum.

CAPVT XII.

HOC caput præclarum eſt, plenum dulcedine charitatis; magnamque habet vim in animo cuiuſque monendo. Excitat nos, ut per fidem & patientiam (proponentes nobis exempla tot excellentiſſimorum hominum, de quibus meminerat ſupra; & præſertim Ieſum Chriſtum auctorem ſalutis noſtræ) curramus per bona opera ad propoſitum nobis præmium; certiſſimè fidentes Deo nos id conſecuturos eſſe. *Ideoq; tantam habentes impoſitam nubem teſtium.*] Sicuti nubes nos ab æſtu ſolis defendit; ſic F
ab æſtu tentationum, ne à fide diuertamus, defendit nos, veluti nubes, exemplum tot præclariſſimorum hominum. *In diſciplina perſeuerate.*] Diſtinctè legendum, in diſciplina; id eſt, exiſtentes in diſciplina & correctione Domini; perſeuerate in fide, ſcilicet, & bonis operibus, non deficientes, ut ſupra dixerat. *Ad aſperſionem ſanguinis melius clamantem quàm ſanguis Abel.*] Sanguis Abel apud Dominum clamabat vltionem aduerſus Cain. Sanguis autem Chriſti clamat miſericordiam & veniam etiam erga illos, per quos effuſus eſt, Iudæos ſcilicet & gentiles. *Adhuc ſemel, & ego mouebo non ſolùm terram, ſed & cœlum. quod dicit, ſemel, ſignificat mobilium tranſlationem, &c.*] Figura locutionis ſcripturæ, vt, ſemel, ſignificet immutabilitatem quandam. Hoc Paulus exponit ſumptum à Propheta Aggæo: ſic in Pſalmo, Semel locutus G
eſt Deus; ut oſtendat immutabilitatem diuini eloquij.

CAPVT XIII.

MEMENTOTE *vinctorum tanquam ſimul vincti, & laborantium, tanquam ſimul in corpore morantes.*] Sumus eiuſdem corporis membra: ideò ad vnumquemque pertinent ea, quæ ſunt alterius. *Ieſus Chriſtus heri; & hodie, ipſe in ſæcula.*] Chriſtus, vtpote Deus, incommutabilis ſemper ſit idem; nec eius poteſtas & bonitas ſit imminuta; ſi imitati fuerimus priſcorum fidem, poterimus etiam ſperare eundem exitum. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. quorum enim anima-* H
lium, &c. [vſque ad id:] *Exeamus ergo ad eum extra caſtra improperium eius portantes, &c.*] Poſſet quiſpiam ambigere, quomodo reddatur ratio ſuperius dicti, ex eo quod dicitur, quorum enim animalium &c. Ratio ſumitur ex figura: nam ſicuti hoſtia, qua fiebat expiatio à peccato, cōburebatur extra caſtra, id eſt, extra congregationem Iudaici populi, in qua erat altare victimarum; ita Chriſtus paſſus eſt extra portam, id eſt, extra Iudaicam congregationem. nos ergo accedentes ad Chriſtum, qui paſſus eſt extra portam, eximus à congregatione Iudaici populi: & ita illi qui ſunt in ea congregatione, non pertinent ad nos; & ideò non habent poteſtatem accedendi ad noſtrum altare. Ex hoc loco

colligi-

A colligitur contra Lutheranos, in miſſa non fieri tantùm mentionem cœnæ; ſed fieri oblationem & ſacrificium, cui conuenit altare, non autem conuenit cœnæ. *Non enim habemus manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.*] Cæremoniæ Iudaicæ pertinent ad hanc mundi ciuitatem; quia ſunt vmbra futurorum. Nos uerò, qui futuram inquirimus, debemus egredi extra caſtra. *Rogo autem vos fratres, vt ſufferatis verbum ſolatij.*] Idem dicit quod ſuprà, in diſciplina perſeuerate. quia poſt perſeuerantiam in certamine, venimus ad ſolatium. idem dicit hîc. Sufferre enim uerbum ſolatii, eſt per patientiam boni operis ſufferre, quouſque adſit ſolatium. Laus Deo per Ieſum Chriſtum.

EX EPISTOLA IACOBI.

C

SIC *loquimini & ſic facite, tanquam per legem perfectæ libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim ſine miſericordia non facientibus miſericordiam. ſuperexaltat autem miſericordia iudicium.*] In hac Epiſtola duo potiſſimum agit Iacobus; prius, ſcilicet, vt hortetur omnes ad miſericordiam erga pauperes, & humiles. Alterum uerò, ut compeſcat ambitionem quorundam, qui uolebant fieri magiſtri, & contendebant inter ſe. de priori locus hic eſt. Nam cum dixiſſet eum, qui contemnit pauperem, facere contra legem & charitatem, qua omnia peccata prohibentur; addit
D aduertendum nobis eſſe, quòd conſtituti ſumus in ſumma libertate; ut ſcilicet ex operibus noſtris erga proximum, præſcribamus omne nobis iudicium faciendum. Nam qui non facit miſericordiã erga proximum, iudicabitur ſine miſericordia, ex rigore iuſtitiæ tantùm: ſed qui facit miſericordiam, dilatat & amplificat erga ſe iudicium; quoniam non diſtinctè ex rigore iuſtitiæ, ſed miſericorditer iudicabitur. *An putatis, quod inaniter ſcriptura dicat; Ad inuidiam concupiſcit ſpiritus (ſeu ſpiritum) qui habitat in vobis? Maiorem autem dat gratiam. Propter quod dicit, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini ſub potenti manu Dei.*] Vult Apoſtolus hortari eos, ad quos ſcribit, ad pœnitentiam, & humilitatem, ſine qua nequit eſſe pœnitẽtia; & adducit ſcripturã idẽ innuentem. inquit ergo: An putatis, quod ſcriptura inaniter dicat? Deinde ſequitur:

quitur. Ad inuidiam concupiſcit ſpiritus,ſeu ſpiritum,qui eſt in uobis. Duobus modis legitur,ſpiritus,uel ſpiritum; & duobus modis exponitur. Primo, quod hic ſit textus ſeu ſententia ſcripturæ citata ex Eſaia. Deus noſter, Deus zelator eſt; & ideo quia zelat, non patitur quicquam aliud ſibi præferri aut conferri; vt maiorem det nobis gratiam, ſi non prouocauerimus eum ad æmulationem. Spiritus ergo Dei,qui habitat in nobis,cócupiſcit ad inuidiam, id eſt,ad zelum. Maiorem tamen dat gratiam. Propter id etiam dicit ſcriptura,quod Deus ſuperbis reſiſtit,humilibus autem dat gratiam. Humiliamini ergo; quæ eſt ultima concluſio,quam intendit. Vel alio modo legitur & exponitur; putatis quòd ſcriptura dicat inaniter,& ad inuidiam? id eſt,ut uobis inuideat; quaſi dicat, Minime. Sed concupiſcit ſpiritum, qui eſt in uobis; id eſt, concupiſcit gratiam ſpiritus, ut ſit in vobis; ut maiorem gratiam ſemper habeatis. Sequitur deinde,quod dicat ſcriptura,Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam. Concluſio poſtrema. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei. *Qui iudicat fratrem, iudicat legem.*] Id eſt, facit contra legem, & quaſi eam damnat, quæ præcipit fratrem amari & non condemnari. *Exemplum accipite fratres, exitus mali laboris & patientiæ prophetas.*] Exitus mali, id eſt, euaſionis à malo, ut de Iob exemplum ponit. *Aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum erit vobis in teſtimonium; & comedet animas veſtras, ſicut ignis.*] Aerugo erit in teſtimonium contra vos, auaritiæ & crudelitatis erga proximum, cuius non miſerti eſtis; cùm inde aurum & argentum collectum à vobis contraxerit æruginem.

GASPARIS

GASPARIS
CONTARENI
S. R. E. CARDINALIS.

Catechiſmus.
Conciliorum ſumma.
Confutatio articulorum Lutheri.
De poteſtate Pontificis.
De iuſtificatione.
De libero arbitrio.
De prædeſtinatione.
Explanatio Pſalmi, Ad te leuaui oculos.

ΚΑΤΗΧΗΣΙΣ

SIVE CHRISTIANA

INSTRVCTIO.

INTERROGATIO PRIMA.

QVID eſt eſſe Chriſtianum?

Reſponſio.

Eſſe Chriſtianum, eſt eſſe membrum Chriſti, ei incorporatum per fidem, & fidei Sacramenta.

Interrogatio Secunda.

Membra omnia Chriſti ſunt, ne unius tantum modi?

C *Reſponſio.*

Minime. Nam quædam in Chriſto uiuunt, quædam uero non uiuunt; licet quodammodo poſſint dici eſſe in Chriſto, & eſſe membra Chriſti.

Interrogatio Tertia.

Quæ ſunt membra quæ uiuunt in Chriſto?

Reſponſio.

Chriſtiani illi, in quibus per fidem, & charitatem inhabitat ſpiritus ſanctus, ſpiritus Chriſti, per quem accepimus adoptionẽ filiorum, & in quo clamamus Abba, Pater: quæ dona pretioſa & excelſa promeruit nobis Chriſtus.

Interrogatio Quarta.

Quæ nam ſunt membra in Chriſto, mortua tamen?

D *Reſponſio.*

Chriſtiani illi qui per baptiſma, conſecrationem & characterem Chriſti acceperunt, ſed Spiritu Sancto carent, vel ob fictionem, cum qua acceſſerunt ad baptiſma, & in qua perſeuerant, nam Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet dolum; uel quia illum ob prauitatem amiſerunt.

Interrogatio Quinta.

Quid ſentiendum de Sacramentis Eccleſiæ ſecundum fidem orthodoxam, & catholicam?

Reſponſio.

Sacramenta eſſe ſenſibilia ſigna & cauſas inuiſibilis gratiæ, quæ in eorũ ſuſceptione infunditur per fidẽ paſsionis Chriſti, per quã nobis remittũtur peccata,

cata, & datur Spiritus ſanctus, datusque fouetur, & augetur iuxta dictum Apoſtoli ad Romanos cap. 3. Quem Deus poſuit Propitiatorem per fidem in ſanguine eius. item ad Rom. cap. 8. per quem accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum Dei. item ad Gal. cap. 3. vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. item; ut in ipſo creſcamus. Hæc omnia expreſſe dicuntur à B. Thoma in ſua Summa. E

Interrogatio Sexta.

Quot ſunt Sacramenta? viſibilia inquam ſigna?

Reſponſio.

Septem; quæ dicis in ſumma, quamuis non eadem penitus ratione dicantur omnia hæc Sacramenta. ſed hæc quæſtio non eſt nunc diſcutienda. F

Interrogatio Septima.

Quænam ſunt hæc ſeptem Sacramenta?

Reſponſio.

Baptiſma, Chriſma, Euchariſtia, Pœnitentiæ Sacramentum, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.

Interrogatio Octaua.

Quid ſentiendum de Baptiſmate, ſecundum finem orthodoxam?

Reſponſio.

Baptiſma eſſe ablutionem corporis exteriorem, quæ perficitur aqua ſimplici, & verbo, inuocatione ſanctæ Trinitatis, iuxta formam traditam in Euangelio, Mat. cap. 28. baptizantes eos, in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. & Apoſtolus ad Epheſios cap. 5. Mundans eam, id eſt, Eccleſiam lauacro aquæ in verbo. interior uero gratia, eſt conſecratio, ſeu character quo baptizatus inſeritur Chriſto, ac deinde Spiritus Sanctus, ſeu gratia, qua adoptamur in filios Dei, iuxta illud Apoſtoli ad Gal. cap. 4. Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda ueſtra clamantem, Abba. in adultis per fidem Chriſti, & eius virtutis. & conſecratio, & Spiritus eius recipitur, præcedente pœnitententia veteris uitæ, quòd ſi ficte accedant; intendant tamen baptizari, recipiunt vtique conſecrationem, ſed non recipiunt Spiritum Sanctum. à pueris uerò per fidem Eccleſiæ, à qua offeruntur, vtrunque recipitur. G

Interrogatio Nona.

Quid ſentiendum de Chriſmate ſecundum fidem orthodoxam? H

Reſponſio.

Eſſe vnctionem exteriorem, quæ fit in fronte oleo mixto, balſamo. ſub præſcripta forma verborum, cum inuocatione ſanctæ Trinitatis. hoc Sacramentum colligitur ex nonnullis ſcripturæ locis aperte; licet non fiat mentio vnctionis, & olei. quoniam cœlitus in igne viſibili Spiritus Sanctus deſcendebat per impoſitionem manuum Apoſtolorum, quo deficiente ex diuina prouidentia, ne vileſcerent miracula, & fruſtra fierent, iam fide diffuſa, Apoſtoli, iuxta Chriſti mandatum, olei vnctione vſi ſunt. Hoc Sacramento omnes Eccleſiæ vtuntur. ſed Græci ſtatim poſt baptiſmum vngunt Chriſmate baptizatum. ideo Dionyſius de hanc vnctione mentio-

A mentionem facit, cum tractat de baptiſmate, interior effectus huius Sacramenti eſt conſecratio primo, qua deputatur Chriſmate vnctus inter perfectos Chriſti profeſſores, qui non egent lacte, ſed ſolido cibo, & palam Chriſtum profiteantur. datur itē deuote, & cum fide accedentibus ſpiritus robur.

Interrogatio Decima.

Quid ſentiendum de Euchariſtia?

Reſponſio.

Duplici ſigno hoc Sacramentum conſtare, pane triticeo, ſcilicet, & vino ex vuis confecto, quæ vtraque ſimul conficiunt unum corporis nutrimentum. conſecratur autem vtraque ſpecies certa forma verborum, de qua non

B eſt nunc dicendum. neque rite altera ſpecies ſine altera poſſet conſecrari. ſumitur autem, ut ſpirituale animæ nutrimētum, ſi cum fide perfecta, per charitatem ſumatur. quòd ſi indigne ſumatur, ſumitur ad iudicium, ut inquit Paulus ad Corint. 1. cap. 11.

Interrogatio Vndecima.

Poſt conſecrationem, eſt ne ſub ſenſibilibus illis ſignis, ſubſtantia panis, an uerum corpus Chriſti?

Reſponſio.

Poſt conſecrationem non eſt ſub ſenſibilibus illis ſignis ſubſtantia panis, ſeu vini, ſed uerum corpus Chriſti, & eius ſanguis: quod perſpicuum eſt, & ſenſu totius Eccleſiæ, & doctorum omnium. Item ex declaratione facta in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio. Sed iſta omittantur. Verba Chri

C ſti hoc aperte adſtruunt, qui cum dixit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, & ſanguis qui pro vobis fundetur, oſtendit ſubſtantiam eam, quæ digito demonſtrari poteſt ratione accidentium ſenſibilium eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti, non autem panem, ſeu vinum. Ex Græcis & Latinis doctoribus antiquis idem clare percipitur.

Interrogatio Duodecima.

Signa ſenſibilia in Euchariſtiæ Sacramento, aliud ne ſignificant præter corpus, & ſanguinem Chriſti, quæ continent vere?

Reſponſio.

Vtique: præter uerum corpus, & ſanguinem Chriſti, quæ continentur, ſignificant etiam corpus Chriſti myſticum: vnitatem ſanctæ Eccleſiæ. quod

D cum à quibuſdam doctoribus quandoque dicatur, ſumpſerunt nonnulli ſeditioſi occaſionem, ut dicerent, corpus Chriſti myſticum tantum ſignificari hoc Sacramento, non autem uerum contineri.

Interrogatio Tertiadecima.

Poſt conſecrationem, in Euchariſtia, eſt ne Chriſti diuinitas?

Reſponſio.

Vtique; Nam quis dubitare queat, cum ibi ſit corpus Chriſti uere, quin ſit eo modo, quo exiſtit, exiſtit autem in uerbo Dei, vnica perſona exiſtente Deo, & homine. quare nemo niſi inſipiens diceret, ibi non eſſe diuinitatem & ſanguinem, cæteraque omnia, quæ in Chriſto ſunt. ex vi tamen conſecra-

tionis tantum corpus in pane eſt,& in vino ſanguis. E

Interrogatio Quartadecima.

Remanet ne corpus Chriſti,& ſanguis in Euchariſtia, donec ſpecies illæ remanent?

Reſponſio.

Quis ſanus mente poſſet de hoc ambigere? nam vis conſecrationis ſemper durat donec res conſecrata durauerit. & ideo nihil conſecratum, denuo conſecratur. vnde Baptiſma, ſanctum Chriſma, & ordinis Sacramentum, quibus conſecratio confertur, nunquam iterantur, ſi ſciantur rite tradita eſſe.

Interrogatio Quintadecima.

Adorandus nè eſt Chriſtus in Euchariſtia exiſtens? F

Reſponſio.

Quis ambiget Regem terrenum, ubicunque fuerit, honorandum eſſe, ut Regem decet? ita quis ambiget, vbicunque Chriſtus Deus, & homo fuerit, ibi eſſe adorandum?

Interrogatio Sextadecima.

Quid ſentiendum de Miſſa, an ſit ſacrificium?

Reſponſio.

Miſſa, ut omnes doctores Antiqui & Iuniores dicunt, eſt ſacrificium.

Interrogatio Septimadecima.

Quo nam modo Miſſa ſacrificiũ eſt?cum multa ſint ſacrificiorum genera.

Reſponſio. G

Miſſa eſt ſacrificium laudis. eſt ſacrificium gratiarum actionis. eſt ſacrificium, quia eſt memoria unici illius ſacrificii, quo Chriſtus ſe pro nobis obtulit patri, per Spiritum Sanctum. eſt etiam ſacrificium, quia eſt oblatio, qua offerimus Chriſtum, eiuſque paſsionem, ut inquit Auguſtinus in decimo de ciuitate Dei, & totam Eccleſiam per Chriſtum Deo omnipotenti, ut ei inhæreamus per Chriſtum, tanquam ſupremo omnium bono.

Interrogatio Octauadecima.

Quem nam fructum percipiunt in Miſſa hi qui adſunt, & illi pro quibus fit oblatio?

Reſponſio.

Hic animaduertendum, oblationem illam ſacerdotis, & opus illud, eſſe ſacrificium propitiatorium, non aliquid addens propitiationis, præter propitiationem factam nobis per Chriſtum. ſed credendum eſt, ut tota Eccleſia ſentit, quòd ex oblatione ſacerdotis, illi omnes, qui ſunt viua membra Chriſti, qui ei inhærent per fidem, & charitatem, aliquid virtutis ſpiritualis capiunt ex participatione, ſeu influxu, meriti paſsionis Chriſti: & illi præſertim, qui adſunt, & deuote interſunt, & illi pro quibus offertur, ſi fuerint uiua membra Chriſti, qui omnes offerunt Chriſtum, & ſe per Chriſtum Deo, ut illi inhæreant per miniſterium, & in perſona ſacerdotis. H

Interrogatio Decimanona.

Quid prodeſt Miſſa illis, qui non ſunt viua membra Chriſti?

Reſponſio.

A *Reſponſio.*

Ex vi oblationis expertes ſunt fructus omnis, ut dicit B. Thomas, ſed credendum eſt iuuari ex orationibus in Miſſa dictis à ſacerdote in perſona Eccleſiæ, & ipſius etiam, ſi fuerit gratus Deo.

Interrogatio Vigeſima.

Quid prodeſt Miſſa defunctis?

Reſponſio.

Defunctis, qui ad felicem in Deo uitam deuenerunt, quoniam pertinent ad Eccleſiam, & ciuitatem Chriſti, & hoc ſacrificium eſt uniuerſalis Eccleſiæ, ac ideo eorum fit commemoratio, ut dicit Auguſtinus in vigeſimo libro B de ciuitate Dei, nihil melius fit ex Miſſa: ſed laus, & honor tribuitur, & nos, qui adhuc iactamur mundanis fluctibus, oramus in eorum conſortium admitti. ac interim communicantes cum eis votis noſtris, ut ſummo bono inhæreamus, per fidem ambulamus ad ſpeciem. aliis uero, qui nondum ad eam felicitatem peruenerunt, attamen dum uiuerent, meruerunt, ut eis prodeſſent ſacrificia Miſſarum, orationes & eleemoſynæ, proſunt, ut dicit Auguſtinus in libro de cura agenda pro mortuis. fruſtra namque fierent pro eis orationes in Miſſa ab uniuerſa Eccleſia tam Græca quàm Latina, niſi profuturæ eis eſſent. pium quoque eſt credere, quoniam membra ſunt Chriſti viua, cum tota Eccleſia fieri participes ſatisfactionis, & ſacrificij Chriſti, illos præſertim quorum fit priuatim commemoratio.

C *Interrogatio Vigeſimaprima.*

Eſt ne in Miſſa neceſſaria communicatio corporis & ſanguinis Chriſti?

Reſponſio.

Vtique neceſſaria eſt communicatio per fidem, & charitatem, ſi quibus profutura eſt Miſſa, & ſacramentalis: ſed ſacerdoti tantum, qui gerit perſonam totius Eccleſiæ, & præſertim aſtantium. quòd ſi qui præſentium communicarent, etiam ſacramentaliter, laudandi eſſent, dummodo non ſumerent indigne.

Interrogatio Vigeſimaſecunda.

Eſt ne laicis cõmunicandũ ſub una tantum ſpecie, uel ſub vtraque ſpecie?

Reſponſio.

D Cum Sacramentum ſit propter rem, quam confert, non autem res propter Sacramentum, iccircò cum ſub vtraque ſpecie ſimul, & ſub altera ſeorſum, vtrauis fuerit ſpecie, totus Chriſtus cõtineatur, ut ſupra diximus, ac per huius Sacramenti ſumptionem quæramus coniungi Chriſto, ut ſpirituali nutrimento, nihil refert, ſiue ſub una, ſiue ſub vtraque ſumatur. ſed mos Eccleſiæ ſuæ ſeruandus eſt cuique. Græci ſumant à ſuis ſacerdotibus ſub vtraque ſpecie: Latini ſub una tantum, donec aliter ſit ſtatutum. ob multa namque ſcandala uitanda, Eccleſia Latina, eum morem ſuſcepit. ſacerdos autem pro populo calicem ſumit.

Interrogatio Vigeſimatertia.

Quid ſentiendũ de Sacramento pœnitentiæ ſecundum fidẽ orthodoxam?

Reſponſio. E

Sacramentum pœnitentiæ cuius forma, & perfectio eſt abſolutio ſacerdotis, ſecunda tabula eſt, qua membra Chriſti mortua reſurgunt ad ſpiritualem uitam, nam per baptiſma generantur, & inſeruntur Chriſto, per pœnitentiam reſurgunt, & reuiuiſcunt.

Interrogatio Vigeſimaquarta.

Vnde vim habet Sacramentum pœnitentiæ?

Reſponſio.

A fide paſsionis Chriſti, ut dicit B. Thomas. Nam, ſicut dicit Apoſtolus in pluribus locis, ut in Epiſtola ad Epheſ. c. 1. remiſsio peccatorum, & reconciliatio cum Deo, non fit niſi per Chriſtum; & eius meritis cui cōiungimur per F fidem, ut accipiamus ſpiritum, per quem, uel noua creatura efficiamur, ut in baptiſmate, uel reſurgamus, & reuiuiſcamus, ut in Sacramento pœnitentiæ.

Interrogatio Vigeſimaquinta.

Quæ ſunt neceſſaria pœnitenti, ad aſſequendam abſolutionem ſacerdotis, ac per eam ex meritis Chriſti ſpiritualem uitam?

Reſponſio.

Vtique neceſſarium primum eſt, vt eum veteris vitæ vere pœniteat, ac deinde, ut mortalia peccata, quorum ſibi eſt conſcius, confiteatur, diſcuſsis diligenter ſuis actionibus. Nam Chriſtus conſtituit, in abſolutione ſacerdotem iudicem, non tantum miniſtrum, ut in baptiſmate, cum & remittendi, & retinendi peccata ei auctoritatem dederit, ut legitur in Euangelio Ioannis cap. G 20. quod iudicio quodam faciat oportet. iudicare autem nemo poteſt quæ ignorat: à confitente, igitur neceſſe eſt, ut ea nouerit. requiritur etiam propoſitum imitandi Chriſtum, vt ſcilicet, ſuo modo ſatisfaciat. Quæ tamen ſatiſfactio nititur Chriſti ſatisfactione. ſecus autem nihil eſſet. Chriſtianus enim Chriſtum imitari debet pro ſuo modo, ut ſimul patiatur pro peccatis quiſque ſuis, pro quibus etiam Chriſtus paſſus eſt, ut cum Chriſto perueniat ad reſurrectionem ex mortuis, & ad uitam æternam.

Interrogatio Vigeſimaſexta.

Cur in baptiſmo ſuſcipiendo non imponitur ſatisfactio? in abſolutione uero ſacerdotis requiritur?

Reſponſio. H

Quoniam ei, qui peccauit, & poſt peccatum idem remanet, aliqua ſatiſfactio debetur, ut Chriſtum imitetur, & aliqua iuſtitiæ ſpecies ſeruetur; quod ſi is, qui peccauit, non remaneat, ſed moriatur, ac nouus homo generetur, ſatisfactio locū non habet: ſed ſicuti ad nouā generationem, per quam fit membrum Chriſti, ſufficit Chriſti meritum, ita ſufficit ſatisfactio Chriſti, nec ab eo vlla requiritur, ut aliquo modo ſpecies iuſtitiæ ſeruetur: non enim amplius eſt ſecundum imputationem homo, qui peccauit, ſed nouus homo. at in reuiuificatione mēbri Chriſti mortui, is remanet viuificatus, qui prius fuerat mortificatus. ideo diuerſo modo, meritum, & ſatisfactio Chriſti, huic, & illi applicatur. quem diuerſum modum oſtendunt diuerſa Sacramen-

torum

A torum genera. nam ſi eodem præciſe modo fieret applicatio Chriſti paſſionis pœnitenti, & baptizato, eodem vtique Sacramento vti in vtroque deberemus. Sacramentum etenim eſt viſibile ſignum inuiſibilis applicationis, ſeu infuſionis gratiæ. ex diuerſitate ergo ſigni conuincitur diuerſus infuſionis, & applicationis modus. Hanc diuerſitatem ex diuerſitate Sacramenti compertam,& perſpicuam, nonnulli noſtris temporibus, non intelligentes, putauerunt eodem modo,hominem renaſci per pœnitentiam, ſicuti per baptiſma renaſcitur.ex quo auſi ſunt improbare ſenſum uniuerſalis Eccleſiæ in hoc articulo. Quos monitos velim, ut bene attendant quæ diximus. Nam ſicuti impium eſſet iterum baptiſma pœnitenti conferri, ita erroneum exiſti-
B mare debent, eundem eſſe in vtroque, baptizato, ſcilicet, & pœnitenti applicationis modum.

Interrogatio Vigeſimaſeptima.

An confeſſio laïco facta, & abſolutio à laïco præſtita, ualeat, & vim habeat Sacramenti.

Reſponſio.

Quamuis in caſu neceſſitatis Deo ſit grata ea confeſſionis humilitas, nihilominus laïcus non debet, neque poteſt abſoluere: orare tamen Deum poteſt, ut confitentem abſoluat. iſque ſi euaſerit, ad ſacerdotem ut accedat neceſſe eſt,& ab eo abſolutionem impetret, prius peccata mortalia, quorum ſibi conſcius eſt, confeſſus.

C *Interrogatio Vigeſimaoctaua.*

An confeſſio facta ſacerdoti non proprio ualeat, & is ſacerdos poſſit abſoluere confitentem?

Reſponſio.

In caſu neceſſitatis, quæ diuerſis modis contineri poteſt, ualet:& confitẽs eſt abſolutus. ſecus non ualet, neque abſolutus eſt; quoniam cum ſacerdos iudex ſit in Sacramento pœnitentiæ, neceſſe eſt, quòd confitens ſit eius curæ ſubditus, ut in eum poſſit iuriſdictionem exercere. Canones idem præcipiunt, & conſuetudo uniuerſalis Eccleſiæ ſemper hoc admiſit.

Interrogatio Vigeſimanona.

An abſolutio facta à ſacerdote proprio, peccatore & indigno, ualeat: ſi-
D militer adminiſtratio aliorum Sacramentorum?

Reſponſio.

Ea quæ ſunt tantum ordinis facta à ſacerdote,quantumuis indigno,& peccatore,ſemper ualent.nam uirtus,& meritum Chriſti non inquinatur,& imminuitur à malis miniſtris. ea uerò quæ ſunt iuriſdictionis, uel iuriſdictionem annexam requirunt, item ualent, niſi habeat ſacerdos impedimentum canonicum, ut ſuſpenſionis, & huiuſmodi.

Interrogatio Trigeſima.

An aliqui defuncti in Chriſto, non ſtatim admittantur ad felicem uitam, ſed purgentur per ignem à maculis peccatorum, & à pœnæ reatu,quam ſunt meriti?

Reſponſio. E

Ex ſuperius dictis, iam cōperta poteſt eſſe ſolutio huius quæſtionis. nam ſi in Miſſa fit oratio ab Eccleſia pro defunctis, ſi in pœnitente aliqua requiritur ſatisfactio, manifeſtū eſt aliquos poſt obitū detineri, ut per ignē ſalui fiāt.

Interrogatio Trigeſimaprima.

An ſancti ſtatim euolent ad cœlos, uel omnes expectent reſurrectionem corporum, antequam admittantur ad æternam uitam?

Reſponſio.

Qui ex hac uita decedunt, ſoluti à vinculis peccati, & abluti in ſanguine Chriſti peccatorum maculas, nulliique reatui pœnæ obnoxij, confeſtim ad beatitudinem perueniunt animo, & ſpiritu, donec Sanctorum, & Electorum numero completo, cum corporibus immortalibus integra facta natura, perfecta omnino beatitudine perfruantur. Hic eſt Eccleſiæ ſenſus in Euangelio Lucæ cap. 23. Dixit Chriſtus latroni, hodie mecum eris in paradiſo. item Paulus 2. Cor. cap. 5. nunc donec ſumus in corpore peregrinamur à domino, melius multo eſt peregrinari à corpore, & eſſe cum domino. item ad Philip. cap. 1. cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. item 2. Cor. c. 5. ſcimus enim, quòd ſi terreſtris noſtra domus huius tabernaculi deſtruitur, ædificationē ex Deo habemus, æternam domum non manufactam in cœlis. F

Interrogatio Trigeſimaſecunda.

Quid ſentiendum de extrema vnctione?

Reſponſio. G

Extrema vnctio ſignum viſibile eſt, cuius materia eſt oleū, in hunc vſum conſecratum, ſub præſcripta forma verborum, in orationis modum, ad tollendas peccati reliquias, ſeu etiam, ad abolenda peccata venialia, vt quidam Theologi dicunt. Iacobus in Epiſtola ſua c. 5. huius Sacramenti mentionem facit. valet etiam ad tollendas ægritudines corporis, ſi ita ad ſalutem ægroti expediens fuerit. vtriuſque commodi Iacobus meminit.

Interrogatio Trigeſimatertia.

Quid ſentiendum de Sacramento ordinis, cum ex dictis Petri Apoſtoli in Epiſtola 1. cap. 2. & Ioannis in Apocalypſi, c. 1. omnes Chriſtiani uideantur eſſe ſacerdotes?

Reſponſio. H

Omnes Chriſtiani per baptiſma conſecrationem, & characterem conſequuntur, qui eſt character ſacerdotij Chriſti, unde efficiuntur participes illius ſacerdotii, ut ſcilicet, offerant ſpirituales hoſtias Deo per Ieſum Chriſtum. hoc ſacerdotium non pertinet ad Sacramentum ordinis, de quo agimus. Nā ordo, de quo tractamus, eſt ſpiritualis poteſtas, & ſpirituale officium, ſeu ſignaculum, & conſecratio, qua traditur priuata alia quædam poteſtas ordinatis, & ſuper corpus Chriſti uerum, & ſuper corpus myſticum, ſicuti ſacerdoti conſecrandi corporis Chriſti, & abſoluendi ſubditum ſibi gregem à peccatis in Sacramento pœnitentiæ. Sed de ſacris ordinibus tam maioribus, quàm minoribus tractare, non eſt præſentis negotij.

Interro-

A *Interrogatio Trigeſimaquarta.*

Quid ſentit Eccleſia de Matrimonio?

Reſponſio.

Senſus Eccleſiæ de matrimonio, non tantùm legitimo, quod in infidelibus eſſe poteſt in naturæ officium: ſed de perfecto, quod eſt in Chriſtianis hominibus, Matrimonium eſſe Sacramentum, quia eſt viſibile ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ut dicit Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios cap. 5. Nec obſtat id quod quidam ſcioli dicunt Apoſtolum, ſcilicet, dixiſſe eſſe magnum Sacramentum, dico autem in Chriſto, & Eccleſia. Nam Græce Apoſtolus ſcripſit myſterium, id eſt, arcanum, innuens ſub hoc viſibili ma-
B trimonio, tanquam ſub ſigno ſenſibili arcanum illud contineri. multa diſcutiuntur à Theologis circa hoc Sacramentum, quæ non pertinent ad præſens negotium.

Poſt Sacramenta, & fidem, quibus uiuimus in Chriſto, tanquam membra unius corporis, cuius caput eſt Chriſtus, reſtat, ut quædam diſcutiamus inſtituto modo, quæ pertinent ad corpus hoc miſticum, quo ad ipſius uitæ cultum, & gubernationem. Partes unius Eccleſiæ, ſunt defuncti in Chriſto, & qui in hac uita peregrinantur ſiue grana, ſeu paleæ ſint. nam, ut inquit Auguſtinus in libro de vnitate Eccleſiæ, omnes Chriſtiani baptizati, ſunt in eiſdem Sacramentis Eccleſiæ, Chriſto per baptiſma conſecrati.

Interrogatio Trigeſimaquinta.

C Quid ſentiendum de ratione uiuendi, & cultus Eccleſiæ, an ſcilicet, vnuſquiſque Chriſtianus ſit liber cæremoniis, & aliis humanis legibus, & ritibus, ſicuti Paulus uidetur dicere, ad Gal. c. 4. in libertate igitur, qua Chriſtus vos dotauit ſtate.

Reſponſio.

Chriſtus Chriſtianos omnes liberauit à cæremoniis, & iudicialibus præceptis legis Moſaicæ; quia ſoluto ſtatu eius populi, abrogatæ etiam ſunt leges, quibus is populus continebatur, & quæ illi populo tantum datæ erant: item cæremoniæ, quibus Chriſtus venturus ſignificabatur, abolitæ ſunt poſt Chriſti reſurrectionem. Chriſtianis etiam data eſt libertas in huiuſmodi cæremoniis, ritibus, & legibus: non tamen accipere debemus datam eſſe Chri-
D ſtiano populo libertatem, ut nullo ordine, nullo ritu, nulla cæremonia communi utamur, ſed ut uiuamus more cyclopum, ut inquit Homerus, ut ſcilicet pro arbitrio quiſque ſibi cæremonias conſtituat, rationem uiuendi pro arbitrio ſequatur. Nam hæc uitæ ratio, potius pertinet ad Babylonem, quàm ad Eccleſiam Chriſti, quæ eſt eius corpus diſtinctum, & compaginatum per membra in unitate ſpiritus. Hæc ergo à Chriſto nobis data libertas (præter libertatem à ſeruitute peccati) ita eſt accipienda, quod Chriſtus nihil præſcripſit, neque quoad uitam ciuilem terrenam in iudicialibus præceptis, neque quoad uitam politicam Chriſtianam, ſed reliquit hæc ut iuniora, & quæ pro ratione locorum, & temporum, ſæpe mutari posſint, & debeant, arbitrio Principum, & Epiſcoporum. nam cum humana uita, ſine his duci

non poſſit, neque ſeruari unitas queat, niſi in communi ſeruetur, vtique ſeditioſi hominis, & parum ſani eſſet velle Chriſtianam Eccleſiam facere Babylonem, & cyclopum Eccleſiam. Principibus uerò in legibus quas ſtatuunt, parere debemus, dummodo non diſcrepent à lege diuina, & naturali. ſcriptũ eſt, 1. Pe. c. 2. Obedite Regibus, & Principibus. Epiſcopus in legibus, & ritibus pertinentibus ad Chriſtianam politiam. nam itidem ſcriptum eſt, ad Hebræos, c. 13. Obedite Præpoſitis ueſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim vigilant pro animabus veſtris tanquam rationem reddituri. Seruandi ſunt ergo à viro Chriſtiano Ritus, cæremoniæ, & obſeruantiæ, à maioribus noſtris inſtitutæ, & ab uniuerſali Eccleſia receptæ. Quarum quædam, ut dicit Auguſtinus ad Ianuarium, ſunt receptæ ab uniuerſali Eccleſia, neque memoria ſupereſt earum inſtitutionis, quæ credendæ ſunt fuiſſe inſtitutæ ab Apoſtolis. Quædam uero priuatæ Epiſcopatus alicuius, quæ in eo ſunt ſeruandæ, & qui eas non ſeruat peccat contra iuſtitiam, ad quam pertinet obedientia præſtanda Præpoſitis noſtris; & contra charitatem, vtpote qui quantum in ſe eſt, ſcindit Eccleſiæ unitatem: quemadmodum in uita ciuili, ciuis peccaret, ſi vellet immutare rationem uiuendi, iam à ciuitate receptam, & inſtitutam. E contra ſi obedit, humiliter, & ex corde; Chriſtianè, & ex charitate operatur, & uiuit, cuius vitæ merces, copioſa eſt in cœlis. Neque tamen propterea dicimus hos cultus eſſe, quibus mereamur remiſſionem peccatorum, quæ ſolum eſt nobis per Chriſtum, in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum, ut inquit Apoſtolus ad Epheſios c. 1. & eſt clare expoſitum à beato Thoma. E F G

Interrogatio Trigeſimaſexta.

Eccleſiæ uniuerſalis, eſt ne aliquod caput, à quo dirigatur in uita Chriſtiana.

Reſponſio.

Vtique, nam & caput eſt Chriſtus, à quo infunditur ſenſus, & motus, & vita ſpiritualis unicuique Chriſtiano, qui uiuit in Chriſto, & interius eam dirigit, & ſanctificat. item, inferiori ratione & modo, caput Eccleſiæ eſt Vicarius Chriſti, Petri ſucceſſor, Pontifex Romanus, qui non interius ei fundit uitam, ſed exterius eam regit, & gubernat. Nam impoſſibile eſt multitudinem in unum conuenire, & contineri, niſi ab uno. Eccleſiam uerò Chriſtianam maxime unam oportet eſſe, vtpote, quæ non ciuitas una, ſed unum corpus dicta ſit in ſacris literis. icci rco ab uno capite contineri debet. ſunt huius rei expreſſa teſtimonia in Euangelio, & euidentiſſima eſt ſententia doctorum omnium Antiquorum, & Modernorum. Poſt Pontificem Romanum ſunt ciuitatum Epiſcopi, poſt hos alii curati Sacerdotes, de quibus non eſt inſtituti negotij ſigillatim agere. H

Interrogatio Trigeſimaſeptima.

An in Eccleſia Chriſtiana, quæ ſui gubernatione gradibus quibuſdam diſtincta eſt, laicorum ſcilicet, & clericorum, & in cleris, ſacerdotali, epiſcopali, & pontificali ordine, ſit admittendus religioſorum ſtatus, & qualis ſit,

A & quæ ſint vota ſupererogationis?

Reſponſio.

Ciuitas Dei, Chriſtiana, ſcilicet, Eccleſia nullo perfectionis ſtatu inferior eſſe debet ciuitate terrena, in qua, ut philoſophi produnt, duplex eſt hominũ uita; eorum ſcilicet, qui verſantur in actionibus, & negotiis ciuilibus, & eorum qui ſe manciparunt ſpeculationi; ita decet in Eccleſia Dei eſſe ſtatum quorundam, qui, contemptis omnibus actionibus, intendant charitati Chriſtianæ, & ſint veluti perfecti viatores, qui, abiectis omnibus impedimentis, contendant omnibus viribus, vt magis, ac magis accedant ad deſtinatum ſibi locum, ſic hi contendant ad perfectionem charitatis, abiectis impedimen-
B tis uitæ ciuilis, quæ curſum huiuſmodi tardiorem efficere ſolent. ideo re ipſa compertum omnibus eſſe poteſt; fuiſſe ſemper in Eccleſia Dei horum hominum ſtatum. legat Chriſtianorum hiſtorias, qui hoc non credit nobis. pleni ſunt libri. in Aegypti ſolitudine adhuc extant veſtigia monaſteriorum celeberrimorum, vitæ Antonij, Hilarij, Pauli heremitæ, & aliorum literis mandatæ ſanctiſſimorum, & doctiſſimorum hominum opera. Dionyſius antiquiſſimus auctor meminit huius ordinis monaſtici. Baſilius uiuendi normam ſuis monachis conſcripſit, qui adhuc frequentiſſimi in Græcia florent. de votis monaſticis in ſuis aſceticis meminit Benedictus apud Latinos celeberrimus, & antiquiſſimus monaſticæ uitæ auctor. Horum ſtatus, exercitium eſt, à quo etiam apud Græcos dicuntur aſcetæ, id eſt exercitatores. &
C B. Thomas in ſecunda ſecundæ dicit frequentiſſime, religiones monachorum eſſe exercitia tendentium ad perfectionem charitatis. neque opera ſupererogationis ob id dicuntur, quia ſuperent præcepta charitatis: ſed quoniam in exercitiis quibus ad charitatis perfectionem tenditur, plus erogent quàm communis hominum Chriſtianorum uita, qui tantum exercitantur, quantum eſt neceſſarium, & ſine quo uita Chriſtiana conſiſtere non poſſet. Neque audiendi ſunt ſeditioſi quidam, qui impingunt Eccleſiæ, quod ſentiamus per huiuſmodi exercitia nos conſequi uitam æternam, & non per Chriſtum: & quòd ponimus opera, quæ excedunt præcepta charitatis. minime omnia hæc dicuntur niſi ab imperitis. minora ſunt conſilia de Religione tradita, quàm præcepta charitatis, immò illis deſeruiunt minora, inquam,
D immò nec conferenda cum gratia, & ſpiritu, per quem habemus per Chriſtum: ſed illi inſeruiunt, ut ſcilicet, amoueantur ea, quibus ſolemus amoueri à uia Chriſti, uel ſaltem retardari, & in eis uerſari, quibus magis, ac magis proficiamus in gratia Chriſti. Hæc eſt ſententia Eccleſiæ, & doctorum hominum, non ſuperior illa, quã nobis uolunt impingere. omitto conſilia data in Euãgelio, & à Paulo de hac uita, & de hoc ſtatu perfectiori, quia vulgata ſunt.

Interrogatio Trigeſima octaua.

Quid ſentiendum de cultu, & inuocatione ſanctorum; qua Eccleſia utitur, id eſt, cum dicimus, ſancte Petre ora pro nobis.

Reſponſio.

Sancti ſunt uiuiſſima, & nobiliſſima membra Chriſti, quos Chriſtus adeo uoluit

uoluit exaltare, ut in Euangelio Mat. c. 19. & Lucæ c. 22. dicat in fine ſæculi E
ipſos quoque mundum iudicaturos eſſe ſedentes ſuper ſedes. ideo nulli dubium eſſe debet, quin inſtitutum Eccleſiæ ſanctisſimum ſit in ueneratione ſanctorum, & eorum inuocatione, ut pro nobis orent. neque timendum ne non audiant nos, ut ſapientes quidam noſtra hac tempeſtate dicunt, eò quòd non ſint vbique ſancti. etenim dicimus ſanctos in Deo uidere nos, & ea quæ hic geruntur, ea inquam tantum, quæ Deus vult illis reuelare. Angeli ſuperiores natura hominibus vi naturæ hoc aſſequuntur. homines beati ex diuina tantum reuelatione. de Angelis in Apocalypſi, in Thobia, in Actis Apoſtolorum, & frequentisſime in ſacris literis ſunt teſtimonia. de animabus ſanctis, expreſſe in Apocalypſi eſt textus, de vigintiquatuor ſenioribus præcipuis, ſcilicet, ſanctis hominibus, ut ibidem pater, qui odoramenta Deo offerebant, quæ ſunt orationes ſanctorum, id eſt Chriſtianorum, qui omnes ſolent ab Apoſtolo appellari ſancti, quaſi ſanctificati in Chriſto. indoctorum ergo eſt, & ſeditioſorum velle hoc in controuerſia ponere. F

Interrogatio Trigeſimanona.

Quid ſentiendum de imaginibus, & picturis ſanctorum?

Reſponſio.

In ſeptima Synodo ſub Conſtantino, & Irene, decretum fuit imagines, tanquam libros idiotarum, ut aſpectu etiam doctos moueant, & excitent ad uenerationem, & imitationem optimorum hominum, in Eccleſia admittendas, & venerandas eſſe: non quidem ut eis ueneratio deferatur, ſed ſanctis per G
eas. quamobrem non probandum cenſemus eorum vſum, qui in picturis, & imaginibus ſanctorum, ut artificis peritia oſtendatur, & delectatio, vel vana, vel turpis, ex earum aſpectu uidentibus offeratur, nullam habent rationem inſtitutionis Eccleſiæ, in imaginibus admittendis; immò ea abutuntur in laſciuiam, uel inanem oblectationem.

Interrogatio Quadrageſima.

Quæ nam veneratio adhibenda eſt ſanctis?

Reſponſio.

Non ea, qua Deum veneramur, tanquàm primum principium omnium, & ſupremum bonum, cui inhæreamus, & cuius participatione felices ſimus, quæ latria dicitur. nec veneratio quæ debetur Chriſto, qui ſolus uerè mediator eſt Dei, & hominis, ſed inferior quædam, quæ amicis Dei, & membris Chriſti conueniat. in quorum veneratione pium, & Chriſtianum eſt illud ſeruare ut ſemper in eis venerandis, recordemur Chriſti, cuius ſunt membra, & Dei, cuius ſunt amici, & filij. nam ſi propterea eis honorem deferimus, quia ſunt membra Chriſti, & amici Dei, mirum in modum conſentaneũ eſt, ut in eis venerandis, nõ obliuiſcamur Dei, & Chriſti Domini noſtri. H

Interrogatio Vltima.

Quid ſentiendum de orationibus, quæ fiunt à viris idiotis, qui eas non intelligunt?

Reſponſio.

Sentiendum

A Sentiendum ualere ex affectu animi, & intentione, qua intendunt Deum orare, & ſanctos, licet non intelligant quid petant. carent tamen eo fructu, quem perciperent, ſi orationes eas, quas ore proferunt, etiam intelligerent, nam & ſpeciatim intenderent animum, & mentem in Deum, ut ab eo impetrarent, etiam ſpeciatim ea, quæ ore petunt, & magis ædificarentur ex ſenſu pio earum orationum, quas ore proferunt. carent ergo hoc fructu. Non tamen fruſtra orant. nam ut inquit Apoſtolus Paulus ad Romanos capite ſexto. ſpiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quatenus dirigit orationes noſtras ad Deum, & animum noſtrum ſurſum erigit. item ad Corinthios prima, capite quatuórdecimo, ſpiritus orat. ſubdit poſtea, mens autem fructu uacat, eo ſcilicet, quem caperet, ut ſupra diximus, ſi intelligeret is, qui
B orat, ea quæ dicit. iccirco hortandi ſunt idiotæ, ut orent, etiam ſi non intelligunt. Melius tamen orarent, ſi diſcerent ſenſum orationum, quibus frequenter vtuntur, vt orationis dominicæ, & ſalutationis Angelicæ; quæ in ore omnium ſolent eſſe. Nam & ſpiritu orarent, & eorum mens non careret eo fructu, de quo ſupra diximus.

CONCILIORVM MAGIS ILLVSTRIVM SVMMA

AD PAVLVM. III. PONT. MAX.

F

NVLLI mirum uideri debet beatisſime Pater, ſi Eccleſiaſtica Hierarchia, quin potius omnis Ciuilis ſocietas, rerum naturæ conſtantium modum, ac ingenium imitetur: nam cum idem ſit auctor, & cauſa naturæ rerum, ac humanarum huiuſmodi ſocietatum, quæ à natura hominum originem trahunt, eiſque ſummopere conueniunt (Homo etenim natura ciuile eſt, & ſociale animal) vtique conſentaneum eſt, vt vtrunque genus ſui auctoris imaginem præſeferat, ac propterea inter ſeſe etiam conſentiat, alterumque alterius ſimile ſit. Enimuero in rebus natura conſtantibus omnibus uidemus luce clarius, G vnitate quadam multitudinem quandam contineri; Deus etenim ſolus, ſicuti uere eſt, ita etiam uere eſt unus: inferiora uerò omnia, quoniam non ſunt Deus, multitudinem quandam habent, neque uere ſunt una: at quoniam ſunt à Deo; & habent pro ſui natura vnitatem, & vnitate ea multitudinem ſuam colligunt, & continent. ea verò vnitas tanto eſt maior, &, ut ita dicam, vnitior, quanto natura perfectior fuerit. Linquam nunc cœleſtes illas mentes, quæ ratione quadam inexplicabili & ſe in multitudinem ſuam pandunt, atque explicant: itemque circunquaque multitudinem illam ſuam ita continent vnitate, vt omnia vnum ſint. Venio ad res, quæ ſenſu percipi poſſunt. in rebus innanimatis, quæ imperfectisſimæ omnium ſunt, minima quædam apparet unitas, in plantis maior; nam princi- H pium vitæ in quadam ſui parte habent, à quo & radices infra, & rami in ſuperna mittuntur. id tamen uitæ principium diuiſibile eſt, ac propterea non ualde unum, quod ex eo liquet: nã quamuis ſurculus ex planta decerptus ſit, ſi deffoſſus fuerit in terram, & radices emittit, & truncum, in ramoſque ſe fundit, ac tandem creſcit in arborẽ. imperfectisſima animalia, quæ ab inciſuris, inſecta appellari conſueuere, principium hoc uitæ habent plantis ſimile, quare diſſecta etiam aliquo temporis ſpatio uiuunt. At in animalibus perfectis, & abſolutis principium hoc vitæ magis eſt unum, à quo ſi qua animantis eius pars diuiſa fuerit, ſtatim interit, eoque principio quauis ratione extincto

A ćto, confeſtim animal totum perit. in homine uerò omnium perfectisſimo
animalium, anima, quæ eſt vitæ humanæ principium, eſt maxime una, vtpo-
te, quæ omnino indiuiſibilis exiſtat; verum à ſe in corpus multas vires diffun
dit, ſuique vnitate eas continet, corpusq́ue totum humanum, totq́ue eius hu
mores, ac membra cõpeſcit in unum, ne diffluant, ſed unum animal omniũ
pulcherrimum, ac excellentisſimũ conficiant. Hoc rerũ natura conſtantium
ingenium, ac vniuerſam rationẽ humanæ ſocietates imitantur, & referunt,
vtpote, quæ ab eadẽ cauſa auctore exiſtant. id quod, ut alias rationes omittã,
Philoſophorumq́ue ſententias, apertisſime teſtatur Apoſtolus Paulus. qui in
Epiſt. ad Epheſios c.3. inquit, huius rei gratia flecto genua mea ante Patrem
B Domini noſtri Ieſu Chriſti, à quo eſt omnis paternitas: ſeu ut Græce ſignifi-
cantius ſcribitur, omnis πατριὰ, id eſt, tribus ſeu familia, & cõuentus in cœlo,
& in terra, ut Chryſoſtomus interpretatur. & ex Pſalmo vigeſimoprimo eui-
dẽter colligitur. ecce quòd omnis hominũ ſocietas à Deo eſt, nã linquimus
nunc Angelos, & cœleſtes mẽtes. In his autẽ hominũ Cõuentibus, & multitu
do hominũ eſt, & vnitas, qua Cõuentus cõtinetur, & conſtat. imperfectiores
minore quadam unitate continentur, ut popularis Gubernatio. meliores ma
iori unitate, ut Principatus Optimatium. optima uerò omniũ conſtitutio eſt
ea, quæ ab optimo Principe gubernatur: ſicq́ue maxime omnium eſt una. Hu
iuſmodi, & rationis præ aliis omnibus Chriſtus Deus, & ſaluator noſter Ec-
cleſiaſticam hanc Hierarchiam conſtituit, tanquam bene compactum homi
C nis corpus, in qua, ne qua vnquam fieret ex natura conſtitutionis ſciſſura, unũ
Principem eſſe uoluit, ſeu potius, Patrem, & Caput. non caput illud, à quo
difflueret uita in corpus, id etenim Chriſtus eſt: ut inquit Apoſtolus Paulus,
ad Col. c. 1. ſed à quo Gubernatio, & iuriſdictio in hanc Hierarchiam vniuer
ſam influeret, ab eoq́ue penderet. Verum, ſicuti hominis anima multis indi-
get viribus, multisq́ue mẽbris, ut in totũ corpus operetur, plurimasq́ue fun-
ctiones agat, quibus homo eget ut uiuat, & bene uiuat; ſic Pontifex Eccleſia-
ſticæ Hierarchiæ caput multis eget poteſtatis huius participibus: quibus Ec
cleſia dirigi cõmode queat ad ſupernam illam beatitudinem, quam nobis ip
ſe cõparauit. præcipui omnium Epiſcopi ſunt Chriſtiani populi Doctores, ac
Præſides. & quemadmodũ, ſi qua humanæ menti difficilia occurrunt inueſti
D ganda, vtitur viribus inferioribus, cogitatiua, inquam, & rememoratiua potẽ
tia, ac interdum exteriori ſenſu, ut in cõmentationibus Mathematicis, quæ
omnes pro ſui quæque natura in id intentæ mirifice opem ferunt intellectui,
& menti; cuius ſolius quãuis ſit iudicare, & diſcernere, id tamen cõmode fa-
cere nõ poſſet, niſi in unũ, ut ita dixerim, Concilium, & Conuentũ inferiores
vires ſecum conuocaſſet, non illas, quæ nullo pacto ſunt rationis participes,
ſed ſuperiores, quæ ſunt menti proximæ. ſimili, ac propemodum eadẽ ratio-
ne in Eccleſia Chriſti, quã omniũ perfectisſimã ſocietatẽ, quis negare auſit?
Princeps eſt, & caput Pontifex Maximus unus, ſub quo inferiores Epiſcopi,
eius tamen poteſtatis participes in gubernatione Eccleſiæ ſunt, ſicut vires
quædã ſenſitiuæ rationalis cognitionis participes. ſi quãdo ergo quiſpiã no-

dus incidat,ſi qua in hoc Eccleſiæ corpore ægritudo contingat,officium Pon E tificis eſt in unum uocare Epiſcopos Chriſtiani populi,ſimulque Concilium inire, qua ratione & nodus diſſoluendus ſit; & curanda ægritudo, idque decernere, quod ex conſultatione illa, & inueſtigatione maxime ad rem facere uideatur. Hoc natura duce ſemper ſeruatum fuit in omnibus hominum conuentibus,non tantum ciuitatibus,ſed etiã vicis & pagis.Hoc Eccleſia Chriſti ſemper ſeruauit, edocta à ſpiritu Dei: qui naturam hominis nullo pacto imminuit,ſed prouehit ad altiora,& diuiniora. dicit hoc Chriſtus in Euangelio Mat.c.18.ſi fuerint duo,aut tres congregati in nomine meo, in medio illorũ ſum. item ſi duo,aut tres in oratione conſenſerint &c. item dicit in Euangelio Mat.c.vltimo,vobiſcum ſum,id eſt,in Eccleſia vſque ad conſummationẽ F ſæculi.item in eodem Euangelio Mat.c.18.ſi nõ audierit,dic Eccleſiæ. quam ſi non audierit,ſit tibi ſicut Ethnicus,& Publicanus. Paulus etiam Apoſtolus in Epiſtola prima ad Timotheum c.3. appellat Eccleſiam columnam, & firmamentum veritatis. Nec mirum, nam ſi Eccleſia corpus eſt Chriſti, & nos ſumus inuicem membra eiuſdem corporis,cuius Chriſtus eſt caput,à quo vita,& directio manare in corpus totum nulli dubium eſſe poteſt,proculdubio id,in quo Eccleſia conſenſerit,à Chriſto eſt,à veritate eſt,quæ falli nõ poteſt. Hoc,quod ratio,& auctoritates Scripturæ canonicæ perſuadent,ac Apoſtolica doctrina nobis tradidit,Apoſtoli primum,alii deinde patres noſtri ſanctiſſimi ac ſapientisſimi pleni diuino ſpiritu facti ipſis nos docuerunt.nã & Apoſtoli Hieroſolymæ præterquàm quòd in pluribus rebus ſimul Concilia iniiſſent,ſimulq; oraſſe legũtur in Actibus Apoſtolorum c. 15. in quæſtione ea an G Gentes,quæ ad Chriſti gratiam ueniebant,cogendæ eſſent ad ſeruandas legis Moſaicæ cæremonias,iuſtum Concilium fecerunt:in quo Petrus primus omnium ſententiam dixit. quam ſubinde ſecutus Iacobus, cæteriſque communi nomine ſignificarunt Gẽtibus,& Diſcipulis Antiochiæ morantibus.quos ſecuti eorum ſucceſſores,quamuis non potuerint indicere vniuerſale Oecumenicum Concilium ante tempora Conſtantini Imperatoris,ob potentiam Regum,& Principum,qui ſæuiebant in Chriſtianos omnes, fuere tamen ante Nicenum Concilium prouincialia Concilia plurima: quæ obſcurata ſunt vetuſtate.prodita tamen memoriæ ſunt Ancyritanum & Neocæſarienſe,ante Concilium Nicenum fuiſſe celebrata. Hos tu Pater Beatisſime imitatus, H & à ſpiritu Dei edoctus, his temporibus difficillimis Chriſtianæ Reipublicæ, quibus præter alia incommoda humana, & bellis inteſtinis conſumimur, & Eccleſia Chriſti tuæ curæ commiſſa vexatur tot Schiſmatibus, tot Hæreſibus,conuocaſti uniuerſale,& Oecumenicum Concilium. quod certo ſpero,incolumis celebrabis,& inſtaurabis Eccleſiam Dei,adeo ut cum Apoſtolo 2.Cor.c.5. canere poterimus,recedant vetera; omnes, inquam veteris hominis mores, & corruptelæ, ac noua ſint omnia, fruerisque tu hac pace, hac ſanctimonia, quam inducturus es in Chriſti Eccleſiam. Verum, quoniam in his negotijs Concilij non inutile eſt memoria tenere, quæ quotque & qualia fuerint Concilia celebrata retro actis temporibus, eorumque ſancita

A cita, & decreta, dedi ego lectioni eorum operam menſibus his hybernis, & à Græcis, Latiniſque auctoribus Summã quandam collegi: quam ſi legendam traderem Sanctitati tuæ, non putaui rem ingratã me tibi facturum, mihiq́ue non ſummopere debitam. Nam cum occupatisſimus ſis, integroſq́ue dies omnes conſumas in negotiis grauisſimis, curiſq́ue diſtinearis ingentibus, noſtri ordinis hominum officium eſſe dico, qui vicem membrorum gerimus huius Eccleſiæ, cuius es caput, ut tibi laboremus, & ocium noſtrum tibi dicemus: adeo ut ſi qua tibi detrahunt tua negotia; in ocio noſtro reſarciantur. Videbis igitur paucis à nobis comprehenſam Summam Cõciliorum magis illuſtrium, quæ Patrum noſtrorum temporibus celebrata fuerunt, ſimul'que
B Hæreſes ab eis damnatas: ac ſi quid etiam decreuerint memoria dignum, id quoque breuiter, & dilucide explicare conabimur. Rem ergo aggrediamur. Poſt ea, quæ Apoſtolica doctrina fuere nobis tradita in ſcripturis canonicis, inueniuntur Decreta, & Canones Apoſtolorum. Yſidorus collegit quinquaginta: uerum in Græcis Codicibus canonũ inueniuntur octuagintaquinque. trigintaquinque hi canones, quos deſideramus, in Yſidoro, & in Græcis Codicibus reperiuntur, quorum duos vidi, Vaticanum, ſcilicet, & Venetum alterum; in latinam linguam verſi ſunt à Germano quodam, & impresſi in Germania poſt Auctenticorũ librum Iuſtiniani Imperatoris. in quibus id notandum, quòd in canone, quo maxime damnatur Simonia, ac fit mentio de Simone Mago, qui damnatus fuit, in Græcis Codicibus addita inuenimus hæc
C uerba, ſcilicet à me Petro: in latino apud Yſidorum deſiderantur. Illud etiam non prætereundum, quòd in poſtremo canone Apoſtolorum in Græcis Codicibus uidelicet, in octuageſimoquinto, fit mentio de quibuſdam aliis canonibus misſis per Clementem. Hos ſexta ſynodus reprobat, quoniam fuerunt corrupti ab Hæreticis. Horum quadraginta ſeptem colligit Yſidorus. Poſt hos canones Apoſtolorum, antiquisſima omnium, quæ ſunt memoriæ proditæ, fuit Synodus Ancyritana prouincialis, non uniuerſalis: quamuis ſit recepta, & approbata in ſexta ſynodo. ignoratur quibus temporibus fuerit. id tamen conſtat fuiſſe parum ante ſynodum Nicenam, & Ancyræ celebratam, quæ eſt ciuitas Galatiæ. edidit canones vigintiquinque, quos collegit Yſidorus. ſequitur hanc ſynodus Neocæſarienſis Neocæſareæ coacta,
D quæ ſita ciuitas eſt in Ponto Cappadociæ. Hæc paulòpoſt Ancyritanam fuit celebrata. Nam vtrique interfuit Baſilius, qui ſub Licinio Cæſare martyrium meruit, anno domini trecenteſimo vigeſimotertio, ut refert Euſebius de temporibus. concludit quatuordecim canones, in quorum poſtremo cauetur, ne in vlla ciuitate quantumuis magna plures quàm ſeptem Diaconi conſtituantur, quemadmodum fecere Apoſtoli, ut legimus in actibus Apoſtolorum. Hic canon reuocatus fuit in ſexta ſynodo. Has ſynodos memoria proditum eſt fuiſſe ante Nicenam Synodum. ſequitur has Nicena omnium celeberrima, quæ eſt prima OEcumenica. Hoc loco non duco prætereundum eſſe à Græcis illas ſynodos appellatas Oecumenicas, in quibus Græci, Latiniq́ue pariter conuenere. Hæc ſynodus ſub Conſtantino

Imperatore, anno eius imperij vigeſimo coacta fuit, tempore Beatiſſimi Syl- E
ueſtri Pontificis, anno domini tricenteſimo vigeſimo quinto. quidam volũt
ſub Iulio Pontifice hanc ſynodum fuiſſe. veriſimile putauerim ego fuiſſe, ſy-
nodum indictam ſub Sylueſtro, decreta uero feciſſe, & dimiſſam ſub Iulio.
Yſidorus refert miſſos à Sylueſtro ad eandem fuiſſe Victorem, & Innocentiũ
Romanos presbyteros, qui Pontificis nomine intereſſent. interfuit etiã Ho-
ſius Epiſcopus Cordubenſis, tunc habitus ſanctiſſimus vir, quem nonnulli
ſcribunt ſimul cum Victore à Sylueſtro miſſum. nam poſtea Sirmi declinauit
ad Arrium, ut dicit Hilarius in libro de ſynodis. Valde quoq; celebris eſt me-
moria Paphnutij Aegyptij Epiſcopi, quẽ Cõſtantinum ferunt maximis fuiſſe
honoribus proſequutum. in ſumma trecentum & decem, ac octo Epiſcopi F
ſanctiſſimi, & doctiſſimi viri conuenerunt in hoc Concilium. damnata fuit
Hæreſis Arrij Alexandrini presbyteri, qui inani ambitione elatus contra Ale
xandrum Epiſcopum ſuum, cœpit dicere filium Dei & uerbum, per quod fa-
cta ſunt omnia, eſſe minorem patre, creaturamque non creatorem, neque ge-
nitum de ſubſtantia patris, ſed factum ex non exiſtentibus: & quòd fuit quan-
do non erat Dei filius. Huius blaſphemias Epiſcopus Alexander cum diſ-
ſimulare non poſſet, à communione Arrium ſeparauit, expulitque ab Eccle-
ſia. Hæc Arriana labes peruagata per Chriſtianum orbem plurimos infecit,
inuenitque ſectatores complures homines doctos, ac in Platonica Philoſo-
phia præſertim enutritos. Qui cum legiſſent apud Platonem in Timæo, pri-
mum rerum omnium principium vſum fuiſſe in conſtribuendo hoc, quem G
uidemus, orbe, quodam exemplari, quod etiam animal perfectiſſimum ap-
pellat, cuius imaginem hoc uniuerſum gerat, longe perfectius omnibus aliis,
vtpote per quod facta ſint omnia, infra Deum tamen exiſtens, quod poſte-
riores Platonici mundum intelligibilem, ens etiam appellauerunt; itemque
cum legiſſent in Euangelio Ioannis c. 1. per verbum facta eſſe omnia, nõnul-
loſque alios ſcripturæ locos, qui fauere uidebantur ei ſententiæ, confeſtim
ex humana Philoſophia Euãgelicam, & Chriſtianam doctrinam de filio Dei
compoſuerũt. arbitratique ſunt cauſam illam exemplarem Platonis, quæ eſt
infra Deum, eſſe Dei filium, & verbum, de quo Euangelia, & doctrina Apo-
ſtolica meminiſſent. ex hac Hæreſi cum maximus in Chriſtiano populo tu-
multus concitatus fuiſſet, indicta fuit hæc ſynodus in Nicea ciuitate Bithy- H
niæ. cui interfuit Conſtantinus, ac, vt diximus, tercentum & decem octo Epi
ſcopi. interfuit etiam Arrius. affuit etiam Athanaſius, qui tunc diaconus erat
Alexandrinæ Eccleſiæ, cum Alexandro Epiſcopo ſuo. damnata fuit poſt diu-
tinam inquiſitionem & conſultationem, Hæreſis hæc Arriana, confectum-
que ſymbolum, in quo fuit dictum uerbum, & filium Dei eſſe patri homou-
ſion, id eſt, conſubſtantialem. Compoſiti etiam fuere Canones: viginti
tantum reperiuntur collecti ab Yſidoro: quidem perhibent fuiſſe longe
plures. attamen in Concilio ſexto Carthaginienſi legitur, quòd cum Pa-
tres illi ſcripſiſſent Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut ad eos mit-
teret integros Canones Concilii Niceni; reſpondit Atticus mittere ſe ad

A eos per Marcellum ſubdiaconum Canones integros ſynodi Nicenæ,qui ſubinſerti eſſent,nec aliquis alius reperitur præter hos viginti. in quibus ille ſcitu dignus, quo iubetur in diebus Pentecoſtes, id eſt, quinquaginta diebus poſt Paſcha, & diebus dominicis non flectenda eſſe genua ad orationem dominicam ſcilicet. de hac re mentionem etiam facit Auguſtinus in epiſtola ad Ianuarium, ut ſcilicet erectione corporis teſtemur Chriſtum uere ſurrexiſſe à mortuis. fuit etiam in hac magna Nicena ſynodo conſtitutio facta de Paſchatis celebratione, de qua magna fuerat controuerſia, præcipuè cum Aſiaticis Epiſcopis, qui quartadecima luna, quicunque is fuiſſet dies, ſacratiſſimum Paſcha celebrabant; quique ob eam rem appellati fuere Quar-

B tadecimani. Statutumque eſt in hoc Concilio, primo menſe, id eſt, ea luna, cuius plenilunium fuiſſet poſt æquinoctium vernum, quod tunc erat vigeſima prima die Martij menſis,diem dominicam, poſt plenilunium illud, ſolennem eſſe,Paſchaque à Chriſtianis ea die celebrandum, qua Chriſtus reſurrexit,qui eſt Paſcha noſtrum;nec ſeruandum morem Iudaicum,ut quartadecima luna à Chriſtianis fiat Paſcha,quæcunque ea fuerit. Hoc præter alios auctores Auguſtinus refert in Epiſtola ad inquiſitiones Ianuarij. poſtea autem melius fuit res diſtincta, decretumque ne memoria paſsionis Domini celebretur ante lunam quartamdecimam: ideoque ſi plenilunium contigerit eſſe die dominica,aut die ſabbati,qui à meridie inchoaretur,trãsfertur Paſchatis ſolennitas ad proximam diem dominicam,poſt octo,ſcilicet,dies. de hoc

C Ambroſius in Epiſtola ad Epiſcopos Aemiliæ. Hæc ſolennitatis Paſchalis forma ad hanc diem perſeuerat,ac ſi noſtris temporibus vigeſimaprima dies Martij eſſet dies æquinoctij verni,cum tamen nunc retroceſſerit ad diem decimam. Hæc dicta de Nicena ſynodo ſufficiant. Iiſdem temporibus Syluestri ſcilicet Pontificis, Yſidorus refert celebratas fuiſſe ſynodos prouinciales Arelate, quæ ciuitas inſignis eſt in Prouincia; ſita iuxta fluuium Rhodanum. mirum tamen, quòd in ſecunda fit mentio de ſtatutis Nicenæ ſynodi, quam ueriſimile eſt, ſub Iulio dimiſſam fuiſſe. id etiam notandum, quòd in prima Arelatenſi ſynodo ſtatutum fuit, ut perſuaderi debeat adoleſcentibus, quorũ vxores ſe adulterio polluiſſent,ne eis uiuẽtibus alias ducerent vxores.ex quo uidetur colligi poſſe, ea ætate quoſdam fuiſſe, qui exiſtimarent ſibi licere di-

D miſſa vxore fornicationis cauſa aliam ducere. quod Ambroſius in expoſitione epiſtolæ ad Corinthios tangit.licet Magiſter ſententiarum dicat illum locum Ambroſij fuiſſe à falſariis corruptum.Duo præterea fuere Arelate celebrata Concilia, quorum poſtremum coactum fuit ſub Martiano Principe, ſub quo fuit ſynodus Chalcedonenſis,quarta, ſcilicet,Oecumenica.Poſt Nicenam ſynodum reperiuntur,& in Græcis canonibus,& apud Yſidorum fuiſſe nonnullæ ſynodi prouinciales; de quibus non conſtat quibuſnam temporibus fuerint: ſed ueriſimile eſt, quoniam de eis fit mentio ab auctoribus ſtatim poſt Nicenum Concilium, fuiſſe etiam paulopoſt coactas. harum prima eſt Gangrenſis, coacta in Gangre ciuitate Paphlagoniæ. de qua vrbe meminit Stephanus Græcus auctor in libro quem ſcripſit de Vr-

bibus. in hac damnata fuit Hæreſis Euſtathianorum, qui nuptias damnabãt. E
conſtitutique ſunt viginti Canones, qui extant tam apud Græcos, quàm apud
Latinos. nihil in his egregium annotaui. Huic proximus fuit conuentus An-
tiochenus, coactus Antiochiæ, quæ ſita eſt apud Orontem. interfuere huic
ſynodo Formilianus, & Gregorius mirabilium effector nuncupatus. viginti-
quinque canones fuere in hac conſtituti. ſequitur ſynodus habita Laodiceæ:
quæ vrbs eſt Phrygiæ Captianæ, in qua editi fuere Canones quinquaginta no
uem, nihil in his memoratu dignum reperi. in ſexta ſynodo omnium horum
Conciliorum canones approbantur. Poſt obitum Conſtantini Imperatoris
anno duodecimo, ut refert Socrates in hiſtoria tripartita, cum poſt Nicenam
ſynodum Arriani maximos vbique tumultus cõcitaſſent, expulſuſque ob eã F
cauſam Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus à ſua Eccleſia fuiſſet ab Arria-
nis, quibus Conſtantius Imperator Orientis magni Conſtantini filius ſum-
mopere fauebat, ac ueniſſet in Italiam ad Pontificem Iulium, atque ad Con-
ſtantem Imperatorem Occidentis perrexiſſet, qui frater erat Conſtantij; in-
dicta fuit Synodus Sardicenſis. Sardice Metropolis eſt Dacorum ſita iuxta
Danubium. quidam dicunt eſſe in Illyrico, cuius fortaſſe fines hi auctores ad
Danubium vſque extendebant. fuit hæc ſynodus indicta literis Conſtantij
Imperatoris ob metum fratris Conſtantis piiſſimi principis, fratriſque Con-
ſtantij longe diſſimilis. conuenere in hanc ſynodum omnes ferè occidenta-
les Epiſcopi, tercentum inquam; inter quos Hoſius Cordubẽſis. magna pars
fuit illius Concilij, orientalium circiter ſeptuaginta: cæteri nanque, quorum G
plurimi erant infenſi Athanaſio, & fauebant partibus Arrianis, cauſas dixere,
quare non poſſent accedere ad eum conuentum. hi etiam ſeptuaginta, qui cõ
uenerant, poſtquàm uiderunt agi de reſtitutione Athanaſij Epiſcopi Alexan-
drini, & Pauli Conſtantinopolitani, aliorumque quorundam; qui pulſi fuerãt
ab Arrianis, quibus ipſi quoque fauebant, receſſere à Sardica, & conuenerunt
in Philippopoli, nonnullaque decreuere contra Athanaſium: fuere hi omnes
damnati à ſynodo Sardicenſi: ſimulque reſtitutus Athanaſius Alexandrinæ
Eccleſiæ, & Paulus Conſtantinopolitanæ. ſcripſit Conſtans fratri Cõſtantio
pias, ac Imperatore Chriſtiano dignas literas in cõmendationem Athanaſij:
paruit Cõſtantius fratris literis, & reſtituit Athanaſium: ideoque repreſſa ali-
quantulum Arrianorum rabies. conſtituti fuerunt in hac Synodo Canones H
vnus & viginti. in quibus illud puto nõ eſſe prætereundum, ex quo facile col
ligi poteſt Romani Põtificis auctoritas, quòd in quinto, ſextoque canone ſta-
tutũ eſt: quòd ſi quis Epiſcopus accuſatus, fuerit ab Epiſcopis ſuæ illius pro-
uinciæ depoſitus, iſque voluerit appellare Romanũ ſanctiſſimum Epiſcopũ,
ut ab eo eius cauſa audiatur, vtique conuocandi ſunt proximæ prouinciæ Epi
ſcopi, qui iudicent de illius cauſa. qui ſi priorũ ſententiã ſecuti fuerint, iſque
rurſus appellet Romanũ Pontificem, Pontifex Romanus, ſi uoluerit, mittat
duos presbyteros à latere; qui ſimul cum Epiſcopis illis in prouincia ea, vbi
melius cauſa diſcuti poteſt, & intelligi, auctoritate fungentes eius, à quo ſunt
miſſi, tẽ diiudicẽt. quòd ſi etiã uoluerit ratam habere Epiſcoporũ priorũ ſen-

tentiam,

A tentiam, nullumque à latere mittere, id vtique faciat, quod pro prudentia ſua melius fore putauerit. Hoc nolui prætermittere. quo in loco neque eſt ſilentio prætereundum, ante hanc Sardicenſem ſynodum fuiſſe ab Arrianis ſynodum in Antiochia coactam: quæ decreuit Athanaſium Alexandrinum, & Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum pelli à ſuis Eccleſiis; qui ut ſupra diximus ad Iulium Romanum Pontificem ſe contulerunt. à quo impetratum fuit ab orientalibus Epiſcopis, vt vtrumque ſedi ſuæ reſtituerent: vbi in libro quarto Tripartitæ Hiſtoriæ auctores illi Græci inquiunt Antiochenum illud Concilium nullius habitum exiſtimationis, eo quòd fuerit coactũ abſque Romani Pontificis auctoritate, eiusque nomine nullus Antiocheno B illi Concilio interfuiſſet. Hæc, quæ pertinent ad Romani Pontificis auctoritatem ſumpta ab antiquiſsimo Concilio Sardicenſi, & ab auctoribus Græcis illuſtribus omittere nolui. Redeamus iam vnde digreſſi ſumus. Decreto Sardicenſis Concilij reſtituto Paulo Conſtantinopolitano, & Athanaſio Alexandrino Epiſcopo ſuis ſedibus, diem obijt Conſtans pius Imperator, & Niceni Concilij obſeruantiſsimus, ac ideo infeſtus Arrianis. Rerum potitus Conſtantius frater, poſtremus ex filiis magni Conſtantini, fautor hæreſeos Arrianæ, cui orientales Epiſcopi complures fauebant: cum cuperet Conſtantius occidentales etiam Epiſcopos traducere à Niceni Cõcilij fide ad Hæreſim Arrianam, ſimulque damnare Hæreſim Photini, qui dicebat Chriſtum tantum ex Maria natum, indixit Concilium Sirmij. ciuitas hæc ſita eſt prope C fluuium Drauam, non longe à Danubio, à qua noſtris hiſce temporibus prouincia ea vniuerſa, appellatur Serimia: ibique conſtitutum Symbolum, quo damnatur Photini Hæreſis. Nam fatentur ſe in Ieſum Chriſtum credere filiũ Dei vnigenitum, natum ante omnia ſæcula, &c. Attamẽ nulla fit mẽtio, quòd ſit patri conſubſtantialis. Verum cum duo ſymbola Sirmij cõfecta referat hiſtoria Tripartita, in altero nulla fit mentio de eadem, aut ſimili ſubſtantia patris, aut filii: in altero filius dicitur ſimilis patri, nulla facta de ſubſtantia mentione. poſt Sirmienſe hoc Concilium fuit aliud Cõcilium coactum Mediolani: & tandẽ tertium Arimini. in quibus demum eo deuentum ut Homouſion aboleretur à Symbolo, deceptis Catholicis Arimini; ut auctor eſt Rufinus: uel contradicentibus, ut memoriæ proditum eſt in hiſtoria Tripartita.

D Rufinus ſcripſit fuiſſe hac verſutia deceptos patres Arimini, quòd interrogati fuere, an mallent credere in Chriſtum, an in Homouſion: at illi nouitate nominis moti reſpondere ſe malle in Chriſtum credere, quam in Homouſion. poſtea cum nihilo ſecius tumultus ſedarentur, iterum decreuere Orientales Arriani Concilium facere in Nicea ciuitate Bithyniæ, ut Niceni Concilij nomine prolato poſſent facilius decipere rudes homines: nam non multo antea coëgerant Concilium in Nicea Thraciæ. non tamen potuerunt illudere Catholicis. Hanc fraudem diuina prouidentia remouit: nam magno terræmotu concuſſa, ac penè diruta vrbe Concilium cogi non potuit. translatum fuit poſtmodum in Seleuciam Iſauriæ. illud omnibus his Cõciliis Sirmienſi inquam, Mediolanenſi, Ariminenſi, & hoc Seleucienſi confecere, ut hi, qui

dicerent

dicerent filium patri diſsimilem anathematizarentur, id eſt,diris execrati eſ- E
ſent. nec tamen propterea dicendum eſſe filium eiuſdem ſubſtantiæ cum pa
tre,cum hoc nō inueniretur in ſcripturis canonicis fuiſſe ſcriptum, ideo q́ue
non Homoiuſion, id eſt, ſimilis ſubſtantiæ, ſed filium tantum ſimilem patri,
quòd ſi quem delectaret nomen ſubſtantiæ,diceret potius filiū Homoiuſion,
id eſt,ſimilis ſubſtantiæ. Hoc etenim mediū eſſe inter Homouſion, & ἀνόμοιον.
id eſt,conſubſtantialem,& diſsimilem. Hæc Concilia omnia damnata ſunt,
ut Hæreſi Arrianæ fauentia:quæ ſicuti non fuere coacta auctoritate Romanæ
ſedis: ita etiam confeſtim ab ea damnata ſunt. Adhuc flamma Arrianæ pe-
ſtis Eccleſiam deuaſtante, orta eſt alia ſeditio inter Homouſianos, id eſt, eos
qui aſſerebant filium eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum patre, & alios nonnullos, F
qui ſanctiſsimum ſpiritum blaſphemabant,cumq́ue dicebant ſeruum patris,
& filii, puramq́ue creaturam. hi quamuis diuerſis fuerint nominibus, tandē
omnes dicti ſunt Macedoniani à Macedonio Epiſcopo Conſtantinopolis,
conſentiebant ſynodo Ariminenſi, & Seleuciæ de filio Dei, quòd ſcilicet eſ-
ſet Homœouſios, id eſt,ſimilis ſubſtantiæ. de Spiritu Sancto autem profite-
bantur eum eſſe ἀνόμοιον, id eſt, diſsimilē,patriſq́ue,& filii miniſtrū,& ſeruum;
quæ Hæreſis cum inualeſceret, ac principatu potitus fuiſſet Theodoſius ſe-
nior, vir pietate & religione illuſtris anno Domini trecenteſimo trigeſimo-
octauo, ſub Damaſo Pontifice Romano congregata fuit ſynodus Conſtan-
tinopoli centum & quinquaginta patrum. in qua damnata fuit Hæreſis Ma-
cedonij: editumq́ue ſymbolum, in quo magis exprimitur diuinitas Sancti G
Spiritus,quàm in ſymbolo edito à ſynodo Nicena: in qua non contigerat du
bitatio, præterquam de filio Dei, de Spiritu Sancto nulla. hocq́ue ſymbolo
Conſtantinopolitanæ ſynodi utitur Eccleſia ad hanc diem vſque. addita ta-
men eſt particula illa de Spiritu Sancto, filioq́ue. Nam in Cōſtantinopolita-
no ſymbolo ſcriptum fuerat,qui à patre procedit.Hinc maximæ exortæ con-
trouerſiæ fuere inter Eccleſiā Romanā,& Cōſtantinopolitanam, ut inferius
latius dicturi ſumus. Conſtituti fuere in hoc Concilio pauci quidam cano-
nes:ſex apud Yſidorum,in Græco Codice duo præterea reperiuntur.nihil in
his notatu dignum,præterquàm in poſtremo Græco Canone modus ſtatui-
tur, quo recipi debent hi, qui ab Hæreſi ad catholicam Eccleſiam ueniunt:
quorum nonnulli tantum oleo inunguntur. quorundam uerò Hæreſum ſe- H
ctatores,poſt multas cæremonias etiam baptizantur:vtpotè quibus non tra-
ditum fuiſſet baptiſma iuxta ritum Eccleſiæ catholicæ Orthodoxæ. in hiſto-
ria Tripartita memoriæ proditum eſt Damaſum Pōtificem rogatum fuiſſe,
ut ipſe cum Epiſcopis Occidentis,qui iam Romæ conuenerant,conſederent
Conſtantinopolim,ubi ſimul decernerentur,quæ ad fidem Chriſtianam per-
tinerent. excuſauit ſe Damaſus, multaſq́ue cauſas attulit, cur eò uenire ne-
quiret. celebrauit tamen ſynodum Romæ: in qua eadem ſancita ſunt contra
Macedonium, quæ & Conſtantinopoli à centum & quinquaginta illis patri-
bus. Hæc ſecunda OEcumenica ſynodus. his duobus Conciliis Niceno, ſci-
licet, & Conſtantinopolitano ſtatuta ſunt ea, quæ Apoſtolica traditione, ca-
tholica

A tholica Eccleſia fuit edocta, de unitate ſubſtantiæ ſupereminentisſimæ Trinitatis, & diſtinctione hypoſtaſeon, ſeu perſonarum. Hanc ſynodum ſequitur tertia OEcumenica ſynodus, quæ coacta fuit ſub Theodoſio Iuniore filio Arcadij, anno domini quatercenteſimo & trigeſimo. & ſub Pontifice Cœleſtino primo conuenere in Epheſo ducenti patres, inter quos fuit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, qui etiam locum, & vices tenuit Cœleſtini Romani Pontificis, & maxima pars fuit huius Concilij Epheſini. damnata fuit hæreſis Neſtorij Epiſcopi Conſtantinopolitani: qui cum omnino non conſentiret hæreſi Photini, & Pauli Samoſateni, qui aſſerebant Chriſtum fuiſſe purum hominem, neque extitiſſe ante Mariam, id quod Ebion, & Chærinthus prædicauerant longo prius tempore, uidelicet Ioannis Euangeliſtæ; huic ergo hæreſi Neſtorius non plane aſſentiens, poſuit in Chriſto duo ſuppoſita ſeu duas perſonas: quæ charitate in tantum fuere unitæ, ut quodammodo vnus dici potuerint. Itaque apud Neſtorium, ille, qui fuit filius hominis, non fuit ille, qui eſt filius Dei, niſi vnione charitatis, & vinculo amoris. quamobrem negabant etiam dici poſſe Mariam matrem Dei, vtpote quæ hominem illi, non autem Deum genuiſſet. Hæc Neſtorij hæreſis ab hac ſynodo Epheſina damnata eſt: atque decretum, credendum nobis eſſe uerbum Dei à patre ante ſæcula genitum, patrique conſubſtantialem, factum hominem ex muliere, aſſumpta non alia perſona hominis, ſed hominis natura perfecta, ita, quòd ille, qui ſemper fuit Deus, factus ſit nouiter homo. ſicque uere dici Mariam

C matrem Dei, ſecundum humanam naturam, quam ex ea verbum Dei aſſumpſit. Epiſtolam in ſynodo Cyrillus recitauit ſcriptam Neſtorio ab eo, & ſynodo prius Alexandriæ coacta. quam Concilium approbauit. hanc Yſidorus nobis legendam tradidit. in qua continentur omnia Decreta huius ſynodi Epheſinæ; & in qua illud annotandum eſt in calce Epiſtolæ fuiſſe à Cyrillo conſcriptum de Spiritu Sancto, quòd προχεῖ, ſeu profluit à filio, ſicut à patre; item non eſt prætereundum id, quod in Codice Græco legitur. cum in ſynodo lectum fuiſſet ſymbolum fidei compoſitum à Theodoro Mupſeſthiæ, & Cariſio presbytero Philadelphiæ: in quo blaſphemiæ hæreticorum damnatorum continebantur, fuit à ſynodo ſtatutum nulli licere aliam fidem proferre, aut ſcribere, aut componere ab ea, quam tercentum & decem, octo patres in Nicea compoſuerãt. Hoc adnotaui; quoniam Græci vſque à tempore

D Petri Lombardi magiſtri ſententiarum contra Latinos afferunt hunc canonẽ ſynodi Epheſinæ ob particulam, filioque, additam ſymbolo; ac ſi contra illud factum eſſet. quæ obiectio quàm ſit friuola, perſpicuum eſt ex illius decreti ratione, ob quam, ſcilicet, editum fuit. quam propterea à Græcis acceptam inſerendam huic opuſculo putaui, ut pateat quàm inique Græci nos calumnientur, tanquam qui fecerimus contra hũc canonem. Hactenus de tertia ſynodo OEcumenica Epheſina. hanc ſequitur quarta ſynodus OEcumenica, vigeſimo ſexto anno poſt Epheſinam celebrata, anno inquam quatercenteſimo quinquageſimo ſexto à Domini natiuitate, ſub Imperatore Martiano, & Pontifice Romano Leone primo viro præſtantiſſimo. coacta fuit Chalcedone

done in Bithynia ſita iuxta Boſphorum Thracium ferè contra Conſtantino- E
polim. ſexcentum & triginta patres ibi conuenere. qua de cauſa appellatur
hæc ſynodus à Græcis magna ſynodus. cur uerò hæc ſynodus facta fuerit, Ni-
cephorus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor luculenter nos docet in commenta-
riis ſuis. habuit vxorem Theodoſius minor Imperator fœminam animi im-
pii, ideoque in peiorem partem procliuis; cum ergo poſt ſublatum errorem
Neſtorij alius fuiſſet error exortus, cuius auctores præcipui fuere Dioſcorus
Epiſcopus Alexandrinus, & Euthices Abbas Conſtantinopolitanus, hi confi
tentes unam eſſe Chriſti perſonam, negauere tamen in Chriſto duas eſſe na-
turas, humanam, ſcilicet, & diuinam, quarum vtraque perfecta eſſet; ſed do-
cebant duas naturas, diuinam, ſcilicet, & humanam in unam naturam va- F
luiſſe in Chriſto. ex quo ſequebatur uel Chriſtum non fuiſſe uerum Deum,
uel non fuiſſe uerum hominem, uel neque hominem uerum, neque Deum
verum. His vxor Theodoſij Eudocia fauit ſummopere, ideoque dedit ope-
ram ut ſynodus Epheſi cogeretur. coacta ſynodus per vim hæreſim Euthice-
tis, & Dioſcori approbauit. Hæc ſynodus ſecunda Epheſina damnata eſt, &
reproba ſtatim habita. Nam poſt obitum Theodoſij ſoror eius pulcherrima
mulier, ualde pia, cum eius opera Marciauns Imperio fuiſſet potitus, ab Im-
peratore impetrauit ut ſynodus OEcumenica cogeretur Chalcedone. itaque
coacta fuit ſynodus Chalcedonenſis quarta OEcumenica. in qua damnatus
fuit error Euthicetis, explicatumque, fuiſſe in Chriſto unam perſonam uer-
bi diuini in duabus perfectis naturis, diuina, ſcilicet, & humana, ita ut idem G
ſit perfectus Deus, & perfectus homo. fuit etiam damnata hæreſis Apollina-
ris Epiſcopi Antiocheni, quo Hieronymus præceptore uſus fuerat: qui ne-
gauerat prius in Chriſto fuiſſe animam; ſed corpus tantum humanum. ani-
mæ uero vicem geſſiſſe diuinum uerbum. poſtmodum faſſus in Chriſto ani-
mam ſenſitiuam fuiſſe, negauit Chriſtum habuiſſe rationalem animam. ex
quo ſequebatur non fuiſſe Chriſtum uerũ hominem, neque aſſumpſiſſe men
tem humanam; ad quam purgandam, & ſanctificandam præ omnibus aliis
in mundum venerat. conſtituit hæc ſynodus Chalcedonenſis vigintiſeptem
Canones. in quibus nõ prætermittendum reor morem illorum temporum,
qui colligitur ex canone huius ſynodi, quo decernitur Diaconiſſam fieri non
poſſe, niſi poſtquam exegiſſet quadraginta annos. quæ nulli poſtea nubat. at H
uero ſi cuipiam nupſerit, vterque, ipſa, inquam, & maritus deuotus ſit diris, &
execrationibus. id enim interpretor anathema eſſe, ſeu anathematizari. ſta-
tutum etiam, quòd ſi qua virgo ſe Deo dicauerit, aut quiſpiam monachus fa-
ctus fuerit: neutrum poſſe matrimonio iungi cuipiam. quòd ſi fecerint, ſint
excommunicati. Epiſcopus tamen loci illius poſſit vti miſericordia erga il-
los. quod non eſt in eum ſenſum accipiendum, ut ſcilicet queant perſeuera-
re in matrimonio eo adulterino, quod contraxerunt; ſed ad remiſſionem, ſeu
imminutionem pœnæ. ſtatutum quoque, ut in quauis prouincia bis in anno
fierent Concilia Epiſcorum prouinciæ. Huic Cõcilio interfuere Paſcaſinus,
& Lucinius Epiſcopi, Bonifaciusque presbyter locum tenentes Romanæ ſe-
dis.

A dis.itemq́ue horum patrum auctoritate confirmatum fuit Decretum ſynodi
Conſtantinopolitanæ.quo Archiepiſcopus Conſtantinopolis fuerat poſt Ro
manũ, aliis prælatus. Diuus Gregorius in epiſtolis plurimis refert in Chal-
cedonenſi ſynodo fuiſſe conceſſum Romano Pontifici, ut OEcumenicus vo
caretur, quo tamen titulo ob modeſtiam, inquit, nullum fuiſſe Romanum
Pontificem vſum ad ſua vſque tempora. Tempus eſt, ut accedamus ad ſyno-
dos Africanas, quæ fuerunt celebratæ ante hanc quartam ſynodum, tẽpore,
ſcilicet, Arcadii, & Honorij, itemq́ue ſub Honorio, & Theodoſio iuniore, cui
ſucceſſit Martianus. nihilominus quia ex ſecunda ſynodo Epheſina damna-
ta originem trahit quarta hæc ſynodus Chalcedonenſis, ut ſupra expoſui-
B mus, ſatius viſum nobis eſt, ne ſeries rei geſtæ diſrumperetur, Chalcedonen-
ſem ſynodum Carthaginienſibus præferre. ſynodi hæ Africanæ octo fuere,
ſeptem Carthagine celebratæ: una Mileueti. Quibus Auguſtinus interfuit
omnibus ferè, ut reor. quòd uero aliquibus interfuerit, compertiſſimum eſt.
facti ſunt in his ſynodis Africanis multi Canones. quorum quidam in De-
cretalibus ſunt notati: in quibus eſt Canon de Continentia Clericorum, qui
ad ſacros ordines accedunt. Quem ex hac ſynodo colligere poſſumus fuiſſe
antiquiſſimum. illud etiam minime prætereundum eſt, quòd in ſexta ſyno-
do Africana legitur miſſos fuiſſe à Zoſimo Pontifice Romano Fauſtinum E-
piſcopum, Philippum, & Aſellum presbyteros ob id, quòd quidam Africa-
nus presbyter Fauſtinus damnatus ibi prouocauerat ad Romanum Pontifi-
C cem. mandatum hi Pontificis Zoſimi obtulerunt: in quo adducebatur ſtatu-
tum fuiſſe à Nicena ſynodo, poſſe à ſententia Epiſcopi ſui presbyterum, &
etiam Epiſcopum à ſententia ſynodi prouocare ad Pontificem Romanum.
quæ ſtatuta ſunt Sardicenſis Concilij, ut ſuperius diximus. Carthaginienſes
Epiſcopi ob eam rem ſcripſere Cyrillo Epiſcopo Alexandriæ, & Attico Cõ-
ſtantinopolis Epiſcopo, ut eis mitterent integra, & incorrupta Decreta ſyno-
di Nicenæ. miſerunt illi viginti Canones, qui extant. in quibus nulla de ea re
fit mentio: quibus acceptis noluerunt tunc Carthaginiẽſes admittere prouo-
cationem illius Fauſtini presbyteri ad Romanum Pontificem. Quinimò ſta-
tuerunt, quòd ſi quiſpiam prouocaret vltra mare, nec acquieſceret iudicio
Conciliorum Africanorum, quòd nullus in Africa ei communicaret, ſtatuit
D hæc ſynodus Carthaginiẽſis, & Mileuitana. Hæc inter Africanam, & Roma-
nam Eccleſiam diſcordia initium ſub Zoſimo Pontifice habuit. ſub Boniſa-
cio deinde, & Cœleſtino decreta fuere hæc, quæ narrauimus contra Apoſtoli
cæ ſedis auctoritatem. durauit hæc rebellio vſq; ad Boniſacium poſteriorem
Pontificem, ſub quo Carthaginienſis Eccleſia damnans Decreta facta à præ-
ceſſoribus ſuis, Aurelioq́ue tunc Africæ Primate, & Epiſcopo Carthaginien-
ſi, ſe Romano Pontifici Bonifacio ſubmiſit, & ad unitatem Eccleſiaſticam
rediit. id Bonifacius hic poſterior ſignificauit Eulalio Epiſcopo Alexandri-
no, inſeruitq́ue Africani Epiſcopi literarum exemplum. Quæ omnia Yſido-
rus collegit. Mileuitanum Concilium celebre eſt ob Hæreſim Pelagij; quæ
in eo Concilio fuit damnata. negabat hic Pelagius gratiam Dei ad ſalutem
neceſſa-

neceſſariam eſſe, ſed poſſe hominem liberi arbitrij viribus legem implere: E
itemque negauit peccatum originale. in hanc Hæreſim plurima ſcripſit Auguſtinus. Hæc magis illuſtria, & notatu digna compert in Conciliis Carthaginienſibus. Poſt hæc Concilia, fuere pleraque Hiſpana. fuit etiam iiſdem temporibus quinta ſynodus Conſtantinopoli celebrata ſub Iuſtiniano Imperatore. De qua prius; poſtea de Hiſpanis Cõciliis. Cũm poſt Epheſinã, & Chalcedonenſem ſynodos OEcumenicas: in quibus fuere damnati Neſtorius, & Dioſcorus, ac Eutyches, à ſequacibus earum Hæreſium plurimis annis vexata fuiſſet Eccleſia, ac tandem cũ ſub Theodoſio Iuniore, Proclo Epiſcopo Conſtantinopolis terræmotus ingentes per quatuor menſes fierent, ac uniuerſus populus cum Epiſcopo per campos fuſus ſummis precibus Deum optimũ F
oraret ut terræmotibus, & ruinis parceret, & clamarent omnes kyrie eleiſon: contigit ut diuina uirtute adoleſcentulus quidam in aëra raperetur coram omnibus, circa horam diei tertiam. Hic in aëra ſublatus monitus à Deo eſt, ut Epiſcopo, & uniuerſo populo nunciaret loco kyrie eleiſon, ut dicerent ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus, & immortalis. Quas preces cum vniuerſus populus ad Deum fudiſſet, quieuerunt terræmotus. Huius hiſtoriæ auctor Nicephorus. Damaſcenus etiam meminit. igitur cum præter hæreſes, quibus Eccleſia turbabatur, Petrus Alexãdriæ Epiſcopus, Anthimus Trapezontius, Seuerus, & Zonora huic Triſagio, quod modo narrauimus, doctum fuiſſe populum à Deo per adoleſcentulum in aëra raptum, addidere. Qui crucifixus eſt pro nobis. quæ particula ſi ſeparata intelligatur à Triſagio, innuit G
quartam in Deo perſonam, quæ pro nobis ſit crucifixa: ſi uero coniungatur; innuit uel Spiritum Sanctum paſſum, uel diuinã naturã paſſam. quamobrem appellati etiam hi fuere Theopaſſani. Horum noua hæc inuẽtio magnopere turbauit Eccleſiam. ideo ſub Iuſtiniano Imperatore, & Vigilio Pontifice indicta fuit Conſtantinopoli hæc quinta ſynodus, anno domini quingenteſimo quinquageſimo tertio: nonaginta tribus fere annis poſt Chalcedonenſem quartam ſynodum. damnati fuere illi omnes, qui aduerſabantur Epheſinæ, & Chalcedonenſi ſynodis, & negabãt uel unã tantum perſonã in Chriſto fuiſſe, vel Mariam Dei genitricem fateri nolebant: uel aliquo pacto diuinã, aut naturam humanam perfectã in Chriſto fuiſſe diffitebantur. damnati ſunt etiam hi, qui Triſagio addiderant, Qui pro nobis crucifixus eſt. damnata præterea H
fuit poſitio Origenis de reditu animorum ad corpora, ſecundum Gentilium fabulas. inſuper Euagrium, & Didymum, Ibæque Epiſtolam damnauerunt. hæc ferè ſunt geſta ſynodi quintæ OEcumenicæ: in qua fuere centum ſexaginta quinque patres. Nulli canones editi ſunt ab hac ſynodo. Iiſdem ferè tẽporibus in Hiſpania celebratæ fuerunt complures ſynodi prouinciales. quarum quædam præceſſere quintam, & fortaſſe quartam ſynodum: vt Toletanum primum, quod fuit temporibus Honorij, & Arcadij. nonnullæ temporibus Theodorici. poſteriores uerò longe poſt eã tempora. ne tamen diſiungamus unius prouinciæ Concilia; paucis tractabimus ea, quæ arbitramur ſcitu digna. fuere collecta ab Yſidoro tredecim Concilia Toletana. in quorum

tertio

A tertio traditum eſt Recaredum Regem Hiſpaniæ, Gothorum Principē, Reginamque Baddam, ſimul cum proceribus gentis eius, ac uniuerſo Gothorum populo renunciaſſe hæreſi Arrianæ, & fidem ſuſcepiſſe, quam catholica Eccleſia per orbem diffuſa prædicat, & profitetur. Gens hæc Gothorum ſub Imperatore Valente, à quo præſtita ei fuerant auxilia aduerſus alteram factionem eiuſdem gentis, Chriſtianam religionem ſuſcepit, ſimulque Hæreſim Arrianam: cui Valens Imperator omnibus viribus fauit: quam labem vſque ad tempus Regis Recaredi retinuit: cui renunciauit Rex in hac tertia ſynodo Toletana palàm coram uniuerſo populo. Quamobrem acclamatum ei fuit ab omnibus, ſalus Regi catholico. vnde veriſimile eſt Hiſpaniæ Reges B hoc honoris titulo vſos fuiſſe. Arriani enim catholicis erāt aduerſi, ſimulque catholici Arrianis. relicta ergo labe Arriana Recaredus, quia ad catholicos acceſſiſſet, appellationē meruiſſe Catholici ſatis credibile exiſtimari poteſt. In quarto uero Concilio Toletano, capite tertio, traditur modus, & ordo celebrandorum Conciliorum prouincialium. quem reor hoc in loco ſilentio prætereundum, ne lectori tædium faciam in re non magni momenti. poterit is, quem delectauerit cognitio huiuſmodi, locum citatum apud Yſidorum inquirere in quarto Concilio Toletano capite tertio. item Decretum in hoc Concilio, quòd Iudæi illi, qui etiam coacti fidem Chriſti receperant, cogerentur, ut in ea perſeuerarent. in decimo Cōcilio capite tertio, grauis mulcta indicitur Epiſcopis: qui ob ſanguinis coniunctionem uel fauore quopiam conC ferunt Monaſteria, & Eccleſias. Hæc ferè notatu digna comperi in Conciliis Toletanis. in Concilio Illibertino, Illiberi, ſcilicet, celebrato, quam vrbem quidam putant Granatam eſſe, ſcitu dignum, quod in quadrageſimo octauo capite cauetur, ne à ſacerdotibus, uel clericis lauentur pedes eorum, qui baptizantur. quem morem in multis Eccleſijs ſeruatum fuiſſe comperimus ab Ambroſio in libro de Sacramentis: nam Mediolani Eccleſia tempore Ambroſij eo more vtebatur in baptiſmate. Eccleſia Romana nunquam eſt vſa, ut colligitur ex his, quæ narrat Ambroſius in eo opere. Braccarenſis quoque Cōcilii, ea vrbs Metropolis fuit Gallitiæ, decreta collegit Yſidorus, ex quibus multa ſumi poſſunt pertinentia ad ſedis Apoſtolicæ auctoritatem. ſtatutum etiā fuit capite trigeſimo ſexto ne in Eccleſiis quiſpiam ſepeliretur. in deſueD tudinem abijt decretum hoc non irrationabile, ut reor. item non prætereundum morem hunc ſalutandi populum à ſacerdotibus, & Epiſcopis, quo nūc vtuntur dicentes, Dominus vobiſcum, & reſpondendi, cum ſpiritu tuo, & Apoſtolis traditum Eccleſiæ fuiſſe. multa quoque fuere decreta contra Priſcilianiſtas: quorum hæreſis ſerpebat per Hiſpaniam. Hi ſecuti Manichæos bonum, & malum Deum aſſerebant, nonnullaque à Gnoſticis accepere. collegit præterea Yſidorus Tarraconenſe Concilium, Gerundenſe, Ilerdenſe, Valentinum, nonnullaque Hiſpalenſia, in quibus nihil ferè comperi; quod eximium putem; ideo eis omiſſis accedam ad ſextam ſynodum. Sexta Oecumenica ſynodus coacta fuit Conſtantinopoli, tempore Conſtantini Imperatoris, qui dictus eſt Pogonatus, & Agathonis Pontificis anno Domini

mini, ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto. conuenere centum & ſeptuagin- E
ta Patres. Hanc Yſidorus totam collegit. damnata fuit in hac ſynodo hæ-
reſis Theodori, & Macarij Antiocheni Epiſcopi, qui prope ſentientes cum
Eutychete poſuere in Chriſto domino noſtro unam tantum fuiſſe volunta-
tem, & unam operationem. vnde etiam nomen habuere Monothelitarum.
huic hæreſi fauit Honorius Epiſcopus Romanus, ut Græci auctores perhi-
bent. ideoque reor nomen huius Honorij non fuiſſe deſcriptum in Catalo-
go Pontificum. Hi omnes eorumque ſectatores à ſynodo damnati ſunt. Hi
patres, tunc temporis, videlicet, Cōſtantini nullum canonē ediderunt, itaque
nullum canonem habemus ſtatutum neque à quinta, neque à ſexta ſynodo.
Verum paucos poſt annos defuncto Conſtantino, cum Iuſtinianus filius in F
Imperium ſucceſſiſſet, illi ferè ijdē patres iterum conuenere Conſtantinopo
li, ediderúntque centum & duos canones: quos appellare conſueuit Gratia-
nus, & alii Canones ſextæ ſynodi. Nonnulli hanc ſynodum appellant πενθέκτην,
quaſi quæ ſatisfecerit quintæ, & ſextæ ſynodis: in quibus nulli fuerunt editi
canones. in primo huius ſynodi capite repetuntur ſex priorum ſynodorum
Decreta contra hæreſes, quæ damnatæ in eis fuerant. in ſecundo uero capite,
recepit, & approbauit prouincialia quædam Concilia, à quibus plurima acce
pit uniuerſalis Eccleſia, necnon monumenta nōnullorum ſanctorum, qui ea
tractauerint, quæ à nobis credenda ſunt. illud notandum, quòd in fine huius
capitis uidetur approbari Concilium illud vetuſtiſſimum Africanū celebra-
tum ſub Cypriano martyre, in quo patres illi habentes zelum Dei, non tamē G
ſecundum ſcientiam, ut inquit Paulus, ſtatuerunt rebaptizandos omnes eos,
qui ab hæreticis baptizati ad Eccleſiam catholicam ueniebāt. quod certe er-
roneum eſſe nullus eſt Chriſtianus qui ambigat, ſi quidem ab hæreticis bapti
zati fuerant ſecundùm formam Eccleſiæ catholicæ. Verùm patres hi in ſex-
ta ſynodo ſeruare nolentes, ut reor, quantum fieri poterat Eccleſiæ vnitatem,
mentionem fecere de hoc Concilio, non aſpere improbantes, ſed veluti excu
ſantes errorem, dixere in hoc loco ſtatutum illud Concilij Africani fuiſſe ſe-
cundum morem, qui in ea gente inualuerat. Eſt præterea canon prohibens
Epiſcopum, poſtquàm ad Epiſcopatum euectus fuerit, habitare cum vxore,
ſi habuerit, quãuis aſſerat, ſe abſtinenter uiuere, ne det offendiculum, & ſcan-
dalum. prohibuit etiā hæc ſynodus, ne accedētes ad ſacros ordines cogantur H
polliceri abſtinentiā à propriis vxoribus, quem morē ſeruari dicit à Romana
Eccleſia. quod eſt intelligendū Orientali Eccleſiæ præceptum, quæ nunquā
recepit Romanā hanc ſanctimoniā. id ex eo colligitur, quod paulo poſt præci
pit ſynodus in Eccleſiis Barbaris, clericos non habitare ſimul cum vxoribus
ob ſcandalum, quod de Epiſcopis in uniuerſum prius præceperat. item præci
pit, ne ſoluatur ieiunium quinta feria maioris Hebdomadæ, quod quidam
ſoluebant, ut Iudaicum Paſcha imitarentur. inuenitur quoque in hac ſynodo
fuiſſe ſedes Patriarcharum pro dignitate cuiuſque ordine collocatas, prima
Romana, ſecunda Conſtantinopolitana, tertia Alexandrina, quarta Hieroſo-
lymitana. de Antiochena nulla mentio. Notandum etiā in cōtrahendis ma-

A trimoniis prohibitos fuiſſe quoſdam gradus ſecũdæ affinitatis,ne ſcilicet pater & filius duceret matrem, & filiam,item duas ſorores. ſic neque duos fratres matrem,& filiam,duasque ſorores.mos hic nunc abolitus eſt,habitaque eſt ratio tantum primæ affinitatis,non ſecundæ,aut tertiæ.illud quoque non prætereundum, in quinquageſimo quinto capite horum Canonum, prohibitum fuiſſe morẽ Romanæ Eccleſiæ in ieiunio ſabbati, vtpote, quod antiqui patres etiam prohibuerint. Hoc nunquam receptum fuit ab Eccleſia Romana, neque auctoritate Pontificum Romanorum ſancitum. pari quoque ratione non fuit receptum, quòd tota hebdomada paſchatis eſſet celebris, & dicata pſalmodiæ in templis. omnes ludi alii, & ſpectacula his diebus mini-
B me poſſent celebrari. prohibetur item,ne,niſi neceſſaria cauſa cogat, quiſpiã linquat propriam Eccleſiam tribus dominicis, anathematis pœna iniuncta. fuiſſe hunc antiquisſimũ,& optimum morem alibi etiam legimus. quis non laudet Canonem alium, quo prohibetur, ne quis pingat tabulam, aut quippiam tale fingat, imaginibus, quibus excitari poſſit turpitudinis libido, ſub pœna excommunicationis? Noſtris uero temporibus, ut omittã priuatas & publicas ædes, templa Dei Optimi,& ſanctorum monumenta, altaria etiam ornare putamus huiuſmodi picturis, & ſtatuis; quod certe abuſus eſt magnus. in vltimo Canone, in quo agitur,in conſtituendis pœnitentijs non tantùm habendam eſſe rationem delicti,ſed etiam conditionis perſonæ,contritionis, &c. poſſet ratio elici de confesſionis Sacramento: quamuis pertinax
C referre etiam Canonem eum ualeret ad pœnitentias publicas.ſed mos vetuſtisſimus totius Græciæ omnibus aliis argumentis huius ordinis antecellit. Hactenus de canonibus ſextæ ſynodi. collegit Yſidorus Romanas ſynodos tertiam, quartam, quintam, & ſextam, in quibus nihil memoratu dignum comperi. deſunt prima,& ſecunda. primam fuiſſe reor ſub Damaſo Pontifice, tempore Theodoſij ſenioris,& Conſtantinopolitanæ primæ ſynodi contra Macedonium celebratæ. in qua idem error fuit damnatus. Nos ſuperius de hac ſynodo mentionẽ fecimus ex Tripartita hiſtoria. ſub Innocentio tertio Romæ in Laterano magna fuit ſynodus celebrata: in qua fuere Conſtantinopolitanus,& Hieroſolymorum Patriarchæ,Metropolitæ multi,Epiſcopi quadrigenti. innumeri Canones facti ſunt in hac ſynodo,ut patet in Decre
D talibus. ac abolitus Canon de affinitatibus ſecũdi,& tertii generis. & à ſeptimo conſanguinitatis gradu ad quartum redacta prohibitio de matrimoniis contrahendis.Hæc de Romanis,quamuis hæc fuerit poſterior his,de quibus ſumus acturi. Sequitur ſeptima ſynodus OEcumenica. Hæc fuit celebrata in Nicea ciuitate Bithyniæ,vbi prima uniuerſalis illuſtris illa,& celebris coacta fuit ſub Cõſtantino, & Irene matre anno Domini ſeptingẽteſimo nonageſimo tertio,& ſub Adriano primo Põtifice Romano,cuius nomine duo interfuere,Petrus Cardinalis,& Abbas ſanctæ Sabbæ.conuenere tercentum & ſexaginta ſex Patres. in hac ſynodo damnati ſunt impugnatores ſanctarũ imaginum,quos Chriſtianocategoros appellarunt.& præter alia adductus Athanaſij libellus, qui extat de imagine Chriſti, quæ Beryti relicta à Chriſtiano in

domo, quam conduxit Iudæus, ibique cum à Iudæis uariis tormentis illude- E
retur in hanc Christi imaginem, cœpit ex ea ſanguis fluere in maxima copia; multisq́ miraculis, & inſignibus eius ſanguinis tactu à Deo factis, innumeri Iudæi ſcelus palam fatentes Christianam pietatem amplexi ſunt. ſanguis hic diuiſus fuit inter Christianas omnes Eccleſias. Nos Venetiis in tẽplo D. Marci vaſe ex cryſtallo confecto habemus huius ſanguinis portionem, & maxima veneratione colimus. Beatus etiã Thomas mentionẽ facit huius ſanguinis in tertia parte Summæ. Edidit hæc ſynodus vigintiduo Canones; in quibus nil propemodum cõperi eximii, niſi, quis notaret morem eum ſeponendi in Epiſcopatu omnia hæreticorum monumenta. Nã cauetur à ſynodo, ut omnia monumenta impugnatorum imaginum, ſeu Christiahocategororum F
ob omnibus ſub pœna anathematis traderentur, ut poſſint in Epiſcopatu cũ aliis deliramentis hæreticorum collocari. Itẽ ſublatæ reliquiæ ſanctorum ab hæreticis ſunt templis reſtitutæ: cautumq́ue ne vllum tẽplum cõſecraretur abſque ſanctorum reliquiis. Poſt hanc ſeptuaginta quinque annis fuit octaua ſynodus OEcumenica Conſtantinopoli ſub Imperatore Conſtantinopolis Baſilio, & Adriano ſecundo Pontifice, anno domini octingenteſimo ſexageſimo Octauo. nulla Hæreſis in cauſa fuit, ut hoc Cõcilium cogeretur, ſed ſcelus Michaẽlis Imperatoris, cui Baſilius ſucceſſit, & ambitio Photij. Nã cum ſub Michaële Imperatore, cui ſucceſſit Baſilius, ſedem Cõſtantinopolitanam teneret Ignatius vir ſanctiſsimus, auunculus Imperatoris auſus eſt dimiſſa vxore, quã habebat, nurum ducere in vxorem. Hoc facinore cognito Ignatius G
admonuit auunculum Imperatoris ſceleris, quod in ſe admiſerat, ſimulque præcepit ut relicta nuru, & inceſtis nuptiis, priorem vxorem ad ſe adcerſeret: recuſauit ille. quamobrem fuit ab Ignatio excõmunicatus. Is non pœnitentia tam magni ſceleris, ſed ira percitus, perſuaſit Imperatori, ut pulſo Ignatio, Photium tunc Patriarchãm Conſtantinopolis faceret, obſecutus eſt Imperator auunculo. ſicque per ſcelus potitus eſt Photius ſede Cõſtantinopolitana. Nicolaus primus Pontifex Maximus cum hoc reſciuiſſet, Photium excõmunicauit. Hic furore percitus cum nulla alia ratione & cauſam ſuam tueri, & Pontificem vlciſci poſſet, cœpit dicere Pontificem Romanum, & Romanam Eccleſiam eſſe hæreticos, & excõmunicatos, quoniam in ſymbolo addidiſſent Spiritum Sanctũ à filio procedere contra ſtatuta antiquorum Concilio- H
rum. inde orta ſeditio maxima inter Græcos, & Latinos, quæ Græciam miſeram tandem perdidit. ſucceſſit Michaẽli Baſilius, & Nicolao primo Adrianus ſecundus. is tres Cardinales miſit Conſtantinopolim, coactaque ſynodo Photium à ſede expulit, & Ignatium reſtituit. Non deſtitit Photius à maledicẽtia, & quantum potuit, fouit ſeditionẽ inter Latinos, & Græcos. Hæc octaua ſynodus nullũ canonem inſignem edidit. Gratianus ſexageſima tertia diſtin. capitulo Adrianus: in primo de hac meminit, ac dicit ſtatutum fuiſſe in hac ſynodo, ne quis laicus in electione Epiſcoporum ius haberet, nec intereſſet, niſi uocatus; tuncque humiliter ſuſciperet, quæ clerus ſtatuiſſet. Poſt hanc octauam ſynodum, ſeditionem inter Latinos, & Græcos, cuius auctor

fuit

A fuit Photius, ut diximus, quamuis ſopita potius quàm extincta fuit aliquot annis, nihilominus Conſtantinopolitani Imperatores, & Græca natio ægre ferentes noſtrarum rerum amplificationem, ſuarumque imminutionẽ, pro temporis occaſione excitarunt: ac rurſus, prout expedire ſuæ rei uidebant, ſedarunt. in 6. Decretalium lib. cap. 1. legitur ſub Gregorio decimo in Concilio Lugdunenſi, quo Palæologus Imperator venerat, cõueniſſe inter Græcos, & Latinos, ibique Decretum de proceſſione Spiritus Sancti. poſtmodũ iterũ excitata eſt ſeditio, adeo, vt vſque ad tẽpora Eugenij quarti Põtificis, & Ioannis Palæologi Græcorum Imperatoris, deducta fuerit: ſub quibus coacta fuit ſynodus OEcumenica. Verũ ante hanc ſynodum ſub Eugenio, celebrata fuit
B ſynodus Conſtantienſis tempore magni ſchiſmatis: quo tres Pontifices erant Benedictus, Gregorius, & Ioannes vigeſimus tertius. opera Sigiſmundi Impe ratoris, qui multum laboris, & induſtriæ impẽdit, ut ſchiſma illud tolleretur, fuit coacta ſynodus Cõſtãtiæ, in qua depoſitis Pontificibus, qui fuerunt electi per ſeditionẽ Cardinalium (quamuis Gregorius, & Ioannes vigeſimus tertius prius renunciaſſent ſuis iuribus) electus fuit Martinus Columna vir egregius, & pius. poſt Cõſtantienſe Cõcilium, ut ſeruaretur Decretũ de congregatione Conciliorum, indictum fuit Concilium, quod fuit Baſileæ coactum, poſtea uero ab Eugenio Ferrariã tranſlatum, qui eodẽ tẽpore vocatis ad OEcumenicum Cõcilium Græcis Ferrariæ ſynodum indixit. Venit ex Conſtantinopoli Imperator Palæologus, ac Patriarcha Cõnſtantinopolis, coacta ſyno-
C do, ob multa incõmoda, & peſtẽ, ex Ferraria Florentiam tranſlata fuit, ibique poſt diutinas diſputationes tandẽ conuenere Græci ac Latini. Armeni quoq; in ea ſynodo ad vnitatem catholicæ Eccleſiæ ſub Romano Pontifice venere, magnaque omnium lætitia ſynodus dimiſſa fuit, creatique Cardinales Beſſarion Nicenus Epiſcopus, & Ruthenus Græci homines. quorum prior ualde illuſtris & doctrina, & probitate. attamen poſt Imperatoris reditum in Græciã Marcus Epheſinus Epiſcopus, alter Photius Concilio rebellis non deſiſtit calumniari Cõcilium, ſimulque Nicenum Cardinalem, & Ruthenum: quòd ambitione corrupti rem Græciæ, & religionis Latinis prodidiſſent. ſicq; iterum exarſit ſeditio apud pleroſque Græcos, quæ tãdem Græciã miſerã perdidit. Poſt hãc ſynodum Florentinã nonam OEcumenicã temporibus noſtris
D ſub Iulio, & Leone Pontificibus fuit ſynodus Lateranenſis: cui quoniã ſanctitas tua interfuit, nihil mihi eſt amplius dicendum. Hæ beatiſſime Pater fuere illuſtres ſynodi, quarum ſummam ut potui literis mandandam duxi, tibique legendam trado. Tu pro tua humanitate, ſi nõ rem, officium tamen, & animi noſtri propenſionem læto animo accipito. Nam tum perſonæ, qua abs te honeſtatus fui, officium eſſe arbitratus ſum his temporibus, iam indicto per te Concilio hæc colligere, atq; otii noſtri fructũ tibi in maximis, & frequentiſſimis negotiis occupatiſſimo reuerenter offerre: tum pro tuis erga me meritis putaui maxime debere à me præſtari, ut ſaltẽ teſtimoniũ quodpiã animi grati haberes, quandoquidẽ certò ſcio nihil vnquã à me his dignũ rependi poſſe. Vale in Domino, qui diu te nobis, ac Eccleſiæ ſuæ incolumen ſeruet.

CONFVTATIO ARTICVLORVM SEV QVAESTIONVM LVTHERI.

F

CVM ſummopere cupiam adeoque cupiam, ut nihil prius
ac potius habeam quam rem tibi gratam facere, ac ſtudia
tua promouere, quantum poſſum; id quod à me proxi-
mis literis enixè petijſti, præſtare conabor; ac paucis ho-
ris hiſce, quas mihi à publicis negotiis ſurripui, ad te per-
ſcribam, ſed paucis omninò verbis, quæ mihi dicen-
da uidentur, ſuper articulis ſeu quæſtionibus Lutheranorum, de quibus
in Conuentu Auguſtæ habito, cum Cæſare actum eſt; ac ne te pluribus mo-
rer, ad rem deueniam.

Primus articulus, in quo Lutherus ſe plurimum iactat, hic eſt, hominem
iuſtificari ex fide, non ex operibus. Hac in re ſcias velim iuſtificationem G
hominis apud Christianos nihil aliud eſſe quàm fieri participem diuinæ iu-
ſtitiæ, quæ ſcilicet homini ſuapte natura non conuenit, ſed ei tribuitur ex
diuina liberalitate ac bonitate; qua iuſtitia homo ſupra hominis ſtatum
eleuatur, ac fit particeps & conſors diuinæ naturæ, ut inquit B. Petrus,
quòd maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, ut per hæc efficiamini
diuinæ conſortes naturæ. Cùm ergo iuſtificatione hac nouam quandam
naturam, & nouum quoddam eſſe acquiramus diuinum, participatione
quadam, noua etiam natiuitate indigemus. Natiuitate etenim animalia
ac uiuentia naturam, ac eſſe ſuum acquirunt. Ac quoniam hoc eſſe ſpi-
rituale eſt, non animale ac ſenſibile: ideò natiuitas hæc non eſt ſenſibilis,
ſed ſpiritualis; quod exactiſſimè Chriſtus Dominus in Euangelio Nico- H
demo legis Moſaicæ perito declarauit dicens, Niſi quis renatus fuerit ex
aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum cœlorum. Quam
natiuitatem cùm Nicodemus putaret eſſe Cardinalem, neque intellige-
ret, quid'nam dictum eſſet à Domino, ſubdit Chriſtus per comparatio-
nem ſpiritus ſeu venti qui flat, & non uidetur unde ueniat, aut quò uadat,
eiuſmodi eſſe eum, qui natus eſt ex Spiritu Sancto. Paucis ergò conclud
amus, nihil aliud eſſe iuſtificationem hanc niſi ſpiritualem generationem,
per quam efficimur conſortes diuinæ naturæ, & in filios Dei adoptamur.
Hæc iuſtificatio ſeu hæc generatio, manifeſtum eſt, quòd non fit ex operibus,
id eſt, quòd ex operibus noſtris mereamur adoptari in filios Dei, antequam

regene-

A regenerati ſimus; hoc ratione probatur: nullius opera poſſunt excedere naturæ limites, illius inquam, quæ eſt eorum operum principium. Sed ante regenerationem operum noſtrorum principium eſt natura hominis ex peccato, etiam deprauata. Iccirco operibus noſtris, quantumuis bonis nunquam hæc excellentia veluti merces debebitur, ut excedamus hominem, ac eleuemur ad diuinæ naturæ participationem. Hoc igitur pacto uerisſimum eſt, & maximè conſentaneum religioni Chriſtianæ, nullum ex operibus propriis iuſtificari. Verùm formaliter iuſtificamur, ideſt, efficimur diuini per gratiam. quæ eſt quædam ſpiritualis qualitas in animam à Deo optimo infuſa, ac participatio quædam eſt diuinæ naturæ, ficuti virtutes morales ſunt perfectio-
B nes partis ſenſitiuæ, quibus pars ſenſitiua attollitur ſupra ſe, ac fit particeps rationis. Sicuti ergo temperatus temperantia eſt temperatus, & liberalis liberalitate liberalis, ſic iuſtificatus hac gratia, & hac animi perfectione, formaliter iuſtificatus eſt. Verùm, quoniam (vt perhibent Philoſophi, ratioque naturalis ſuadet) actus non fit niſi in patiente diſpoſito; diſpoſitio animæ ad hanc gratiam ſuſcipiendam, per quam renaſcimur, eſt fides, qua tendimus in Chriſtum & in Deum: fidem hîc appello non habitum atque virtutem intellectus, ſed actum, quo intellectus à Deo mouetur, ut in eum credat, & quem miſit Ieſum Chriſtum. Hic ergo credulitatis motus, quo Deus animam mouet ad Chriſtum, & ad ſe Deum, diſpoſitio illa eſt, qua tendimus ad iuſtificationem. Hoc docemur in ſacris literis, nam in Euangelio inquit Ioan-
C nes, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, ſed Deo nati ſunt. Idem dicit Paulus in Epiſt. ad Romanos: hoc ergo pacto iuſtificamur per fidem. Sed quoniam fides & credulitas hæc non eſt ea tantùm, qua credimus Deum eſſe, & qua credimus uera eſſe, quæ dicit Deus; hæc etenim eſt etiam in Dæmonibus, ac perditisſimis hominibus, ſed eſt ea credulitas, qua in Deum tendimus, ab hac autem neceſſe eſt bona opera prouenire. Ideo hac ratione & hoc ſenſu poſſumus dicere, hominem iuſtificari ex operibus, non autem ex ſola fide. Non propterea quidem quod operibus noſtris mereamur iuſtificari, hoc etenim ſupra eſt improbatum, ſed quoniam fides illa, quæ eſt ſine operibus, non eſt fides, qua tendimus in Deum; & qua diſponimur ad gratiam recipiendam, & iccircò
D mortua eſt, ut inquit Iacobus Apoſtolus: & hoc ſenſu dicit idem Apoſtolus in eodem loco, quod Abraham Iuſtificatus ex operibus, quia obtulit Iſaac filium in holocauſtum, non autem ex ſola fide; quod tamen Paulus negare uidetur in Epiſtola ad Romanos: cùm tamen non hoc neget in eo ſenſu, in quo dictum eſt à Iacobo, ſed in illo ſenſu, quem ſupra improbauimus, quoniam ex operibus noſtris mereri non poſſumus gratiam ac iuſtificationem. Hæc ſatis de prima Lutheri quæſtione.

Secundus Lutheranorum articulus eſt, de bonis operibus, quæ facienda eſſe perhibent, ut deſtruamus corpus peccati, quod contraximus ex Adam, non tamen ualere inquiunt ad id, ut mereamur per ea fœlicitatem ac vitam beatam, æternamque conſequi. Hæc Lutherani. Poſitionis huius priorem

partem approbandam eſſe cenſeo. Nam ex operibus bonis, eorumq́ue con- E
ſuetudine virtutes comparamus, quibus perturbationes inferioris animæ
partis ſedantur, omnesq́ue ægritudines ſanantur, quod pertinet ad animi pu
rificationem, ut, purificato ab omni labe animo, pura mente poſſimus attin-
gere purum, quod dicit Plato in locis pluribus. Idem etiam affirmat Paulus
Apoſtolus. Secundam uerò partem ſic diſcutiendam eſſe reor, opera noſtra
bona ac laudabilia duplicia eſſe, ea inquam, quæ gratiam & iuſtificationem
præcedunt, & ea quæ fiunt ab homine. Iam renato per gratiam Dei, & in filiū
Dei adoptato; prioribus operibus nequaquam nos poſſe mereri beatam vi-
tam nullus eſt, qui ambigere queat; quia eorum operum quantumuis bono-
rum principium eſt natura hominis, quæ etiam adhuc eſt per peccatum de- F
prauata. Icircò eis neutiquam deberi poteſt bonum illud & ea vita, quæ
Deo optimo maximo conuenit per naturam, ac in infinitum excedit naturæ
humanæ limites. Si uerò accipiantur bona opera, quæ ſequuntur gratiam ac
adoptionem in filios Dei: ſic dicendum iudico, huiuſmodi opera conſide-
rari poſſe, prout ſunt ab animo hominis eiusq́ue viribus, ac etiam prout ſunt
à gratia ac virtutibus diuinis gratiam conſequentibus priori modo ſumpta
eadem ratione, quam ſuprà attuli, perſpicuum eſt opera non eiuſmodi eſſe il-
lius diuinæ vitæ meritoria. quia non poſſunt excedere naturæ humanæ limi-
tes. Quod ſi illa opera conſiderentur, prout ſunt à gratia ac ab eſſe diuino per
gratiam nobis dato, atque à virtutibus diuinitus in animam noſtram infuſis,
rectè dici poteſt, ea opera beatæ vitæ eſſe meritoria, quod ratione probatur. G
Nam unaquæque natura ſuum bonum attingit propriis actionibus & operi-
bus. Natura ergò diuina nobis per gratiam tributa ſuis actionibus & operi-
bus attinget bonum diuinum, fœlicitatem inquam ac uitam æternam. Prout
ergo opera bona ſunt à gratia & ab eſſe diuino, cuius facti ſumus participes
ex diuina liberalitate & bonitate, attingunt bonum ac fœlicitatem diuinam,
quod nihil aliud eſſet, quàm eis meritò deberi uitam æternam & diuinæ fœ-
licitatis participationem. Nam in Euangelio ſecūdum Matthæum Chriſtus
Adoleſcenti reſpondit: Si vis vitam ingredi, ſerua mandata, quaſi diceret, ſer-
uatione mandatorum vitam æternam deberi. Item in eodem Euangelio
poſtquam in monte præcipiens Apoſtolis multa, quæ ſeruari atque operari
deberent, concludit, ac perorat hoc Epilogo, qui intellexerit quæ præcep, ac H
ea fecerit, adſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuā ſuper pe-
tram; qui non fecerit, adſimilabo eum viro, qui ædificauit domum ſuper
arenam. Item in Euangelio ſecundum Matthæum, cùm diem ſupremi iudi-
cij deſcribit, inquit beatis, quod ueniant benedicti in regnum eis paratum
ante ſæcula, reddit deinde rationem, adducens opera, quæ operati fuiſſent ex
charitate. Item in eodem Euangelio præcipit Chriſtus nos ad Cœnam inui-
tare non debere diuites, ſed pauperes, eisq́ue benefacere, à quibus vicisſim
nihil ſperare poſſumus, ut fiat nobis retributio in reſurrectione iuſtorum. Itē
in Euangelio dicit, qui accipit diſcipulum in nomine diſcipuli, habebit mer-
cedem diſcipuli; merces uerò, ut inquit Paulus, eſt ſecundum debitum, non

ſecun-

A ſecundum gratiam; Item dicitur in Euangelio, Merces veſtra copioſa eſt in
cœlis. Paulus etiam dicit, Bonum certamen certaui, fidem conſummaui,
in reliquum repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam retribuet mihi domi-
nus iuſtus iudex: Ecce eò quod certauit certamen bonum fideliter, dicit ſibi
repoſitam coronã iuſtitiæ, fœlicitatem ſcilicet æternam, quam iuſtus Iudex
Dominus, id eſt ſecundum iuſtitiam ipſi redditurus eſt; quod idem eſt, ac ſi
diceret, ex merito fidelis certaminis. Quæ enim dantur ex gratia, non tradun
tur ſecundum iuſtitiam ſententia Paul. Item in Pſalmo, Et ſecundum purita-
tem manuum mearũ retribuet mihi, quia cuſtodiui vias Domini. Item alio
etiam Pſalmo inquit, Semel loquutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia pote-
B ſtas Dei eſt, & tua Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta ope
ra ſua. Ecce retributio datur operibus. Longè plures alios locos adducere
poſſem, ex ſacris literis; ſed ne te afficiam tædio, hæc ſint ſatis. Tertius Lu-
theranorum articulus eſt de peccato originis. Inquiunt enim illi ex Luthe-
ranis, qui melius ſentiunt, quod peccatum originis, in quo omnes naſcimur,
eſt eſſe ſine timore Dei, ſine lege ad malum procliues, adeò ut non poſſimus
bona opera, neque quippiam boni facere; ſed omnia quæ facimus, peccata
ſunt, legemque tum Moſaicam, tum etiam naturæ eſſe nobis à Deo datam,
ut per eam cognoſcamus ægritudinem noſtrã, ac propterea recurramus ad
gratiã Dei, quam, non operibus, ſed fide conſequi poſſumus. Hæc Lutherani,
hi inquam, qui melius ſentiunt Lutheranorũ. Hæc ſententia ſi paucis in ver-
C bis corrigatur, & ſecundum rectum ſenſum intelligatur, non eſt repudianda;
quod ut rectius intelligatur, pauca quædam præfabor. Peccatum originis ni-
hil aliud eſt quàm carentia Iuſtitiæ, & gratiæ Dei; quam optimus Deus de-
derat Adam eiusque natis, & prognatis omnibus; qui cùm ex inobedientia
peccaſſet, tùm ſibi, tum etiam poſteris ab eo naſcituris maximum attulit de-
trimentum. Nã & gratia Dei priuatus reus factus eſt æternæ mortis, ex amiſſa
iuſtitia illa, quam ex Dei liberalitate acceperat, ex qua vires omnes inferio-
res animi ad nutum rationi parebant, corpusque immortale poterat ab ani-
ma ſuſtentari; poſteri uerò eius ex gratiæ priuatione vitæ æternæ compotes
eſſe non poterant, ex priuatione uerò iuſtitiæ, tùm corpus omninò morti ob-
noxium ſortiti ſunt, tùm etiam deprauationem in viribus animi, quæ ad vitia
D peccataque procliues, nec rationi obſequentes, animum ſemper ad deterio-
ra trahunt, qui licet cogi non poſſit, infirmus tamen ac æger ex carentia gra-
tiæ facile in malum deducitur. Hunc igitur animi defectum, quem contraxi-
mus ex origine Adam, appellare ſoliti ſunt Chriſtiani peccatum non morta-
le, aut veniale; ea namque peccata actus quidam ſunt praui illius, cui imputa-
ri ſolent; ſed dixerunt peccatum originis, ideſt, defectum animi eũ, quem de-
ſcripſimus, qui nobis ineſt imputaturque, eò quod prognati ſumus, ac veluti
ſoboles quædã inhæremus primo parenti, qui opere eo, actuque inobedien-
tiæ peccauit. Hæc breuis eſt deſcriptio peccati originis, cuius rei exempla in
ciuili hac noſtra ſocietate euidentiſſima comperiri poſſunt. Donetur quiſ-
piam aduena vir non noſtri ordinis, cui iure, & ex genere ius patricij ordinis

non

non conuenit, liberalitate Senatus noſtri Ciuitate hac Veneta, & iure patri- E
cio, hæc donatio idque Ius, tum ad eum, tum etiam ad prognatos eius pertinet. Hic ſi poſtquàm fuerit hoc iure donatus, quippiam moliatur in Rempublicam ac donato iure priuetur, in exiliumque mittatur, certè detrimentum hoc ad poſteros eius perueniet, qui, etſi nihil in nos peccauerint ipſi, ſed quod ſoboles ſint radicis, ut dicam, illius, qui in nos peccauit. Hæc ſatis ſint pro deſcriptione peccati originis.

Defectus hic animi, maximè uerò deprauatio virium animæ, eiusque ad malum procliuitas in ſacris literis præcipuè à Paulo Apoſtolo peccatum ſolet appellari, iuxta illud in Epiſtola ad Romanos: Iam non ego facio illud, ſed inhabitans in me peccatum; ſicuti etiam hoſtiæ, quæ pro peccatis offerri ſolitæ ſunt in lege Moyſi, peccata appellantur in ſacris literis, ut apud Oſeam prophetam, Sacerdotes comedent peccata populi, id eſt, hoſtias oblatas pro peccatis, & Paulus Apoſtolus loquens de Chriſto; qui oblatus eſt pro peccatis populi inquit, Deus fecit ipſum peccatū, id eſt, hoſtiam pro peccatis oblatam. His, quæ de peccato originis ſentienda ſunt, ex ſacris literis, ut reor, non difficilè accommodari poſſunt ea, quæ Lutherani dicunt. Nam, ſi in his, quæ de peccato originis dicunt, cenſeant actum quempiam noſtrum eſſe peccatū originis, falluntur, adhuc etiam falluntur, ſi poſt baptiſma ſuſceptum, quamuis ſanati non ſimus, à deprauatione virium animæ inferiorum, & à procliuitate ad malum, propterea nos adhuc eſſe obnoxios peccato originis, ac illius reos arbitrentur; Nam habita gratia per baptiſma, ſeu lauacrum regenerationis, ut inquit Paulus, non amplius ſumus peccato obnoxij, quod per Chriſtum deletum eſt. Sed ſi uolunt peccatum appellare pœnam peccati, quæ relicta eſt in inferiori parte animi, uerum dicent, ac iuxta Pauli ſententiam, ut ſupra dixi, qui etiam appellat corpus peccati, quod nobis ſummo ſtudio ac diligenti opera mortificandum eſt. Quæ uerò addunt de operibus noſtris, quod non quimus bona opera facere &c. mox à nobis dicetur, cùm de libero arbitrio agemus.

Quartus Lutheranorum articulus eſt, de libero arbitrio, non uidi ego librum Lutheri, quem inſcripſit, ut accepi, de ſeruo arbitrio. Verum quæ ex nonnullis intellexi, ac collegi ex opuſculo Eraſmi, qui Lutheri ſententiam confutare conatur, ac tueri arbitrii libertatem, cùm Lutherus ex nonnullis H
ſacræ ſcripturæ locis collegiſſet, nos ſine diuina ope nihil poſſe boni agere, neque cogitare, neque velle, conſpiceretque Pelagianos hæreticos habitos, qui ſine Dei ope putarunt propter arbitrii libertatem nos poſſe bona opera facere, in eam ſententiam incidiſſe uidetur, ut auferat à nobis arbitrii libertatem, adeò, ut ſi credimus Eraſmo, & ego rectè recolo, quæ legi, & bona & mala opera noſtra redigat in Deum auctorem, dicatque Deum optimum, & ſua bona in nobis præmio adficere, ſuaque mala in nobis vlciſci. Hæc Lutheri poſitio adeò aduerſatur rationi naturali, & ſacris literis, ut nihil magis abſonum inueniri poſſit. Quis etenim ſanæ mentis diceret Deum eſſe auctorem malorum noſtrorum operum? Malum namque quod eſt pœna, à

Deo

A Deo eſt, qui eſt iuſtus; huiuſmodi malum pœnæ ſcilicet facere, bonum eſt facere, quia eſt opus iuſtitiæ. At mali, quod peccatum eſt, dicere Deum au-ctorem, certè eſt hominis dementis; Aduerſatur hoc naturali rationi. Nam cùm natura cuiuſque rei ſit principium actionis, quam ea res agit, conuenit naturæ propriæ cuiuſque actio. Deus autem bonus eſt per naturam, nec habet bonitatem aduentitiam. Iccircò non poteſt eſſe auctor mali operis, per ſe inquam. Item, cùm peccatum ea ratione ſit peccatum, quia deficiat, iccircò non habet per ſe cauſam efficientem, ut inquit Auguſtinus: ſed habet cauſam deficientem. Iccircò referri debet ad cauſam, in qua eſt defectus, non autem ad primam cauſam ſupra omnem cogitationem indelectabilem. Pars etiam B altera quam tangit, quod ideò in nobis non eſt liberum arbitrium, quia ſine ope diuina nihil poſſumus boni facere, non ſatis à Luthero intelligitur. Ideò paucis hanc totam rem comprehendam, vt quiſque intelligat libertatem arbitrii non officere diuinæ gratiæ, neque opem Dei nobis præſtitam libero arbitrio quippiam officere. Animaduertendum eſt primò illud, Deum ſupremum nõ eſſe cauſam determinati cuiuſdam generis, ſcilicet neceſſariam aut cõtingentem, naturalem've, aut cuiuſpiam alterius modi, qualem cogitatio humana aſſequi poteſt, ſed eſſe ſupremam omnium cauſam; quæ moderetur & temperet pro cuiuſque natura, tùm cauſas neceſſarias, tùm contingentes, necnon naturales', & uoluntarias liberas, & non liberas: Hanc primæ cauſæ excellẽtiam uniuerſitatem omnium complectentem nequaquam poſſumus C mente concipere, quia nihil mens noſtra capere poteſt, quod non ſit cuiuſpiã determinatæ naturæ. Tamen eſſe eiuſmodi ſupremam cauſam, ratione naturali & ſacræ ſcripturæ auctoritatibus facilè probare poſſemus, quas omitto ne te afficiam tædio. Non enim puto à quopiam hoc negatum iri. liberum uerò arbitrium nihil aliud eſt, niſi de eligendis iudicium liberum ac optio libera: quæ non ex impreſſione formæ conceptæ procedit, ſed ex conſultatione & iudicio mentis noſtræ, quæ excellentia ideò menti noſtræ tributa eſt, quia mens nõ eſt à natura addicta cuipiam particulari bono, ac certi cuiuſpiã generis, quemadmodum addictæ ſunt vires ſenſitiuæ, ſed uniuerſali bono, à natura addicta fuit. Ideo ſecundum impreſſionem formæ particularis alicuius boni non conuincitur, ut in illud feratur, ſed conferre cum alio bono il-D lud poteſt, & quatenus bonum eſt eligere, quatenus etiam particulare bonum in quo neceſſe eſt eſſe alterius boni defectum, reijcere. Liberum ergo à natura ipſa mens noſtra iudicium habuit, liberamque optionem. Non tamen propterea niſi peccet, & deficiat, poterit quantumuis liber velle, optare, eligere, ac operari præter vim primæ cauſæ, à qua omnes aliæ pro ſua cuiuſque natura mouentur & temperantur. His hactenus diſcuſſis, dicendum eſt, opera noſtra, quæ liberè agimus, uel eiuſmodi eſſe, quod meritoria ſint vitæ æternæ ſupremæque fœlicitatis, uel eſſe humana tantum, & hæc duplicia, bona inquam ſeu mala opera; à ſecundo hoc membro ordiemur. Opera noſtra mala à libero arbitrio ſunt, & quatenus ſunt mala, ſunt tantum noſtra,

& à nobis, non autem à Deo. Deus etenim,ut ſupra oſtenſum eſt,nequit eſſe E
malorum, id eſt, peccatorum cauſa per ſe, ut ſupra oſtenſum eſt: à nobis ta-
men ſunt & à libero arbitrio, quia ex nobis deficere poſſumus; imperfecti
namque ſumus; & deficientem naturam habemus, quæ adhuc ex peccato æ-
gritudinem contraxit; factaque eſt magis deficiens; & hoc dicitur ab Oſea
Propheta, Perditio tua Iſraël,tantummodò in me auxilium tuum; ſic Iac. in
Epiſtola,Deus intentator malorum eſt,ſed unuſquiſque tentatur à concupi-
ſcentia ſua. Bona uerò opera noſtra humana à libero arbitrio ſunt, non ta-
men ſine ope primæ cauſæ & primi mouentis. Nam ut prætercam Philoſo-
phorum rationes, ſic dicitur in Pſal. Aperis tu manum tuam, & imples om-
ne animal benedictione, auertente autem te facie turbabuntur, & in pulue- F
rem ſuum reuertentur. Quod ſi accipiantur bona opera noſtra, quibus fœli-
citas ſuprema debetur,manifeſtum eſt, quod præter uniuerſalem illam vim,
qua naturaliter, ſecundum tamen noſtræ naturæ captum, mouemur à cauſa
prima, requiritur priuatus quidem, & particularis propriusq; motus, quo in
Deum per fidem conuertamur,& conuerſi per gratiam iuſtificemur,adopte-
murque in filios Dei: neque tamen hoc tollit libertatem arbitrij; immò ma-
gis liberos nos facit,nullique deeſt hic motus à Deo, dummodò quis nō offi
ciat,ac per defectum malæ voluntatis reijciat diuinum hunc adflatum. Nam
quæ per alios poſſumus dummodò velimus, ſeu dummodò non reijciamus
bonum oblatum, noſtri eſſe arbitrii dicimus; & hoc in tertio Ethicon dicit
Ariſtoteles, nullusque propterea à Deo reprobatur, ſi ipſe ſibi non defuerit: G
poſſumus ergo per nos peccare & perire,non tamen poſſumus ſalui fieri, niſi
per gratiam Dei;quæ,ut dixi,non aufert arbitrii libertatem,ſed perfectiorem
eam reddit. Ideo, quod ſupra adduximus, dicit Oſea Propheta, Perditio tua
Iſraël,tantummodò in me auxilium tuum,ac ſi diceret, per te perire poteris,
nec Deo ſed tibi aſcribenda eſt tua perditio, auxilium autem tuum tantum-
modò eſt à me,quia neque humana bona ſine diuina vi facere poſſumus;ne-
que diuina illa, quibus beatitudo debetur, ſine motu mentis ad Deum, quo
ad Deum mouemur per fidem, & ſine gratia, quam ad Deum conuerſi con-
ſequimur. Ideo dicebat Apoſtolus Paulus, Non ſumus ſufficientes à nobis,
tanquam à nobis, aliquid facere,aut velle, ſed omnis ſufficiētia noſtra à Deo
eſt; & in Euangelio dicit Chriſtus, ſine me nihil poteſtis facere, ego ſum vi- H
tis, vos palmites; ſicuti palmes non poteſt quippiam à ſe facere niſi manſe-
rit in vite,ſic niſi in me manſeretis,nihil poteſtis facere. Item,non vos eſtis
qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri eſt, qui in uobis loquitur. Item,Ex-
perimentum quæritis eius,qui in me loquitur, Chriſtus. Item viuo ego, iam
non ego,ſed in me Chriſtus. Item,Aperi os tuum & implebo illud. Item fa-
ctus ſum tanquàm iumentum apud te, & ego ſemper tecum; Ex quibus om-
nibus auctoritatibus facilè colligitur id, quod dicebam, nos non poſſe quip-
piam boni facere ad ſalutem, ſine diuina gratia. Legemque Moſaicam, per
quam non iuſtificamur, datam nobis propterea eſſe, ut per eam cogno-
ſcamus

A ſcamus peccatum ægritudinemque noſtram,& ad gratiam recurramus.Hæc mihi uidetur eſſe ſententia Pauli perſpicua in Epiſtola ad Romanos, per legem, inquit, cognitio peccati; multaque in hanc ſententiam dicit, quæ non oſcitanti lectori compertisſima eſſe poterunt. Satis de hoc articulo.

Quintus Lutheranorum articulus eſt de Sacramento confesſionis. inquiunt Lutherani confesſionem retinendam eſſe, non autem omnium peccatorum, ſed eorum duntaxat, quæ conſcientiam mordent. Nam cætera propè impoſsibile eſt intelligere, ac noſſe, quod etiam perhibent in Pſalmo dici,Delicta quis intelligit? Peccatorum ergò,quæ vrgent nos,ac ſui grauitate premunt conſcientiam, confesſionem dicunt retinendam propter vim
B abſolutionis, cui fides eſt adhibenda, Chriſtoque ſine hæſitatione vlla credendum, qui inquit, quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis; ob eamque potisſimum cauſam nobis peccata remitti, quia credimus verbis Chriſti, nosque abſolutos propterea eſſe nequaquam dubitamus. Neque negant Lutherani contritionem peccatorum ineſſe oportere ei, qui abſoluendus eſt, cæterùm negant poſt abſolutionem habitam vlli nos ſatisfactioni eſſe obnoxios. Non enim inquiunt,par eſt Deum maximè bonum,maximeque liberalem non omnino omnia condonare illi, quem gratia impartitur, ſibique ex inimico amicum facit, ſed pœnam æternam ac ſupplicium nunquam deſiturum condonare, poſcere uerò ab eo temporariam mulctam. Quocirca negant Sacramenti huius tertiam partem, quæ ſcilicet Sacramen-
C tum & abſolutionem conſequitur, ſatisfactionem uidelicet. Quarè negant etiam purgatorium ignem.Hæc Lutherani.Huius eorum ſententiæ primam partem, retinendam ſcilicet confesſionem propter abſolutionem, non cenſeo ego eſſe improbandam. Verùm,quod addunt grauia tantùm delicta, quæ conſcientiam vrgent,Sacerdoti dicenda,alia uerò minimè, quia nullus delicta intelligit, reor poſſe ad rectum ſenſum reduci. Nam peccata mortalia ſunt ea,quæ conſcientiam premunt.Hæc uerò ſunt explicanda pro virili.Reliqua verò venialia inquam,generali quadam confesſione ſi explicentur,ſatis eſſe;nec inſiſtendum eſſe quibuſdam ſcrupulis,quos Sathanas plerumque viris probis ac religionis obſeruantia præcipuis obijcit, incredibilibusque ſtimulis eos agit. Senſus iſte meo iudicio non eſt improbandus. Quod ſi enor-
D mia tantùm peccata exponenda Sacerdoti eſſe cenſeant,reliqua uerò,ſi mortalia fuerint,reticenda,aut generali tantùm confesſione explicanda,longè errant,ſuisque ſe ipſi rationibus conuincunt.Non enim Sacerdos ea remittere peccata poterit,quæ ignorat, neque iudicare in quempiam debet,aut malum de quopiam ſuſpicari,aut ſcrutari. Hoc namque ab officio viri Chriſtiani maximè eſt alienum.Confiteri ergo is debet,qui abſolutionem petit. Quod ſi dicant ſufficere generalem confesſionem; cur etiã in enormibus peccatis eam ſufficere non credunt? Cognoſcat ergo neceſſe eſt Sacerdos eam lepram, quam abſolutione eſt ſanaturus. Præterea ignarus & idiota Chriſtianus, ſuique amore corruptus, quonam pacto rerum iudicium ferre de ſe ſuisque

CC geſtis

peſtis poterit, ut diſcernat, in quibus grauiter, & in quibus leuiter deliquerit. E
Retinendus eſt mos antiquus Catholicæ Eccleſiæ, quam ſeruant non tantùm ſectatores Romanæ Eccleſiæ, verùm etiam Chriſtianorum nationes, quæ maximè diſſident à Romana ſede. Græci, inquam, Armeni, Maronitæ, Coptæ, ac nonnullæ aliæ Chriſtianorum ſectæ, lingua, moribus, & inſtitutis maximè alieni à Pontifice Romano. Ex quo certiſſimam conjecturam facere poſſumus traditum hunc confeſſionis morem à Chriſto & Apoſtolis Chriſtiano populo, ad nos vſque deueniſſe: nam & de baptiſmate Ioannis, quo homines uocabantur ad pœnitentiam, dicit Euangeliſta, Baptizabantur omnes confitentes peccata ſua. Quo fit, ut exiſtimem priore ſenſu non improbando, Lutheranos primam hujus ſententiæ ac dogmatis ſui partem F
protuliſſe. Quòd uerò inquiunt credendum eſſe abſolutioni præſtitæ, minimeque hæſitandum ſe abſolutos eſſe propter uerba Chriſti id dicentis; non credimus eſſe reijciendum, immò ſummoperè nos etiam fidem, qua in Deū tendimus, commendamus, cui, ut perueniamus ad gratiam, maximè innitendum eſſe fatemur, ſecundum ſententiā Pauli ſæpiſſime id aſſerentis, & Chriſti in Euangelio in compluribus locis, quos nunc citare non eſt opus. Id uerò quod addunt de ſatisfactione, inanem ſcilicet eſſe poſt abſolutionem, quia Deus ex infinita liberalitate ac miſericordia, qua vtitur erga nos, totam mulctam dimittit, non autem partem adhuc retinet, cuius ſumus rei, & quæ ſatisfactione compenſanda ſit; reor ego alienum eſſe à ratione naturali, ac diſſentiens à locis quibuſdam ſacræ ſcripturæ, quos infra citabo. Primò ratio- G
nem adducam; in quolibet peccato mortali, ut inquiunt noſtri Theologi, eſt auerſio à ſummo & immutabili bono. & eſt inordinata conuerſio ad bonum commutabile, quod eſt infra Deum. Ex auerſione ab infinito modo, rei efficimur æterni & infiniti ſupplicij. Ex conuerſione uerò ad bonum commutabile inordinata pœnæ etiam ſumus obnoxij, ſed temporariæ. Prior abſolutione remittitur per gratiam Dei, cui reconciliamur; poſterior ſatisfactione diluenda eſt. Ridebunt, ut ſolent, hanc noſtrorum Theologorum diſtinctionem Lutherani; dicentque figmenta eſſe, quæ nec ratione nitantur, nec ſacris literis. Iccirco minime à noſtrorū ſententia diſſidētes alia via aggrediamur. In nobis eſt lex naturæ, quam Deus ex naturali lumine cuiuſcunque hominis indidit, iuxta id quod dicitur in Pſalmo, Multi dicunt, quis oſtendit nobis bo H
na? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: ſupra hanc eſt lex diuina nobis tradita in ſacris literis, infra uerò legem naturalem eſt lex ciuilis, quam ſcilicet ciuiles ſocietates hominum conſtituêre. Hæc quidem à nullo ſanæ mentis negari queunt. Fundamento hoc iacto dictis illud addimus, vnū idemque peccatum eſſe poſſe contra leges has omnes, Diuinam ſcilicet, Naturalem, & Ciuilem, verbi gratia, homicidium, & furtum eſt contra legem diuinam, quia homicidia & furta Deus ſacris literis prohibuit: Eſt etiam contra naturalem legem nobis inditam, cuius rei vnuſquiſque in ſe periculum poterit facere, adhuc eſt contra legem ciuilem: præuaricatio autem legis

vtriuſque

A vtriuſque iniuſtitia & iniquitas eſt, quæ pœnam ſeu mulctam, quam lex iubet, ad æquitatem reducit. Sicuti ergò homicidæ, quia contra legem diuinam egit, ſtatuta mulcta eſt, ita etiam ſtatuta eſt ei pœna, quia egit contra legem naturæ; & adhuc mulcta alia ſtatuta, quia egit contra legem ciuilem. Quemadmodum ergo non eſt dicendum homicidam, qui contritus eſt, & à Sacerdote abſolutus, ac propterea Deo reconciliatus, neque obnoxius amplius gehennæ, abſolutum etiam eſſe à pœna, quam iubet lex ciuilis, neque debere ciuitati pœnas homicidij perpetrati dare, quoniam Deo reconciliatus, neque amplius reus æterni ſupplicii: ſic etiam non eſt negandum hunc homicidam Deo reconciliatum, remanere adhuc obnoxium pœ-
B næ, quæ ei luenda eſt, quod egerit contra ordinem rationis & legem naturalem. Et ſic eſt inordinata illa conuerſio ad bonum commutabile, quam dicunt noſtri Theologi temporaria pœna diluendam eſſe, cuique aiunt ſatiſfactionem deberi. Niſi quis ergo uoluerit eſſe pertinax, ut reor, facile intelliget, hæc quæ de ſatisfactione dicta ſunt, maximè eſſe dicta ſecundum rationem naturalem, idemque propemodum eſſe, ſi quis dicat ei, qui reconciliatus ſit Deo, cuique non imputetur amplius quod egerit contra legem diuinam, nullam amplius pœnam deberi, quia tranſgreſſus eſt legem naturalem, ac ſi quis diceret, nullam etiam pœnam ei deberi, ſi pariter tranſgreſſus fuiſſet legem ciuilem, ac ideo iniuſtus iudex cenſendus eſſet, qui homicidam iam Deo reconciliatum aliqua pœna afficeret, quod homicidium
C perpetraſſet. Hactenus ratione diſputatum ſit: hoc uerò comprobatur exemplis Sanctorum omnium, qui pro peccatis quæ fecerunt, ſe ipſos ſunt vlti, & ſponte pœnas dederunt. Sic Niniuitæ veniam meruerunt, ſic rex Ezechias, ſic Dauid rex; Ioannes Baptiſta hortatur in Euangelio, ut faciant dignos fructus pœnitentiæ. Item in Euangelio Chriſtus inquit, væ tibi Capharnaum, væ tibi Coraſim, quia ſi in Sodomis & Gomorra fuiſſent uirtutes, quæ factæ ſunt in te, iam dudum in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent. Item apud Danielem notisſima eſt auctoritas, Peccata tua elemoſinis redime. Multa præterea in hanc ſententiam adduci poſſent, quæ prætereo breuitati præcipuè ſtudens.

Sextus Lutheranorum articulus eſt de inuocatione ſanctorum, eorum-
D que cultu: inquiunt enim, cùm ex ſacris literis unus ſit Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus; qui etiam, ut inquit Paulus, interpellat pro nobis, Sancti mediatores eſſe non poterunt, neque inuocari debent, ut orent pro nobis. nam etiam Ioannes in Epiſtola ſua inquit, Filioli nolite peccare, quod ſi peccauerimus, Aduocatum habemus apud Deum Ieſum Chriſtum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Hæc Lutherani; qui ſi negant Sanctos orare pro nobis, aut intercesſionibus eorum nullam nobis comparari vtilitatem, ac propterea inuocandos non eſſe, procul dubiò maximè errant. Nam cum ſancti ciues ſint ciuitatis Dei, & Chriſti membra præcipua, cuius nos etiam ſumus ciues, & pariter Chriſti membra, ac egregia præditi ſint charitate erga nos, quis ambigere poteſt, quod

pro nobis adhuc periclitantibus orent? Valet autem eorum oratio. Nam, E
ſi,ut inquit Iacobus, aſsidua iuſti oratio multum ualet, multò magis ualebit Sanctorum oratio; quis etiam vertere in dubium debeat, quod non fruſtra à nobis inuocantur, eorumque geſta nobis imitanda proponuntur? Nec obſtant auctoritates,quas adducunt. Nulli namque dubium eſt, Chriſtum ſolum Mediatorem eſſe Dei & hominum. Solus namque meruit gratiam & gloriam his, qui in ipſum credunt. Hoc pacto nullus Sanctorum eſt mediator; immò contra eos, qui ſecus ſentiunt, exclamat Paulus in Epiſtola ad Corinthios, inquiens, An Paulus pro vobis crucifixus eſt? Sic etiam eſt aduocatus, & interpellat pro nobis, cuius orationes efficaciam habeant, ut efficiant id, quod Chriſtus uoluerit. Sancti ergo mediatores ſunt & aduocati, ſicuti conſerui noſtri, ſed domino chariores & propiores nobis; inuocandi ergo ſunt, non ut Chriſtus, ſed ut membra Chriſti, orantque pro nobis, ut ex pluribus ſacræ ſcripturæ locis probari poſſet, quos conſultò prætereo. Verùm, quia in hac Sanctorum inuocatione poteſt irripere abuſus, cùm ita quis ad ſuperſtitionem declinaret, ut obliuiſceretur Dauidicum illud, Vacate & uidete quoniam ego ſum Deus. & alibi, videte quod non ſit alius præter me; cenſerem ego intereſſe plurimum bonorum præſulum, huiuſmodi abuſus cohibere, ea tamen moderatione, ac dexteritate, ut nihil vi fieret, ſed pro temporum ratione ac moribus nationum in melius paulatim mutarentur. F

Septimus Lutheranorum articulus eſt, de votis Monaſticis, & cœlibatu Sacerdotum. inquiunt Lutherani: Vota Monaſtica perpetuæ præſertim continentiæ eſſe reiicienda: tùm quia ſunt contra mandatum Dei, qui in Geneſi dixit ad Adam, & ad Noë poſt diluuium, Creſcite & multiplicamini, ac implete terram. Item de re impoſsibili votum fieri, eſt contra rationem. Sed ſeruare perpetuam continentiam eſt res impoſsibilis: vt experimento compertum eſſe poteſt ſumpto à Monachis, qui vouerunt cœlibatum, & à Sacerdotibus. igitur talia vota tollenda ſunt. Hæc in ſumma Lutherani. G

Quantum ad priorem partem pertinet, ſcilicet de votis Monaſticis, dicimus, nulli dubium eſſe, vitam cœlibem perfectiorem eſſe, magiſque aptam rerum diuinarum contemplationi, quàm vitam eius, qui vxorem habeat. H
Nam & rei domeſticæ cura diſtrahit animum hominis à contemplatione: & voluptas venerea adfigit humi diuinæ particulam auræ, adeò ut nihil ſerium in ea homo cogitare poſsit, ut dicit Philoſophus in Ethicis. Auerroës etiam in ſeptimo Phyſicorum idem dicit fere. Inquit enim, perturbationum ſedatio ad contemplationem ſummoperè facit: ſed præcipue omnium caſtitas. Paulus etiam idem adſerit: Qui vxorem habet, quærit ea quæ ſunt vxoris, & diuiſus eſt. Item, Qui dat virginem ſuam nuptui, bene facit, & qui non dat, melius facit. Item, De virginibus præceptum non habeo, conſilium autem do tanquam miſericordiam à Domino conſecutus. Innumera huiuſmodi poſſem adducere ex ſacris literis. Nulli ergo dubium eſſe debet, quin

Vita

A Vita cœlibum ſit præſtantior uita eorum, qui vxores habent. Quodſi me-
lior ac excellentior eſt vita Cœlibum, nullus ambigere poteſt, quin etiam
in hac Eccleſiaſtica Hierarchia eiuſmodi hominum perfectiorum ſtatus eſ-
ſe debeat; quæ, ſi hoc ſtatu careret, imperfecta eſſet: vtpote cui deeſſet per-
fectior ſtatus hominum. Status autem firmitatem dicit, qua firmatus is
qui eſt in eo ordine, deſcendere non queat ab eo uiuendi gradu ad inferio-
rem ordinem. Sic dicimus Sacerdotum ſeu clericorum ſtatum, ſic ſtatum
eorum qui vxores habent, ſtatum: Quem ſtatum Cœlibum ſi concedere de-
bemus Eccleſiæ Chriſtianæ, neceſſe eſt, ut firmitas hæc adſit. Firmitas au-
tem hæc ex voto comparari ſolùm poteſt; quo quiſpiam ſe, vitamque ſuam
B vniuerſam diuinis obſequiis contemplationique offerat, ac veluti holocau-
ſtum faciat. Niſi ergo velimus perfectiorem hunc hominum ſtatum ab Ec-
cleſia remouere, manifeſtum eſt Cœlibatus vota improbanda non eſſe, Im-
mò ad decorem & perfectionem Eccleſiæ maximè facere. Hoc ex ſacris lite-
ris comprobatur. Nam Chriſtus in Euangelio inquit, diuerſa eſſe Eunucho-
norum genera, eorum ſcilicet qui deprauata natura nati ſunt, & eorum qui
manu arteque hominum facti; & eorum demum qui ſe caſtrauerunt pro-
pter regnum cœlorum. Sed omnes non capiunt hoc uerbum. Ex quo col-
ligi poteſt, eſſe genus hominum maximè probandum, qui ſe caſtrauerunt
propter regnum cœlorum. Hi, qui ſine voto cœlibes ſunt, non propterea
dici queunt caſtrauiſſe ſe propter regnum Cœlorum. Nam Eunuchi non
C dicuntur tantum, quoniam non generant, ſed quia impotentiam habent ge-
nerandi. Ij ergo tantùm, qui ex voto caſtitatis ſibi ademerunt potentiam
generandi, poſſunt dici uerè ſeſe Eunuchos feciſſe propter regnum cœlo-
rum. Paulus item Apoſtolus, cùm loqueretur de viduis, quæ ſe diuino ob-
ſequio manciparent, admonet viduas iuniores admittendas non eſſe, quia
cùm luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, damnationem habentes,
quoniam priorem fidem irritam fecerunt, nubentes autem non poſſunt me-
reri damnationem, quoniam priorem fidem irritam fecerunt, niſi quoniam
vouerant, & fidem Deo dederant, ſeſe nulli amplius nupturas. Rationes quas
afferunt Lutherani, non eſt difficile ſoluere. Nam priorem rationem de man
dato Dei in Geneſi, niſi velint aſſerere contra dictum Apoſtoli Pauli, virgi-
D nitatem eſſe peccatum, & eſſe contra Dei præceptum, illis quoque nobiſcum
ſoluenda eſt ea ratio contra Iouinianum, dicendumque, præceptum illud
Adæ datum & Noë, tanquam parentibus humani generis, ac humano gene-
ri in illis exiſtenti: non tamen datum, ut quilibet homo id mandatum ſer-
uet; generatio enim eſt propter bonum ſpeciei, ut ſpecies ſcilicet perſeueret;
ſicuti agricultura, ut cibum habeamus, quo nutriri poſſimus: non tamen
propterea quilibet homo dare operam debet agriculturæ; ſic neque quilibet
homo dare debet operam liberis procreandis. Immò, cùm homo ciuile ſit
animal, nimiaque ciuium multitudo officiat bono ciuitatis, ut philoſophi
probant, multum confert bonæ & fœlici hominum vitæ nõnullorum homi
num cœlibatus. Quod poſtea dicũt, ſeruare caſtitatẽ eſſe impoſſibile: quoniã

pacto aſſerere poſſunt id eſſe impoſſibile, quod tam multa hominum, virorum & mulierum millia ſeruauere, & in monumentis patrum noſtrorum Chriſtianorum memoriæ proditum eſt? Plenæ fuere ingentes eremi Monachorum cœnobiis. Innumeræ virgines, quæ vitam cum morte commutarunt, ne vlla in parte ſemel animo conceptam virginitatem macularent. Nō tamen inficias eo, noſtris temporibus ad hunc vitæ ſtatum perfectorum hominum & virginum temerè ac paſſim paruo, aut nullo diſcrimine plures ſæpe admitti; quo fit, ut etiam eorum multi in maxima labentur ſcelera; cæterosque illius ordinis & ſtatus, probos alioqui homines infament. Quamobrem maiorem diligentiam adhiberi oportere, nec abbates cæterosque, qui monaſteriis præſunt, ita faciles eſſe, ut plerique eorum ſunt ad Monachos recipiendos. De Cœlibatu Sacerdotum, quæ ſecunda pars erat, nulli dubium, quin hoc ſit inſtitutum Eccleſiæ. Verùm hoc inſtitutum maximè puto conuenire Sacerdotis miniſterio, qui ſemper ferè addictus eſſe debet diuinis rebus; vt qui vxorem habet, diuiſus eſt, ut inquit Paulus. Non tamen probandum cenſeo hunc morem, qui iam inualuit in Eccleſiis multis, ut quiuis paſſim admittatur ad Eccleſiaſticos ordines, etiam primæ lanuginis adoleſcentes, & homines inopes, ignarique rerum omnium, & ſæpenumero viri praui, quamobrem abuſus hic etiam eſſet corrigendus. E F

Octauus Lutheranorum articulus eſt de Canone miſſæ, quem ſummopere improbant; eò quod ex eo uideamur nouum ſacrificium Deo offerre, ac propterea aperte contradicamus Pauli ſententiæ in Epiſtola ad Hebræos; vbi inquit, Chriſtum unico ablato ſacrificio ſanctificaſſe omnes ad ſe accedentes, neque reliquam nobis eſſe nouam hoſtiam pro peccatis offerendam: Immò ſi Chriſtus, inquit, inter nos eſſet Pontifex, non haberet amplius hoſtiam quam offerret. Hæc igitur Pauli expreſſa ſententia improbare uidetur Canonem miſſæ, quo uidemur Deo nouam hoſtiam offerre, nouumque ſacrificium de manibus Sacerdotis. improbant deinde vehementiſſima oratione hanc Miſſarum, quæ paſſim dicuntur, multitudinem & frequentiam, vnamque tantum ſufficere aſſerunt in tēplo uno dici ſingulis quibuſque diebus, præſentesque Euchariſtiam è manibus Sacerdotis ſumere debere dicūt, ſi non omnes, maiorem tamen eorum partem. Hæc Lutherani. Vtinam Chriſtiani homines qui Chriſtum ſequi, & in eum quàm maximè credere profitētur, charitatem ſeruarent ac humilitatem: quas Virtutes tanquam omnium præſtantiſſimas Chriſtus commendat, facile namque eſſet controuerſias omnes de medio tollere. Nunc uerò, cùm arrogantia & ſuperbia elati, verbis tantùm profitemur charitatem erga Deum & proximū, & animi humilitatē: dū vnuſquiſque ſapientior fuiſſe videri vult, ac non ſine cauſa proximum arguiſſe; fit ut pertinacia obcæcati, nihil potius nobis ſit quàm ſententiam noſtrā tueri, & aduerſarij refellere. Teneamus animi humilitatem, facileque erit noſtram hanc controuerſiam componere. Chriſtum dominum noſtrum ſeſe patri Deo hoſtiam & holocauſtum obtuliſſe pro peccatis omnium quotquot vnquam fuerūt & futuri ſunt, ac vnica ea hoſtia ſanctificari & perfectos redG H

di

A di quoſcunque, qui per fidem & charitatem adhæſerint, nullus Chriſtiano-
rum eſt qui dubitet. Nullus etiam ambigere poteſt, in Euchariſtia & Cali-
ce, quos offerimus, eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini
& panis, eum inquam ſanguinem idq́ue corpus, quod in cruce oblatum fuit.
His addatur id, quod Chriſtus dicit in Euangelio: Hoc facite in mei com-
memorationem: poſtquam dixerat: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis
tradetur: in holocauſtum ſcilicet & hoſtiam. Item Paulus Apoſtolus in E-
piſtola ad Corinthios inquit: Hoc quotieſcunque feceritis, mortem domini
annunciabitis donec ueniet. Ex his quiuis colligere poteſt, in Miſſa Deo pa-
tri ſacrificium & hoſtiam offerri, non nouam, ſed eam quæ oblata eſt. Nam
B id quod offertur, eſt Corpus Chriſti verum & ſanguis verus. idem numero
cum eo quod ipſe obtulit: eſt etiam idem ſacrificium, quia fit in memoriam
ipſius, & in annunciationem mortis domini: & eſt repetita memoria vnius
illius ſacrificij, quod ſemel à Chriſto oblatum eſt. Nouitas uerò eſt non ra-
tione ſacrificij, (Illud namque idem offertur,) ſed ratione modi. Nam tunc
oblatum eſt ſacrificium illud ſpecie hominis, in qua filius Dei apparuit; nunc
uerò offertur ſub ſpecie panis & vini. Eſt etiam nouitas, quia veteris ſacri-
ficij eſt noua memoria. Ea ergo quæ dicuntur in canone Miſſæ, ſunt uera,
quia offertur hoſtia Chriſtus, & ſacrificium quod Chriſtus obtulit: non ta-
men offertur noua hoſtia; ſed ea, quæ oblata fuit ſub ſpecie hominis, offer-
tur ſub ſpecie panis & vini: nouaq́ue fit memoria veteris rei. Quam obla-
C tionem præuidens ſpiritus ſanctus, ſacerdotium Chriſti dicit eſſe ſecundum
ordinem Melchiſedech: qui, cùm eſſet ſacerdos Dei altiſſimi, protulit pa-
nem & vinum; quia ſcilicet ſub huiuſmodi ſpeciebus Patri offerendum eſſet
uerum holocauſtum, Chriſtus inquam, in memoriam oblationis eius, qua
ſeipſum obtulit in ara crucis ſub ſpecie & forma hominis. Sic interpretan-
dus eſt canon Miſſæ, eaq́ue ſententia intelligendus, quæ ex uerbis in eo poſi-
tis, ſi rectè animaduertantur, manifeſtè elicitur. Non ergo offerimus no-
uam hoſtiam, neque nouum ſacrificium facimus; nulla enim eſt hoſtia Deo
accepta præter Chriſtum: ſed ſub ſpeciebus nouis eum offerimus in memo-
riam oblationis illius, qua ſe ipſe in cruce obtulit. Et hæc eſt oblatio mun-
da, de qua Malachias meminit, locutus in perſona Dei, Nomen meum ma-
D gnum eſt in gentibus, inquit, & vbique offertur mihi oblatio munda. Quod
autem Lutherani reprehendant hanc Miſſarum frequentiam, tanquam quæ
contemptum pariat, fortaſſe non omninò reijciendum eſt, quod dicunt: be-
neq́ue forſan religionis maieſtati conſuleretur, ſi non tam temerè ac paſſim
à ſacerdotibus præſertim ignaris aut malis, Miſſæ dicerentur; nec in priua-
tas ac prophanas ædes inducerentur. Hæc ſatis.

Nonus Lutheranorum articulus pertinet ad abſtinentiam inſtitutam ab
eſu carnium die Veneris & Sabbathi, item diebus quadrageſimæ, cæteriſq́ue
huiuſmodi, prout Chriſtiani omnes ſeruare ſolent; dicuntq́ue hæc inſtituta
praua eſſe, & multum officere libertati, qua, ut inquit Paulus, liberauit nos
Chriſtus, id eſt, in quam nos aſſeruit ab obſeruationibus & cæremonijs legis

Moſaicæ; inquiuntq́ue ſufficere fidem in Deum & Chriſtum; cui debeatur E
regnum cœlorum: huiuſmodi uerò dierum obſeruantias nihili exiſtimandas eſſe. Nam, ut item inquit Paulus, regnum cœlorum neque eſt cibus neque potus, ſed pax & gaudium in Spiritu Sancto, &c. Improbant etiam ritum Eccleſiæ, in qua Euchariſtia laicis hominibus datur ſub ſpecie panis tantùm, & non vini, multosq́ue ex Euangelio locos adducunt, ex quibus conantur colligere, præceptum Chriſti eſſe, vt vtraque ſpecies laicis detur. Huiuſmodi dicunt Lutherani in obſeruantias & ritus Eccleſiæ. His paucis reſpondebimus. Fatemur primùm horum quædam inſtituta & obſeruantias non eſſe diuini iuris, ſed à patribus noſtris & ab Eccleſia ſtatutas; contra quas Eccleſia etiam ſtatuere poſſet, ſi fore in rem communem hoc uideretur. Non tamen F
propterea ſequitur inſtituta hæc bona non eſſe & ſeruari non debere. Nam, cùm Paulus præcipiat omnem animam ſubiectam eſſe debere poteſtatibus ſublimioribus, (omnis enim, ut inquit, poteſtas à Deo eſt, & Qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit:) nulli dubium, quin ſit contra iuſtitiã & præcepta Pauli, hæc inobedientia: præſertim, cùm maximè ſint hominum naturæ accommodatæ huiuſmodi obſeruantiæ. Nulli etenim etiam gentilium philoſophorum fuit vnquam dubium, quin abſtinentia à carnibus & ieiuniũ mentem euehat ad ſuperna: è contra, crapula, delicatæq́ue menſæ animum grauent, ne quippiam ſublime ſapiat. Cur ergo improbandum eſt Eccleſiæ inſtitutum, quo præcipitur huiuſmodi abſtinentia, his qui ſine detrimento bonæ valetudinis ea vti poſſunt? quem morem vetuſtiſſimum; à tempori- G
bus Apoſtolorum, in Eccleſiam deductum ad noſtra vſque tempora cuiuſcunque nationis & ordinis Chriſtiani ſeruauerunt ac ſeruãt, quibus nihil eſt commune cum inſtitutis Romanæ Eccleſiæ. Græci hunc morẽ ſeruant, Maronitæ, Iacobitæ, Abiſſeni, Armeni, moribus, lingua, ac inſtitutis aliis inuicẽ longisſimè diuerſi. At, inquiunt, Chriſtus hæc facienda non præcepit. Si non ſcriptum eſt, præcepiſſe, non tamen propterea colligi poſſet quod non præceperit. Nam multa dixit & fecit Ieſus, quæ non ſunt in Euangelio ſcripta, ut teſtatur Ioannes Euangeliſta. Multa per ſpiritum ſanctum datum Apoſtolis, eos docuit, & palàm fecit, quæ antea non præceperat; inquit enim ipſe Apoſtolis: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Paracletus autem ſpiritus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit, &c. Ve- H
rùm, quãuis à Chriſto & ab Apoſtolis non fuerint hæc inſtituta, an propterea non ſunt ſeruanda patrum noſtrorum ſanctiſſimorum hominum antiquiſſima inſtituta? quæ ratione naturali nituntur? quibus Chriſtum imitamur, qui quadraginta diebus & noctibus ieiunauit? quæ prodeſſe tantùm, obeſſe uerò minimè queunt? Si etiam quippiam obeſſent, non tamen propter hæc rumpenda erat Chriſtiana charitas, & Eccleſiæ vnitas. Fatemur nos quoque cum Paulo Apoſtolo, regnum Dei non eſſe cibum aut potum, & Quod intrat per os, non coinquinare hominem, ut Iudaizantes dicebant, qui cibos quoſdam mundos, nonnullos immundos faciebant; quibus infici conſcientiam, mentemq́ue hominis prædicabant, qui eis veſceretur. Contra hos exclamat

A Apoſtolus, & Chriſtus in Euangelio, hancque diſcretionem ciborum improbant. Præterea fatemur, etiamſi huiuſmodi etiam apud nos inſtituta abſtinentiæ ſuperſtitioſè ſeruentur,ut nonnulli faciunt, & contra rationis regulam, qui de charitate erga Deum & proximum parum curant: ſi inuidi ſint, aut ſuperbi,nihil cogitant, dummodò in huiuſmodi obſeruantiis non delinquant:quas etiam ægritudine presſi minimè omitterent:ſuperſtitioſæ hæ obſeruationes addictæ exteriori cultui tantùm,de interiori uerò ne ſomniantes quidem,non proſunt Chriſtiano viro.Non tamen propterea cenſendum eſt. huiuſmodi obſeruantias eſſe omninò reiiciendas, cùm ſint maximè vtiles,& magnoperè faciant ad interiorem cultum excitandum & augendum: neque
B deſciſcendum eſt ab ea obedientia, quam debemus Eccleſiæ eiusque præpoſitis,ac ſummo Pontifici. De Euchariſtia quod addunt, debere ſcilicet tribui laïcis ſub vtraque ſpecie:nimirum,cùm ipſi fateantur Lutherani uerum corpus & ſanguinem Chriſti per concomitantiam eſſe ſub ſpecie panis tantùm, ſicuti ſub ſpecie vini verum ſanguinem, & verum corpus per concomitantiam: mirum eſt, cur improbent inſtitutum hoc Eccleſiæ, quæ ob euitanda innumera ſcandala,& plurima quæ fœditatem adſerebant huic Sacramentò, cum præbebatur laïcis ſub vtraque ſpecie, ſtatuerit ſub ſpecie tantum panis laïcis præberi, cùm nulli dubium ſit, quod & ſanguis & corpus Chriſti aſſumitur ſub una tantùm panis ſpecie: & in actibus Apoſtolorum fiat mentio tantùm de pane,ubi dicitur de Apoſtolis,quod perſeuerãtes erant in fractio-
C ne panis:ſub ſpecie namque panis & corpus Chriſti comeditur & ſanguis bibitur,& cuilibet ſatis compertum eſſe poteſt. Quæ addunt de poteſtate Pontificis & Epiſcoporum, nulli dubium, ſi ratione nitamur, & ſacræ ſcripturæ auctoritate,quin in Eccleſia Catholica debeant eſſe præſides, qui poteſtatem habeant in ſpiritualibus iudicandi,& coërcendi; puniendi denique,ſi qui deliquerint: qua vti debent ad ædificationem Eccleſiæ, non ad deſtructionem, ut inquit B.Paulus. Niſi enim in ſpiritualibus in Eccleſia eſſent præſides,qui & docerent populum Chriſtianum, & coërcere poſſent eos, qui ſecus feciſſent, aut dicerent, nimirum Eccleſia Chriſtianorum paſtoribus careret, peiusque haberet quàm ſocietas ciuilis, quæ rectores habet & paſtores. Aliter enim humanum genus,non hominum more,ſed more ferarum degeret.Ea-
D que libertas, quam prædicant, maxima efficeretur ſeruitus. Quod Plato adnotauit in libris de legibus. In ea,inquit,ciuitate,in qua libertas hæc eſſet, vt vnuſquiſque id ageret,& eo,quo vellet,viueret modo,maximam ſeruitutem efficeret, cùm probis viris contra improbos nullum eſſet publicum auxiliũ. Abſit ergo, ut hæc perturbatio ſit in Chriſtiana Eccleſia, quam optimè omnium inſtitutam eſſe oportet, ita vt hierarchiam quandam præſeferat, quod Dionyſius in libris de Eccleſiaſtica hierarchia pulcherrimè oſtendit. Hoc idem inquit B.Paulus: Vultis in virga veniam ad vos,an in lenitate? Tradere etiam Sathanæ eum qui peccauerat, poteſtatis fuit. Sic in actibus Apoſtolorum Petrus Saphyram & Ananiam mulctatus eſt, eò quòd uoluiſſent fraudẽ facere Spiritui ſancto. Innumera adduci poſſent ex ſacris literis,& ex ſanctiſ-

ſimis

ſimis patrum noſtrorum monimentis, quæ quia expoſita ſunt & obuia omnibus, ſilentio prætereo. Sic etiam nulli Chriſtiano, qui nouit ex ſymbolo Eccleſiam unam eſſe, ſicut una eſt fides, vnumque baptiſma, vna vocatio. Denique ſicuti eſt unum Chriſtianorum corpus, cuius nos membra ſumus, ita etiam eſſe in Eccleſia unum Pontificem, à quo hæc vnitas contineatur in terris. Nam multitudo principatus mala, & quæ vnitati valdè officiat. Nec ſatis eſt vnicum eſſe Chriſtum Eccleſiæ caput, quandoquidem ita diuinitùs eſt hominum genus inſtitutum, ut præter diuinum ſpiritalem afflatum, egeat etiã ſenſibili quodam diſpenſatore, qui ſit homo, à quo dirigatur in viam rectam: quod partim adſcribendum eſt imperfectioni humani generis, quod à ſenſibilibus pendeat, partem etiam eius dignitati: nam hoc pacto quodammodo pro ſuæ naturæ imbecillitate ipſe ſibi auctor eſt fœlicitatis, cùm per hominẽ diſpenſatorem myſteriorum Dei & rectorem, humanum genus ad fœlicitatem dirigatur. Proprium namque rationalis naturæ eſt, ut ex ſe agat, quod pro diuina bonitate naturæ humanæ inditum, voluit etiam Deus, quantum fieri poterat, ſeruari etiam in hac ſuprema fœlicitate adipiſcenda. Vnius ergo Eccleſiæ unum caput, vnusque rector. De eius uerò poteſtate quia multi multa dicunt, ac nonnulla, quæ longiori oratione indigerent, quàm ſuſcepti huius opuſculi breuitas patitur; iccircò nihil amplius dicam de hac re. Illud uerò quod primo, medio, ac poſtremo tandem loco dicunt Lutherani de abuſu multimodo & ingenti, qui inductus eſt in Eccleſiam Chriſti, qua de re tantopere exclamant, tot grauamina protulerunt, non eſt quod aliud dicam, niſi ut precer primùm Deum optimum maximum patrem Domini noſtri, eiusque vnigenitum filium, qui ſemper interpellat pro nobis, & Sanctum Spiritum quo vncti ſumus Chriſtiani omnes per gratiam Dei & Sacramentum Baptiſmatis, vt velit reſpicere labantem Eccleſiam ac certè periclitantem, moueatque animum prælatorum Eccleſiæ, ut tandem pauliſper amore hoc ſui omnium pernicioſiſſimo depoſito, ea quæ manifeſta ſunt, corrigant, ſeque ipſi caſtigent. Hæc ego ſentio. In omnibus tamen quæ ſcripſi, ſi quippiam minus rectè dictum eſſet, me ſemper, cùm admonitus fuero, profiteor auctoritati Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, immò etiam cuiuſuis alterius cum illa ſentientis, pariturum, ac ſine mora obtemperaturum.

DE

DE POTESTATE PONTIFICIS, QVOD DIVINITVS SIT TRADITA,

Ad Nicolaum Theupolum.

CVM hoc veſperi tecum in eum ſermonem incidiſſem, an
auctoritas illa, & poteſtas, qua Pontifex Maximus fungi-
tur, ſit ei conſenſu quodam hominis tributa, an potius
diuinitus ei tradita, qua de re noſtris hiſce tempori-
bus maximos tumultus excitatos eſſe perſpicimus; ne-
que etiam veriti ſint quidam aſſerere, hoc ius Pontifi-
cis humanum eſſe, dixi confeſtim me ab horum hominum ſententia ma-
xime diſſentire, ac compertum habere diuinitus conceſſum eſſe Pontifici ius
C illud, eamque poteſtatem, qua regit, ac moderatur Chriſtianum gregem. in
qua ſententia cum te quoque eſſe conſtantiſſime aſſeuerares, neque commo
dè tamen poſſes per tuas occupationes familiares, quibus adeo te impliciti-
tum eſſe noui, vt vix habeas liberam ſpirandi facultatem, nunc memoria re-
petere rationes illas, quibus iampridem inductus in hanc ſententiam deue-
niſſes: rogaſti me hominem minus occupatum, ut breui commentariolo eas
colligerem rationes, quibus mihi perſuaſum eſt à Deo Optimo poteſta-
tem hanc datam eſſe Romano Pontifici, neque à conſenſu hominum vl-
lorum pendere. Reſpondi paratum me eſſe morem tibi gerere in qua-
cunque re opera mea vti velles, poſſeque te amicitiæ noſtræ iure mihi
quod volueris munus iniungere, neque diffiteri me minus occupatum,
D quàm te eſſe, longe tamen magis inertem. Quamobrem ea me tibi con-
ditione hanc operam præſtiturum, ut mihi neceſſe non ſit vllum auctorem
videre, verum ea tantum colligere, quæ memoria repetere poſſum, neque
ab aliorum pendere commentis, ſed ea tantum in medium afferre, quæ
mihi uideantur. tuum uerò fore, ut omnia acerrimo illo ingenio tuo diſcu-
tias, ac diiudices, quæ recte, item, quæ perperam dicta tibi uidebuntur. nam
cum doctiſſimus ſis, pariterque mihi amiciſſimus, nimirum neque te ali-
quid præteribit, quod minus recte prolatum ſit; atque pro amicitiæ noſtræ
iure illud ipſum quidquid erit mihi ingenue ſignificabis. verùm ne te am-
plius morer, deueniam ad diſcutiendam quæſtionem propoſitam. Dico ex

Euan-

Euangelii dictis perſpicue colligi à Chriſto Dei filio tributam fuiſſe Petro, E
eiusque ſucceſſoribus hanc poteſtatem: ex epiſtolis Pauli colligi etiam po-
teſtatem hanc eandem diuinitus ei datam fuiſſe. item aſſero ratione euiden-
tisſima hoc idem probari, adeò ut ſi quis negare non audeat diuinam proui-
dentiam gubernationi Eccleſiæ non defuiſſe, neç deeſſe, à ratione noſtra diſ-
ſentire non ualeat. Docebò poſtremo, ſed paucis, rerum euentu comproba-
ri clarisſime id, quod auctoritates ſacræ paginæ, & ratio aſtruunt. Poteſtas
omnis, quam non tantum Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, verum etiam
Epiſcopi, ſacerdotesque omnes habent, non ea, inquam, qua Sacramenta con
ficiant, ſed qua vtantur in populo Chriſtiano ad beatitudinem perducendo,
& in Chriſtiana vita erudiendo, cui veluti Architectonicæ, & Principi ciui- F
lis quæcunque poteſtas inſeruit, cum inferiores quoſdam fines habeat, qui
omnes ad ſupremum illum referri debent, colligitur, quantùm memoria re-
petere poſſum, ex his Euangelij locis. Apud Ioan. c. 20. poſtquam Chriſtus
à mortuis ſurrexiſſet, diſcipulisq; apparuiſſet, inſufflauit in eos, & dixit: Acci-
pite Spiritum Sanctum: quorumcunque remiſeritis peccata, remiſſa ſunt: &
quorumcunque retinueritis peccata, retenta ſunt. item apud Matth. c. 18. in-
quit: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, ligata ſunt; &c. Item apud Matth.
cap. 16. poſt Petri cõfesſionem, quòd Chriſtus ſit filius Dei, inquit Chriſtus,
quia tu es Petrus, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiã meam, & portæ in-
feri non præualebunt aduerſus eam. tibique dabo claues Regni cœlorum, &
quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum. & in cœlis: & quodcunque G
ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. item alibi dicitur in Euange-
lio apud Lucam c. 22. Petre Sathanas expetiuit, ut cribraret uos, ego autem
prò te oraui, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fra
tres tuos. itẽ alibi in Euãgelio Ioan. c. 21. dicitur: Petre amas me? cui Petrus,
Domine, tu ſcis, quia amo te. & rurſus Chriſtus: Paſce oues meas. iterumque
interrogat: Petre àmas me plus his? cui Petrus: Domine tu ſcis, quia amo te.
Paſce, inquit, agnos meos. ſicque tertio Petro iniunxit, ut paſceret oues ſuas.
Ex his Euangelij locis, ut reor, quadruplex quædam poteſtas perſpicuo col-
ligitur tributa à Chriſto, diſcipulis omnibus una plene. item altera nõ tamen
omnino neque plene. Petro uero ſoli poſterior hæc, quam diximus aliis etiã
tributam, ſed non plene, plenisſime, ut ita dixerim, tributa eſt. itemque duæ H
aliæ. Omnibus tributa eſt poteſtas remittendi peccata per inſufflationem, &
largitionem Spiritus Sancti. hac poteſtate quilibet ſacerdos in confesſionis
Sacramento vtitur, ſoluitque à peccatis confitentem curæ ipſius ſubiectum.
hæcque poteſtas ſequitur ordinem, & characterem ſacerdotalis ordinis, & à
Spiritu Sancto dependet; ſicuti etiam operatio baptiſmatis, confirmationis,
aliorumque huiuſmodi Sacramentorum, quorum miniſtri ſunt ſacerdotes.
Diuina uerò uirtus agens eſt. ſicuti enim ſolus Chriſtus baptizat, ita ſolus
Chriſtus, qui & Deus eſt, ſolus peccata dimittit, & gratiam confert. hoc cer-
tisſimis argumentis, & Sacræ paginæ locis comprobatur à Theologis Chri-
ſtianis.

A ſtianis. quæ te non latere probè intelligo. ſed præter alia hoc, quod adduximus ex Euangelio Ioan.c.20.euidenter id adſtruit.inquit enim Chriſtus: Accipite Spiritum ſanctum, quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis. quaſi expreſſe dixerit. Poteſtas hæc remittendi peccata ex Spiritu ſancto eſt,quem vobis trado. licet ergo collatio ordinis fiat à Pontifice, ſeu ab Epiſcopo, poteſtas ea tamen ſequitur characterem, & participationem Spiritus ſancti,nō autem eſt participatio quædam poteſtatis, quam primò, & perfecte habeant Pontifex, Epiſcopus've; ſicuti quamuis baptiſmus conferatur à ſacerdote, non eſt tamen participatio aliqua ſanctitatis ſacerdotis, ſed à Deo tantum eſt. hæc prima poteſtas omnibus data, & nulli præ alijs; nullibi B namque in vniuerſa ſacra pagina comperies alicui præcipuè, ac præ aliis tributam fuiſſe hanc poteſtatem. Altera poteſtas omnibus item Epiſcopis tributa eſt, ſed præcipue, ac præ alijs Petro. Poteſtas, eſt ligandi, ac ſoluendi, quam reor ego non eſſe priorem illam, de qua fecimus mentionem,qua ſcilicet remittuntur peccata, ſed eſſe poteſtatem infligendi Eccleſiaſticas mulctas, & ab eis ſoluendi (an vero etiam comprehendatur ſub hac poteſtate ſolutio à purgatorij ignis pœnis,nolo nt in præſentia diſcutiamus; ea namque, quæ pertinent ad vitam aliam, omnia mihi nunc omittenda eſſe duxi) opus eſt proculdubio,vt quicunque gubernationi aliquorum præeſt, aliquam poteſtatem habeat coercendi contumaces, tum vt facilius metu pœnæ corrigantur,tum ne eorum ægritudo,ſi libere,& impune vagari poſſent,alios,gre-C gemque totum inficiat, iccircò vocis illius diuinæ oraculo data hæc poteſtas præcipuè, & cum prærogatiua quadam ſoli Petro, deinde diſcipulis omnibus. hac ego ratione præcipue adducor, vt credam poteſtatem hanc ligandi, & ſoluendi non præcipuè pertinere ad peccatorū abſolutionem, ſed ad mulctas, quas infligit Pontifex contumacibus, & peccantibus. vt alias omittam. quoniam, ſicuti prior illa poteſtas primum reſpicit peccatorum remiſsionem, per accidens uerò, & oblique retentionem; ita econtra poteſtas hæc coercendi primum reſpicit pœnarum inflictionem,deinde ſolutionem.item prior illa ſequitur characterem ordinis,& à Spiritu ſancto eſt per ſacerdotem miniſtrum, ita hæc poſterior iuriſdictionis cuiuſdam eſt, non ordinis, aut D characteris. ideo in danda priori illa inquit Chriſtus, Accipite Spiritum ſanctum.ſubdit deinde,quorumcunque remiſeritis peccata,remiſſa ſunt eis.addit poſtremo, quorum retinueritis, retenta ſunt. in hac uero poſteriori non facta mentione de datione Spiritus ſancti,confeſtim,& primum tradit poteſtatem ligandi, cui ſubdit poteſtatem ſoluendi. idem & illuſtrius oſtenditur ex eo Matthæi loco,in Euangelio ca.18. vbi omnibus diſcipulis inquit,quæcunque ligaueritis in terris, erunt ligata in cœlis; & quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta. nam poſteaquam præcepit fratrem corrigendum eſſe ſi peccauerit primum ſolum,deinde adhibitis teſtibus:poſtremo dicit,quòd ſi in peccato perſeuerauerit, ſit tibi ſicuti Ethnicus,& Publicanus; hoc uero nihil eſt aliud quàm eum ablegare à cœtu fidelium, ſicuti Ethnici, id eſt, Gentiles ſeparati ſunt,quod vim obtinet excōmunicationis;confeſtim ſubdit, amen di-

co vobis. quæcunq; ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis,& quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta; ac ſi diceret: erunt vere hi ſicuti Ethnici, nã vobis hanc poteſtatem trado ligandi, & ſoluendi, idque, quod agetis, ratum habebo. ecce quàm luculenter apparet ex hoc loco poteſtatem hanc pertinere ad pœnas Eccleſiaſticas infligendas. hæc ergo poteſtas quamuis diſcipulis omnibus tributa ſit,nihilominus,ſi quis non cõniuentibus oculis legerit Euãgelium,luce clarius perſpiciet præcipue, ac præ omnibus aliis tributam fuiſſe Petro:per quem,ſcilicet,ad alios deuentura eſſet. nam,ſi nihil magis auctoritatis in hac ligandi, & ſoluendi poteſtate uoluiſſet Chriſtus Dei filius,à quo nihil temere, nihil inconſiderate actum vnquam fuit, (quo namque pacto à diuina ſapientia quippiam temere?) Petro concedere, quàm aliis omnibus, cur ergo magna ea verborum mole vſus ad Petrum inquit: Simon Bariona, amẽ dico tibi,quoniam caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſcilicet, quòd ſim Dei filius,ſed pater meus,qui eſt in cœlis: & quoniam tu es Petrus ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam,& portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam,ſed tibi dabo claues Regni cœlorum,ut quodcunque ligaueris ſuper terram,ſit ligatum & in cœlis,& quodcunque ſolueris,ſit ſolutum.videat vnuſquiſque tam magnã præfationem,conſideret datas claues Petro ſoli,aliis nequaquam.Poteſtas uerò clauiũ,ut omnes Theologi dicunt in quarto ſententiarum,eſt poteſtas iudicandi. & hæc eſt una clauis. altera poteſtas ligandi,& ſoluendi.cum ergo hæ ſint claues,nullaq; mentio eas aliis datas fuiſſe,ſed ſoli Petro:quis ſanæ mentis negare audeat in hac ligandi, & ſoluendi poteſtate principem eſſe Petrum, cui plenè & perfectè ſit data,aliis uero per participationem quandam huiuſce poteſtatis, quæ tota eſt in Petro, ac ideo poſterius datam.Hoc uero magis comprobatur ex his,quæ infra dicturi ſumus.Duæ aliæ ſunt poteſtates; de quibus non ſit mentio in Euãgelijs, quòd datæ ſint alij vlli præterquam Petro. prior eſt paſcendi Chriſtianum gregem;altera diſcutiendi,& confirmandi dogmata ea,quæ pertinent ad Chriſtianã fidem. Quantum ad priorẽ, ſoli Petro dictũ eſt à Chriſto non ſemel, ſed ter, qui numerus maxime perfectionẽ oſtendit,magnaq; continet Sacramenta,quẽadmodum etiã philoſophi teſtantur,ut præteream tot,& tam magnos Chriſtianos auctores. obteſtatur ergo Chriſtus Petrum per eum amorẽ,quo præ aliis omnibus ab illo amabatur,ut paſceret oues ſuas,ut paſceret agnos ſuos.Poteſtas hæc paſcendi oues domini nulli data præterquam Petro. volue totum Euangeliorũ codicem, neq; uerbum comperies. ſed fortaſſe quiſpiã ridebit, huiuſmodiq; poteſtatẽ nihil eſſe exiſtimabit,ideo erit operæpretium,ſi paululum in hac re morabimur,& perſcrutabimur,quæ nam,& qualis ſit hæc poteſtas. Poteſtatẽ dedit Chriſtus paſcendi oues ſuas,igitur abſq; dubio Petrus cõſtitutus eſt paſtor Chriſtiani gregis.nam quiſnam alius officium habet oues paſcendi præterquam paſtor?proportio igitur Petri,eiuſq; ſucceſſorum ad populum Chriſtianum, eſt proportio paſtoris ad oues. Non reor poſſe quempiam in hac re ambigere, adeo perſpicua eſt. ex hoc duo ſequuntur, prius, quòd Petrus ſit Chriſti vicarius, ſeu Chriſti vicem gerat in terris:alterum,quòd,quemadmodum

A dum omnia,quæ pertinent ad ſanitatē, ad curationē, ad directionem ouium, ſeu intra ſepta detinendæ eſſe uideantur, ſeu ducendæ ad paſcua,ſiue flumine perfundendæ,uel curandæ, necnon acie ferri vlcus quarundā reſcindendum ſit, ſeu potius à grege reliquo relegandæ nonnullæ fuerint, paſtoris muneris ſunt:ita etiā quæcunq; pertinēt ad inſtiutionē Chriſtiani gregis in uita Chriſtiana,quæcunq; ad gubernationem,ad curationem, cæteraq; huiuſmodi ſpectant ad Petrum,& ſucceſſores Petri. ex quo elicitur,quòd etiā poteſtas ligandi, & ſoluendi præcipue, & præ aliis data ſit Petro. quòd prius ſequatur vicarium,ſcilicet Chriſti eſſe Petrum,cōpertum omnibus eſſe poteſt,qui locū illum annotauerint Euangelij Io.c.10.vbi inquit Chriſtus,ego ſum Paſtor bo-

B nus,& cognoſco oues meas:aliasq; oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili. ſi Chriſtus Paſtor ſuarum ouium, conſtituerit Petrum item paſtorem ouium non Petri,ſed ſuarum;non enim inquit,Paſce oues tuas,ſed paſce oues meas, item paſce agnos meos: cui non exploratum fuerit Chriſtum paſtorem eſſe, & dominum ouium,Petrum paſtorem tantum non dominum,à domino tamen cōſtitutū. vicem ergo gerit Petrus Chriſti domini ouium. alterū quoq; abſq; dubio euidenter ſequitur. nā cuicunq; aliquod munus iniunctū fuerit, vtiq; omnia etiā, quæ pertinent ad id munus,iniuncta illi fuiſſe uideri debēt. ſi ergo munus paſtoris datum eſt Petro, quæcunq; pertinent ad paſtorē, omniſq; poteſtas illa tradita ſunt Petro.quamobrem cum coercere,mulctasque imponere præcipue ſpectet ad eum,cui cōmiſſa eſt gubernatio,præ aliis ergo

C data eſt Petro ligandi & ſoluendi poteſtas; cui rationi adſtipulatur locus ille Euāgelij,de quo à nobis ſuperius eſt facta mentio, & per Petrum aliis Epiſcopis participatione quadā,ſicuti & ouium regimen;ſeſe etenim conſequuntur regimen,& poteſtas coercendi,puniendi've eos,qui cōtumaces fuerunt.Præter has poteſtates,alia item poteſtas data eſt Petro tantum declarandi,ſcilicet & diſcutiendi ea, quæ pertinent ad fidei Chriſtianæ dogmata, eiuſq; ſententiæ parere cæteri debent. Nolo nunc adducere in hac parte innumeras ſanctorū auctoritates. ſatis nobis ſint Chriſti verba. inquit ipſe apud Luc. c.22. Sathanas expetiuit, ut cribraret uos, ſi aliqua uidelicet poſſet ratione vos dimouere à uera fide,ego uerò oraui pro te Petre,ut non deficiat fides tua. nititur ergo fides Petri Chriſti orationi : quæ inefficax nulla ratione eſſe poteſt.

D ſubdit deinde,Et tu cōuerſus cōfirma fratres tuos. ecce quòd cura cōfirmandi alios,non oues, non puſillos,ſed fratres ſuos, tradita eſt Dei oraculo tantū Petro non aliis. luce meridiana illuſtrius oſtenſum puto ex diuinæ ſapientiæ vocibus ius hoc Romani Pōtificis nullo hominum conſenſu,ſed diuinitus ei tributū eſſe. de induſtria præteriui locum illum in Euāgelio Matth.c.18. qui à pleriſq; notatur,ad aſtruendā noſtrā hanc ſententiā,ubi,ſcilicet, Petrus dominū rogauit,quotieſ dimittendū eſſet à ſe peccatū fratri, an vſq; ad ſepties? quoniā mihi uidetur potius eò ſpectare ille locus, ut ſemper ſit danda venia peccanti in ſe fratri,ſemperq; acceptas iniurias obliuiſcēdas,quàm ad vllā poteſtatē Petro cōceſſam.Hac itē poteſtatē conceſſam fuiſſe diuinitus Paulo, ex pleriſq; locis Epiſtolarum eius colligi certiſſime poteſt:& primo ex Epiſtola

DD ij prima

primaad Cor.c.5. Nam tradere hominem Sathanæ ad interitũ carnis, ut lu- E
crifaceret ſpiritum,poteſtatis fuit.venire etiã in virga,vt ex eadẽ epiſtola c.4.
eſt poteſtatis.item in epiſtola 2.ad Cor.c.10.inquit,iuxta poteſtatẽ,quæ data
eſt mihi in ædificationẽ. Epiſcopos inſtituere,ut inſtituit Paulus Timotheũ,
& Titum,& per eos item alios, poteſtatis fuit. hos locos notaſſe tantũ, & in-
nuiſſe ſit ſatis.tute per te alios quoque in memoriam tibi rediges.vereor ego
ne noſter hic libellus modum excedat.iam ſatis auctoritatibus probatum eſt
diuinitus, non hominum conſenſu Pontifici Romano Petri ſucceſſori hanc
fuiſſe aoctoritatem attribotam:nunc paucis explicemus,an idem etiam ratio
nobis perſuadeat. Multitudinẽ omnem,quæ una ſit,nequaquam poſſe vnam
eſſe perſeuerare, niſi contineatur ab uno, & philoſophi omnes prodidere, & F
tantum nõ voce ipſius rerum naturæ docemur.nam ſuapte natura multitudo
omnis in plura dilabitur;aliunde uero una eſt,& una eſſe perſeuerat.id uerò à
quo eſt una,& in unione cõtinetur neceſſe eſt,ut ſit unũ,alioqui ipſum quoq;
aliena opera indigebit, ut unum ſit. vnde illud Homericum ab Ariſtotele, ut
notisſimum prolatũ in duodecimo lib.primæ Philoſophiæ, Multitudo prin-
cipatus mala, vtpote, quæ inepta ſit ad continendam vnitatem multitudinis
ſubditorum hominũ. com ergo Eccleſia Chriſtiana una ſit, (ſicuti enim vna
fides eſt,vnum baptiſma,una uocatio;ita una Eccleſia, quin potius omnes v-
nũ corpus ſumus, inuicemq́; membra,ut perhibet Apoſtolus Paulus, ſed cur
amplius moror? in ſymbolo ab omnibus Chriſtianis prædicatur ſe credere
vnam eſſe ſanctam catholicam,& Apoſtolicam Eccleſiam.)indiget ergo uno G
principe, à quo cõtineatur. ſi ſecus ſit cõfeſtim diſſipati unitatem neceſſe fue
rit;uni ergo eius gubernationem demandatam fuiſſe oportuit.nec vllo pacto
ſatis eſſe poteſt id,quod Lutherani dicunt,ut hanc rationem uitent,Chriſtum
uoum eſſe, à qoo cõtineatur Eccleſia. nam & ſi Eccleſia primo contineatur à
Chriſto Deo optimo,quemadmodũ etiam uniuerſa rerum natura, eſt tamen
à ſumma illa bonitate inſtitutũ,ut cuiq; rei pro eius natura prouideatur.cum
ergo hominum genus à ſenſu maxime pendeat, à ſenſibusq́; hauriat & diſci-
plinam,& inſtitutionẽ omnem,indiget ergo homine,quem ſentiat,guberna-
tore,& principe. quin quòd maius uideri poteſt, Sacramenta, quibus gratia
nobis diuina confertur,in rebus ſenſibilibus conſtituta ſont; ſic enim natura
humana eſt à Deo facta. vni ergo homini hauc gubernationem demandari H
oportuit,quòd partim pertinet,ut dixi,ad hominis imperfectionẽ, qui à ſen-
ſu pẽdet,partim etiam ad eius perfectionem, & præſtantiã. nã hoc pacto ipſe
ſibi quodãmodo felicitatis ſuæ eſt auctor,pro naturæ ſuæ imbecillitate. vnus
ergo homo vni Eccleſiæ præerit,ut ratio à natura nobis indita vnicuiq; facile
ſuadet. is uero hanc poteſtatẽ habere non poteſt à quouis hominum conſen-
ſu,ſeu cœtu,ſed diuinitus habeat,neceſſe eſt. nam conſtituere vicarium Do-
mini,qui prope fungatur munere domini, nõ pertinet ad quempiã aliũ, niſi
ad dominum.Eccleſia uero Chriſtũ habet dominũ, tum quia Deus eſt,cuius
ſunt omnia, tũ quia empti ſumus magno pretio, eius,ſcilicet,ſanguine, ut ait
Apoſtol.1.Cor.3.ad ipſum ergo pertinet inſtituere vicarium ſibi,ad nos mi-

nime

A nime. niſi ergo uelimus fateri defuiſſe, deeſſe've diuinã prouidentiã gubernationi, ac unitati Eccleſiæ, cuius ratio perſuaſerit diuinitus Põtifici Petri ſucceſſori hanc poteſtatẽ collatã fuiſſe. quo fit, ut ſi nullus eſſet ſacræ paginæ locus, ex quo id aſtruere poſſemus, piũ tamen eſſet credere diuinitus datã fuiſſe Petro hanc poteſtatem; ſicq; per manus, non per præſcriptionẽ ad nos deueniſſe. ſed cũ tam euidentia ſint Chriſti oracula, quæ ſupra tetigimus, quis amplius in dubiũ verterit rem tam claram, & omnibus obuiam? At dixerit quiſpiam fortaſſe rerũ euentus, quæ res tertio loco à nobis propoſita fuerat, huic ſententiæ nõ adſtipulatur: quin potius nihil magis. nã confeſtim poſt Chriſti aſcenſionem, cum adhuc Petrus Hieroſolymis eſſet, cuius Vrbis Epiſcopus
B erat Iacobus, inquit Paulus in epiſtola ad Galat. cap. 2. qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circuncifionis, operatus eſt mihi inter gentes. Iacobus erat Hieroſolymitanæ vrbis Epiſcopus, Petrus tamen erat à Deo Apoſtolus circuncifionis, id eſt, Iudæorum, quibus tunc præerat, nõdum enim Romam uenerat: ecce à Deo traditam Petro poteſtatem quandam, qua Epiſcopum ſuperabat. non'ne illis temporibus, tum Petrus, tum Paulus Epiſcopos inſtituebant. de Paulo diximus. Petrus non'ne Proſdocimum creauit Epiſcopum Patauinum, cum Romam ueniſſet. dicerem etiam alios, ſi per inertiam meã poſſem libros euoluere, in quibus eorum temporum hiſtoria continetur. vterq; poſtea Romã uenit, ibiq; ſub Nerone Imperatore in vrbe vniuerſi orbis principe martyrio coronati ſunt. quibus ſuffectus Linus, deinde Clemens, cæte-
C rique ſanctiſsimi viri, à quibus plurimos Epiſcopos creatos fuiſſe cõperies, ſi eorum vitas perlegeris. itaq; ſemper à probis omnibus Chriſtianis Romanæ ſedi, ſedi, inquam Petri, ſumma veneratio, ſumma auctoritas eſt delata. Iactata fuit magnis procellis cũ Imperatorũ Conſtantinopolis arrogantia, interdũ eiuſq; vrbis Antiſtitum, tum Gothis, ac Longobardis res Italiæ, ac præſertim Romanæ vrbis turbantibus, qui etiam Arianam hæreſim ſectati ſunt, tamen ſemper eminuit, ac priſtinã dignitatẽ paulopoſt recuperauit. nec obſtat his, quæ diximus, quòd Cõſtantinopolis Imperatores Pontifices Romanos cõfirmabant, quaſi ab Imperatoribus poteſtatẽ haberent, nõ à Deo. nã nullus ſanæ mentis putauerit poteſtatẽ Põtificis, qua gerit vicem Chriſti, ab Imperatore pendere. ſed quoniã Põtifices ab Imperatoribus habuerant urbis Romæ Im-
D perium, quo res Italiæ maxime nitebantur, ideo præter clerum Romanum, & populum, requirebatur etiam Imperatoris ſuffragium ad Põtificem eligẽdum, eius tamen auctoritas, quatenus Pontifex eſt, non princeps Romanus, à Deo eſt non ab homine aliquo. Cũ ergo hiſtoria, ratio, & euidentiſsima Chriſti oracula nobis oſtendant à Chriſto Dei filio datam eſſe Romano Pontifici auctoritatem, & poteſtatem hanc, qua uicem Chriſti gerit, nullus niſi pertinax, & qui partes, quas temere ſuſcepit, tueri uelit, inficias iuerit, Chriſtianĩ hominis eſſe fateri, & credere Pontificis poteſtatem non ab hominum conſenſu pendere, ſed diuinitus prodiiſſe. longius quàm putaram proceſſit Commentariolus hic, quem unico ſpiritu conſcripſi. tuum erit corrigere, ac ſummam manum ei imponere. Mihi ſatis ſit hucuſque laboraſſe. Vale.

DE IVSTIFICATIONE.

Hic tractatus ante Concilium Tridentinum editus fuit, nunc verò poſt commemoratum Concilium expurgatus prodit.

F

QVONIAM in omni diſputatione primùm oportet diſqui-
rere,ac planè percipere,quidnam ſignificant vocabula,qui-
bus utimur in diſputatione, præſertim cùm eorum multi-
plicitas & æquiuocatio facile posſit confundere, ac inuer-
tere totius rei ſignificationem: iccircò primùm explicabi-
mus quidnam ſignificet iuſtificatio, deinde quid ſignificet
fides, quoniam tota huiuſce cauſæ diſputatio pendet ex illuſtratione horum
nominum. Iuſtificari igitur nihil aliud eſt,quàm iuſtum fieri,ac propterea e-
tiam haberi iuſtum.Iuſtitia autem multis modis ſumitur. Nam & particula-
ris quædam uirtus,quæ dirigit operationes ac actiones noſtras ad alios quoſ-
cunque,qua tribuitur vnicuique quod ſuum eſt,iuſtitia appellatur; cuius ob- G
iectum eſt iuſtum & æquum.Item iuſtitia eſt uniuerſalis quædam uirtus,quæ
dirigit actiones uniuſcuiuſque ad bonum cõmune,quod præcipuè cõtinetur
in legibus ſeruandis,quamobrem appellata eſt etiam iuſtitia legalis.De vtra-
que iuſtitia amplè & diffuſè Ariſtoteles tractat in quinto Ethicorum.Verùm
nos hîc non loquimur de duabus his iuſtitijs,cùm dicimus hominem iuſtifi-
cari, amplius quiddã dicimus & anguſtius. Præter hos duos iuſtitiæ modos,
eſt quoq; aliud iuſtitiæ genus, de qua amplisſimè tractat Plato in decẽ libris,
quos inſcripſit de iuſto,qui etiam Politia Platonis dici ſolent.Ariſtoteles ue-
rò tangit tantùm hoc iuſtitiæ genus in quinto Ethicorum, quam appellat iu-
ſtitiam metaphoricè dictam. Hæc iuſtitia conſtituta eſt in animi noſtri uiri-
bus, quæ quamuis ſint eiuſdem animi, ac propterea in eis nequeat eſſe iuſti- H
tia propriè dicta,quæ eſt virtus ad alterum: quoniam tamen aliæ inter ſe ſunt
hæ animi uires, & unicuique earum debetur certus quidam modus ad alias
ſui compares vires,qui ſi peruertatur,iam non tribuitur unicuique animi par
tium quod ſuum eſt; ac ideò iuſtitiæ inuicẽ ſe habent,tunc iuſtitia in eis erit,
cùm vnaquæque perſtiterit in modo ſibi à natura præſtituto, vt ſcilicet ratio
imperet,inferiores uerò animi uires pareant rationi,ac ratio recta ſit. Hæc iu
ſtitia parens eſt uirtutum omnium, & ampliori modo virtus quàm priores
duæ. Hæc eſt animi ſanitas, ex hac uirum bonum appellare ſolemus iuſtum.
Hic modus iuſtitiæ eſt humanus,facit hominem bonum, ut homo eſt, ut ra-
tionalis eſt,& iccircò in noſtra inquiſitione iuſtificationis, de qua loquimur,

non

A non tantùm duo illi priores iuſtitiæ modi non ſatisfaciunt, ſed neque hic tertius ſatis eſt,amplius quippiam quærimus. Nam non quærimus iuſtitiam illam,quæ tantùm deceat homines,ſed quærimus iuſtitiam & bonitatem,quæ deceat filios Dei, cuius adoptionem aſſequimur per Chriſtum, vt vocemur & ſimus filii Dei, ut ſimus conſortes diuinæ naturæ. Hæc ergo bonitas, hæc animi iuſtitia,quæ filios Dei deceat,appellatur iuſtitia Chriſtiana;hac iuſtificamur in conſpectu Dei, prioribus illis iuſtificamur corã hominibus. Huius rei exemplum commodè poſſumus capere ex hominum vita,& conſuetudine. Sit quiſpiam ruſticus, cuius genus vixerit ſemper ruri, habeat hic filios, eosque erudiat vt ruſticus moribus ruris, ac bene & diligenter inſtituat, vtique ſi adoleſcens ita inſtitutus fiat ciuis, fiat principi familiaris, & aulicus in gratiam regij filij, mores vtique priores illi pertinent ad vrbanitatem & ingenuitatem ruſtici, longè tamen inferiores ſunt, & degenerant à moribus, qui exiguntur à ciue,ac præſertim à familiari regis.Sic humanæ illæ iuſtitiæ,quæ homini conueniunt, longè inferiores ſunt hac iuſtitia, quæ exigitur à filiis Dei,à conſortibus diuinæ naturæ.Hactenus ſufficiant ea,quæ diximus de iuſtitia. Nunc accedamus ad aliud uocabulum, quod includitur in nomine iuſtificationis,quod eſt fieri iuſtum. Dicamus ergo quod fieri & facere, quo ad propoſitum negotium pertinet, duobus modis accipitur. Nam dicimus albedinem facere parietem album, dicimus etiã linitionem pictoris facere parietem album: Eadem propemodum ratione dicimus ſanitatem facere hominem ſanum,Item dicimus medicationem facere hominem ſanum. Differunt hi duo modi, nam albedo facit parietem album, vt forma inhærens parieti,& ſanitas facit hominem ſanum,vt forma corpori inhærens. Quare dicemus hanc,ut ita dicam,factionem eſſe formalem,& dicemus formaliter facere;Linitio uerò facit parietem album,ut actio pictoris,ideoque efficienter; Sic dicemus medicationem efficienter facere hominem ſanum. Accedamus his expoſitis de iuſtificatione ad fidem. Fides quoque multipliciter dicitur; Nam quandoque id quod creditur,appellatur fides iuxta id, quod continetur in Symbolo Athanaſij:Hæc eſt fides Catholica,quã niſi quiſq; crediderit,&c. Quandoq; habitus ille, quo credimus his, quæ tradita ſunt à Deo, appellatur fides:Interdum actus ipſe,quo credimus,conſueuit appellari fides; qui actus, D quamuis ſit elicitus ab intellectu, eſt tamen imperatus à voluntate; Icciredò Apoſtolus dicit,Ad obediendum fidei.Credimus etenim,quia volumus Deo obedire. Fides etiã quãdoq; appellatur fiducia, quia confidimus promisſioni nobis factæ à quocunque. Hoc modo dicimus,fidem ſeruare & fidẽ frangere. Hanc Cicero in primo de officijs inquit dictã fuiſſe, quaſi qua fiat quod dictũ eſt,& ponit fidem hanc partem iuſtitiæ.Sic inter tria matrimonij bona ponitur maritalis fides, qua vterque coniugum ſibi inuicem dant fidem, promisſioni alterius vicisſim credit & confidit. verùm nos contrahamus hanc fidẽ ad promisſionem diuinam, quæ eſt in Deo, quatenus promiſſa ſeruat; Sic in Pſalmo:Fidelis Deus in omnibus uerbis ſuis. ſic apud Paulum:Nunquid eorum iniquitas fidem Dei euacuauit? In nobis uerò eſt hæc fides, prout fidi-

mus promisſioni diuinæ. Hæc fidei ſignificatio pro fiducia, coniuncta eſt ſi- E
gnificationi ſpei,quamuis ſpes propriè reſpiciat futura,fiducia verò etiā præſentia & præterita,attamen propinqua eſt hæc fiducia ſpei. Quamobrem ſæpenumerò una pro altera ſumitur.Damaſcenus in quarto libro inquit,fidem duobus modis accipi, quorum alterum dicit eſſe aſſenſum, alterum uerò dicit eſſe ſpem eorum,quæ ſunt nobis promiſſa.Ex Apoſtolo Paulo in pluribus locis habemus hanc acceptionem fidei pro confidentia. ſufficiat nunc vnus in Epiſtola ad Romanos, cùm loqueretur de Abraam, cuius exemplo maximè nititur Apoſtolus; inquit:Non infirmatus eſt diffidentia,ſed confortatus eſt fide. Ecce oppoſuit diffidentiæ fidem, id eſt,confidentiam. His diſcuſſis, quæ ſi quiſpiam non benè intellexerit, totam hanc, quam agimus, rem, non F
rectè percipiet,addamus, quod iuſtificari ſeu iuſtum fieri; ſumptum etiā efficienter (vt ſuprà diximus) poteſt adhuc accipi duobus modis, propriè ſcilicet, cùm quis ex iniuſto efficitur iuſtus; minus etiam propriè, cùm quiſpiam fit iuſtior,& ex minori iuſtitia proficit in maiorem iuſtitiam; qua ratione dicimus etiam duobus modis quippiam calefieri. Nunc tempus eſt,ut accedamus ad explicationem iuſtificationis,ac primùm de iuſtificatione ea,qua impius adultus ex iniuſto fit iuſtus.Hæc iuſtificatio,ſi quæritur de cauſa eius efficiente,nulli dubium eſt,quin ſit à ſpiritu ſancto,Nā Deus ſolus remittit peccata, Deus dat gratiam, Deus iuſtificat impium. Modus autem, quo ſpiritus ſanctus hoc efficit,eſt motus etiam inſpiratio, qua eius intellectum illuſtrat, & voluntatem mouet.hic etenim eſt modus,quo homo agit quippiam ut ho G
mo eſt, ut ſcilicet id agat ſponte & voluntariè. Mouet autem ſpiritus ſanctus hominis voluntatem,conuertendo eam ad Deum,& hac ratione præparatur cor à Domino, & homo præparat ſe, quatenus ea conuerſio eſt voluntaria, nullo pacto coacta; verùm, quoniam nequit ad Dominum quiſpiam voluntariè conuerti; niſi auertatur ab impietate, & à peccato, ſicuti contingit in quocunque motu, nam in quouis receditur à contrario,ut perueniat ad alterum contrarium: iccircò primùm hominis voluntas recedit à peccato,relinquit impietatem,per deteſtationem impietatis & peccati, erigit deinde ſe ad Deum,ad quem reuertitur.Primus hic animi motus,ut inquit B.Thomas,& ratione euidentiſsima colligi poteſt,eſt motus fidei,quem motum ſeu actum appellamus fidem.Hic autem motus incipit à voluntate, quæ obediens Deo H
& fidei, efficit, ut intellectus aſſentiatur abſque hæſitatione traditis à Deo, & ideo promisſionibus diuinis confidat, & concipiat ex illis firmam fiduciam, quæ pertinet ad voluntatē, vt quaſi circulo quodam incipiat à voluntate hæc fides,& deſinat in uoluntatem. Promisſio autem Dei,cui firmiter credit, ac propterea fiduciam concipit, eſt (vt inquit B.Thomas in prima ſecundæ.) Quod Deus remittat peccata,& iuſtificet impium per myſterium Chriſti. Ipſe enim eſt factus auctor ſalutis omnibus credētibus in eum. Motus ergo hic fidei poſt deteſtationem peccati erigit mentem ad Deum, atque animum ad ipſum conuertit, quem conuerſum, Deus, infundens ſpiritum ſuum, ſanat, ſanctificat, iuſtificat, adoptat in filium per ſpiritum filij ſui, per quem diffu-

A ſum in cordibus noſtris clamamus, Abba pater. Inſuper donat nobis cum ſpiritu Chriſti, Chriſtum ipſum, & omnem iuſtitiam eius gratis ex ipſius miſericordia noſtram facit, nobis communicat, qui induimus Chriſtum. Interim uerò, dum animus ita præparatur à Domino, & ſe ipſe præparat, quando hæc præparat, quando hæc præparatio non fiat momento temporis, præterquam miraculo quodam, ut accidit Paulo Apoſtolo, ſi adſit occaſio, operatur bona, & cauet à malo is, qui conuertitur. Nihilominus non redditur iuſtificatio, & ſanctificatio operibus, ut Paulus inquit: Ei uerò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. ad Rom. 4. Sic ergo & in hoc tempore reli-
B quiæ ſecundum electionem gratiæ Dei ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus. Alioquin gratia iam non eſt gratia. ad Rom. 11. Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. ad Titum 3. quod in locis innumeris dicit B. Auguſtinus. Sed ut de re, quæ agitur, potius loquamur ad frangendam atque deijciendam ſuperbiam hominum ingratorum gratiæ Dei, & audentium gloriari de meritis ſuis iſta commemorantur. quum enim nondum nati fuiſſent, neque aliquid egiſſent, bonum aut malum, non ex operibus, ſed ex uocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori. Vocantis eſt ergo gratia; percipientis uerò gratiam conſequenter ſunt opera bona, nec quæ gratiam pariant, ſed quæ gratia pariãtur. Nemo propterea bene operatur, ut accipiat gratiam, ſed quia accepit.
C quomodo enim poteſt iuſtè uiuere, qui non fuerit iuſtificatus? quomodo ſanctè uiuere, qui non fuerit ſanctificatus? Iuſtificat autem gratia, ut iuſtificatus poſſit uiuere iuſte. Prima eſt igitur gratia, ſecunda opera bona. ad Simplicianum, lib. 1. quæſt. 2. Item de gratia & libero arbitrio ad Valent. fermè per totum, ſed potiſsimum 5. cap. & 6. quod ſic incipit, His & talibus teſtimonijs Diuinis probatur gratia Dei non ſecundũ merita noſtra dari; quandoquidem non ſolum nullis bonis, uerumetiam multis meritis malis præcedentibus uidemus datam; & quotidie dari uidemus. ſed planè quum data fuerit, incipiunt eſſe etiam merita noſtra bona, per illam tamen. & Thomas in prima ſecundæ expreſsè, Donum gratiæ cõſiderari poteſt dupliciter; uno modo ſecundum rationem gratuiti doni, & ſic manifeſtum eſt, quod omne me-
D ritum repugnat gratiæ. Alio modo poteſt conſiderari ſecundum naturam ipſius rei, quæ donatur; & ſic etiam non poteſt cadere ſub merito non habentis gratiam, tum quia excedit proportionem naturæ, tum etiam quia ante gratiam in natura peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam ſcilicet ipſum peccatum. 1. ſecundæ q. 114. ar. 5. c. Sed debetur fidei, nõ quod mereamur iuſtificationem per fidem & quia credimus, ſed quia accipimus eã per fidem. Sic enim inquit Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas: Accipientes pollicitationem ſpiritus per fidem. Item in Epiſtola ad Romanos, per quem habemus acceſſum in hanc gratiam per fidem. In Epiſtola ad Hebræos, Accedẽtem ad Deum oportet credere, eò quòd credendo accedimus ad hunc acceſ-

m. ſum.

ſum. Hanc acceptionem ab Apoſtolo dictam B. Thomas in tertia parte appellat applicationem inquiens paſsionem Chriſti eſſe veluti medicinam communem, quam quiſque ſibi applicat per fidem, & Sacramenta fidei. Hi proteſtantes appellant apprehenſionem non ea ſignificatione, quam tu in literis ad me datis arbitraris, quæ ſcilicet pertinet ad cognitionem intellectus, ſed ſignificatione ſuperius dicta, qua ſcilicet illud dicimus apprehendere quò peruenimus, & quod poſt motum noſtrum attingimus. Quod autem Deus donauerit nobis Chriſtum & omnia cum eo, eſt textus Apoſtoli expreſſus in Epiſtola ad Romanos, Qui filio ſuo non pepercit, nonne omnia uobis donauit cum illo? Item, Filius natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. In Miſſa, cùm Chriſtum Deo offerimus, nonne dicimus in canone, Tibi offerimus de tuis donis & datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam. Beatus pater Auguſtinus in pluribus locis, ſed unus nunc in mentem uenit, neſcio an ſit in Soliloquiis, aut in Meditationibus: Quicquid mihi deeſt, inquit bonus ille pater, vſurpo mihi ex viſceribus Domini mei. His hactenus diſcuſsis, quibus reor nullum poſſe contradicere, diſcutiamus propoſitionem propoſitam. Fide iuſtificamur, non formaliter, quòd ſcilicet fides inhærens nobis efficiat nos iuſtos, ſicuti albedo efficit parietem album, aut ſanitas hominem ſanum. Nam hoc pacto charitas & gratia Dei nobis inhærens, & iuſtitia Chriſti nobis donata efficit nos iuſtos, neque per fidem intelligimus habitum, ut ſuperius diximus, ſed actum. Sed vera eſt propoſitio, ſi capiatur efficienter, ſicuti linitio effecit parietem album, & medicatio efficit ſanum; ſic, uel non diſsimili ratione, fides efficit hominem iuſtum, & iuſtificat, quia per fidem attingimus iuſtitiam: & quoniam motus omnis eſt imperfectus, niſi perueniat ad terminum, iccircò etiam motus fidei, niſi perueniat ad charitatem, quam adipiſcimur, eſt imperfectus. Icircò fides, quæ iuſtificat, eſt fides formata per charitatem, ſeu efficax per charitatem, ad quam niſi peruenerit, eſt inefficax ad iuſtificationem; ſicuti ſi diceremus, ea medicatio efficit ſanitatem, quæ peruenit ad ſanitatem, & illa eſt efficax per ſanitatem, quamobrem poteſt etiam appellari ſanatio. Hactenus dicta ſatis eſſe uideri poſſunt quoad iuſtificationem noſtram, quæ mihi adeò perſpicua eſſe uidentur, ut nihil reliquum ſit, in quo quis hæſitare queat. Verùm, quoniam diximus ad iuſtitiam nos peruenire per fidem, iuſtitiam inquam inhærentem nobis, & charitatem, ac gratiam, qua efficimur conſortes diuinæ naturæ, & iuſtitiam Chriſti nobis donatam, quoniam inſerti ſumus Chriſto, & induimus Chriſtum. Hac ergò ſola, certa, & ſtabili nobis nitendum eſt, & ob eam ſolam credere, nos iuſtificari coram Deo, id eſt, iuſtos haberi & eſſe iuſtos. Hic eſt pretioſus ille Chriſtianorum theſaurus, quem qui inuenit, vendit omnia quæ habet, ut emat illum. Hæc eſt pretioſa margarita, quam qui inuenit, omnia linquit, ut eam habeat. Dicit Apoſtolus Paulus, Omnia alia detrimenta putaui, ut Chriſtum lucrifacerem, non habens iuſtitiam meam, ſed eam, quæ eſt per

fidem

A fidem Chriſti: Illis uerò, qui nituntur Sanctitate ſua, dicitur in Apocalypſi: Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo; dicis enim, diues ſum, nullius egeo, & non vides nuditatem tuam, &c. & alibi. Item in Apocalypſi: Dabo tibi calculum nouum, in quo eſt nomen ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Hoc nomen eſt nomen Chriſti, & vere nullus ſcit, niſi qui accipit. Inde eſt, quod experimento videmus viros ſanctos, qui quantò magis in ſanctitate proficiunt, tantò minus ſibi placent: ac propterea tantò magis intelligunt ſe indigere Chriſto, & iuſtitia Chriſti ſibi donata, ideoque ſe relinquunt, & ſoli Chriſto incumbunt. Hoc non ob eam accidit cauſam, quod facti ſanctiores minus videant, quàm prius, neque quoniam facti ſint animo B dimiſſiori, & viliori, immò quantò magis in ſanctitate proficiunt, tantò maiori ſunt animo, tantò ſunt perſpicaciores. Repetamus exemplum, quod ſupra adduximus de Ruſtico, qui in gratiam filij Regis, factus ſit eius, & aulicus regis, & qui iam cœperit imbui moribus regijs: vtique hic cùm in eo maneant veſtigia ruris, quamuis cœperit inſtitui moribus regiis, nihilominus regi non placet, multa in eo ſunt, quæ Regem offendant, nihilominus habet eum ut aulicum & familiarem ob gratiam & merita filij; quæ ruſtico illi donauit. Dicit B. Thomas, cùm loquitur de baptiſmatis Sacramento, quod eo abluuntur omnia peccata, & omnis reatus culpæ & pœnæ cuiuſcunque, & reddit rationem, eò quod vnuſquiſque baptizatur in mortem Chriſti, & cum eo ſepelitur, ut inquit Apoſtolus. Icirco ita ſe habet baC ptizatus, acſi ipſe gerens perſonam Chriſti mortuus fuiſſet, paſſus, & conſepultus cum Chriſto, & cum Chriſto reſurrexiſſet in nouam uitam. Ecce, quàm præclarè dicit doctiſſimus pariter ac ſanctiſſimus vir, mortem Chriſti, paſſionem ac meritum nobis donari, nobis communicari in baptiſmate, quod eſt fidei Sacramentum. Credo ſatis illuſtratum fuiſſe hactenus locum de iuſtificatione apud Deum, vtra debeamus niti; niti inquam, an iuſtitia nobis inhærente, an iuſtitia Chriſti nobis donata, & communicata. At dices, quod auctoritates illæ, quas adduxi in meis literis, huic uidentur ſententiæ obſtare. Prima eſt Dauid in Pſalmo decimo ſeptimo: Iudica me domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam; ſecundum puritatem manuum mearum, quia cuſtodiui vias domini, D nec impiè geſſi à Deo meo, quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo, & iuſtitias eius non repuli à me. Ecce, quàm clarè inquiunt hi, qui ad pauca reſpiciunt, quod Dauid innititur ſuæ iuſtitiæ & innocentiæ ſuæ. Certè, ſi Dauid ea intellexiſſet, quæ hi intelligunt, ita quod propterea putaſſet ſe iuſtificatum coram Deo, non tantum hæc, quæ dicit, eſſent dicta arroganter & ſuperbè, ac propterea magis reprehendenda, quàm oratio Phariſæi in Euangelio, qui longè minora de ſe dicit, ſed eſſent mera mendacia. Quo etenim pacto (vt relinquam quotidiana peccata) is, qui fuerat adulter, qui propinquiſſimum ſibi amicum interfecerat, ut uxore eius potiretur, potuit uerè dicere, quod non impiè geſſiſſet à Deo ſuo, quod habuerit omnia iudicia eius

in

in conſpectu ſuo, & cætera quæ ibi dicuntur. Ideò ne impingamus hanc ar- E
rogantiam, hæc mendacia manſuetisſimo & mitisſimo regi, propius acce-
damus,& benè eius ſenſum perſpiciamus. Pſalmum illum decimum ſepti-
mum Dauid compoſuit & cecinit, ut ex titulo Pſalmi comprehenditur,poſt
debellatos eius hoſtes, quorum præcipui fuerunt Saul & Abſalon, quos Da-
uid ſemper humaniter tractauit, nihil vnquam contra ipſos eſt machinatus,
quin potius in poteſtatem eius traditos ſeruauit, vtriuſque interitum ma-
gno animi dolore accepit. Iccircò omnia quæ dicuntur in eo Pſalmo ad hos
eius hoſtes ſunt dirigenda, id eſt, ad eius benemerita, & ad omnia eius opera
erga ipſos, non autem ad ſuam iuſtitiam inhærentem ipſi coram Deo, & in
conſpectu oculorum eius. Hæc ſententia plana eſt,in qua nullus hærere po- F
teſt. At cùm ſecùm ipſe loquitur Dauid,& ad animam ſuam verba facit,ad-
uerte quid dicat: Benedic anima mea domino, & noli obliuiſci omnes retri-
butiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes
infirmitates tuas, qui coronat te in miſerationibus, qui replet in bonis deſi-
derium tuum, quoniam miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus ti-
mentibus ſe, quantò diſtat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquita-
tes noſtras,&c. Confer hæc,te oro,cum his,quæ adducis de Pſalmo decimo-
ſeptimo, & videbis quantum diſtant. Amplisſima ergò eſt ſententia,in qua
conuenerunt. Alius locus qui citatur, Hæc erit iuſtitia noſtra, ſi cuſtodie-
rimus præcepta hæc omnia; nihil facit contra noſtram ſententiam. Nam
verum eſt quod iuſtitia noſtra, humana inquam, & quæ eſt iuſtitia legalis, G
de qua diximus ſuprà, eſt cuſtodire præcepta legis, & quamuis,ut ſuprà dixi-
mus, auguſtiorem quandam quæramus, quæ deceat filios Dei; nihilomi-
nus, vt inquit Paulus Apoſtolus, cùm nullus ſeruet omnia præcepta legis,
quantum pertinet ad iuſtitiam legis, omnes ſumus ſub maledicto, iuxta il-
lud; Maledictus qui non permanet in omnibus verbis legis huius, quia nul-
lus ſeruat omnia præcepta legis, præſertim præceptum de charitate quan-
tum ad motum animi interiorem, ac ideò omnes indigemus Chriſto, per
quem adipiſcimur gratiam & charitatem, qua quodam modo incipimus le-
gem ſeruare; ac inſuper omnis eius iuſtitia attribuitur nobis, quicunque
Chriſtum induimus. Alius locus, quem adducis, erat, Habebitur pro iuſti-
tia coram Domino reddere pauperi depoſitum. Nulli dubium, quin perti- H
neat ad iuſtitiam virtutem illam particularem, de qua diximus ſuperius,red-
dere depoſitum non tantùm pauperi, ſed cuicunque. Sed quoniam pauper
magis indiget,ſi nõ reddatur,maior fit iniuria,& iniuſtitia maior eſt; ac pro-
pterea hortatur nos ſpiritus ſanctus ad illam iuſtitiam. Non ob id tamen ſu-
mus iuſtificati coram Deo, ſecundum eam rationem & modum, quem ſu-
pra attulimus. Nam ſi reddere depoſitum pauperi ſufficeret ad eam iuſti-
ficationem, multi Iudæi, complures Mahumetani eſſent iuſtificati coram
Deo; Etenim eorum multi ita ſunt inſtituti,quod nunquam detinerent depo
ſitum ſibi creditum. Sic de Phinees dicendum. Mihi videntur hi loci addu-

A ꝭi eſſe adeò perſpicui, quod nullam dubitationem facere poſſint in ſententia ea, in qua Catholici & proteſtantes conuenerunt, & quod non ſatis rectè intelligantur ab his, qui eis nituntur. Abundè reor hucuſque dictum à nobis fuiſſe de iuſtificatione illa, qua ex impio quiſpiam adultus efficitur iuſtus. Verùm, quoniam eſt & alius iuſtificationis modus, quo quiſpiam ex iuſto fit iuſtior, ſicuti calefieri etiam is dicitur, qui ex minus calido fit calidior, ſecundũ quem modum dicitur in Apocalypſi: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; iccircò, ut uniuerſa ratio iuſtificationis intelligatur, pauca addemus de hòc iuſtificationis genere. Vnumquodque animal ſeu planta, quam natura edit in lucem ac generat, quamuis generatione ſpeciem quampiam ſeu naturam ſortita

B ſit, non tamen in eo gradu ſiſtit, in quo ſortita eſt naturam & ſpeciem animalis, ſed progreſſum quendam habet, donec perueniat ad perfectum illius naturæ ſtatum. Sic homo, ſic aues, ſic terreſtria & aquatica animalia non ſiſtunt in ea magnitudine & infirmitate membrorum, in qua nata ſunt, ſed continenter feruntur ad perfectionem, quam eius natura præſtituit, aut obeant, neceſſe eſt. Pari ratione qui per fidem adeptus eſt charitatẽ & ſpiritum Chriſti, & factus eſt noua creatura in Chriſto Ieſu, ſi uoluerit ſiſtere in eo gradu, in quo ſpiritualiter natus eſt, nec vlterius progredi: nulli dubium, quin breui tẽporis ſpatio relabatur in deterius, ac perdat ſpiritum quẽ acceperat, ac vtranque iuſtitiam amittat. Nam nullus ſibi vſurpare poteſt iuſtitiam Chriſti, qui non habeat ſpiritum Chriſti, & non uiuat in Chriſto. Progrediendum eſt er-

C go nobis omnibus, ac in anteriora tendendum; nam ſi brachia fortè remiſit, atque illum in præceps prono rapit alueus amni. Progreſſus hic fit per bona opera interna & externa, quæ cùm ſint à charitate & à ſpiritu Dei, augent etiã charitatem. Etenim ſicuti principium generationis vniuſcuiuſque rei eſt extrinſecum; nihil etenim ſeipſum generat, ita augmenti principium eſt extrinſecum, omne namque animal ab anima ſua augetur. Charitas ergo inhærens, ſpiritus Chriſti, gratia quæ ab eo ſemper fouetur, & emanat à plenitudine gratiæ eius, Chriſti inquam, otioſa eſſe non poteſt. ſed vel internis meditationibus atq; orationibus ſe exercet, uel externis operibus pijs. Hinc augetur charitas & gratia, quæ etiam augent fidem, nam magis credimus & fidimus ei quem magis amamus, ſicque magis ac magis iuſtificamur. Iccircò,

D ut ſuprà citauimus, in Apocalypſi dicit ſpiritus ſanctus: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Hæc iuſtificatio poteſt dici fieri ex operibus, & poteſt appellari iuſtificatio operum. Prior uerò, quia quis efficitur noua creatura in Chriſto, non debetur operibus noſtris, ſed ſpiritui ſancto, qui mouet corda noſtra, remouendo ea à vita peccati, & per fidem erigendo ad Deum per Chriſtum, donec fiat compos charitatis & gratiæ, ut ſuperius latè expoſuimus. Ex operibus tamen quæ ſequuntur, oſtenditur hæc iuſtificatio, & hæc fides perfecta, ſeu formata & efficax per charitatem, ut dicit Iacobus in ſua Epiſtola. Nam ſi opera bona non ſequantur, imperfecta fuit fides illa & inanis. In his ergò bonis operibus ambulamus, ut inquit B. Paulus, & ſic fit certa noſtra vocatio, ut inquit Petrus. Quoniam eis magis iuſtificamur, & ad perfectum

tendimus, quæ ſi intermittimus, regredimur. Nam in uia domini non progre- E
di eſt regredi, & tandem præcipitem labi. Ideò ex operibus qui dicunt nos iuſtificari, verum dicunt, & qui dicunt nos iuſtificari non ex operibus, ſed per fidem, verum etiam dicunt. Sed ut rectè intelligatur vtrumque, oportet rem totam benè explicare & illuſtrare: eſt etenim ſatis inuoluta & obſita. Dedimus nos operam in hac Epiſtola, quantam potuimus adhibere, vt ea euolueremus & illuſtria efficeremus. An uerò aſſecuti fuerimus, cùm reuerendiſſimi & illuſtriſſimi Cardinalis Mantuani patroni tui, quem ſcis quantoperè obſeruem, tùm etiam tuum erit iudicium. Benè vale in domino.

Ratiſponæ. XXV Maij. F
M. D. XLI.

DE LIBERO

DE LIBERO ARBITRIO.

QVANDO & tu literis, & Aloyſius noſter tui nomine ob-
nixè mecum verbis egit, vt ſcripto tibi explicem, quid
de vulgata hac quæſtione ſentiam, quæ de arbitrij liber-
B tate, tot diuerſorum diſſentientibus ſententiis, & uariis
diſputationibus agitatur: malui cum petitioni tuæ ſatiſ-
fecero deſiderari in me doctrinam, quam ſi non obtem-
perauero, gratificandi tibi uoluntatem: & quamuis nec rem ipſam, quàm
ardua ſit, & grauior, quàm vt virium mearum tenuitate ferri queat, igno-
rem, & te maiore ingenij acumine eſſe intelligam, quàm ut facilè à me ſa-
tisfieri tibi poſſit: Tamen vt, quantum in me eſt, morem tibi geram, dicam
de hac re, quæ mihi ſeſe offerent in præſentia. Ac primò quidem ea dicam,
quæ natura duce ex philoſophiæ doctrina de libero arbitrio cognoſcimus:
tum quæ ſit Catholica, & in Chriſtiana religione recepta de hac re ſententia
exponam. Neque vero te philoſophiæ nomine commoueri velim. Non
C enim vanam illam, quæ à Diuo Paulo repudiatur, adhibebimus; ſed veram,
quæ à naturali & à Deo noſtris mentibus impreſſo lumine nata; earum nos
omnium rerum veritatem docet, quæ intellectui ſubijciuntur. Atque hoc
quidem lumen aliud nihil quàm riuulus quaſi & pars quædã eſt diuini ſplen-
doris naturæ noſtræ inſerti, neque penitus ob peccatum extincti. vt autem
diſputationem hanc noſtram aggrediamur, ad liberi vim naturamq́ue cogno
ſcendam, quid Liberi primò nomine ſignificetur, quæque ſit illius verbi vis,
intelligamus neceſſe eſt: tum uerò ad liberum arbitrium explicandum uenie-
mus. Vt igitur ſeruus ille eſt, qui ſui iuris non eſt, quiq́ue in ijs actionibus,
quæ ſerui ſunt, non ſponte ſua, ſed domini imperio & voluntate mouetur,
ita liber dicitur eſſe is, qui & ſui, non alieni iuris eſt, & ſua non aliena volun-
D tate ad agendum excitatur. quare quò quippiam longius ab alieno imperio
abeſt, magisq́ue ſuapte ſponte mouetur, eò etiã à ſeruitute cum longius abſit,
ad libertatem propius accedit. Verum communi hoc omnibusq́ue notiſ-
ſimo principio conſtituto, rebus id ſingulis accommodemus, atque ab ina-
nimis, qualis ſunt terra, lapides, aliaq́ue generis eiuſdem, ordiamur. Terræ
glebam, aut lapidem, uel in ſuperna, uel ad ima mouere poſſumus: atque ho-
rum quidem alter naturalis motus eſt, nempe cum ad ima vergit; violentus
alter, cum ad ſuperna. quare quo motu ſurſum fertur, ſeruum omnino eſſe
dico; quo vero deorſum, non liberum quidem omnino eſſe, ad libertatem ta-
men magis accedere confirmo, quàm cum violenter ſurſum ferebatur. motu
namque naturali, inſitæ ſibi grauitatis propenſione gleba terræ, aut lapis ille

mouetur, violento uerò non inſitæ alicuius rei impulſu, ſed contra potius **E** inſitam ſibi propenſionem fertur, impellentis violētia coactus: quare in hoc motu omni prorſus libertate caret: in motu uerò naturali, quoniam ab innato principio mouetur, à ſeruitote longius diſcedit, atq; ad liberi conditionē accedit propius: non tamen liber omnino eſt, cum grauitatis impresſione moueatur, cuius nec terra nec lapis auctor ipſe ſibi eſt; ſed eidem illam cauſæ acceptam referre debet, à qua ortus ſui principiū accepit. Quamobrē ad præſcriptam etiam ſibi ab ea legem mouetur. Vnde non modo liberum eſſe non dicimus: ſed philoſophorum etiam ſententia, quæ huiuſmodi ſunt, non à ſeipſis, ſed à generante cauſa mouentur: & inter ea, quæ alterius impulſu agitantur, numerari debent. Hinc iam ad bruta animantia progrediamur, quæ à ſe- **F** ipſis auctore Ariſtotele citentur, quoniā propria ſenſus ſui mouentur cognitione, quam appetitionis etiam ipſorum propenſio ſequitur ad ea, quæ cognoſcunt, vel perſequenda, uel fugienda: quare cum ea appetitus propēſione moueantur, quæ à cognoſcendi facultate generatur, ad libertatem propios accedunt, quàm quæ ſenſus omnis ſunt expertia: nā quæ in naturali illorum motu eſt propenſio, non ex ſeipſis eſt, ſed à generāte cauſa. Bruta igitur animantia à ſeipſis non, vt de ijs quæ ſenſu carent diximus, ab alio mouentur: atq; in his arbitriom cognoſcere incipimus, nec liberum tamen. in Brutis enim eatenus arbitrium eſt, quatenus cognitio quædam in ipſis ineſt, & certa rerum, quas comprehendunt, exiſtimatio. neq; tamen liberū dici debet, quoniam ab ipſis non eſt, ſed à natura ex obiecti nimirum quod comprehendunt impreſ- **G** ſione: vnde nec motuum ſuorum finem, qua ratione finis eſt, & ut natura finis cogoſci debet, agnoſcunt; neq; eam quæ mediorum eſt cum fine ad quē tendunt, proportionem intelligunt. ſed naturam ducem non aliter ſequuntur, quàm qui ad prima literaria elementa perdiſcenda, nutrice aut pædagogo duce in ſcholas proficiſcitur puer. is enim quamois propriis pedibus incedat, viamq́ue qua ingreditur, & gymnaſium etiam quo tendit cōſpiciat, neſcit tamen diſciplinam, qoam in gymnaſio diſcit, finem eſſe, cuius cauſa illud iter ſuſcepit: nec quæ ſit confecti itineris proportio ad gymnaſium intelligit, ſed ducem tātum ſequitur nutricem. Idem planè brutis animantibus vſq; venire ſolet, quæ ob ipſarū cognoſcendi, atq; adeò etiam appetendi facultatis imbecillitatem, nec finem qua ratione finis eſt, nec mediorum finiſq́ue cognatio- **H** nem agnoſcunt: ſed à natura duce, atq; inſita cognitione & appetitione ſtatis definitisq; mediis ad finē impelluntur. & quidē Bruta à natura, non proprio ferri iudicio, Auſcultationis Phyſicæ lib. 2. Ariſt. hoc argumento demōſtrat. eorū enim inquit, quæ ſunt eiuſdē ſpeciei, vna eſt atq; eadē agendi ratio: quo ft, ut non à proprio pecoliariq; iudicio ſingula brutorum animantium genera, tanquam à principio moueantur, (quod non poſſet in diuerſis ſpeciebus eſſe idem) ſed ab aliquo ſuperiore, quo ducantur atque impellantur omnia. Hoc igitur ſtatuamus, à ſe moueri, & liberiore proinde motu ferri bruta, quàm quæ ſenſu carent, & arbitrio quidem ſuo ferri, non libero tamen. quòd ſi huius etiā rei cauſam audire velles, eā tibi paucis exponam, atq; hoc quaſi

veſti-

A veſtibulo tandem deueniemus ad liberi hominis arbitrij,eiuſque originis cognitionem. quæ igitur paulo ante dicta ſunt hoc loco repetamus. in brutis diximus animantibus ideo liberum arbitrium non eſſe, quod anguſtior in illis & debilior ſit cognoſcendi atque appetendi vis.Nam,ut quid arbitrij ac iudicij libertate ſit præditum, neceſſe eſt, vt res omnes, eorumque naturam, & quam inter ſe habeant proportionem, bonitatem denique ſiue minor ea ſit, ſiue maior comprehendere poſsit. quod in nullam cognoſcendi vim cadit, quæ non uniuerſi boni naturam, & inde ſingula intelligat, quæ uniuerſi boni amplitudine continentur. Atque illud etiam oportet non tenuem atque anguſtam,& certo aliquo boni genere definitam,ſed amplam & bonorum omnium

B ipſiusque boni vniuerſi capacem appetitionem habere. quare cum hac boni uniuerſi comprehendendi facultate bruta careant animantia & bona tantum quædam particularia ſibi apta & congruentia cognoſcant, & appetitionem etiam anguſtam, ipſarumque cognitioni accommodatam habeant, libero præditi arbitrio dici nulla ratione poſſunt. & vt qui carcere, aut alio quouis loco clauſus detinetur,liber eſſe non dicitur,ſed eius voluntati ſubiectus eſt, qui illum concluſit:ita bruta quoque animantia arbitrium non liberum, ſed terminatum & certis quibuſdam anguſtiſque limitibus circumſeptum habent. Iam uerò cum contrariorum alterum ex altero cognoſci facilè poſsit, ad hominem ipſum accedamus; quem ſuapte natura arbitrij libertate præditum eſſe planè intelligemus. Nam cum ſit hominis voluntas, facultas

C quædam & appetendi vis,quæ intellectum ſequitur,& ad omnia ſe extendit, ad quæ ipſe ſe extendit intellectus, cumque intellectus amplisſimus ſit, quoniam intelligit omnia; voluntas etiam ipſa amplisſima eſt, ſeſeque ad omnia bonorum genera,atq; ad bonum ipſum uniuerſum extendit,quare præcedente cognitione in finem ut finis eſt,fertur & media, quæ ſibi accommodata fini uidentur, eligit. Spontanea ergo voluntate homo, proprio, neque vllo termino circumſcripto ſed amplo,ac libero mouetur arbitrio,quod tum ad ſingula, tum ad uniuerſum bonum extenditur. En tibi liberum arbitrium quid ſit, curque in ſolis hominibus, non in brutis etiam animantibus reperiatur. verum progrediamur in humana voluntate vlterius, & quo modo liberum hoc arbitrium conſeruetur & perficiatur; quo contra pacto im-

D minuatur,& in ſeruitutem tandem redigatur,videamus. Vnum tamen prius addamus,quo finem imponamus ijs,quæ ante à nobis de voluntate & libero arbitrio dicta ſunt. Hactenus uoluntatis noſtræ ac liberi arbitrij naturam in genere expoſuimus.Sed quoniam omnium humanarum actionum,quæ circa ſingula fiunt principium eſt & origo, uoluntas, quæ ſupra uniuerſim diximus,ad res ſingulas accommodare iam oportet. Hanc igitur quæ ad uniuerſum bonum eſt, uoluntatis propenſionem, ad ſingula ab ipſa accommodari neceſſe eſt. quoniam uerò finis appetitio prima eſt,& reliquarum appetitionum moderatrix: voluntatis noſtræ finis uniuerſum illud bonum eſt, quod reliqua bona omnia complexu ſuo continet, quodque nunc beatitudinem, nunc uerò felicitatem appellamus. quoniam uerò intellectus in huius quem

hic degimus uitæ ſtatu, ubi hæc felicitas & beatitudo noſtra collocata ſit, intueri non poteſt, & propenſio deprauata eſt, ut poſtea dicturi ſumus, diuerſæ propterea & uariæ diuerſorum hominum de felicitate ac fine ultimo ſententiæ fuerunt, atque in aliis alii rebus, hominis conſtituunt felicitatem: Cum uerus tamen, & omnia in ſe bona ineffabili modo complectens finis unicus ſit, æternus ille Deus. quare tunc demum rectè homo libero vtitur arbitrio, cum ut uniuerſum, ita particulare illud bonum propoſitum habet, quo non modo reliqua bona continentur, ſed ipſius etiam boni natura dici debet, atque ad id cunctas ſuas actiones dirigit. Quæret hoc loco à me quiſpiam, ad liberi ne arbitrii facultatem ſpectet, ut ab hoc fine qui Deus eſt, deflectere quis poſſit, & aliud quippiam ultimi finis loco ſibi conſtituere? Hunc ego ſcire velim, non eſſe liberi arbitrii facultati tribuendum, quod à uero quis fine ad alium declinare poſſit, immò impotentia potius & imbecillitati aſcribendum, cum eo ipſo à libertate diſcedens incidat in ſeruitutem, quod ex his, quæ ante dicta ſunt intelligi facilè poteſt. Expoſitum iam à nobis eſt libertatem à voluntatis amplitudine, ſeruitutem autem ab eiuſdem anguſtijs & imbecillitate pendere. An non uides tantum eſſe voluntatis motum quantus eſt finis ultimus qui reliquis actionibus moderatur? Si à Deo igitur diſceſſeris, qui bonum eſt maxime uniuerſum ac generale, quod rerum omnium in ſe complectitur naturam, atque finem tuum vltimum in re quauis alia collocaueris, relicta amplitudine in anguſtias te deduces, cum cætera omnia anguſtiora infinitis partibus ſint Deo, atque ita te à libertate transferes in ſeruitutem. poſſe itaque à Deo declinare, non facultatis eſt aut potentiæ, quemadmodum ex Philoſophorum etiam ſententia, nec claudicare aut lædi poſſe potentia eſt, ſed impotentia magis, neque ad libertatem hoc ſpectat, cum libertatem eripiat potius, eamque in ſeruitutem pertrahat. ex his igitur quæ hactenus dicta ſunt, planum iam euaſit, quod in hunc vſque locum antea diſtulimus. quæ nimirum ſit, & quo conſeruetur modo uera libertas, quæque illius perfectio dicenda ſit. qua contra ratione imminui, & in ſeruitutem redigi tandem poſſit; conſeruatur enim voluntatis libertas, ſi in boni amplitudine contineatur, neque à Deo ad anguſtiorem alium finem deflectat. perfectio autem eius eſt remota ea, quæ quamuis potentia nominetur, uere tamen imbecillitas eſt, atque impotentia, non poſſe ab illa amplitudine declinare. Imminui uerò libertatem aliud nihil eſt quàm ab uniuerſo bono, ad particulare aliquod & ſingulare deflectere, in eoque finem ultimum collocare. in quo ſi paulo diutius voluntatem fixam teneas, ſeruam efficis. Redeundi autem facultate priuari & à non uerò fine ſeſe referre non poſſe, id demum eſt uerã libertatem penitus amittere, & ſeruam omnino reddere voluntatẽ. Manet tamen liberum arbitrium, ſed in ſeruitutem redactum. manet enim illa naturalis animi facultas, manet cognitio, & ad bonũ uniuerſum propenſio. quare qui in ea ſeruitute cõſtitutus aliquid agit, nõ à natura quemadmodum bruta animantia, ſed proprio iudicio mouetur. Hactenus ueram ac naturalem voluntatis libertatem, atque eius ex aduerſo ſeruitute perſpeximus. quoniam

autem

A autem hucuſque Philoſophos egimus, libet paulo vlterius Philoſophorum adhuc more diſputando progredi, ut rem hanc ſanè difficillimam, quàm fieri planiſsime poſsit, explicemus. experientia quæ rerum magiſtra iure uocatur philoſophos ipſos ueræ, quãuis cauſæ ignaros docuit hominē à primo ſtatim ortu, ad malum eſſe ſuapte natura pronum, nō ob ſenſus tantum & carnis appetitum, ſed ob ipſius etiā uoluntatis propenſionem. Nā ad ſuperbiā, inuidiā, auaritiam, qui ſpiritales morbi ſunt, nō corporei eſſe propenſum animaduerterunt. vnde Ariſtoteles ſexto Politicorum, è re eſſe docet, ut quiſque, ſit quãtauis in Republica nobilitate, amplitudine, & publici muneris auctoritate inſignis, rerum à ſe geſtarum rationem populo reddat. cuius rei rationem ſub-

B ijcit his ferè uerbis. Nā ſi omnibus quæ libet agendi facultas concedatur, nō poteſt ea, quæ innata hominibus eſt malitia comprimi & coerceri: nō uides, quàm expreſsis uerbis eum, qui nobis ſimul cum natura ingenitus eſt, defectum oſtendat. Plato uerò, & qui eius familiam ſequuntur, ut Porphyrius, expiationes etiam neſcio quas, ut Diuus Auguſtinus, auctor eſt. excogitarunt, ſed hactenus de voluntate diſputatum ſit, in qua liberum conſiſtit arbitrium, quod ab ipſa poſtea in ſenſibilem hominis appetitum deriuatur, quem natura rationis quodammodo participem effecit, cum ad obtemperandum rationi aptum reddiderit, atq; hinc etiam libertas hæc manat ad membrorum corporis motus, atque ad cæteras humanas actiones, quæ eatenus humanæ ſunt, quatenus à uoluntate proficiſcuntur. Verum ſatis iam ſit philoſophatum. ad

C Catholicæ fidei ueritatē propius accedamus, ubi perſpicue uidebimus, quæ philoſophi obſcura tantum & adumbrata cognitione perceperunt, & ueram certamque, quàm ipſi ſomniarunt, expiationem intelligemus. Diuinis eſt nobis literis reuelatum hominem, qui à Deo rectus procreatus eſſet, Diaboli inuidia impellente in labyrinthos ſeſe inextricabiles conieciſſe. neque uero mortis auctor Deus fuit, ſed aditus ei ad hominem patuit per peccatum. Hæc autem in qua primum conditus eſt homo rectitudo, originalis iuſtitia fuit, in qua uera eſt hominis libertas conſtituta. Voluntas enim non in uniuerſum modo bonum propendebat, ſed in Deum maxime tanquam in ultimum finē ferebatur, atq; ad eius nutum omnes ſuas actiones conformabat. Atq; hinc factum eſt, ut nullis anguſtiis adſtricta, aut certis limitibus occluſa teneretur,

D ſed libere per omnia bonorum genera, totiusq; naturæ amplitudinē in ſumma tranquillitate conſtituta, nulloque impedimento remorata ſpatiaretur. quemadmodum enim res omnes creatæ, earumq; bonitas & eſſentia tota in Deo ineffabili ſimplicitate ſunt unita, nullā ut naturæ uel bonitatis repugnātiam vel contrarietatē admittant, à Deo autē vbi proceſſerint, & in res creatas à ſeſe diffuderint, quia anguſtior cuiuſq; redditur natura, ſibi inuicē opponi, & cōtrariis pugnare naturis incipiunt. ita enim res una ab altera diuiſa eſt, vt plura ſimul vniri nequeant, neq; idem homo ſimul & equus eſſe poſsit, aut Archangelus idem & ſeraphinus. cum uerò in maiores deueneris rerum anguſtias, tanta oritur contrariarum rerum lis & contentio, ut una alteram corrumpat, ut in rerum quæ ſenſibus obiecta ſunt ortu, & interitu cerni poteſt,

cum tamen in infinita illa diuinæ naturæ amplitudine eadem ſint,& omni ca reant repugnantia. eodem prorſus modo humana voluntas, quaudiu vere in Deo ſolo libere defixa fuit omnis expers repugnantiæ, ſumma tranquillitate fruebatur, ut recte cecinit regius Propheta. pax multa diligentibus legẽ tuã, & non eſt illis ſcandalum. In hac itaque rectitudine & uera libertate condita voluntas eſt.at cum non eam vim ſit conſecuta,vt pelli dimouerique à rectitudine ac libertate non poſſet:'ſed ea quam ſupra diximus à bono uniuerſo & vltimo fine,qui Deus eſt,ad alia deflectendi,particulariaq; bona ſectandi impotẽtia comitata dæmonis impulſu & promiſſa felicitate incitata,bono vniuerſo quod Deus eſt relicto, ad particulare ſe bonum, id eſt, ad ſe ipſam ſeſe conuertit, in ſe ſuaque gloria & commodis, non in Deo vltimum cõſtituens finem,unde miſerum in modum flexa eſt & pernicioſo vulnere ſauciata.hinc enim intellectus maxime agens ita obcæcatus eſt,ut cum ad agendum deuenerit,diſcurſus ſui principium à praua propenſione voluntatis accipiat. nam ex philoſophorum etiam placitis ſenſitiuæ partis propenſio finem in agendo intellectui conſtituit, ut pauló pòſt plenius attingemus. In illa uero originali iuſtitia ſenſitiuus appetitus rationis imperio omnino erat ſubiectus & creatarum rerum anguſtiis liberatus,magna libertate fruebatur, nec diſsimili ratione corpus animæ obtemperabat. Verum ne à propoſita de libero arbitrio diſputatione lõgius aberremus, cæteras iuſtitiæ originalis cõditiones miſſas hoc loco faciamus.vt igitur ſenſitiuus appetitus rationis quaſi particeps fuerat effectus:ita cũ à Deo volũtas ad ſe ipſam defecit,appetitus ſpreto rationis imperio ſui iuris eſſe cœpit atq; hinc innumeræ cupiditates,innumeri timores,atq; morbi.ex quo etiã factũ eſt,ut cum in primo actionũ ſuarũ principio obcæcatus ſit intellectus,& in particulari bono vltimũ finẽ collocarit, & ſuæ dignitatis ignarus, in corpus ſeſe & ſenſum demerſerit, & in corporis naturã degenerarit in corporis voluptatibus aſſequendis & fugiendis doloribus finẽ ſuum conſtituerit; atq; hæc illa corruptio eſt, quã Chriſtiani,originale peccatum poſtea nuncuparunt:de quo nihil eſt ſub peccati ratione nobis hoc loco dicendũ, aut ſubtilius perſcrutandum, ſed ut animi tantum ægritudo quædã eſt,& ad præſentem ſpectat de libero arbitrio quæſtionem.cum hæc igitur humanæ naturæ corruptio atq; ægritudo eſſet,eamque,ut dictum antea eſt,philoſophi tum natura duce tum experientia cognouiſſent, quibus poſſet remediis ac pharmacis ſanari indagarunt.cumque'deprauatam propenſionem eſſe animaduerterent, & mutari eam, bonarumq; actionum conſuetudine dirigi poſſe crederent:in morali philoſophia,atq; in virtutis ſtudio,cuius habitu ad bona inclinamur, deſudarunt. Sed cum eſſet ægritudo hæc in primo humanarum actionum principio,id eſt,in vltimo fine,à quo voluntas deflexerat,& intellectus quoties ad agendum accedebat, quoniam appetitus propenſionẽ in ultimum finem ſequitur,obcæcabatur,nec poſſet ægritudo hæc (quemadmodũ nec ij quoq; corporis morbi, qui primũ vitæ principium & humorem quem uocant radicalem, inficiunt) vlla vel artis vel naturæ curatione tolli: iccircò vehementer philoſophi aberrabãt.Quare docet primo Ethicor. Ariſtoteles

A ſtoteles eum non eſſe ſatis idoneum philoſophiæ moralis auditorem,qui nõ ante ſit bene educatus,& probis moribus inſtitutus. Cum enim animaduerteret ægritudinem hanc,quæ primum principium occupauit,ex iis quæ in nobis natiua inſunt, ſanari non poſſe; ab extrinſeca cauſa, & bona inſtitutione remedium petere uoluit. Tum uerò ut apparet,adhuc anceps,nec ſatis eſſe iudicans quæ dixiſſet,dubitare cœpit à fortuna ne,an caſu, an conſuetudine, an diuino aliquo munere felicitas homini contingeret. Affirmatque ſiquod à Deo aliud datũ munus hominibus eſt, conſentaneum eſſe felicitatem etiam datam eſſe à Deo.nos tamen multum uel bene agendi cõſuetudine,uel ſcientia præſtare potuiſſe, longeque melius diuiniusque futurum, ſi etiam nos fe-
B licitatis noſtræ auctores eſſemus. in ſexto uerò politicæ ea dicit, quæ ante à nobis allata ſunt. Plato uerò multis locis ſcribit, diuina effici benignitate, ut quis bonus euadat. Qui uerò conſecuti ſunt Platonici, ut de Porphyrio dictũ eſt, cum vlterius progrederentur, longe turpius errarunt. affirmarunt enim eius generis expiationem hominibus eſſe neceſſariam,quam Porphyrius angelis bonis've dæmonibus aſcribit. Iam ni fallor perſpicue intelligis quo nos natura, & tum naturalis, tum moralis philoſophia perducat, non inanis illa quam D. Paulus ſtatutos prætergreſſam terminos, & contra præſcriptas ab auctore ſuo leges ſuperbe exultantem reſpuit, ſed quæ ſuis cõtenta finibus diuina opera contemplatur. Nam hæc quaſi ad ueri nos cognitionem inducit,accedente enim diuino lumine,& ſplendore fidei,qua uerum perfectè in-
C telligimus, hoc nobis defuiſſe ſtatim confitemur, cuius obſcuram quandam, & adumbratam cognitionem philoſophia nobis antea ingenerauerat. ſed ad Catholicam ueritatem redeamus,ex qua planum eſt externo nos neque alio, quàm diuino egere auxilio, ut ab hac, quæ ſuapte natura curari minime poteſt, ægritudine liberemur. ſolus enim Deus eſt, qui ſecretos mentis noſtræ receſſus perſcrutari poteſt, internaque ſpiritus ſancti, quem infundit, agitatione mutatam uoluntatis noſtræ propenſionem, ad ſe ipſum conuertit; eatenus itaque expiatione indigemus,quatenus peccatum hoc culpæ rationem habet. ad eam autem purgationis gratiam per Chriſtum, & quæ in Chriſti ſanguine eſt, fidem charitate formatam peruenitur. Atque ita fidę & Sacramentis ab ægritudine iſta liberati, Deum nobis, non ipſos nos vltimum fi-
D nem proponimus, carnis concupiſcentiis, & lubrica appetitus infirmitate conculcata. manent tamen in nobis quædam huius ægritudinis quaſi reliquiæ, quandiu peccatorum immunditiis obnoxii corporis huius carceribus detinemur. Hæc eſt quam Eccleſia nobis Catholica præſcribit de arbitrii libertate ſententia, ad quam parum abeſt, quin nos naturale lumen adducat. Atque hæc tibi hac de re difficillima ſcripſiſſe ſatis. in qua vereor, ne plus æquo fuerim moleſtus; ſed obſequendi ſtudium efficit, ut longius ſæpisſime tranſuehamur, eſtque in imperantem potius, quàm in obtemperantem culpa transferenda. Quæ uerò à me hoc loco diſputata ſunt,tuo atque adeo cuiuſuis iudicio ſubiecta eſſe volo, qui acutius de his & rectius ſentire uideatur. Bene vale, meque ſemper tuis precibus apud Deum adiuua.

DE PRAEDESTINATIONE.

F
INCREDIBILI me dolore affecerunt literæ tuæ; ex quibus patriæ tuæ, ciuitatis multis nominibus mihi chariſſimæ, perturbationem intellexi. Atque eò maiorem concepi animo dolorem, quòd non de terrenis & caducis; ſed de ijs agi bonis animaduerti, quibus omnis noſtra felicitas cõtinetur. Creſcit uerò & augetur magis, ac magis meus iſte mœror; quòd ex optima cauſa tam grauem morbum erupiſſe uideã; quodque tartarei hoſtis fraude factum eſſe ſciam, ne illud in ea ciuitate frumentum naſceretur, cuius cauſa ſemen iſtud à Chriſto eſt inſtitutum: ſed infelix illud lolium pullularet, quod humani generis hoſtis opera, bonum etiam ſemen cor
rupit. Itaq; ardentiſſimo animi zelo ex concepto dolore proficiſcente inflã- G
matus, uariis licet diſtractus occupationibus, temperare mihi nõ potui, quin arrepto calamo de hac difficillima quæſtione, ea ſcribere conarer, quæ benignisſimus Deus ſpiritus ſui gratia ſuggerere dignaretur: non minima ſpe nixus, fore, ut per me quædam proponeret, quæ nec aliena ab immenſa diuinæ maieſtatis amplitudine, nec nobis ipſis eſſent inutilia futura. Atque ut ab imis quaſi fundamentis rem hanc ordiamur, Animaduertere nos oportet, in duas iam ſectas Chriſti Eccleſiã dæmonis aſtutia eſſe diſſectam, quæ ſuum potius quàm Chriſti negotium agentes, ac priuatæ magis gloriæ, quàm Dei honori ac proximorum vtilitati ſtudentes; pertinaci diſſidentium opinionum defenſione, incautos & imperitos homines in præcipitium deducunt. Alij e-
nim Catholicæ ſeſe religionis titulo venditantes, & Lutheranorum aduerſa- H
rios iactantes, dum arbitrii libertatem nimium aſtruere conantur; Chriſti ſe gratiæ plurimum detrahere non intelligunt: & nimio Lutheranos oppugnãdi ſtudio, maximis Eccleſiæ Chriſtianæ luminibus, primisq́ue Catholicæ veritatis doctoribus aduerſantur, in Pelagij hæreſim plus æquo declinãtes. Alij contrà, vbi in D. Auguſtini ſcriptis nonnihil verſati, ſanctisſimiq́ue illius viri verbis tincti fuerint, ab eius tamen animi modeſtia, atque in Deum amore longè alieni; difficillima è ſuggeſto, & quæſtionum labyrinthis intricatiſſima dogmata populo proponunt, quæ neque ipſi intelligunt, nec ſine paradoxis explicare poſſunt. quo fit ut ex optimo ſemine, illorum ſuperbia, & populi imperitia concepto non frumentum, ſed

Infelix

A *Infelix lolium & ſteriles naſcantur auenæ.* ſed de his poſtea fuſius.
Vt autem quæ cœpimus,planiora fiant,notandum diligenter eſt,& philoſophorum,& Chriſtianorum theologorum ſententia,infinitam,ſimplicisſimã, maximeque unam bonitatem,maieſtatemq́ue diuinam, omnia ſua amplitudine cauſarum genera,naturasq́ue complecti. Earum autem nonnullæ cõtingentes ſunt,neceſſariæ uerò aliæ,atque aliæ arbitrii libertate præditæ, expertes aliæ,nonnullæ fortuitæ,quæ caſu,non vlla certa naturæ lege, effectum cõ ſequuntur.Hæc inquam cauſarum genera à prima illa cauſa comprehenduntur,ab eaque reguntur omnia;cùm illa tamen nullo earum genere contineatur,ſed una atque ſimplicisſima efficiendi vi,qua cæteris præſtat, illas omnes
B produxit,dirigit,continetque cauſas,quæ certis (vt diximus) naturæ alicuius terminis concluduntur. Id uerò regni nobis exemplo,perſpicuum eſſe facilè poteſt:in quo alij iudices ſunt,alij vectigalium & ærarij publici quæſtores,alii equitum peditum've duces: his tamen omnibus certis regni muneribus præfectis,vnus rex præeſt:qui cùm neque prætor ipſe ſit, neq; quæſtor, neq; dux, vnica tamẽ regali poteſtate, illos omnes, certis quibuſdam regni muneribus deſtinatos,cõſtituit,& regit;neq; illorum cuiquam ab hac ſimplici regiæ poteſtatis amplitudine diſcedere vllo pacto licet.Hinc ſtatuũt philoſophi, Chriſtianique doctores, omnes efficientium, inferiorumq́ue cauſarum actiones, quod actionis habent,non defectus,id à Deo ut prima earum efficiente cauſa accipere. Secundas uerò & certis quaſi limitibus circunſcriptas cauſas, quaſi
C Dei quædã inſtrumenta eſſe;qui eas(vt dictũ eſt)ſimplici ſua,& vnica,nulliſq́ue definita terminis actione producit:à quo effecta quoque omnia,ita ut illorum poſtulat natura,per inferiores cauſas, huiuſcemodi effectis accommodatas,tanquã per inſtrumenta producuntur. Quamobrem neceſſaria effecta, per neceſſarias etiã cauſas, ſimplex illa cauſa, qui Deus eſt, effecit,ac neceſſariò:cõtingẽtia uerò per cõtingẽtes:libera per liberas;fortuita uerò per incertas,nullius'q; certæ naturæ legibus terminatas.Ipſe uerò naturis his omnibus longè præſtat, eiusq́ue efficiendi ratio, ſuapte natura, res omnes longo ſuperat interuallo,neque noſtra capi intelligentia poteſt:cui ea tantum percipere datum eſt, quæ ad certam ſunt ſpeciem redacta. Quo fit,ut nec diuinæ cauſæ amplitudinem anguſtiis ſuis comprehendere queat, neque quidquam de ea
D aliud ſcire, quàm eiuſmodi eam ſcire, quam comprehendere ipſa non posſit.
His autem, quæ de diuina efficiendi vi,cauſarum omnium; in cunctis earum actionibus præcipua,dicta ſunt,addi hoc etiam debet:diuinam bonitatem, in earum quæ toto uniuerſo continentur, productione rerum; quibuſdam fines illarum naturis congruentes præſcripſiſſe, atque inſtrumenta etiam largitam eſſe,quibus naturaliter ad præſcriptos ſibi fines peruenire posſint; neque id tamen ſine vi & efficacia à prima cauſa profluente, ut ſuprà eſt à nobis expoſitum. Aliis uerò rebus conceſsit præter naturales illarum fines,ut ad quorundam bonorum fines, illarum naturam excedentes, extolli poſſent: ut in aëre,& in aqua cerni poteſt: quæ præter aëris & aquæ formam, atque operationem; illam etiam qualitatem habent, per quã tranſparentia, & luminis

capacia efficiuntur: quod tamen lumen, cùm portio quædam ſit lucis, quæ E
cœleſtium corporum qualitas eſt, illarum naturis longe præſtat. auium etiã
nõnullis, vis ea data eſt à natura; qua hominum uerba & addiſcere posſint, &
firmare. equos uero, canes, atque elephantes ita ad nutritionem capeſſendam
natos uidemus, vt multa admiratione digna efficiant. Hi uero fines & elemẽ
torum, & animalium naturas longè ſuperant: ſed à Deo ita efformata ſunt, ut
ad fines, eorum naturis ſuperiores, perduci posſint. Atque hæc quidem ſuis
viribus, nec ad ſuperiores illos fines peruenire, nec etiam eò ſua ſponte moue
ri poſſent: ſed præter cõmunem illam vim à prima cauſa diffluentem; parti-
culari etiã quadam externæ cauſæ actione opus habent: vt aër & aqua ſplen-
dẽtis alicuius corporis præſentia. aues autem, canes, equi, atque id genus alia F
hominibus egent, à quibus edoceantur. Duobus autem his principiis ita cõ-
ſtituis, tertium addamus: rerum nempe creatarum naturas, interdum inte-
gras, beneque conſtitutas eſſe; interdum uerò ægras, & aduerſæ valetudini
obnoxias: ab integra incorruptaque natura, integræ atque incorruptæ, illa-
rumque naturæ accommodatæ actiones manant; ex corrupta uerò & ægra,
actiones etiam corruptæ atque infectæ proficiſcuntur. quod tum inductione
patet, tum etiam rationibus planisſimum ijs eſt, qui ægritudinis ac ſanitatis
vim probè intelligunt. Verũ non moleſtum tibi ſit, ſi ijs, quæ de diuinæ cau-
ſæ efficiendi ratione diximus, pauca quædam adijciam. Illud ergo ſciendum,
Deum Opt. Max. primum rerum omnium principium, quemadmodum ſim-
plici & vnica actione, quæ cum ipſius ſubſtantia eadem eſt, (ſi tamen ſubſtan- G
tiam appellare licet,) omnes effectus producit: ita nullo etiam tempore, aut
temporis parte aliqua, actionem eius contineri: ſed omne tempus excedere,
non quod tempore prior, aut poſterior dici debet, vt vel illum, quo natus
Chriſtus eſt, annum, hunc annum præcedere; vel eum, quo venturus eſt An-
tichriſtus, annum hunc ſubſequi, eoque poſteriorem eſſe dicimus, in quam lo
quendi atque intelligẽdi rationẽ, intellectus noſtri imbecillitas nos inducit.
nam eius operatio, quia cum imaginandi facultate coniuncta & copulata eſt,
difficilè à tempore, & cõtinua quantitate adducitur: ſed omni tempore ſupe-
rior actio Dei, omne tẽpus excedit; atq; omnis expers vicisſitudinis, omnes
in ſe rerum vicisſitudines cõprehendit. neq; aut fuiſſe, aut futura dici poteſt,
ſed, ut in Timæo ſcripſit Plato, eſſe tantũ. neque uerò diuinũ illud, eſt, noſtro H
præſenti tẽpori ſimile iudicari debet, de quo eſſe fuiſſe, & futurũ eſſe affirma-
mus. Verũ, ut in libro ſuper Gen. ad literã D. Auguſtinus teſtatur, Diuinitas
rebus omnibus & antiquior eſt & iunior. atque antiquior quidem, non quod
fuerit: ſed quia eſt ante res omnes. iunior uerò, quia eſt, non erit poſt res om-
nes, & poſt extremum vltimi iudicij diem. Hac via & quaſi methodo, eam,
qua Deus in operando vtitur rationem explicabimus: quã tantam, adeoque
amplam eſſe certo ſcimus, vt quantumcunque intellectus noſtri aciem inten
damus, atque à rerum inferiorum naturis abducamus; quæcunque tamen de
ea mente conceperimus, infinitis partibus anguſtiora, humiliora, magisq; cõ
poſita ſunt, quàm ea in ſeipſa ſit: cum omnem, quæ ſub intellectũ cadere po-

teſt

A teſt naturam,longo illa ſuperet interuallo. His ita conſtitutis,quæ ab ijs intelligi neceſſe eſt,qui hanc quæſtionem aggrediuntur,ad gratiam modo,prædeſtinationem, atque ad arbitrij libertatem ueniamus. Produxit Deus hominē omni naturalium rerum perfectione abſolutum,cui, præter diuinam gratiā, eam quoque largitus eſt iuſtitiam,quæ originalis appellari vulgò ſolet,cuius beneficio,ut Deo uoluntas,ita inferiores animi facultates,omni procul repugnantia,rationis imperio ſubiectæ obtemperabant:neque tantum eorū, quæ naturæ humanæ debetur bonorum cumulo,& naturali veluti felicitate, perfecit; ſed etiam diuinæ felicitatis,quæ humanæ naturæ vim immenſo ſuperat interuallo,capacem effecit; qua etiam conditione procreati ſunt angeli & na B turæ omnes intellectuales. Iam ſuprà à nobis explicatum eſt,diuinam bonitatem,cùm rerum à ſe factarum naturas,quantum fieri poteſt,vellet extollere; earum nonnullis poteſtatem feciſſe, qua ad fines propria natura longe ſuperiores,peruenire poſſent:quemadmodum aërem luminis capacem effecit: item & quidem homini gratiam, quæ diuinæ naturæ participatio quædā eſt, largitus iam fuerat,quo quaſi iacto ſemine,ad diuinæ felicitatis communionem paulatim deduci poſſet. Homo itaque ita perfectus à Deo, atque abſolutus,humani generis hoſtis fraudibus,in ſuperbiam elatus, præſcriptam ſibi à Deo legem violauit,& virium potius ſuarum confidentia,quàm debita demiſſi animi obedientia,bonorum malorumque cognitionem adipiſci, creatorique ſuo ſimilis effici uoluit. Qua quidem arrogantia factum eſt, ut diui- C na gratia,& originali iuſtitia priuatus, carnis continuò contra rationis imperium rebellionem experiri cœperit, ut obcæcata ſit hebeti & ignauo mentis cognitio,debilitatus atq; exhauſtus animi vigor, vt aduerſos propulſare impetus non poſſit; quin & voluntas quoque à Deo, qui ſummum bonum eſt, alienata,& ad ſe,ſuamque dignitatem conuerſa;ægritudinem quandam contraxit,qua à Deo auerſus in improbo ſuiipſius amore ſit,qui omnium illi malorum radix extitit, & origo: vnde voluntatis illa ad male agendum propenſio remanſit, cuius diuinæ literæ, & ipſe in Politicis Ariſtoteles ſæpe meminit,& in ſe quiſque experientia ſatis dignoſcit. Quoniam uerò Deus,ut dictū eſt ante,in ſimplici illa ſua vnitate,quæ eadem,& ipſius operatio eſt,res inferiores omnes quàmuis multiplices,admodumque uarias regit,eaſque ad ea- D rum naturis accommodatos fines, perducit; ſuaque impulſus bonitate, humanam quoque naturam uoluit, à deprauata, in quam incideret, ægritudine liberare: neque ad accommodatum modo illi finem, ſed ad illum etiam, qui humanam naturam longe ſuperat, & in diuinæ felicitatis communicatione conſiſtit, reuocare: cumque homo naturaliter præditus eſſet arbitrij libertate & uoluntate,quæ non externi tantū motoris, ſed interna quoque ſuiipſius vi cietur,eam,quam habet rerum cognitionem ſequuta:nec ſuis viribus, etiā in naturali integritate conſtitutus,ad eum qui naturæ ſuæ vim ſuperat, finem extolli poſſet: illa fuit ad hoc præſtandum ratio neceſſaria, de qua poſtea dicemus,nempe ut naturæ propenſionem,hoc eſt uoluntatem, ipſe naturæ auctor interiore motu impelleret:cum præſertim ad naturæ ipſius imbecillita-

tem,ægritudo quoque acceſsiſſet,ex Adami ſuperbia contracta;& in omnem E
eius poſteritatem propagata; ex qua natus eſt error quidam voluntatis in vl-
timo fine conſtituendo.Namque à Deo ad ſeipſam conuerſa; non ad eũ tan-
tum finem,qui eius naturam ſuperat,non excitari;ſed ne ad eum quidem,qui
naturalis illi eſt, ſuis viribus reduci vlla ratione potuiſſet. Id uerò præterquã
quòd ſacrarum literarum teſtimoniis confirmatur, naturalibus etiam ratio-
nibus demonſtrari poteſt.Etenim defectus erroresque omnes,ſiue ægritudi-
nes appellare velis, quæ primum actionum principium non inficiunt, illius
principii integritate corrigi curarique poſſunt. vt,ſi quis artis alicuius prin-
cipiis optime inſtructus,in eius aliqua cõcluſione falleretur,per ſe principio-
rum præſidio,& mentis ſuæ cogitatione ſeſe ab illo concluſionis errore libe- F
rare poſſet: ſi uero in artis alicuius principiis labatur, nec ſuperiora, ad quæ
confugere poſsit, principia ſuppetant,fieri non poteſt, ut per ſe ab illo errore
vnquam liberetur. quod idem in corporis tum ſanitate,tum morbo,quoties
humor (quem radicalem appellant) inficitur, vſu venire ſolet. & vt breuiter
dicam,aliarum quoque rerum omnium conſimilem rationem eſſe uidemus.
Cum igitur uoluntas ægrotaret,atque ab ea propenſione aberraſſet,quæ in fi-
nem vltimũ, qui cæteris omnibus operationibus moderatur,ferri debet;hu-
manis viribus ægritudo iſta curari non potuit. Neque uerò ſatis erat finẽ co-
gnouiſſe:cum propenſio ad finem,ex innata quadam erga finem affectione,&
inſita animis noſtris affinitate, potius dependeat, quàm ex eius cognitione:
quinetiam rerum quoque agendarum cognitio, ex appetitus ac uoluntatis G
propẽſione proficiſcitur. Quocirca dixit Ariſtoteles eum non ſatis idoneum
eſſe moralis philoſophiæ auditorem, qui non ſit antè bene educatus, & pro-
bis moribus inſtitutus.Neque uerò naturalem liberi arbitrij facultatem per-
didiſſe dici debemus,ob hanc improbitatis ægritudinem;& voluntatis in ma
lum propẽſionem:corruptam tamen negare non poſſumus. Libero namque
arbitrio agere cenſetur is, qui non alieno impulſu,ſed ſuo ipſius iudicio ope-
ratur.Ac licet vni tantum fini,hoc eſt ſoli bono,quemadmodum angeli,bea-
tique omnes addictam & infixam voluntatem habeant; non ideo tamen ar-
bitrii libertate præditos eſſe angelos negandum eſt, etiam ſi à bono deflecte-
re, à Deoque recedere nequeant: quin potius perfectiſsimũ, liberrimumque
arbitrium habent, quippe qui proprio iudicio ac propenſione ad agendum H
impelluntur. Eodem plane pacto & qui damnati ſunt, in malo fixam volun-
tatem habent & deſtinatam,eademque de cauſa arbitrij ſunt libertate prædi-
ti,licet corrupta & deprauata. Vtrique uerò finibus ſuis, ſiue bono,ſiue malo
conſtitutis liberum arbitrium habent:cum ex multis ac uariis finẽ conſequẽ
di rationibus quam probet quiſque, eam maximè conſectetur. Homo igitur
hac originalis culpæ ægritudine corruptus,& à Deo ad ſeipſum, atque iccir-
co etiã ad malum conuerſus,liberum quidem habebat arbitrium,ſed ægrum
tamen,corruptum, atque imbecillum. Quocirca,ut antè dictum eſt,non mo
do ad eum,qui eius naturam ſuperat, viribus ſuis ſeſe extollere non poterat;
ſed ne in naturali quidem fine conſiſtere.Quare cum clementiſsimus ille pa-

rens

A rens miſero homini opem afferre, eumq́ue ratione aliqua naturæ ipſius accommodata altius extollere conſtituiſſet: neceſſe fuit, ut in ſuæ illum ægritudinis cognitionem primum induceret: quo medicum ſibi quæreret, & illius imperio ſubiectus curaretur. Cum uerò ſummè arrogans, ſuiq́ue amore captus homo eſſet, ſuam ægritudinem facilius cognoſcere non potuit, quàm ſi, ſui iuris factus, ſua ipſe ſe ſapientia atque arrogantia gubernaret. Ita enim in idololatriam incidit, animalibus omnibus, arboribus, & inferioribus ſeipſo creaturis diuinum exhibuit honorem, atq; in impia & nefaria ſcelera lapſus eſt. Deus itaque cum ſuam vellet homini inſipientiā oſtendere, qui cum ſeipſum regeret, ſuoq; uiueret arbitratu inſaniſſet, & in omnium mentibus in-
B ſculptam à Deo naturæ legem obſcuraſſet, ſcriptam illi legem tradidit: non quod eam poſſet homo ſuis tantum nixus viribus obſeruare; ſed ut hinc propoſitam ſibi ob oculos vitæ regulam cernens, illinc actiones ſuas legi cōtrarias animaduertens, in peccati ſui, & ægritudinis cognitionem inductus, ad medium ſeſe conferret, & ſuarum virium abiecta confidentia, animum ſubmitteret, & in Deo Opt. Max. ſpem omnem collocaret: cui per Chriſtum vnicum & verum inter Deum & homines mediatorem terreſtri Adamo mortuus, à quo ſecundum carnem eſt propagatus, in nouo illo, cœleſti q; Adamo ſpiritali generatione naſceretur: atque in Chriſto renatus, cœleſtem ac ſpiritalem uitam uiuere inciperet, terrena penitus repudiata: eaq́ue præſtaret opera, quibus (quatenus ex diuini ſpiritus per Chriſtum animis noſtris inſer-
C ta gratia manant) ſempiternā felicitatem mereretur. Et quoniā dum hic uiuimus, principium quoddā habemus, & quaſi ſemen cœleſtis vitæ, ex ſpiritali, quo in Chriſto naſcimur ortu, & ſpiritus ſancti gratia animis noſtris à Deo infuſa: manet nihilominus maxima illius corruptionis portio, quæ ex peccato contracta eſt, in inferioribus animi partibus, in appetitu inquā ſenſitiuo; manent in uoluntate prauitatis reliquiæ, & in intellectu obcæcatio; neq; omni prorſus morbo caremus, ſed conualeſcimus potius; confugiendum ſæpe nobis ad medicum eſt, multa ſpiritalia pharmaca ſumenda, confirmanda in dies valetudo, debilitanda ægritudo, quo integrā tandem ac perfectam in cœleſti uita ualetudinem conſequamur. Hæc in Chriſtiana Eccleſia recepta doctrina eſt: hoc eſt uerè Chriſtianum eſſe, ſuam imbecillitatem probè noſſe, &
D ad Chriſtum per fidem confugere, in eoq́ue ſpem omnem collocare, propria diffiſum imbecillitate: atq; ad hoc impellendi Chriſtiani ſunt, hoc præcipue edocendi. Hac doctrina plenæ ſunt D. Pauli Epiſtolæ, plena Euangelia, plenæ ſacræ omnes literæ. Nō liberum noſtrum arbitrium, quod ægrum infirmumq́ue eſt, atque in peccati ſeruitutem redactum, non noſtra ipſorum opera; ſed ſolus qui poteſt Chriſtus, arbitrium ex hac eripit ſeruitute. Nā in Euangelio ipſe Chriſtus ait: Qui fecit peccatum, ſeruus eſt peccati: quod ſi filius vos liberauerit, uerè liberi eritis. At uerò, ut ad id, quod initio propoſitum à nobis eſt, ueniamus. Quoniā qui ducē Lutherū ſequuti ſunt, arrogantia neſcio qua, & ſuperbia impulſi, paradoxis quibuſdam propoſitionibus, arbitrium noſtrū non liberum, ſed ſeruituti obnoxium eſſe affirmarunt, eaq́ue eſſe à Deo præ-

cepta, quæ ſeruari à nobis non poſſunt, aliaq́ue huiuſmodi, quæ ueram, quam E
expoſuimus paulo ante doctrinam fallaciter imitantur: exorti quidam ſunt, qui ſe Lutheranorum hoſtes atq; aduerſarios, catholicæq́ue ueritatis patronos eſſe profitentur, qui ſtatim atque de humanæ naturæ imbecillitate, de arbitrij ægritudine, de gratia, de fide, qua erga Chriſtum affici debemus, uerba apud populum fieri audiunt, Lutheranorum doctrinam eſſe clamant, & cum pertinaciter arbitrij libertatem aſſerere uolunt, hominem paulatim extollũt, diuinam gratiam deprimunt, ipſi ex catholicis Pelagianos ſeſe faciunt, & ne quod in Chriſtiana religione caput & radix eſt, propagetur, & latiùs diffundatur impediunt: imperitam uerò multitudinem multis modis offendunt, multarumq́ue ſeditionum ac diſſenſionum telas ordiuntur. F

De priori quæſtionis huius parte hactenus dictũ ſit, quæ ad eos pertinet, qui ſuperbia inflati, rerumq́ue omnium ignari, dum ſe Lutheranorum hoſtes profitentur, Catholicos ſe dici uolunt, cum Pelagiani potius quàm Catholici dici debeant. Ad eos nunc uenio, qui ubi aliquod D. Auguſtini opus perlegerint, ut ea, quæ cæteros latent, ſibi cognita eſſe demonſtrent, multitudinem multis ineptijs circunueniunt, eaq́ue docent, quæ nec ipſa capere poſſit, nec ipſi fortè probè intellexerint: atque ita optimã illam docendi multitudinem, populisq́ue concionandi conſuetudinem, in turpiſsimum abuſum, atque in ſummam inſaniam conuertunt, vt, diuina fauente gratia, luce clarius perſpectiurum te confido. Quod ut facilius intelligatur, à primis rei radicibus exordiar. D. igitur Pauli ætate, cum à Iudæis fere repudiata, inter Gentiles propagari Chriſtiana religio cœpit, cœpit & humani generis aduerſarius varia quoq; zizania ſuo more diſſeminare, ex eo ſuperbiæ ſemine occaſione ſumpta; quod in hominum animis primum conſequutum eſt peccatum, quod per carnis originem, in omnem eſt humani generis propagationem deriuatum. Ac gentiles quidem ob excellentem, qua floruerunt, philoſophiæ cognitionem, Iudæorumq́ue tum alia multa, tum maximè in Chriſtum nefaria facta, diuini huius iudicii rationem explicare primum uoluerunt: quaſi gentes Deus ad ſe vocaſſe, Iudæos autem repuliſſe uideretur, aut illorum meritis, aut horum flagitiis prouocatus. Ex aduerſo Iudæi, illi inquam, qui Chriſto nomen dederant, ſuo ipſorum amore impulſi, & nimio in tuenda populi Hebræi dignitate ardore adducti, gentibus inſultabant, genusq́ue ſuum ſummis H
laudibus extollebant, tanquam Deo præcipuè carum: cui nimirum lex data, miſsi Prophetæ, multaq́ue ſummæ beneuolentiæ ſigna demonſtrata eſſent: cum omnes, vt ſacrarum literarum verbis vtar, promiſsiones atque fœdera cum Hebræorum natione inita fuiſſent; quippe quæ Abrahæ ſemen eſſet, atque ab Iſraële manaret, cui ſemper in diuinis literis promiſsiones factæ dicuntur. Quin & hæ quoque promiſsiones nonnullos poſtea offenderunt, cùm ſuis Deus pollicitis minime ſtetiſſe uideretur. atque ita paulatim Deum non modo tacite, verum etiam palam atque aperte, fraudulenter atque impie minime veracem, minimeq́ue conſtantem vocitare cœperunt. Ac huiuſmodi quidem ſeditiones Romæ præcipue ortæ ſunt,

qua in

A qua in vrbe plurimi fuerunt, diuites Iudæi; Gentiles quoque multi ad Chriſtianam conuerſi religionem; vtrique uerò Romani nominis ſplendore ac dignitate arrogantes. Tum D. Paulus, qui quaſi vas quoddam, quo Chriſti nomen & gratia toto diffunderetur orbe, delectus à Deo fuerat, Chriſtiani nominis amore inflammatus, eaque occaſione inuitatus, pulcherrimam & difficillimam, quæ ad Romanos eſt, Epiſtolam ſcripſit: in qua propoſitum illi eſt, vtriuſque gentis ſuperbiam comprimere, ſuam ipſorum illis imbecillitatem ob oculos ponere, &, quod ante dictum à nobis eſt, probare non noſtris nos meritis, cum merita in nobis nulla, peccata uerò quamplurima ſint; ſed diuinæ tantum bonitatis, ac miſericordiæ beneficio, per nouam quæ in Chri-
B ſto facta eſt ſpiritus generationem, diuinam nos gratiam eſſe conſecutos: & ad Dei iuſſa obſeruanda, & bene beateque uiuendũ, neque naturalem legem, neque philoſophiæ moralis cognitionem, neque ipſa etiam Moſaicæ præſcripta quidquam prodeſſe: cum hæc alioqui ſuapte natura bona, nobis ob naturæ corruptionem noceant, & violata lege maiori peccato obnoxios reddant: atque hoc unum nobis præſtitiſſe legem, ut in peccati cognitionem veniamus, quò noſtræ nobis conſcij ægritudinis, quam ſæpe D. Paulus peccatũ appellat, ad medicum, hoc eſt ad Chriſtũ per fidem confugiamus. Hanc cùm Epiſtolæ initio copioſiſsimè doctrinam tradidiſſet D. Paulus: nono deinde capite quod Hebræos multos, qui à Chriſti gratia, & ſalutari uita diſceſsiſſent, multis offendiculo eſſe animaduerteret, quibus Deus quod promiſiſſet,
C minimè præſtitiſſe uideretur: velletque Hebræorum cõpeſcere arrogãtiam, qui auitam nobilitatem iactabant, eiusque nomine obſtrictum ſibi Deum iudicabant, ut & benigne illis prouideret, & ad ſempiternam quoque ſalutem perduceret: hæc inquam cum Paulus animaduerteret, inſtituta præfatione immenſi quo populum illum cõplectebatur amoris, quem tantum eſſe profitetur, vt vel ſuo ipſius anathemate ipſum ſaluare deſideret, quod in maiorem diuinæ bonitatis gloriam, & honorem uniuerſæ illius gẽtis, quã ſuam ipſius ſalutem redundare arbitraretur. hæc inquam præfatus ſtatim ad eorum ſe calumnias diſſoluendas conuertit, qui Deum quaſi mendacẽ, aut certe ad promiſſa ſua exequenda infirmum accuſabant. Ac primum quidem eorum errorem redarguit, qui ijs tantum qui ab Abrahamo atque Iſraële ſecundum
D carnem originem ducerent, diuinas promiſsiones factas eſſe arbitrarentur, iiſque factas eſſe docet, qui à patriarchis illis ſpiritali eſſent generatione propagati, atq; Abrahami fidem imitarentur, ſiue Hebræi illi fuiſſent, ſiue gentiles. atque his quod Deus promiſiſſet, fixum eſſe ac ſtabile, cum & verisſimus Deus ſit, & quæ promiſit omnia infinita ſua potentia præſtare queat. Deinde verò D. Paulus quo promiſsionis firmitatem patefaceret, coactus eſt rerum humanarum circulum tranſcendere, in quo & humanarum actionum cauſæ, atque ipſæ etiam actiones, earumque fines cõtingentes ſunt, atque à contingentibus pendent cauſis, à nobis videlicet, qui nõnulla neceſsitate operamur, ſed liberè & contingenter, rerum & Cõciliorum mutationi ſubiecti: & multa quoque frequenter interueniunt, quæ omnem ex rebus humanis ſtabilita-

tem adimunt, & conſtantiam. Harum inquam rerum ambitum D. Paulus E
tranſcendere coactus eſt,& maxima,ut uidebimus,reuerentia,ad diuinum illum ſimplicisſimum, omniq́ue fine carentem circulum ſeſe conuertere,'qui, ut initio dictum eſt,nulli peculiari cauſarum naturæ, aut efficiēdi rationi addictus eſt; ſed unica & ſimplicisſima operatione, quæ ipſius eadem diuinitas eſt, omnes complectitur cauſas inferiores, earumq́ue vim naturamq́ue conſeruat,neque vlla in hoc orbe vicisſitudo,neque fuit,neque erat,ſed eſt tantū ſimplicisſimum reperitur,quod omne tamen præteritum futurumq́ue tempus continet,& diuturnitate ſua infinito ſpatio excedit.Iccircò in hoc diuino orbe neque indefinita eſt vllius effecti, etiam contingentis ſcientia, ut apud homines; neque voluntas, quæ prima eſt omnium effectuum contingentiū F
cauſa, (defectus ſemper excipio)vel indefinita eſt vel inconſtans,ſed certisſima ſemper & conſtantisſima. Proinde D. Paulo ut Deum & veracem eſſe,& quæ promiſiſſet reddere poſſe probaret; ex hoc noſtro qui facile mutatur, ad diuinum illum orbem conſcendere neceſſe fuit: atque ita ſubiungit firmisſimas eſſe promisſiones, Deumq́ue ijs quos elegit, & ad Abrahami hæreditatem ac benedictionem deſtinauit,non propter carnis affinitatem,aut quæ diuinam gratiam præceſſerint merita,ſed ſua tantum bonitate inductum,quod promiſit,præſtare contendit.Duo itaque ſimul conficit. primùm enim cōtra eorū opinionē, qui & inſtabilem Deum, & imbecilliorem eſſe affirmabant, quàm ut promiſſa ſua adimplere poſſet, diuinarū promisſionum firmitatem oſtendit: hominis deinde comprimit ſuperbiam,qua ille inflatus quidquā in G
nobis eſſe cogitaret, quod æternam illam electionē, & diuinam gratiam antecederet:vt hac vana mentis commentatione deturbati,magis,magisq́ue in diuino nos conſpectu ſubmitteremus; & ne tantæ bonitatis, atque immenſi erga nos beneficii immemores aliquando uideremur,ſummo ſtudio caueremus. Quoniam uerò his auditis homo arrogantia elatus, (cum tamen tantā diuini huius orbis amplitudinem, atque admirabilem ſimplicitatem capere non posſit) præfracta ſtatim temeritate percunctari potuiſſet, cur hunc potius Deus,quàm illum ad æternam vitā deſtinarit;Paulus diuini numinis ardore inflammatus, in hanc contrà ſuperbiam, & intolerandam arrogantiam inſurgit,eamq́ue iuſta reprehenſione compeſcens,Tu(inquit)quis es,qui reſpondeas Deo?An non habet poteſtatem figulus,&c.& paululum poſtea delapſus, ad rerum humanarum orbem, atque ad eam etiam rationem, qua vi- H
tam noſtram,operationes,& eas qui conſequuntur effectus,vel inuitis etiam nobis,inſtitui neceſſe eſt: in fidei nos viam inducit, non in operum noſtrorū ſuperbiam,aut legis cognitionem. Ex quo manifeſtè nobis oſtendit,quæ cauſa Hebræorum populo extitit tantæ ruinæ, qui contempta Chriſti fide, cùm operibus ſuis, & legis obſeruatione niti voluiſſent; gentibus anſam præbuerunt,vt eorum æmulatione fidem complecterentur. & Iudæos pari modo docet, gentium tandem exemplo prouocatos, fidei Euangelicæ ceruicem ſubmiſſuros.Denique eorum quæ ingenio humano obuia ſunt,ambitum tranſiliens, & ad rerum diuinarum orbem ſeſe conuertens, non arroganter & ſtupidè,

A pidè,ut hi ſolent,qui imperitæ atque inſanięti multitudini doctrinæ opinione imponunt, ſed magna animi reuerentia exclamat, O altitudo diuitiarum ſapientiæ Dei: quàm incomprehēſibilia ſunt iudicia eius, & quàm ininueſtigabiles viæ eius. Scribit uero inſignis gentium doctoris inſignis diſcipulus, Dionyſius in cœleſti ſua hierarchia, adducto illo Eſaiæ teſtimonio, vbi Deū ſe uidiſſe dicit ſedentem ſuper thronum;& poſt pauca verba ſeraphinos duos ſenas alas ſingulos habentes, quarum binis obuelabant facies ſuas; docet inquam vir ille ſanctiſsimus, alis vultum obtegere aliud nihil eſſe, quàm ſummum illum primæ hierarchiæ ordinem, in ea præcellentia, qua ineffabili ratione diuinā intelligit naturam,maximam exhibere reuerentiam; eaq́ue con
B tentum præſtātia,quam Deus illi largitus eſt,aliud præterea nihil ſcire velle: eoq́ue propterea habitu, atque obuoluta facie prophetæ apparuiſſe, & infinitam Dei naturam admirantes ceciniſſe, Sanctus, Sanctus,Sanctus, Dominus Deus ſabaoth; pleni ſunt cœli & terra,&c. videmus itaque ſeraphinos, quid in diuinum orbem cōuerſi agant: videmus item inter homines D.Paulū qui in ſimilem admirationem prorumpens exclamet,O altitudo diuitiarū ſcientiæ Dei,&c.Nos uerò miſeri vermes,atq; in nobis maximè imperiti,eò prorumpunt audaciæ,aut inſaniæ potius,ut ſcrutari velint,& cauſam inueſtigare qua Deus certisſima & ſcientia & voluntate res omnes diſponit ſecundum eam, quæ vniuſcuiuſcunque naturæ attributa eſt rationem: in quibus cauſarum effectorumq́ue contingentium orbis eſt,cuius ambitu humanæ quoque
C actiones continentur. O miſeros homines,& communi naturæ ſenſu carentes: At longe eſt, quod colligunt acutius & ſubtilius. voluptatibus enim, inquiunt, indulgeamus, quippe prædeſtinati cum iam ſimus, ſalutem omnino conſequamur neceſſe eſt. audierunt enim ex ſuis doctoribus, delectari etiam Deum prædeſtinatorum peccatis: ſin autem (aiunt) reprobi ſumus, quid in bene beateq́ue uiuendo laboramus, cum bona quoque reproborum opera Deum offendant? Verùm antequam horum tibi ſtultitiam quanta ſit explico, & manibus veluti attrectandam exhibeo: legit fortaſſe imperitorum hoc hominum genus ex D.Auguſtini ſcriptis nonnulla,quæ non ſano hauſta ſenſu,ſuperbiæ illis anſam præbuerunt:quo fit, vt hiſce paradoxis ſuam præ aliis ſcientiā oſtentare velint. Fuit igitur Auguſtini & Hieronymi ætate vir qui-
D dam cui Pelagio nomen erat, vita & moribus, quantum intelligi poteſt, minime improbis, hic cum magnam ſibi apud omnes honeſtæ vitæ opinionem conciliaſſet;ea eſt dæmonis fraude deceptus,quæ vt illi conſueta,ita & nobis vehementer periculoſa, ac ijs præſertim pernicioſa eſt, quorum vita inſigni probitate relucet. Sua nāque ipſius bonitate plus æquo delectatus,cœpit humanæ naturæ plurimum tribuere, & arbitrij libertatem,ſupra quàm par erat efferre: nosq́ue ea quam à Deo accepimus, arbitrij libertate, omnes virtutis partes abſoluere, legiq́ue per nos parere poſſe affirmauit. hinc originale peccatum inficiatus, non dubitauit aſſerere, bonum Chriſtianum poſſe ſe à minimis etiam peccatis immunem perpetuo conſeruare:quòd peccatū voluntarium diceret,& arbitrium noſtrum in noſtra ſitum poteſtate.Diuinam ve-

rò gratiam ſe minime negare, ſed prædicare potius ac promulgare prætexe- E
bat. Etenim diuino nobis munere hanc conceſſam naturam eſſe dicebat, ut
quidquid liberet, id agere poſſemus; quare & bene agere nos noſtra omnino
ſponte poſſe. Addebat etiam ea, quæ in Euangeliis ſcripta ſunt, atq; etiam hu-
militatis, & charitatis Chriſti exemplum, viam nobis ad recte agendum ma-
nifeſtè commonſtraſſe. Hæc Pelagij doctrina fuit; in quam præſtantisſimi illi
patres, & Chriſtianæ religionis zelo ardẽtisſimi Hieronymus & Auguſtinus
multa ſcripſerunt. Sed Hieronymum hoc loco prætermitto, de Auguſtino
tantum loquor, qui plura multo, quam Hieronymus in Pelagianos ſcripta
reliquit, atque ab his egregiis Euangelij concionatoribus frequẽter eſt lecti-
tatus. D. igitur Auguſtinus, cum animaduerteret, hãc, quæ à Pelagio profecta F
eſt doctrinam, in eam Chriſtianos inducere ſententiam, quæ longè eſt à pro-
poſito nobis fine aliena, atq; eiuſcemodi eſſe, quæ plurimum Chriſti gratiæ,
cuius beneficio peccati curatur ægritudo, derogaret, atq; eas denique, quæ ex
peccato originis in nobis remanſerunt, ſuperbiæ radices foueret: multa ſcri-
ſit, quibus Pelagianorum hæreſim opprimeret, & apertisſimis ſacrarum li-
terarum teſtimoniis demonſtraret, tum originale peccatum, tum etiam quæ
nobis per Chriſti fidem data eſt, medicinam, qua liberi arbitrij ægritudo ſa-
natur, atque, ut paucis complectar, omnia quæ à nobis in prima huius diſputa
tionis parte dicta ſunt. Diuinam uerò gratiam, de qua Pelagius loquebatur,
conceſſam affirmauit, uel ad efformandam naturã, uel ad legis cognitionem,
qua peccata noſtra deteguntur, ut iam ante de naturali & Moſaîca lege dixi- G
mus: at non eò ſpectaſſe, ut naturæ mederetur, eamque ad diuinæ ſobolis di-
gnitatem extolleret. Ac D. quidem Auguſtinus, cum incidiſſet in ſermonem
de diuina gratia, quæ omnem hominis & actionem, & voluntatem, & cogni-
tionem antecedit, ita ut non glorietur omnis homo coram Deo: diſputatio-
nem de prædeſtinatione ſuſcipere coactus eſt; quæ aliud nihil cenſenda eſt,
quam hominum quædam ad beatitudinem conſequendam deſignatio: quæ
deſtinatio quidem nominari poſſet: verùm, quoniam in diuina illa æternita-
te facta eſt, quæ omnem temporis menſuram longè excedit, noſtro more, no
bisque accõmodata loquendi ratione, prædeſtinationem, quaſi ante factam
deſtinationẽ, appellauit. Quæ quidẽ vox præteritum tempus deſignat, quod
tamen, ut ante diximus, in diuina æternitate minime reperitur; neque hoc vo H
cabulo in reliquis rebus contingentibus, etiam bonis, ſiue humanæ illæ ſint,
ſiue ab humanis alienæ, vtimur, quamuis & harum quoque diuina voluntas
cauſa ſit, atque in omnibus certisſima, in qua nihil non definitum. eo tamen
vtimur, cum in excellenti aliquo gradu quippiam collocamus. tunc enim id
nos, ad illum dignitatis gradum deſtinaſſe dicere ſolemus. In hanc igitur D.
Auguſtinus de prædeſtinatione diſputationem ingreſſus, cum vellet ampli-
tudinem explicare diuinæ gratiæ, quæ non merita tantum, ſed actiones etiam
cogitationesq; noſtras omnes antecedit: cauſam inueſtigare neceſſe illi fuit,
cur non omnibus hanc gratiam Deus largiatur. Ac primo quidem, ſæpe diui-
na iudicia, Paulum auctorem ſequutus, nobis quidem ignota, iuſtisſima ta-

A mcn eſſe affirmauit. Deinde uerò ad ſpecialem,magiſque propriam rationē declarandam,aduerſariorum improbitate impulſus eſt.mihi tamen,ſi in generali illa cauſa perſtitiſſet,longè facilius ſuam cōprobaſſet ſententiam.Itaq; cum homines (inquit Auguſtinus) ob originale peccatum optimo iure perpetuis ſuppliciis eſſent obnoxij, (à quibus ille nec infantes abſque baptiſmate vita functos,immunes eſſe cenſet)placuit diuinæ bonitati nōnullis,in quibus ſuæ miſericordiæ magnitudinem declararet,opem ferre; hiſque tantum gratiam largitur,atque ad ſummam beatitudinem perducit,ſeu ad diuinæ felicitatis communionem.reliquos uerò,ut iuſtitiæ æquitas poſtulabat,ijs quæ peccato debentur,pœnis obnoxios reliquit:atque hi ſunt,qui reprobi nominantur. B Atque huius diſcriminis rationem, vt nobis occultisſimam, ita in ſe iuſtisſimam eſſe tradit. Hæc D.Auguſtini ſententia, præter eius poſtremā partem, his optimis concionatoribus, eorumque paradoxis ſententiis materiam ſuppeditauit. verū de his poſtea. Nunc uerò liceat mihi,quanta decet animi reuerentia,de eo viro loquenti,(cui ego tantum tribuo,quantū ab vllo eſt homine tributum vnquam)ſed liceat tamen ignorantiæ mihi meæ ſpecimen præbere.hæc mihi ſententia omnino non placet.Primò enim originale peccatum ignis damnationi hominem non addicit; & quamuis illum diuino conſpectu, & ea quæ ſupra naturam eſt, felicitate priuet, in eo tamen fine, eaque cognitione relinquit, cuius capax eſt, eorum hominum natura. qui in originali peccato ſine baptiſmate deceſſerunt. Sed hoc quidē dogma D.Auguſtini ætate nondum erat in Eccleſia definitum, vt neque ea, quæ de animi C origine magna olim cōtētione agitata eſt quæſtio, ut ex ipſius ſcriptis manifeſte apparet. Deinde uero planum eſt, id quod à D.Auguſtino offertur, nos omnes filios iræ naſci,ut ſupra diximus,reprobationis ſatis idoneam cauſam non eſſe. hoc enim ſi verum eſſet, vbicunque reprobatio eſſet, ibi ea quoque reprobationis cauſa reperiretur.Hoc uerò ita ſequi,& natura ipſa docet,& in poſt.analyticis Ariſtoteles.at in angelis,quorum nullus vel originali peccato obnoxius, vel iræ filius natus eſt, nonnullos tamen prædeſtinatos, alios rurſum reprobatos videmus. vera igitur D. Auguſtini ratio reprobationis eſſe non poteſt: quæ diuinæ quoque bonitati nōnihil detrahere uidetur,quaſi per illam ſtet, quo minus omnes,qui reprobi ſunt, erigantur. quo fit, ut hanc D. D Auguſtini loquendi rationem qui audiunt,offendātur.Quare doctores complures, atq; inter alios D.Thomas,qui D.Auguſtino plurimum tribuit, non in aliis quidem operibus,ſed certè in præſtantisſimo illo, quem cōtra gentes conſcripſit libro,ijs quæ ab Auguſtino dicuntur,minime contentus,affirmat Deum cordis ianuam perpetuò pulſare,eiuſque duritiem perfringere:verùm eos ad ſalutem perducere, qui aperuerint, eos uerò qui cor illi recludere recuſarint, in ſua cæcitate & ægritudine permanere, ſuaque culpa, non illa originali, ſed actuali hac, qua pulſanti Deo cordis ianuam recludere noluerunt, in perpetuam damnationem detrudi.Sed quoniā cordis ianuam aperire noſtrum eſt,ſuſpicari poſſet fortè quiſpiam, diuinam gratiam ſubſequentia noſtra opera non anteire. Quocirca exemplum excogitaui, meo quidē iudicio,

ad

ad hanc D.Thomæ opinionem intelligendā aptisſimum,illo ſemper ſeruato principio,& ueriſsimo fundamēto,prædeſtinationis ſalutiſque noſtræ,Deū; damnationis uerò nobis noſipſos eſſe auctores: non ob originale peccatum; ſeu ob actualem culpam,qua nos Deo naturalē peccati noſtri duritiem mollire,penitusque frangere uolenti,maiorem duritiem opponimus: quo fit, ut non ex gratiæ ipſius efficacitate,ſed ex noſtra uoluntate pendeat, quo minus illa cordis noſtri obſtinatio perrumpatur. Hoc uero generaliter dictum eſſe velim; non de peculiari quadam gratia,quam ſi minus omnes aſſequuti ſunt, nullus tamen eſt,qui iure queri posſit. Verùm,ut ad rem noſtram ueniamus, proponendum exemplū eſſe cenſeo,quo faciliùs quæ dicimus, intelligantur. E

Fingamus igitur homines,(quorum natura cum cœleſti felicitate comparata humillima eſt, ut de peccato interim taceā, quo natura eſt corrupta,) lateribus eſſe ſimiles,qui nulla in ſublime propenſione feruntur,in ima uerò maxima: noſtramque non ſecus ſe habere felicitatem, ac ſi laterum felicitas in eo eſſet,ut in excellentis alicuius ædificij faſtigio collocarentur.Planum uerò eſt,lateres ſuapte natura,nō modo ad faſtigium peruenire nullo modo poſſe, ſed ne tantillum quidem humo excitari,ut in ſuprema moueantur,cum natura in cōtrarium motum propendeant. Iam uerò fingamus eam eſſe lateribus innatam poteſtatem, ut præter naturalem grauitatem, aliam adhuc nouam, quotieſcunque liberet,adiungere poſſent: atque id quoque illis à natura inſitum,ut & in ſublime tollere uolenti,noua hac grauitate, & in imum propenſione,nō reſiſtant,naturali tamen grauitate nulla ex parte imminuta. F

ſi quis igitur extrinſecus motor accederet,(de ijs loquor,quæ cōmuniter fiunt,peculiari,quæ quibuſdam rarius contingit,gratia prætermiſſa)qui ſatis cōmodam facultatē ſuppeditaret, qua in ſublime lateres ferri poſſent: atque eorum nōnulli, nouā ei qui ſurſum impellit, grauitatem, & ad ima propenſionem opponerent; alii uerò minime: dubium nō eſt quin ij,qui noua grauitate nō reſtitiſſent,ad ædificij faſtigiū tollerentur,nō propria quidē tantum,ſed extrinſeci etiam motoris vi & facultate. cæteri uerò qui eo ſublati non eſſent, ſed nouæ grauitatis acceſsione,magis,magiſque ad ima deprimerentur,non motorē, ſed ſe potius ipſos accuſare debuiſſent; quod cum à motore ſatis ad ſeſe extollendos accepiſſent auxilij,eius tamen motui contrariam vim oppoſuiſſent. G

ita dicendum de Deo eſt. ille enim omnium hominum corda eo motu mouet, qui eorum duritiem mollire,eaque ad ſe conuertere posſit: nonnulli tamen nouam ſponte duritiem opponunt. Quare ſua ipſorum culpa perpetuis obnoxij ſupplicijs præſciuntur, & iuſto Dei iudicio reprobantur, cuius rigorem ſentiunt, qui malitia ſua diuinā experiri miſericordiam noluerunt. Alij uerò contrà ad ſalutem deliguntur, non ob eorum, uel opera,uel uoluntatem,uel cogitationem vllam,quæ diuinam in illis gratiam antecedat, & ad præſcriptum ſpectet finem; ſed diuinæ tantum miſericordiæ beneficio, quæ omnes illorum cogitationes,ac voluntates anteuertit. hæc mihi ratio magis quàm vlla alia probatur: ſed nec ea tamen diuinæ erga electos miſericordiæ; eiuſque erga reprobos iuſtitiæ,ſatis idoneam cauſam affert.electis enim pri- H

uantem

A uantem ſaltem actum tribuit,qui diuino motui anteire uidetur,nempe,quòd nouam illi duritiem nullam opponant:quamuis hoc minime abſurdum fortè uideatur,cum actus ille in bonis numerari non poſsit,ſed in ijs tãtum,quæ ſeſe cohibent à perpetrando malo; quod in improbis etiam hominibus cernere licet,cum eorum plerique à nonnullis prauis actionibus abſtineant. De reprobis autem ambigere fortaſſe quiſpiam poſſet,quamuis leuior ſubſit dubitandi ratio,diuinam uidelicet uoluntatem minus in illis iuuandis uideri efficacẽ. qua ſe difficultate ut explicaret Damaſcenus, hanc diſtinctionem excogitauit, eſſe nimirum in Deo, ſi noſtram loquendi conſuetudinem ſequamur,unam uolũtatem, quæ antecedens appellatur,qua omnes homines uult
B ſaluos eſſe;ut per uoluntatem intelligatur diuinæ gratiæ operatio, quæ in nobis ſufficiens eſt ad ſalutem conſequendam.Alteram deinde tribuit Deo voluntatem conſequentem,qua ſcilicet eos condemnat,qui ſpiritus ſancti ſuggeſtiones contumaciter repudiant; atque eos contrà ſeruat, qui oblatam ſibi gratiam humiliter admittunt,nec peruicaci obſtinatione reluctantur. Multa in hũc ſenſum ex ſacris literis afferri poſſent; at nolo hac nos uia incedamus: ſed diuinorum potius iudiciorum celſitatem in æternitate illa conſtitutam agnoſcentes, atque in unico illo & ſimplici cauſarum principio poſitam confitentes; (quod non modo noſtram,ſed angelicam etiam intelligendi vim,& ſecundum D.Dionyſium,ipſam quoque intelligibilem naturam,infinito ſuperat interuallo) imitemur D.Paulum,ſeraphinos ſequamur,nec ſublatis cõ
C tra diuinam ſimplicitatem alis, & impudenter erecto vultu,præſcriptos infimæ huic naturæ terminos tranſgredi conemur. verum defixis in terram oculis,reuerenter cũ electionis vaſe exclamemus, ô altitudo ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius; & velata facie cum ſeraphinis,in laudem & admirationem prorumpamus,alterna voce hymnum illum concinentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſebaoth; pleni ſunt cœli & terra gloria eius. Hãc ergo à cõcionatoribus rationem teneri vehementer optarem, ſi quãdo occaſio poſtularet,ut de ſublimibus hiſce & arduis rebus ad populum uerba facerent;ſi quando(inquam)poſtularet occaſio. nam inſignis profecto ſuperbiæ,& nõn paruæ (meo quidem iudicio) temeritatis argumentum eſt, ſi quis vltro iſthæc in vulgus proferre
D ſtudeat. Quanquam uideatur alicubi D. Auguſtinus, eorum ſtudia laudare, qui palam iſta plebi concocionantur. ſed tum fortaſſe neceſſaria erant ob Pelagij errorem, qui multorum animos occuparat: & Auguſtinum etiã conſtat expreſsis poſtea uerbis ſtatuiſſe, nulla prorſus ratione cuiquam fas eſſe,æternam prædeſtinationem, & gratuitam electionem impugnare, niſi quis ueritati ſimul bellum indicere auderet. Hactenus, quantum paſſa eſt rei difficultas, conati ſumus cauſam differentiæ huius inueſtigare , qua ab electis reprobi diſtinguuntur.Hæc uerò,quamuis ad obſcuriſsimæ quæſtionis explicationem, non inutilia fore uideantur; non tamen eiuſcemodi ſunt , ut manifeſte ſatis detegere ſtatim queant , quorundã hominũ imperitiam , qui eo inſaniæ prolapſi ſunt,ut effutire nihil erubeſcant,ſtultum omnino eſſe, continentiæ,

&

& ſobrietatis legibus anxiè ſeſe torquere, ac non potius omnes effrenatæ li- E
bidini habenas relaxare, cum definitus iam à Deo ſit, & certus electorum at-
que reproborum numerus:nec quicquam ab electis, quantumuis peruerſum
fieri posſit, quod Deo diſpliceat; nec à reprobis tam ſanctum, & honeſtum,
quod gratũ eſſe queat. Ex quo inſolentisſimè concludunt, ſi electi, inquiunt,
ſumus, ſaluari neceſſe eſt, ſi reprobi uerò, damnari; nec alterutram in partem
piis nos, aut ſceleratis operibus iuuari, uel lædi credendum eſt. Hic cardo præ
cipuus eſt, quo res tota verſatur. Hoc lethale poculum, quod ſalutis noſtræ
aduerſarius nobis porrigit, peſtifero plenum veneno, quod ille ex purisſimis
illis oraculis ſuxit, quæ cælitus ſunt nobis eo conſilio reuelata; ut, patefacta
diuinæ maieſtatis excellentia, noſtræque ſortis humilitate, ad opem illius F
implorandam excitemur; atque ut cuncta illi accepta referentes, & ex illius
prouenire gratia agnoſcẽtes quidquid volumus, ſentimus, cogitamus, quoad
eius fieri poſſet, fugeremus ingrati animi crimen. Vide obſecro, qua arte mo-
do, in contrarium omnino ſenſum iſta detorſit callidisſimus ille ſerpens, ma
le quorundam hominum arrogantia abuſus, & inſcitia, ad fraudem ſuam im-
peritæ multitudini perſuadendam. ego uerò diuinæ opis adminiculo effectu-
rum me confido, vt luce clarius appareat, in quantas inciderint errorum te-
nebras, in re omnium maxima. Quem ſane furorem, ſi in cæteris quoque vi-
tæ functionibus præſeferrent, neceſſe omnino uideretur, publico magiſtratus
decreto, tanquam mente captos, tutoribus cõmittere gubernandos. In eo igi
tur inſaniæ huius ſumma conſiſtit, quod cum in vnica illa, & ſimplici diuini- G
tate definita ſit omnium ſalus, & condemnatio; non amplius contingentem,
ſed plane neceſſariam eſſe putant; nec humano conſilio, aut prouidentiæ lo-
cum ſupereſſe: cum ſapientis non ſit, de rebus neceſſarijs, & ineuitabili lege
conſtitutis deliberare. His addunt, præclarũ illud ingenij ſui dogma; nec im-
proba electorum opera Deo diſplicere, nec grata eſſe reproborum opera bo-
na. Sed de his poſtea. Nunc uerò remoto ignorantiæ velo demonſtremus,
quàm leui ſibi fallacia grauiter imponi ſinant. Ac primum quidem, reſpon-
deant mihi velim, qui falſa doctrinæ opinione tantopere gloriantur; num in
diuina illa æternitate, electorum tantum, & reproborũ numerum certa con-
tineri lege arbitrentur; an aliarum quoque rerum omnium rationem, quæ ad
tuendam vitam, & Rempub. ciuiliter adminiſtrandam pertinẽt; quorum ni- H
hil non fortuitum uidemus & contingens: ut ſunt, uerbi cauſa, nniuſcuiuſque
uita, mors, diuitiæ, paupertas, ſanitas, ægritudo, agrorum fructus, & ne plura
commemorem, quæcunque ex caſu fortuito cõtingunt: cum ipſa nihilomi-
nus æterna lex præcipua ſit earum rerum effectrix, quæ ex fortuita cauſa pro-
ficiſcuntur: excipio tamen defectus. Hoc certè nemo ſanæ mentis inficias ire
audebit. Nã cum purisſimus ſit, & ſimplicisſimus ſempiternæ mentis actus,
nihil in eo non definitũ cogitari poteſt. Age uero & illud mihi reſpondeant.
Cùm æterno ſit decreto conſtitutum, prandere ne debeant, aut cœnare; hoc
ne, an illo apparatu; quid cauſæ eſt, quod tanta ſolicitudine curent, ne œco-
nomus in cibis emendis, & coquus in præparandis, atque eleganter condien-

A dis officio deſit ſuo? Ac non eadem potius ratiocinatione nituntur, nimirum
cum alterutrum ſit à Deo conſtitutum, neceſſe eſſe, illud eueniat, quod certò
eſt determinatũ. Quid igitur aduerſa valetudine afflicti, medicos accerſunt,
& præſcriptam ab ijs viuendi regulam tam diligenter obſeruant? cum de ſalu
te, aut interitu prorſus ſit definitum? cur ſemina terræ mandare iubent? cum
fato deſtinatum ſit, quos fructus ſint percepturi. Dubium ne cuiquam eſſe
poteſt, quin inſanus omnium iudicio uideretur, qui hãc rationem ſequi vel-
let in vita ciuili inſtituenda? Quin magiſtratus interdicto, bonorum illi pro-
curatio, ut dementi adimeretur? vſque adeo tamen naturæ noſtræ ſuperbia,
altis radicibus ex primi parentis delicto infixa, abuſus eſt humani generis ho
B ſtis, ut arrepta occaſione, ex ijs, quæ à ſpiritu ſancto ideo ſunt reuelata, ut ſta-
bilem nobis diuinæ maieſtatis præcellentiam, omni rerum natura, omníque
intelligendi capacitate infinitè ſuperiorem demonſtraret, ut in eius laudes ra
peret & admirationem, ut ſortis noſtræ humilitatem nobis, & vilitatem ob
oculos poneret; quo cum Chriſto demiſſi, & uera noſtri cognitione deiecti,
diuinæ naturæ, immortalis vitæ & æternæ felicitatis communione tollere-
mur; ex his, inquam, maximè ſalutaribus myſteriis ſumpta occaſione, eò nos
ſuperbiæ euexit verſipellis ille dæmon, vt non modo humanarum cauſarum
ambitum excedere nos poſſe operibus noſtris putemus; ſed infinitos euo-
que diuini orbis terminos tranſilire, ſapientiam fallere, voluntati reſiſtere
inſipientisſimè ſperemus. atque eò cæcitatis, ſeu furoris potius vanam ho-
C minum aſtutiam perduxit, vt impijsſima hac cogitatione animum ſuum ob-
lectare audeant nonnulli: valeant precor omnes vitæ anxietates, ſecurè mihi
licet voluptatibus meis inſeruire, & pulſa procul moleſtia, corpori indulge-
re. omnino enim ſaluari me neceſſe eſt, ſi æterni cõſilij decreto ſum electus.
At ergo contrà, conſtanter affirmare tibi non dubito, fore ut in æterni carce-
ris ſupplicia detrudaris; cum non ſalutis ſit, ſed mortis perpetuæ via, quam
flagitioſe es ingreſſus. Nã ut metere non potes, quin prius ſemina ſulcis inij-
cias, aut niſi medicum adhibeas, ex morbo conualeſcere; ita niſi pedem retu-
leris, fieri non poteſt, ut propoſitum pijs omnibus ſalutis ſcopum attingas.
Quòd ſi reſpondeas, eſſe te de ſalute tua ſecurũ, ſi modo electus es, nec perire
poſſe; ego vicisſim ex te quæro, ſit ne meſſis tua definita, & quid, quantũ me-
D tere debeas? ſit ne tibi vitæ terminus, mortisque tempus deſtinatum? cur er-
go non eandem ſequeris rationem, in rerum ciuiliũ adminiſtratione, qua ad
vitæ felicitatem conſequendam, & euitandas inferni miſerias vti velis? Vide
in quantam nos inſaniam perduxit tartareus ille dæmon? Sed iam promiſſi
mei memor, diuina fauente clementia, rationis huius, quæ euidẽtisſima eſſe
uidetur, & fortisſima, fallaciam detegere conabor. Operæpretium ergo fue-
rit, paulò diligentius notare, & memoria iterum repetere, quæ ſuprà ſunt à
nobis diſputata, de ea, quæ in Deo eſt, efficiendi ratione; quam ſimplicisſimã,
immutabilem, & propterea definitam eſſe diximus: quæ cum in æternitate
ſua operetur, nec fuit, nec erit vllum admittit; ſed, eſt, ſolo continetur, quod
tempus omne immenſo ſpatio excedit. Hoc igitur ante diluuium, eſſe, non,

fuiſſe, & poſt Antichriſtum ſimiliter, eſſe, non, ſore, dico. & illud quoque à **E**
nobis eſt prius explicatum, æternum hoc, eſt, omnes in ſe complecti cauſarum differentias, neceſſarias videlicet, fortuitas, liberas, coactas, &c. Iam verò intellectus noſtri acumen, quantumuis ſeſe extollat, fieri non poteſt, ut ad, eſt, illud diuinum vnquam pertingat; ſed ijs, quæ cogitando finguntur imaginibus affixum, (in ſingularium præſertim rerum intelligentia) nunquam ſe à tempore, & particularium cauſarum ordine diuellit. Quo fit ut diuinum illud, eſt, cum eſt ſuo temporali mens noſtra confundat, & ita diuinam efficiendi vim intelligat, non in immenſa ipſius latitudine, quæ omnem ſuperat intellectus capacitatem, ſed in ingenij noſtri anguſtijs, & infirmitate, atque in eo cauſarum ordine, qui ad certum quendam eſt naturæ affectum definitus. **F**
Atque hinc nobis oritur fallax illa cogitatio, qua in altisſimo prædeſtinationis myſterio, tam miſere decipimur. Quod ut manifeſtius appareat: cedo mihi reſpondeant iſti ſapientes. Primum, an Petri aut Ioannis determinatam omnino putent ſalutem, uel damnationem? Non dubito, quin certum eſſe alterutrum confiteri velint. & hactenus quidam rectè, ſi ad, eſt, illud diuinum, in quo nihil non immutabili conſilio fixum eſt, & ratum, meã referant quæſtionem. Sin uerò percunctando pergam, Num Petrum, aut Ioannem, vel ſaluos iam, cœleſtis regni voluptatibus frui, vel damnatos, inferni ſupplicijs torqueri exiſtiment? Negaturos certò ſcio; cum tamen eſt, illud diuinum, (in quo ſalus iſtorum, aut interitus, non erit dico; ſed eſt, decretus) quidquid apud nos futurum eſt complectatur. Ex his perſpicuum eſt, priori meæ interrogationi ita eſſe reſponſum, vt quamuis verba prima fronte, ad eſt, illud **G**
diuinum ſpectaſſe uiderentur; ſi quis tamẽ paulò diligentius animum aduertat, de hoc noſtro eſt, enunciata fuiſſe, & intellecta comperiet: ante quod & ea fuerunt, quæ præterita dicuntur, & poſt ſequentur quæ futura. Verùm, quia prædeſtinationis nomen, ſi cum effectu conferatur, quandam, ſignificatione ſua, prioritatem (vt vocant) ſeu prioris rationem includit: non eo quidem modo, quo præſens tempus, tempore futuro ſuperius eſſe dicimus; ſed quo cauſam effectu priorem enunciamus; perdocti iſti viri, in prima illa interrogatiuncula, eam quæ in prædeſtinationis vocabulo latet, prioris rationem intelligentes, Petrum aut Ioannem prædeſtinatum eſſe vltro conceſſerunt. At cum longisſimo ſit diſcrimine hoc noſtrum, eſt, ab illo diuino ſeparatum, & **H**
percunctanti propterea mihi, ſaluus ne iam eſſet Ioãnes, an damnatus, id eſt, an ad deſtinatum adhuc finem perueniſſet; hoc inquam percunctanti, cum inficias ire cogerentur, confeſtim detecta eſt ambigui ſermonis fallacia: atque manifeſtum euaſit, cum definitam eſſe hominum ſalutẽ, aut interitum vulgo dicimus, non diuinum illud, eſt, deſignari, ſed temporis noſtri inſtantis differentiam, in qua nihil eſt de futuris contingentibus certò conſtitutum. Simili prorſus errore, & prædeſtinationem, noſtro intelligendi modo, ut cauſam quandam concipimus, temporis ſucceſſione effectu ſuo ſuperiorem: cumque hac imprudentia ad rerum humanarum anguſtias, diuinæ efficientiæ amplitudinem reſtringimus, quæ cauſarum omnium naturam complexu ſuo

A xu ſuo cõtinens, omnibusq́ue longisſime antecellit, & cum animo eam per-
cipimus, ut cauſam quandam certis terminis circunſcriptam, & effectu ſuo,
temporis ſuccesſione, ſuperiorem; hac inquam inſcitia decepti, nulla ratio-
ne comprehendere poſſumus effectorum contingentium naturam, vtpote,
quibus contingentia quoque omnia, necesſitate quadam prouenire uidētur.
Nam in cauſis illis, quæ fixis naturæ cuiuſdam limitibus incluſæ ſunt, is de-
mum effectus neceſſarius omnino eſt, non contingens, qui in cauſa ſua iam
definitus exiſtit. & effecta quoq; contingentia ideo cõtingentia ſunt, quia in
cauſis ſuis, eſſe (vt dici ſolet) determinatum non habent. En tibi fallacia, qua
tam miſerè nobis imponimus, quæ inde eſt (vt vides) profecta, quod intelle-
B ctus noſtri tenuitate, & loquendi conſuetudine, immenſam Dei amplitudi-
nem, in earum rerum anguſtias coarctemus, quæ ingenij noſtri debilitate
comprehendi poſſunt. Quæ cum ita ſint, reſtat ut inclinata ceruice, diuino-
rum myſteriorum excelſitatem ſuſpicientes, (quæ non modo noſtræ ſortis
humiliratem, ſed omnem quoque naturæ capacitatem exſuperat) rerum hu-
manarum actiones, cauſas, euentus contingentes eſſe fateamur, nec certæ
vllius naturæ finibus terminatos. Atque ita tutisſimam illam fidei in Chri-
ſtum viam, non lubricam liberi arbitrij ſemitam ingresſi, non noſtris operi-
bus, ſed illius miſericordia nixi, eum ducem forti animo ſequamur, & (quoad
diuinæ gratiæ ſubſidio fieri poteſt,) ſedulò conemur, vt magis quotidie, ma-
gisq́ue refrænatis ac imminutis peccati reliquiis, & prauæ cupiditatis affe-
C ctibus, perpetua in dies accesſione, cœleſtis in nos gratiæ, & diuinæ (vt inquit
D. Petrus) naturæ participatio augeatur, in qua per lauacrum ſpiritalis gene-
rationis nati ſumus. Neque enim dubium eſt, quin ſi hoc iter teneamus pro-
poſitam electis omnibus ſalutem, electi tandem conſequemur. At ſi poſt
impias cogitationum noſtrarum præſtigias inſipienter diuagemur, fieri non
poteſt, ut ſempiternæ perditionis præcipitia euadamus. Plurima in hanc ſen-
tentiam ex ſacris literis afferre poſſem, quæ quotieſcunque nobis viuendi
normam præſcribunt, de ſalute & damnatione noſtro more verba faciunt:
nihil adhuc definitum affirmantes; ſed non obſcurè inſinuantes, quam ſint
incerta omnia: vt dubio procul ſeſe res habet; non ſecus quam in cæteris
omnibus, quæ contingentia vocantur. Hac nos opinione animis noſtris pe-
D nitus defixa, non aliter Chriſtianam vitam (quod ad rerum certitudinem ſpe
ctat,) inſtituere debemus quam ciuilem. & ſi quando de æterno Dei Decre-
to, mentionem fieri contigerit, diligenter cauendum ne ad nos illud pertine-
re arbitremur, aut intellectus noſtri viribus percipi poſſe: ſed ideo tantum
arcanum hoc diuini conſilij myſterium patefactum nobis putemus; vt in
immenſæ amplitudinis, & ineffabilis Dei ſimplicitatis admirationem rape-
remur, & ſummam denique amplecteremur bonitatem, quæ præuenientis
gratiæ auxilio, omnes actiones noſtras moderatur. Hic fructus eſt, quem ex
reuelata prædeſtinatione percipere oportuit; nec eò audaciæ & arrogantiæ
efferri, vt præſcriptos à Deo rerum humanarum terminos, veſana temerita-
te tranſgredi velimus. Sed de his ſuprà. Paulò iam longius prouecta eſt ora-

tio noſtra,petulantiæ huius indignitate;ſed temperabo iam mihi,& vnde di- E
greſſus ſum reuertar. Nolo igitur ex ſacris eloquiis innumera proferre teſti-
monia,ad ſententiam noſtram confirmandam, ne nimia prolixitate tædio te
afficiam. Hoc tamen breuiter dicam, de execrando illo furioſorum homi-
num dogmate, qui mala etiam electorum opera Deo placere; reproborum
uerò facta quantumuis honeſta odioſa eſſe docent: Mirari me,quod non pu-
deat imperitisſimum hoc, & impijsſimum hominum genus,tam ineptè iſta
effutire, quæ patrum fortaſſe aliquis non abſurdè pronunciauit, ſi quis beni-
gne interpretetur. At ſi in eum quiſpiam ſenſum detorqueat, quem verba
præſeferunt, nihil abſurdius,aut à veritate alienius, dici aut cogitari poteſt.
Neque enim in controuerſiam vocare fas eſt, quin Deo maxime diſpliceant, F
quæcunque contra ipſius præſcripta ab electis perpetrantur.Non fauet Deus
hominum ſceleribus,quæ funditus delere ſummo ſtudio contendit. Verum
quidem eſt, ſolere probos & electos, ex peccatorum cœno emergentes, non
minimam inde percipere vtilitatem: cum imbecillitatis ſuæ conſcij, animũ
& faſtum demittant, & ad deuitandas delictorum occaſiones, cautiores effi-
ciantur. Qua tamen ratione,non electorum maleficia, ſed ipſimet electi, qui
ex maleficijs reſipiſcentes, meliores euadunt, placere dicuntur. Ita & repro-
borum recte facta, magnoperè Deo grata ſunt & accepta, nec aliud quid-
quam offendit,quàm quòd bene agendo non perſeuerent.Quo fit,ut in ingra
ti animi crimen delapſi,maiorem in ſe diuinæ iuſtitiæ indignationem prouo
care non deſinant. Hoc ſenſu à veteribus dicta ſunt, & à nobis intelligi de- G
bent,quæ indocti iſti,& præfracti iudicij homines, paradoxa & mirabilia po-
pulo proponunt. Quæ cum non explicentur, non modo nullam pariunt vti-
litatem; ſed pios omnes ſummoperè offendunt:imperitos uerò in pernicio-
ſisſimos perducunt errores. Iam finem ſcribendi faciam, vbi prius fuero ci-
ues tuos exhortatus, vt procul ex Repub.ſua pellant peſtifera iſthæc dogma-
ta,quæ ad fallendam plebeculam dæmonis fraudibus excogitata ſunt,& à te-
merarijs hominibus in Eccleſiam inuecta. Primi generis arrogantia vt re-
tundatur,quoad eius fieri poteſt maximè,Dei gratia, & fides in Chriſtum ex-
tollatur, repreſſa ex aduerſo operum, ſcientiæ & arbitrij noſtri confidentia.
Altera uerò opinio ut funditus tollatur, danda eſt opera diligenter, ne de præ
deſtinatione,& præſcientia Dei,quidquam à concionatoribus proferatur; & H
ne hoc præſertim modo, populum vlla ratione doceant, quo in manifeſtam
adiguntur homines inſaniam,cauendum. Sin uerò res aliquando poſtularit,
vt de hiſce rebus verba faciant,non ad plebis perniciem referant ſermonem;
ſed eum ſemper vtilitatis ſcopum propoſitum ſibi habeant, qui ſæpius eſt à
nobis antea declaratus. Deus Optimus Max.Rempub. veſtram incolumem
conſeruet,& greſſus veſtros in ſemitis ſuis dirigat. Bene vale in Domino.

IN PSALMVM,

AD TE LEVAVI OCVLOS MEOS.

B

QVARE triſtis es anima mea,& quare conturbas me?Reue-
ra ſi benè perſpexeris, nihil aliud te conturbat, ac mœſtam
facit, niſi peruerſus animi affectus; cuiuſcunque uerò affe-
ctus principium eſt amor, qui eſt etiã omnium affectuum
animi primus. is ſi iratus fuerit,alij quoq; affectus irati ſint
oportet. Sin uerò peruerſus fuerit amor,ſtatim affectus re-
liquos inficit,ac animam conturbat. Ac is rectus eſt amor, quo tendimus in
eum,à quo uita noſtra & noſtra perfectio eſt,Deum inquam optimum & ma
ximũ;Is enim animæ uita eſt,ut anima corporis uita.Peruerſus amor ille eſt,
C quo anima à uita ſua degenerat,& à creatore ad creaturam cõuertitur.Immò
plerunq; à ſe ipſa degenerat,cùm tendit in ea,quæ longè ſunt animo imperfe
ctiora & viliora; in voluptates,inquã,corporis brutas ac ferinas,quibus bru-
teſcit homo,& comparatur iumentis inſipientibus,ac ſimilis illis fit.Item in
cupiditatem pecuniæ,aut ambitionem honoris,ac huius generis reliqua.Hic
peruerſus eſt amor,hic affectus omnes inficit,animamq; cõturbat,ac triſtem
reddit. quare anima mea,ſi eruere triſtitiam volueris, neceſſe eſt,ut amorem
mutes, ac ex præpoſtero rectum, ex malo bonum efficias. Sed quis hominis
voluntatem mutare poteſt niſi Deus,in cuius manu omnium ſunt corda?cer
tè à nobis neq; facere,neq; cogitare aliquid ualemus. Præterea maximũ Dei
donum eſt charitas & amor, quo Deum plus quàm omnia diligimus, in quo
D quieſcimus, per quem ſupra corpoream omnem creaturam, ac ſupra mentẽ
noſtram conſcendimus vſq; ad areolas aromatum,vſq; ad ſummi boni ac bo
norum omnium fontis guſtum quendam,ſupra quàm dici aut explicari poſ-
ſit,ſuauisſimum.Sed anima mea ſi quæras,quomodo amorem hunc à domi-
no impetrare queas,cùm ſis in peccatorum profundo ſubmerſa, conuerte o-
culos tuos ad dominum,de profundis ad ipſum clama, exaudiet te procul du
bio.Nam etſi in profundis es tu,Deus autem in altisſimis,non tamen abeſt à
profundis,qui vbique eſt. Clama ergo ad dominum de profundis,& dic cum
Propheta Dauid. [*Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis.*] Leua, attolle pri-
mùm oculos corporeos, ſuſpice cœlos, intuere ſtellas,lunam ac ſolem. Hæc
omnia fecit dominus Deus tuus. magna certè eſt virtus domini, & ineffabi-

lis potentia eſt altisſimi. Hanc eius potentiam cœli ſanis omnibus enarrant E
ac prædicant, ſurdi ſunt, qui tam illuſtres voces non exaudiunt. Magnus er-
go dominus qui tam magna de nihilo creauit, non tamen deterreberis ma-
gnitudine, ſi bonitatem cogitabis, ſi tecum putabis quantùm te dilexerit. Hæc
tam magna propter te facta ſunt, ut tibi ſeruiant cæteriſque animantibus, &
plantis, quæ omnia ſubiecit tibi, omnia namque ſubiecit ſub pedibus homi-
nis, oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi. Demum propter te hic
immenſus omnium creator verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, factus
eſt homo, inter homines verſatus, ac tandem ab impijs pro ſalute omnium
hominum crucifixus. Cur ergo vereberis adire eum, qui tantùm te amat; tam
magna propter te fecit? Quamobrem, poſtquã eleuaſti oculos corporeos ad F
cœlum, attolle oculos mentis ad Deum, & dic, ad te leuaui oculos meos, ad
te inquam, Deum verum & viuum, Non ad aliquam creaturã, quam mihi vt
Deum meum conſtituerim, ſed ad te qui habitas in cœlis, domicilium tuum
ſunt cœli, non quod domicilio aliquo egeas, qui in te ſolo es, & omnia conti-
nes, ſed ea appellamus habitacula tua, in quibus peculiaris quidam fulgor bo
nitatis tuæ præ alijs apparet. Cœli iſti viſibiles domicilium tuum ſunt, ut tu
dicis apud Prophetam, Cœlum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorũ.
Sublimiora tamen habitacula tua ſunt cœli cœlorum, cœli qui te ſemper lau
dant, ſupernæ inquam Hieroſolymæ ciues angelicæ mentes, ac beatorum ſpi
rituũ chori; in quibus adeò manes, vt tuæ diuinitatis participatione facti ſint
Dij, eiuſdemque fœlicitatis compotes, qua tu in æternum es fœlix. qui habi- G
tas ergo in hiſce cœlis, ad te leuaui oculos mentis, ut me adiuues, ut me libe-
res ab æſtibus cogitationum prauarum, ut me in profundis iacentem erigas
& attollas, ſtillamque dulcedinis ac amoris tui inſtilles, curret poſt te anima
mea Deus meus, ſi vel pauxillum ſenſerit, quantum ſis dulcis redemptor
meus. Nunc, quia ægrota eſt, dulcisſimum te non ſentit, tuo ſplendore non
capitur, immò voluptates huius ſæculi amaras, dulces iudicat. Memoria
repeto redemptor meus, cùm olim tuo amore capiebar, omnia mihi alia ni-
hil facienda viſa eſſe, tu ſolus animum occupabas, implebas ac posſidebas,
necnon erigebas ſupra hanc corpoream molem, immò ſuprà ſeipſum, ut pe-
nè ſe non ſentiret, qui tuo amore totus tenebatur. Nunc uerò ſua ignauia do-
mine mî, redemptor mî, ſalus animæ meæ, ſpes mea, vſque ad profundum H
abyſsi deſcendit, innumeris laqueis detinetur, curuatus eſt vſque in finem,
oblitus tui eſt, oblitus ſui, ſimilis factus eſt iumentis inſipientibus. Sed ama-
tor mî, ſeruator meus, qui infinities me de innumeris tribulationibus libe-
raſti, quem nunquam fruſtra inuocaui, exaudi ſeruum tuum, libera captiuum,
ſuſcipe impulſum ne corruat, ſuppone manum tuam Deus meus. Ad te enim
leuaui oculos meos, *ſicuti oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita ocu-
li noſtri ad dominum Deum noſtrum.*] Vellem domine te amare ut filius, quem
gratia tua per fidem Ieſu Chriſti in filium adoptaſti. Verùm ingratus ac tam
magni beneficij immemor, cecidi à gratia tua, amare te non poſſum. Sed
pro te vilem quampiam creaturam amo. Iccircò timebo te ut ſeruus, tor-
menta

A menta gehennæ verebor, quæ parata ſunt vaſis iuſtitiæ tuæ, quæ quia miſericordiam tuam neglexêre, inciderunt in iuſtitiam tuam: timor hic ſeruilis eſt, fateor, non ingenui animi, concedo, nō tamen negligendus. Nam initium ſapientiæ eſt timor domini; hunc timorem conſequetur charitas, & amor ille ſuauis omni melle dulcior, cùm mei miſertus eris, donec tamen miſerearis noſtri. *Sicuti oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita erunt oculi noſtri ad dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.*] Quod ſi quando ſerui ob virilem ſenſum proterui ſunt, pertinaces ſunt, cōtumaces dominis ſuis ſunt; *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominum Deum noſtrum.*] Pauent ancillæ, vel nutum dominæ ſuæ verentur; quòd ſi quando errauerint, muliebri gemitu ac vlulatu, promptiſque lachrymis veniam
B petunt. Ita oculi mei ad te domine, iniquitatem meam agnoſco, fateor, veniam peto, ac gemitibus ab intimis cordis viſceribus adductis te oro, ut mei miſerearis, ut ſubleues me de luto fecis, & de profundis aquarum, vt æſtus cogitationum prauarum, quæ me vehementer infeſtant, mitiges ac ſedes; quot aſpera ſunt in anima mea? quot diſtorta & luxata membra? quos fluctus imaginationum ſentio? O domine mi, ſpes mea, in qua confido ab vberibus matris meæ, pone torta in directa, & aſpera in vias planas, confirma luxata & debilia, amoue imaginationes prauas; & conuerte mentem meam ad te altisſimum & optimum, ut me pudeat terrenæ cuiuſpiam voluptatis, dum nectare tuo perfundor, conuerte interiorem ſenſum meum ad Ieſum filium tuum cruci-
C fixum, illius imaginem imprime in memoriam meam, eius me ſigno inure, ut nihil aliud imaginari queam niſi Ieſum Chriſtum; ille via eſt, qua aſcendimus ad patrem, per hominem Deum quem imaginari queo, aſcendam ad Deum meum, quem nullus intellectus capere ualet. Reminiſcar domine per gratiam tuam vulnerum domini, reminiſcar flagellorum, ſputorum, & acerbisſimæ mortis, quam pro me ſubijt; intuear hominem Deum in cruce pendentem pro me, ac ex eo gloriam capiam. Nihil ſapiebat Apoſtolus Paulus niſi Ieſum, & eum crucifixum, Abſit, inquit idem Paulus, ut glorier niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo: ita quoque ſpes mea & refugium meum in omnibus tribulationibus meis. ſit per illum mundus crucifixus mihi, & ego mundo. Si homo hic
D terrenus, quem mecum gero, qui me premit, fuerit crucifixus cùm Chriſto & mortuus mundo, reſurgam domine cum Chriſto mundo ſpiritu, ac à terrenis affectibus purgato. Hæc magna miſericordia tua domine, immò omniū maxima, fac me, oro te, participem huius miſericordiæ tuæ. Semper ergo oculi mei erunt ad dominum noſtrum, donec miſereatur noſtri. *Miſerere noſtri domine,* iterum dico, *miſerere noſtri.*] Nam uniuerſæ uiæ domini miſericordia & veritas, id eſt iuſtitia, opera iuſtitiæ tuæ immenſa ſunt, infinita eſt iuſtitia tua, ſed infinita quoque eſt miſericordia tua, & in omnibus operibus tuis opera miſericordiæ præcedunt opera iuſtitiæ. Iuſtitiæ opus eſt, unicuique debitum reddere, quid autem debitum alicui rei erat, antequam ex

ex nihilo faceres; prius ergo ex bonitate & miſericordia tua fuerunt, quàm E
eis aliquid deberetur. Ecce quomodo miſericordia præcedit iuſtitiæ opera. Ergo domine ſi miſereberis mei, ſi eriges ſenſum animæ meæ ad inferos vſque incuruatum, ſi attolles ad te Deum viuentem, ſaluabis poſtea me per iuſtitiam tuam. Miſertus es mei ſemel, fateor, miſertus iterum, concedo; eruiſti me ſæpius ex abyſſo peccatorum & tribulationum. Non diffiteor. Tamen domine miſerere noſtri adhuc; donec viuimus in mundo, indigemus ope tua, ceſpitamus ſæpius, cadimus frequenter, quia in mundo ſumus. Tu autem non es in mundo; quando autem etiam nos per gratiam tuam non erimus in mundo, non aberrabimus, non cademus; Nunc uerò peregrinamur abs te, in mundo ſumus innumeris laqueis impliciti. Memento quod ad te F
patrem dixerit filius tuus Ieſus, Pater ſerua eos, quia in mundo ſunt. Videbat pius Ieſus mundi ſtimulos, infirmitatem noſtram ſciebat, quare nouerat continuo quodam fomento nos indigere, iccircò ante obitum orat te pater omnipotens pro nobis, vt ſerues nos, quia in mundo ſumus. Orauit etiam pro nobis, cum pro ſe dixit, Pater glorifica filium tuum, ut filius tuus glorificet te. Scio domine quod effectus perfectio ad gloriam cauſæ attinet, nos miſeri figmentum ſumus manuum tuarum, vt ergo in nobis ſanctificetur, ac glorificetur nomen tuum, ſanctifica & glorifica nos. Tunc enim euidens in nobis erit imago tua, ad quam facti ſumus, quam deformem adeò vitijs ac peccatis noſtris fecimus, vt deformati ab imagine tua ad Diaboli imaginem videamur. Sanctifica ergò nos domine, ac inſtaura imaginem tuam, Diaboli uerò imaginem deſtrue. Pudet me domine imaginis Diaboli, pudet me G
prauarum cogitationem ac affectuum quibus diſtrahor. Miſerere ergo noſtri, *quia multum repleti ſumus deſpectione, multum repleta eſt anima noſtra.*] Externa laus, & externa deſpectio animam noſtram non implet. Si qui vani humanis laudibus ducuntur atque extolluntur, aut vituperijs deprimuntur, non tamen eorum anima impletur laude aut deſpectione: laus & deſpectio quæ implent animam, à propria vniuſcuiuſque conſcientia proficiſcitur: qui ſibi peccati conſcius eſt, licet vbique ſentiat ſe laudibus celebrari, quamuis admiratione dignus habeatur, quia tamen ſe ipſe negligit ac deſpicit delicti conſcius, anima eius non externa laude, ſed propriæ conſcientiæ deſpectione repleta eſt; Omne namque negligendum ac deſpiciendum eſt, à quo Deus H
procul eſt. Sibi uerò delicti conſcius, ſentit Deum procul à ſe eſſe, quare ſe deſpicit. Itidem à Deo deſpicitur, cui factus ſua culpa ex filio inimicus, à cœleſtibus etiam mentibus ac angelorum choris vituperatur: quamobrem fit *opprobrium abundantibus*, abundant illi, ac ſupereffluunt veris bonis, diuino lumine perfuſi, ac diuinitatis compotes. vituperant illi ac improperant peccatori, non tamen deſpiciunt, ſed potius miſerentur, ac pro eius ſalute altis ſimum orant. At ſuperbi, mali inquam, ſpiritus ac nequam homines deſpiciunt, conculcant & conterunt. Sic ergò fit *opprobrium abundantibus ac ſuperbis deſpectio.*] Tu uerò Deus omnipotens gratiis affluens ac miſericordia illu-

ſtris

A ſtris proteges hunc miſellum ſeruum tuum ad te clamantem, ad te ſuſpirantem, opem tuam implorantem, illi porriges dexteram, ac de luto fecis ad flagrantiam ac lumen tuum eriges; ſperat in te, confidit in te, liberabis eum procul dubio, quia in te ſperat. Tu namque dixiſti in Pſalmo per prophetam, Quoniam in me ſperauit, liberabo eum; clamauit ad me, exaudiam eum. Nullam aliam liberationis cauſam affers, niſi quia in te ſperauit, & ad te clamauit. Noli ergo eſſe triſtis anima mea, ne conturbes me, ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, licet interpellatus aliquantiſper fuerim ab eius confeſſione, nihilominus confitebor illi adhuc. Ne deſperes, citò

B me eriget miſericordia eius, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

[stamp]

RERVM AC VERBORVM,

QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR, INDEX COPIOSISSIMVS.

A

ABraha ſinus. 372.f
abſolutio ſacerdotis eſt forma ſacramẽti pœnitentiæ. 363.b
abſtinẽtia carniũ 577.d
Accidens quomodo dicatur ens. 172.g
accidentis natura. 134.f
accidentia complexionum. 73.b
acetum. 65.c
acetum cur ignem extinguat. 53.c 54.f
acolytus. 378.g
actus per ſe exiſtens. 7.d
actus non indiget potentia in ſui definitione. 131.d
actus perfectio multiplex. 131.a
actus ſubſtantiales & actus accidentales. 131.a
accuſare ſoli Aduocatores poſſunt. 300.e
Adam primi mala, & bona ſecundi, qui eſt Chriſtus. 437.f
adiuncti decemuirum collegio. 292.b
adiuncti ſenatores. 291.d
adoratio ſanctorum. 544.h
aduocati reorum publici. 300.e
aduocatorius magiſtratus. 269.c.298.h
Aequale ſignificat vnum quantitate. 114.g
æqualitas Arithmetica. 276.h
æquinoctialis circuli habitatio. 39.d
Aer cur non calefacit vt ignis. 43.d
aer vtrum ſit coloris candidi. 86.g
aer Dæmonum habitatio. 485.d
aeris elementum nullibi ſimplex & purum. 26.e
aeris accidentia. 26.h
aeris vires in mixtionibus. 54.h
aeri leuitas & grauitas accommodatur. 19.d
ærarij curam habentes magiſtratus. 308 g
æs alienum Reip. Venetæ. 310.h
æſtus marini cauſa. 32.f
ætatis ſolum diſcrimen inter ciues Venetos ſpectatur. 273.a
æthiopes cur in Africa tantum inueniantur. 40.f
Affinitatum gradus matrimonium impedientes. 393.a
affinitas ex fornicatione. affinitas ſpiritualis. 394.f
αἰών. quid ſignificet apud Hom. 485.d
Alimentum mixtum corpus eſſe. 73.c
aliquid quam cognationem habeat cum ente. 128.g
alia efficiunt plantas propinquas odoratiores. 81.c
alpharabij opinio de entium principio. 155 b
alteratio ex qualitatibus contrarijs pendent. 41.d
Amans verus quis ſit. 126.f
amor eſt principium cuiuſcunque affectus. 625.b
amor appetitus intellectualis. 163.c
amor ex bono originem trahit. 125.d
ex abundantia & penuria natus eſt. 126.a
affectus omnis principium eſt amor. 625.b
Anaxagoræ opinio de elementis. 3.c
Andreas Contarenus Dux Venetiarum. 263 d
Andreæ Gritti comitia quibus ille dux Venetiarum electus eſt. 287.a
angeli. 156.b
angeli Dei miniſtri ad illuſtrandas hominum mentes. 403.c
angelorum liberum arbitrium. 608.g
angelorum ac dæmonum cultus reijcitur. 499 b

INDEX.

499.b.500.g
anguli recti ad ſemirectum proportio in Iſoſceli triangulo. 4.g
anima non poteſt eſſe entium principium. 135.c
anima immaterialis poſt intellectum proximum primo enti locum obtinet. 159.c
anima cœleſtium corporum an cauſam efficientem habeat. 559.d. qualis ſit. 161.d
anima ſeparata ſecundum Theologos habet rationem partis. 224.c
anima cur definiatur per eſſe actum corporis, & non per eſſe ſeparatum. 225.a
anima ſeparata quomodo ſenſibilia intelligat. 227.c
animæ eſſentia conſiſtit inter diuiſibilia & indiuiſibilia. 135.c
animæ motus quodãmodo circularis. 239.b
animæ ſtatus poſt mortem. 194.f
animam eſſe mortalem quibus argumentis oſtendatur. 595.a. eorum argumentorum confutatio. 195.d
animæ totius litera Græca x figuram Plato attribuit. 239.e
animæ cælorum. 145.g
animæ ſuperiores & inferiores quo pacto ſe inuicem intelligant. 162.f
animæ ſeparatæ diſtinguuntur ſecundum ſe. 226.f
animal ex ſe mouetur. 11.c
anni initium. 255.d 258.e
Apoſtolorum decreta & canones. 549.b
appetitus intellectualis. 163.c
appetitus & voluntatis differentia. 191.a
appetitus triplex eſt. 192.b
Aqua magis grauis quam aër leuis. 28.b.
nullibi pura. 29.a
aqua terræ & aëri immixta. 29.d.30.e
aqua cur terra maior. 36.f
aqua & terra ſunt materia mixtorũ. 55.b
aqua vtrum ſit coloris candidi. 86.g
aqua in Sacramento euchariſtiæ quid ſignificet. 350.f
aquæ leuitas & grauitas accommodatur. 19.d
aqua elementum intra viſcera terræ ſitum ſecundum Platonem. 29.b
Arbitrium in brutis quale. 598.f
archangelus pro Chriſtus. 504.g
area ignis accidens. 26.b.27.a
argentum viuum.c.
Ariſtotelis locus in prædicamentis de contrarijs. 129.c
Ariſtoteles Deum ſimilem facit antiquæ legi. 266.f
Ariſtotelis ſententia de aquæ elemento. 29.e
Ariſtotelis de terra habitabili opinio. 38.g
Ariſtotelis ſententia quæ fuerit de anima. 201.d
arra & pignus quid inter ſe differant. 484.c
Aſſatio. 63.a
aſtrologia inanis. 9.a
Athalanta inſula ex terræ motu obruta. 38.f
Athanaſii libelus de imagine Chriſti. 561.d
Athenienſium rogationes quomodo fiebãt. 294.e
Athenienſium mos in iudicijs. 301.a
atoma. 3.d
Auaritia radix malorum omnium. 510.b
auditor idoneus primæ philoſophiæ. 99.d
auditores veteres ac noui. 305.c
Auguſtini verba de ſacrificio Eccleſiæ. 357.d
Auen Paces ſententia confutatur de coloribus. 83.c.149.b
Auerroes refellitur. 46.f
Auerroes vnicum intellectum probat. 181.c
Auerroes de motu Planetarum. 243.a
Auerrois opinio de terra habitabili. 39.b
Auerroës reprehendit Auicennam. 253.c
Auerroes opinatur, nullũ ens à materia abſtractũ eſſe præter animas cælorũ. 154.b
Auerrois

Auerrois ſententia de numero complexionum. 70.e
Auicenna primum principium nominat neceſſe eſſe. 355.b
Auicenna opinio de terra habitabili. 39.b
Auicenna opinio refellitur, ponentis elemẽta eſſe in mixto corpore in actu perfecto. 44.f
Auicẽna amoris modũ nõ intellexit. 152.f
aurum. 171.e
aureus numerus. 253.d.257.d

B

Baptiſma ſpiritus & ſanguinis. 342.h
ad efficiendum baptiſmatis ſacramentum quæ requirantur. 345.b
baptiſma in nomine Chriſti an valeat. 343.d
baptiſma Ioannis. 346.h
baptiſma. 534.f
baptiſmatis generatio reſpondet naturali generationi. 341.a
baptiſmatis arcanum, forma, materia, vis. miniſter. 341.a. miniſter vnus tantum. 344.e
baptiſmatis ſolemnitas. 344.g
baptiſmatis iteratio. 521.e
baptizare ſeipſum nemo poteſt. 344.e
baptizati ab hæreticis non rebaptizandi. 560 b
Bartholomæus Coroneus Bergomenſis, vir præſtans rei militaris gloria. 318.g
Baſilius quo tempore Martyrium meruit. 549.d
Beatitudo hominis ſuprema quænam ſit 410.e
beatitudo hominis tribuitur remiſſioni peccatorum. 437.d
bella non eſſe per ſe expetenda. 264.h
benedictus ac benedictio quid valeant. 482.b
Berengarius auctor hæreſeos de Sacramento euchariſtiæ. 352.h
Bigami irregulares ad ſacros ordines ſuſcipiendos. 395.d
Bonum quid ſit, & quod eſt æquale enti. 124.g
bonum ſimpliciter & ens ſimpliciter differunt. 125.a
bonum commune melius mandatur vni, quam pluribus. 402.f
Brumale ſolſtitium. 255.c.& 257.a
bruta à natura, non autem proprio iudicio ferri. 598.h
Bucentaurus nauis. 282.f

C

Cæcitas cordis cur dicatur malitia. 490.g
cælibatus præſtantia. 574.g
cælum quo pacto ignis ſphæram mouere queat. 23.b
cæli natura. 164.g
cæleſte corpus habet eſſe ab intelligentia. 214.h
cape. 81.e
cæremoniæ. 541.e
Calidum per accidẽs interdum efficit coagulationem. 64.e
caliditatis natura. 48.f
calor naturalis & calor extraneus inter ſe pugnant. 59.a
calor humiditati coniunctus facit digeſtionem per modum elixationis. 63.a
— coniunctus ſiccitati facit digeſtionẽ per modum aſſationis. ibidem.
calor cæleſtis, & elemẽtaris. 164.h. & 165.a
calor naturalis. 165.b
caloris definitio. 57.b
caloris actiones atque operationes in mixtis. 61.e
calori in mixtorum generatione vim principem attribui. 58.d
calorum cauſa in terris. 39.b
calx cur aqua accenditur. 72.f
cancellarius Venetorum. 323.d
capita decemuirum. 296.f
capita tribuum. 304.g
caro pro lege. 437.b

caro

INDEX.

caro. eſſe in carne, pro eſſe ſub lege. 440.e
carnium abſtinentia. 577.d
cauſa non entis. 8.b
cauſa materialis prima aliarum hominibus ſe obtulit. 545.c
cauſa agens materiam præſupponit, non efficit. 147.d
cauſæ efficientes noſtri ordinis quantum deficiant à primo efficiente. 548.h
cauſas medias perquirere philoſophi eſſe. 249.c
cauſarum genera. 605.a
Character ſacramentorum, 337.a
charitas eſt virtus ad voluntatem pertinens. 410.h.412.e
charitas terminum neſcit. 428.h
charitas non agit perperam. 459.b
charitatem tolli per peccatum. 362.b
chirographum. 500.e
chriſma. 534.h
chriſma quãdo & à quo conſecretur. 348.e
Chriſtus cur naturam humanam aſſumpſerit. 517.a
Chriſtus Moyſi præfertur. 518.e
Chriſtus quomodo omnia impleuit. 489.b
Chriſti iuſtitia nobis imputatur. 469.a
Chriſti corpus organum diuinitatis. 332.h
Chriſti paſſio teſtimonium iuſtitiæ & veritatis Dei. 508.g
Chriſti ſacerdotium. 519.d
Chriſti duo ſacrificia figurata in ſacrificijs veteris legis. 523.c
Chriſtum omnibus angelis prælatũ fuiſſe. 515.d
Cibi immũdi ſanctificãtur oratione. 509.d
circitor cur non tantum in latitudinem moueat, quantum in longitudinem retroducit. 251.b
circuncifio quid ſignificabat. 330 f
circuncifio. 346.e
ciuitatis gubernatio an vni, vel paucis, vel multitudini committenda. 265.b
ciuitatis gubernatio quæ optima. 267.a
ciuitatis regendæ ius nobilitati tributum. 269.a
ciuium numero qui habendi ſint. 268.f
ciuilem ſocietatẽ vnitate contineri. 282.g
Claſſis legatus. 320.g. Imperator. ibid.
Claues ordinis ſacerdotalis. 367.b
claues iuriſdictionis. 368.e
clauium poteſtas. 584.f
clericorum electio & promotio quanta diligentia faciẽda ſit ab Epiſcopo. 422.e
clericorum inſtitutio. 422.h
Coagulatio. 63.c
cognitus à Deo pro in cognitionem adductus. 480.f
coitus extra matrimonium eſt fornicatio & peccatum. 387.b
collegium præconſultorum. 293.b
collegium x virum. 296.f
collegia tria xxxx iudicum. 302.h
color vnde efficitur. 82.b. quid ſit. ibid. eſt in ſuperficie. 83.a
coloris natura alia eſt à natura luminis. 84.e
coloris ſpecies. 85.b
colores medij. 88.e
colores raro tales apparent, quales ſunt. 88.h
colorũ differentia Deo tantum nota. 88.g
Columella citatur. 255.d.257.a
cometa quando fiat. 24.f
cometa ſpecies. 24.f
comitia Ducis Venetiarum creãdi. 284.h
comitia vltra ſolis occaſum non protrahuntur. 275.d
comitiorum habendorum ratio. 271.a
communicatio ſub vtraque ſpecie. 537.c
comparationes in analogis commodius fieri quam in vniuocis. 506.f
competitores magiſtratuum ab electoribus renunciati. 274.e
complexionum genera. 67.c
complexionem temperatam inueniri non poſſe. 67.g

HH com-

complexionum accidentia. 73.b
compoſitum eſt illud quod eſt. 218.e
concilium nullius exiſtimationis habitum, quod ſine auctoritate Pontificis coactũ fuiſſet. 553.a
concilia vniuerſalia quando cogi cœpere. 548.g
cõcilia ab Apoſtolis cõuocata fuiſſe. 548.g
concluſio ſyllogiſmi. 234.e
cõcluſiones plures ex vno ſyllogiſmo. 235.e
concoctionis definitio ac materia. 61.d
concupiſcentiam eſſe peccatum non actuale, ſed originale. 440.f
condemnandi verbum quomodo interdum ſcriptura vſurpet. 527.c
confeſſionis Sacramentum. 571.a
confeſſionem eſſe de iure diuino. 364.e
confeſſionẽ neceſſariã eſſe pœnitenti. 538.g
confirmationis Sacramentum. 347.b
coniugij tria bona. 387.b
conſilium magnum ſtatum popularem referens. 269.b
conſilij magni lectio quomodo fiat. 269.d
conſilij magni munus ac poteſtas. 270.b
Conſiliarij ſex Duci Venetiarum adiuncti. 281.a
Conſiliarij Duci aſſidentes, eorumq́; creatio & poteſtas. 288.g
conſonantia διὰ πασῶν. 277.c
contingentia vnde ſit. 167.d
contradictionis oppoſitio. 116.e
contraria genere. 119.a
contraria ſpecie. 119.b
contrariorum oppoſitio. 117.d
contrariorum definitio. 118.a
cõuiuia à duce Venetiarũ fieri ſolita. 282.e
corpus cubum terræ attribui. 6.e
corpus non eſſe principium entium. 133 b
corpus anima ſubiectum. 170 h
corpus organicum. 183.a
corpus Chriſti quomodo ſit in Sacramento eucharistiæ. 355.a
corpora ſimiliarium partium. 3.c
corporum rectorum an ſint tres dimenſiones. 239.a.& 245.b
Cratilli opinio de rebus ſenſibilibus. 74.h
creatio non eſt mutatio. 352.g
cretenſium mos de conuiuijs. 281.g
cruditas vnde fiat. 63.a
Cubum corpus. 6.e
culpa quid ſit. 128.e

D

Dæmones cur ſacrificia fieri ſibi velint. 357.b
Dæmones habent poteſtatem in prauos homines. 485.d
decemuiri. 269.e
decemuirum conſilium. 290.g
decemuirum origo. 295.e
decemuirum collegij tres ex ipſis ſingulis menſibus dicuntur. 296.f
decemuirum collegio adiuncti. 297.b
defuncti in Chriſto vtrum ſtatim admittantur ad vitam beatam. 540.e
defunctorum cura & preces quæ pro illis fiunt ab Eccleſia. 359.d
defunctis quid proſit miſſa. 537.a
Democriti opinio de elementis. 3.e
Democriti opinio de ſapore & figuris. 73.e
demõſtratio aduerſus eccentricũ ſolis. 251 e
depoſitio quid ſit. 370.h
Deus eſt finis intellectus. 220.e
Deus cognoſcit ac cognoſcitur ſine medio. 459.e
Deus ſæculi Diabolus. 467.d
Deus gloria pro Deus glorioſus. 484.f
Deus omnium cauſarum auctor. 605.b
Dei cognitio eſt ſcientia diuinæ ignorationis. 411.a
Dei ecſtaſis. 413.c
Dei actio nullo tẽpore continetur. 606.g
Deum eſſe cauſam effectricem omnium rerum cur nonnulli negauerunt. 145.h
Deum non eſſe auctorem malorum. 568.b
Diabolo locũ dare quid ſignificet. 490.h
diaconus. 378.h

diapha-

diaphanum. 83.a
dictiones non ſunt elementa orationis. 3.a
dies humanus. 452.e
differentia ſemper contraria. 118.b
differentia quæ dicantur. 115.b
dimenſiones animalium & corporum rectorum. 239.a.& 245.b
Dionyſius in lib. de myſtica theologia quid dicat de primo principio. 142.b
Dionyſius Areopagita. 410.b
diuerſa quæ dicantur. 115.b
diuortia matrimonij 396.g
Dux Venetijs regiam dignitatem præſefert. 269.b
Ducis Reipub. Venetæ uſus, munus, poteſtas, ornatus. 279.c
Ducis creandi Venetijs origo. 283.a
Ducis Venetiarum eligendi ratio. 284.g

E

Eccentricorum ratio. 241.d.& 251.c
Eccleſia eſt Chriſti plenitudo. 485.b
Eccleſiæ unum caput eſſe debere. 542.g
ecſtaſis. 229.a
ecſtaſis quam facit charitas. 413.c
effectus refert imaginem ſuæ cauſæ. 21.a
effectus gerit ſimilitudinem ſui principij 123.b
effectus nullus de potentia ad actũ deducitur, niſi ab aliquo exiſtẽte in actu. 131.d
effectus ĩdiget cõtinuo effluxu agẽtis. 148.f
effectuum omnium cauſas ex rebus cœleſtibus ſciri non poſſe. 8.h
Electi à reprobis quo cauſæ diſcrimine diſtinguuntur. 617.a
elector unus tantũ ex una familia. 272.g
electores ad creandos magiſtratus quot & qua ratione inſtituantur. 272.g
electores competitorum fideiuſſores. 274.g
electores ad creandum Ducem quomodo eligantur. 285.a
elementum pertinet ad genus cauſæ materialis. 2.g
elementum aliquid actu eſt. 2.g
elementi definitio. 2.f
elementa compoſitionis ac mixtionis. 3.a
elementa ſimplicia corpora eſſe. 3.b
elementa ex prioribus quibuſdam corporibus compoſita eſſe, cur à quibuſdam exiſtimatum eſt. 3.b
elementa compoſita eſſe ex materia & forma ſubſtantiali. 7.c
elementa eſſe corruptibilia. 7.d. 8.e
elementa utrum per ſe an ab alio moueantur. 10.g
elementa non ex ſe mouentur, ſed à generante. 11.d
elementa in motu naturali utrũ indigeant medio per ſe, & quomodo moueãtur. 12.h
elementa quod ſint. 17.d
elementa omnia apud nos impura. 25.a
elementa mixtionis. 41.b
elementa ſubſtantijs infimum locum obtinent. 172.e
elemẽta extrema medijs vinciũtur. 290.h
elementa mundi appellantur legis Moſaïcæ traditiones. 480.f. 499.c
elementorum forma omnium formarum imperfectiſſima. 45.a
elementorum conſideratio prout ſunt elementa mixtionis. 52.f
elixatio. 63.a
Empedoclis opinio de ſaporibus. 73.d
Ens de entibus agere quomodo ad plures ſciẽtias pertineat & ad unã tãtũ. 97.d
ens de entibus analogice prædicari. 105.c
ens ad entia analogice ſe habere. 106.g
ens omne appellari poſſe non ens, primo excepto. 106.h
ens primum cæterorum menſura. 110.f
ens ſimpliciter & bonum ſimpliciter differunt. 125.a
ens nullum immune à malo præter primum. 128.f
ens primum eſt ipſum eſſe per ſe exiſtens. 155.a
entis definitionẽ requiri non debere. 102.f

entis conceptus ſimplicior conceptu vnius. 108. b
entis collatio cum non ente. 143. a
entia plura eſſe. 102. h
entia quomodo ſe habeant ad ipſum eſſe. 149. a
entia omnia pendere quodammodo à primo. 146. f *dependere à primo tum cauſa finali, tum efficiente.* 147. b
entia ſe habent ad primum ens, vt ad formam omnium primam. 152. h
entia nonnulla immaterialia eſſe, atque abſtracta. 153. b
entia generationi ac corruptioni obnoxia. 167. b
entia quæ non ſunt per ſe. 172. f
entia rationis. 175. d
entium plura genera. 119. c
entium principia. 133. a
Epiſcopus in quo ſuperior ſit ſacerdote. 415. d
Epiſcop⁹ & presbyter idē nominatus. 513. c
Epiſcopi actiones quas ſimplex ſacerdos obire non poteſt, & ornamenta, quæ habet ſupra ſacerdotem. 382. e
Epiſcopi dignitas maior quam Principis. 402. g *eius virtus & perfectio quanta eſſe debeat.* 405. b
Epiſcopi familia qualis eſſe debeat. 421. a
Epiſcopi officia erga clerum. 422. e
erga vniuerſum populum. 423. d
Epiſcopi officia erga mulieres. 426. f
erga viduas, & pupillos. 428. e
Epiſcopi officia erga pauperes. 428. h
in reditibus exigendis. 430. f
Epiſcopum clam ne an aperte deceat munificum eſſe. 430. e
quibus rebus animum relaxare poſſit Epiſcopus. 430. h
Epiſcopus an ſit ordo. 380. h
Eſſentia rei an diſtinguatur ab ipſius eſſe. 150. g
Euchariſtia. 535. a
euchariſtia ſub vtraque ſpecie. 579. b
Eudoxus Aſtrologus. 257. a
Excommunicatio maior & minor. 369. c
excōicatio contra quos exercenda. 452. g
exemplum ad demonſtrandum quomodo entia ſe habeant ad ipſum eſſe. 149. a
exhalatio. 27. d
exorciſtæ. 378. f
expiationes. 603. b
extrema vnius diſtantiæ duo tantum ſunt. 118. b
extremitas minor non poteſt continere medium, quod prædicetur de maiori. 236. g
exuſtio. 59. b

F

Facere & perficere quid differant apud D. Paulum. 481. a
facere quot modis dicitur. 589. b
Fœlicitas, cur variæ de fœlicitate opiniones. 600. e *vnde contingat.* 603. a
falſum quid ſit, & quot modis dicatur. 124. e
Fermentum. 35. d
Fides per ſe, & per accidens. 186. f
fides eſt virtus ad intellectum pertinens. 410. h. 411. a
fides eſt in intellectu & tamen pendet à voluntate. 435. c *viuere ex fide.* 436. e
fides fundamentum omnium virtutum. 510. f
fides & ſpes inter ſe affines. 526. g
fides dupliciter intelligitur. 565. c
fides quot modis dicitur. 589. c
fieri quot modis dicitur. 589. b
figura rectilinea prima & perfectiſſima. 5. d
figura octahedra aëri aſcribitur. 6. e
figura ſenſibile commune. 73. c
filius dilectionis, pro filius dilectus. 497. d
filij hominum qui dicantur. 450. g
filij diffidentiæ. 486. e
filij hominum. 487. b
finis habet rationem boni. 147. b

finis

finis duplex quibuſdam naturis à Deo conceſſus. 605.d
fons in medio paradiſi. 30.e
forma & materia ſeſe inuicē contrahunt. 140.g
forma ſuſtētatur & pēdet à materia. 147.d
forma materialis extenſa ad extenſionem ſubiecti. 221.d
forma materialis nulla eſt indiuiſibilis, ut vox eſt inuiſibilis. 214.e
forma non eſt illud quod eſt. 218.e
formam materialem non eſſe principium entium. 534.e
formam abſtractam non eſſe principium entium. 535.b
formæ materiales ſunt mortales. 185.b
fornicatio immunditiam contrahit corpori. 453.e
fortitudo animæ iraſcibilis eſt. 406.g
forum hominis ad Deum, & forum hominis ad Eccleſiam. 368.e
Frigiditatis natura. 49.a
frigidus quomodo operetur in mixtorum generatione. 58.d
frigoris definitio. 57.b

G

Galenus quartæ figuræ ſyllogiſmorum inuentor. 235.b
Galeni ſētētia de numero cōplexionū. 70.e
gallina prior ouo. 226.g
Generatio quare non ſit motus. 214.f
generationis definitio ab antiquioribus philoſophis tradita. 199.a
genus naturam indeterminatam ſignificare. 518.g
genere eadem. 514.b
Glacies actu ſicca, virtute humida. 70.g
Græcorum formula in baptizando. 343.b
grandines. 28.e
gratia ſacramentalis. 338.f
grauitas ſenſu per ſe percipitur. 12.e
grauitas eſt accidens. 12.f
Gubernatores redituū publicorum. 309.d
guſtus potentia eadem in omnibus animalibus. 74.g

H

Hæreſis Arriana. 550.f
hæreſes de Sacramento. 352.b
hæreſis Euſtathianorum. 552.e
hæreſis Photini. 553.b
hæreſis Macedoniana. 554.f
hæreſis Neſtoriana. 555.a
hæreſis Dioſcori & Eutychis. 556 e
hæreſis Pelagij. 557.d
hæreſis theopaßiana. 558.g
hæreſis Monothelitarum. 560.e
hæreſis Pelagiana. 568.b
Heraclea Venetorum oppidum. 283.d
Hierarchicæ actiones. 382 f
hierarchiæ tres. 382.f
hipparchus Aſtrologus. 257.b
Hiſpaniæ Reges quando primum Catholici nominati. 559.a
Homerus quid intellexerit per oceanum terras circunfluentem. 20.f.30.e
Homeri ſententia, multitudo principum mala. 139.a
homo habet ſenſum odoris valde imperfectum. 79.c
homo animal ciuile. 364.g
homo animalis quis dicatur. 450.g
homo ſua natura pronus ad malum. 601.a
hominis cōplexio proxima temperata. 67.g
hominis forma immortalis. 570.e
hominis voluntas libera. 599.e
homines quas rerum cauſas primum contemplati ſint. 141.c
hominum inſtitutio naturam imitari debet. 290.e
Homouſiani. 554.e
Honor præmium bene geſti magiſtratus. 281.a
Humiditas grauitati magis affinis eſt, quā leuitati.
humiditas magis affinis eſt frigiditati quā calori. 26.g

INDEX.

humiditas quot modis ſiat. 63.d
humiditatis natura. 50.e
humidum propior materia concoctionis quàm ſiccum. 61.d
humidum cur maturationem recipit. 62.d
humidi definitio. 57.b
Hypotenuſæ quadratum. 5.c

I

Ianuarij calendæ cur protractæ fuerint octo diebus poſt Brumam. 253.d
Ideæ. 101.a
Ideæ. 174.h
idem ſignificat vnum ſubſtantia. 114.h
idem genere, ſpecie, proportione. 114.h
Ignis ſimpliciter leuis. 19.a
ignis naturali motu ad cœlum tendit. 21.b
æmulatur præſtantiam corporis cæleſtis. 22.e
ignis quot modis generetur. 53.a
ignis vires variæ earumq; cauſa. 53 c
ignis purgatorius. 371.c.451.b
ignis cõparatio cum cæteris elementis. 22.e
ignis elementum qua purum qua' que impurum. 25.b
ignis ſphæram eximiæ magnitudinis eſſe. 22.f
ignis ſphæra circumacta quas res efficiat. 24.a
igni quomodo conueniat motus circularis. 23.a
Imperator Claſſis Venetæ. 320.g
Impietas ex quibus diſciplinis atque artibus oriatur. 424.g
implere verbum Dei quid ſit. 498.f
implere omnem uoluntatem bonitatis ſuæ. 505.c
impotens & impotentia. 129.d
improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. 447.a
In prophetis loqui. 515.c
indigeſtio vnde fiat. 63.a
indignatio. 413.d
indulgentia. 372.g
infinitas perfectionis & imperfectionis. 140.g
Innocẽtium 3. non inſtituiſſe confeſſionem. 366.e
inquinatio quid & vnde. 63.b
inſipidum non eſt ſapor. 76.e
intellectio uniuerſaliũ quomodo fiat. 175.b
intellectio, qua intellectus ſe intelligit eſt ſimilis circulo. 219.b
intellectus medium locum obtinet inter ſenſibilia & intelligibilia. 100.h
intellectus prior voluntate. 121.c
intellectus & voluntas omnia entia pertingunt. 121.c
intellectus quod vno conceptu aſſequi nequit, multis conceptibus pertingere conatur. 124.h
intellectus eſſe contractum ad intelligibilitatem. 156.g. intellectus eſt cauſa exemplaris. ibid. & 161 b
intellectus humanus quomodo ſeipſum intelligat. 163.b
intellectus humanus. 170.g
intellectus ſeipſum intelligit, intelligendo alia. 202.f
intellectus agens immortalis. 203.c
intellectus poſſibilis remanet poſt mortem. 204.e
intellectus noſtri obiectum eſt quod quid eſt rei materialis. 216.g
intellectus omnia intelligit. 599.c
intellectus finis eſt Deus. 220.e
res duobus modis ad intellectũ referuntur. 122.h
intellectum nõ eſſe principium entiũ. 135.d
intellectum non eſſe unicum. 181.c
intellectum humanum eſſe immortalem. 186.h
intellectus eſſe ſupra animas cœlorũ. 157.a. de intellectuum numero. ibidem. intellectus appellatur vnum multa. 158.g
intellectualis appetitus. 163.c
intelligentia an ſit forma corporis cæleſtis. 214.f

INDEX.

214.f
intelligentia ſe intelligũt per modum unitatis. 219.b
intelligibilium forma coniuncta eſt cum intellectu. 162.e
interdictum quid ſit. 370.g
interpretationis donum. 459.d
inuidentia charitati contraria. 413.d
inuocatio ſanctorum. 369.f
Ioſue figura Chriſtum referens. 518.g
Iris aëris accidens. 26.h.27.b
iris. 82.e
irregularitas quid ſit. 370.h
Iudas Machabæus exiſtimauit pium eſſe orare pro mortuis. 371.d
iudæi confitentur Deo peccata ſua. 365.b
iudæi præſtant gentibus ob Dei beneficia, non autem per ſe. 436.g
iudæi coacti fidẽ chriſtianã recipere. 559.b
iudices rerum capitalium. 298.g
iudices per ſuffragia ſententias ferũt. 302.f
iudices cauſarum urbanarum. 306.f
iudices cauſarum urbanarum. 307.d
iudices proprietatum. 308.f. *procuratorum. ibid. Mercatorum.* 308.g. *aduenarum. ibidem. petitionum. ibid.*
iudicum ſtipendium. 303.c
iudiciorum forenſium ratio. 305.b
Iulianus Soſigenes aſtrologus. 257.a
Iulij Cæſaris ratio in anno conſtituendo. 253.d
iuriſdictionis poteſtas. 368.f
iuſtificatio quid ſit. 564.g
iuſtificatio operum. 595.d
iuſtificari quid ſit. 588.f
iuſtitia carnis. 330.f
iuſtitia quot modis dicitur. 588.f
iuſtitia chriſtiana. 589.a
iuſtitiæ imputatio fidei tribuitur à ſcriptura. 437.d
iuſtitiam eſſe perfectionẽ appetitus rationalis. 408.f
iuſtus quamobrem uiuat ex fide. 439.e

K

Κλῆρος. 483.d

L

Lac cur frigidius ſanguine. 62.g
lactea uia. 24.b
lacedæmoniorũ Rẽp. quid euerterit. 267.a
lacedæmoniorum mos de conuiuijs Venetias tranſlatum. 281.c
lapides. 171.d
laudes diuinas per partes dicidebere. 416.h
lector. 378.f
lectionis diuinæ inter epulas adhibitæ fructus. 419.e
lex Deo ſimilis. 266.f
lex poſita propter tranſgreſſionem. 478.f
lex Moyſi data miniſterio angelorũ. 516.f
lex non eſt poſita iuſto. 507.d
lex ſcripta cur à Deo homini tradita fuit. 609.b
legum commoda. 265.d
legum cuſtodia ad magiſtratum Aduocatorium pertinet. 299.a
leporum veſtigia odorem continent. 82.e
leuitas eſt accidens. 12.f
leuitas ſenſu per ſe percipitur. 12.f
Libertas chriſtiana. 454.e
liberum arbitrium. 569.b
libiæ calores. 40.g
limbus puerorum. 372.f
liquefactio. 63.c
literæ ſunt elementa orationis. 2.h
literæ voces componunt compoſitione non mixtione. 9.d
literarum ſtudia quænam ſacerdotibus conueniant. 422.h
Locus naturalis ad locatum quomodo ſe habeat. 23.e
locus in Ethic. Ariſt. 207.b
locus in D. Pauli epiſtola ad Epheſios de Sacramento. 331.a
locus D. Pauli ad ignem purgatorium pertinens. 451.b
longanimitas. 470.g

Lumen in diaphano non manet, ceſſante effluxu corporis lucem præbentis. 148.f
lumen eſt actus diaphani. 165.b
luna æſtus marinos efficiens. 32.b
luna epiciclus. 222.e
Lutheri hæreſis in Sacramento. 352.b
Lutheranorum error de ſacerdotio. 376.f
Lutheranorũ error de matrimonio. 386.e
luxuriari in Chriſto. 510.f

M

Magiſtratus Aduocatorius. 269.c 298.b
magiſtratus idem non defertur duobus ex una famili a. 376.c
magiſtratus vnus eodem tempore pluribus unius familiæ non patet. 291.b
magiſtratus Aerario præfecti. 309.a
magiſtratus præfectus mutuis. 310.g
magiſtratus præfecti ciuitatibus Veneti Imperij. 316.f
magiſtratus maritimi. 320.f
magiſtratuum comitia. 271.a
magnanimitas animæ iraſcibilis perfectio. 407.a
magnanimum eſſe quare arduũ ſit. 407.c
magnifi entia. 407.c
Mahometani cõfitentur Deo peccata ſua. 385.b
malitia cur appellatur cæcitas cordis. 490.g
malum eße naturam quandam bono oppoſitam Pythagorici exiſtimauere. 127.a
malum quomodo in rebus ſit. 127.b
malum omnino boni expers non inueniri. 128.f
manſuetudo. 407.d
Marcus Diuus Euangeliſta Venetorum tutor. 315.a
maria. 30.f
maris deſponſatio. 282.g
Marinus Phaletrus Dux Venetorũ. 297.c
materia & forma ſeſe inuicẽ contrahunt. 140.g
materia prima quæ ſit. 173.b
materiã in rerum generatione plurimum poſſe. 40.b
mathematicæ diſciplinæ imaginatione magis quam vi intelligendi nituntur. 99.a
mathematicæ artes sũt exẽpla idearũ. 99.e
mathematica ſæpe aliter ſe habere ac naturalia. 239.b. & 245.d
matrimonium eſſe Sacramentum. 331.a
matrimonij fines. 383.d *definitio.* 386.g
matrimonij Sacramento an gratia confeeratur. 387.c *eius inſtitutio.* 389.a *impedimenta.* ibidem.
matrimonij Sacramentum. 541.a
maturatio quid ſit. 62.e *à qua re fiat.* ibid.
Media pertinet ad genus ſuperius. 201.b
media denſa diuerſimode repreſentant in diuerſis diſtantijs. 250.g
mediterranei maris motus. 31.b
melamocum oppidum Venetorum. 283.d
mel. 65.b
Melchiſedech ſacerdotium. 522.e
meliſſus omnia vnum eſſe dicebat. 41.d
menſium initia à noua luna. 258.e
menſura omnis vnigeneæ menſuratio. 114.e
mens inter homines moderatoris locum tenere debet. 265.c
mentes ſuperiores quomodo ſint cauſa rerum inferiorum. 163.d
metalla cur ab igne liqueſcunt, non autem ab aqua. 54.f
metalla omnia ex argento viuo & ſulphure. 60.g
metella actu ſicca, virtute humida. 70.g
metalla. 171.b
metho Aſtrologus. 257.a
Miniſtri Dei quomodo illius adiutores ſint. 451.b
miraculum ſanguinis ex imagine Chriſti fluentis. 562.e
miſſa. in miſſa nõ fieri tãtum mentionẽ cœnæ, ſed oblationẽ & ſacrificium. 529.a
miſſa ſacrificium. 359.a *quid ualeant preces, quæ in eo fiunt.* 359.c
miſſa ſacrificium. 536.f. 576.f

mixta

mixta quomodo fiant. 42.e
mixta à calore generātur ac diſſoluuntur. 58.h
mixta quomodo generentur à calore. 59.c
mixta valde frigida quomodo à calore effici poſſint. 70.h
mixta corpora ex aqua & terra præcipue conſtant. 74.c
mixtorum compoſitio ac genera. 55.c
mixtorum generatio caloris vi efficitur primo & per ſe. 57.a
mixtorum qualitates ac differentiæ in patiendo. 67.c
mixtio popularis ſtatus & optimatium in iudicibus. 303.d
Mobile omne ſemper generatur. 133.d
monaſterijs monacharum quāta cura proſpiciendum ſit ab Epiſcopo. 426.h
montes cur à natura effecti. 37.a
mors propter peccatum extitit. 601.c
mortui in cauſa hæreſeos excommunicari poſſunt. 369.d
mortuorum reſurrectio. 460.h
mota ex ſe ſimplicia eſſe non poſſunt. 183.c
motor alius eſt à re mobili. 159.b
motus ſimplex conuenit corpori ſimplici. 10.e
motus genera. 10.f
motus recti principium. 10 g
motus omni in tempore. 13.a
motus velocitas ſequitur motoris excellentiam. 13.a
motus omnis continuus eſt. 14.f
motus naturalis grauium ac leuium corporum citius ſemper fieri quouſque eo peruenerint quo tendunt. 16.e
motus circularis ſimplex corpori cœleſti tantum conuenit. 23.a
motus marini. 30.e
motus vnus eſt vnius corporis. 31.d
motus ſimplex vel eſt à medio mundi, vel ad medium, vel circa medium. 219 a
motus corporū rectorū, & animaliū. 239.a
motus obliquus Planetarum defenditur eſſe naturalis. 239.c
motus circulares non differunt ſpecie, ſed numero. 240.e
motus vectionis. 240.f. & 248.e
motus contranitentis orbis. 241.a
motum. vide Mouens.
motum ex ſe. 159.c
motum omne indiget quieſcente. 240.f 247.d
mouens proximū & motū ſunt ſimul. 11.a
mouens proximum & motum ſimul ſunt. 165.b
moueri per accidens. 15.d
moueri ad tres poſitionis differentias tantum animalium eſt. 239.a. & 245.a
Moyſes. 413.c
Moſis ſententia de aqua elemento. 29.c
Mulier debet velare caput in ſignum ſubiectionis. 458.e
mulierum ornatui modum eſſe adhibendum ab Epiſcopo. 427.b
multiplicitatem non eſſe in primo entium principio. 141.d
multitudo. 110.h. *eius modi plures.* 111.b
multitudo & vnitas ſeſe inuicem compeſcunt. 140.h
multitudo gubernationi inepta, niſi vnitate quadam contineatur. 267.a
mundus maxime vnus eſt. 21 a
mundus intelligibilis. 158.f. 161.a
mundi partes viciſſim oriuntur & occidunt. 37.b
mundum ex quatuor conſtare elementis. 18.f
muſicæ genus ab Epiſcopo inter epulas admittiendum. 419.d
Myſteria appellari Sacramenta. 330.h

N

Natiuitas corporea & ſpiritualis. 340.h
natura eſt principium motus eius, in quo eſt. 12.e
naturam omnem, quatenus eſſe habet, bonam

nam eſſe. 127.b
naturale dicitur ſecundum genus & ſecundum ſpeciem. 384.f
naturalia & mathematica non ſemper eodem modo ſe habere. 239.b.& 245.d
naualis Veneti deſcriptio. 313.a
Neceſſe eſſe, ita nominatur primum principium ab Auicenna. 555 b
ne quando, pro ſi quando. 512.g
Nigrum non eſſe priuationem luminis. 85.e
niti eſſe æquiuocum in corporibus rectis & circularibus. 248.h
nitrum vnde liqueſcat. 65.a
niues. 28.f
Nobilitati ius tributum adminiſtrandæ ciuitatis. 269.a
non entis collatio cum ipſo ente. 543.a
non entis conſideratio. 106.h
Numerus. 110.h.553.c
numerus ad quantitatem pertinet. 114.e
numerus numerans, & numerus numeratus. 514.f
numero eadem. 115.a
numeros eſſe rerum ſubſtantiam Pythagorici ponebant. 112.e
nuptiarũ celebrandarum tempora. 397.d
nuptias ſecundas ac deinceps alias non eſſe prohibitas. 395.d

O

Oceanus. 28.f.30.f.35.g
oceani motus. 30.g
occulta dedecoris. 467.d
Odium perfectum quod nam Dauid appellauerit. 413.d
odor quomodo ſentiatur. 82.e
odoris definitio. 79.b. genera & modi. 79.c
OEcumenici titulus Pont. Max. conceſſus. 557.a
Oleum cur ignem extinguat. 53.c
oleum. 65.b
oleum conſeruat odores. 81.d
Opera bona veritas, mala mendacia dicuntur. 490.e
opera bona hominis duplicia. 566.e
oppoſita relatiue. 119.c
oppoſitio contradictionis. 116.e
oppoſitio quæ eſt inter habitum & priuationem. 117.a
oppoſitio contrariorum. 117.d
optimatum ſpecies in Rep.Veneta. 269 c
optimatum imparitas. 276.b
Oratio tacita mentis in Deũ erecta quantam vim habeat. 417.b
orationes ac preces idiotarum. 544.h
oratores à ſenatu eliguntur. 292.f
oratores Principum à quibus excipiantur, & audiantur. 295.b
orbis vnus an moueri poſſit à duobus intellectibus. 240 e
orbem vnum non habere niſi vnum motum. 246.g
orbes contranitentes in ſole. 250.e. in ſaturno. 250.h
ordinis poteſtas. 368.f
ordinis ſacramentum. 376.f.540.g
ordines Eccleſiaſtici quot. 378.f
organum medium eſt inter virtutem operantem & obiectum, in quod operatur. 188.f
organum eſſe medium inter virtutem ſentientem & ſenſationem. 218.g
Oſtiarius. 378.f
Ouidius citatur. 255.d.257.a

P

Palmarum radicibus cur ſal aſpergatur. 77.b
Papa Epiſcoporum ſupremus. 456.e
Paphnutius Epiſcopus Aegyptius. 550.e
pardalis odor cætera animalia ad ſe attrahit. 80.e
Parmenidis opinio de ente. 102.g
Parmenidis ratio ſumpta ad probandum ens eſſe vnum. 139.b
pars ratione ſui habet eſſe deficiens. 223.e

partes

INDEX.

partes ſimilares. 3.c
partes habent eſſe in potentia. 133.d
paſchatis celebrandi conſtitutio. 551.a
paternitas quid ſignificet. 488.e
patientia & longanimitas. 470.g
patriarcharum inter ſe ordo. 560.h
patritij qua ætate quoque modo in magnum conſilium admittuntur. 269.c
Paulus Apoſtolus gentium non circunciſionis. 515.c
Pauli Apoſtoli locus de Sacramento. 331.a
Pauli locus de matrimonio explicatus. 386.f
Pauli Apoſtoli optatum. 413.c
pauperum habendum eſſe delectum. 429.c
Peccatum quid proprie dicatur. 128.e
peccatum originale. 602.g
peccatum originale perpetuæ damnationi hominem non addicit. 615.b
peccatum originis. 567.c
peccatum pro hoſtia. 568.f
peccati mortalis abolitio per pœnitentiam. 361.d
peccato veniali abolendo non ſacramenta, ſed ſacramentalia quædam inſtituta ſunt. 373.a
Peccata venialia quomodo per ſacramenta aboleantur. 362.e
peccata venialia an ad confeſſionem pertineant. 363.c
peccata quare mēdacia appellantur. 490.e
peculatus damnatorum ignominia. 309.a
pecuniæ ſumma Duci Venetiarum conſtituta in ſingulos annos. 281.c
pecuniæ publicæ genera. 309.a
pecuniæ ex cenſu conferendæ ratio. 310.f
Pelagij error. 613.c
Pelagiani. 568.h
perfecti eſt ſuam perfectionem capacibus impertiri. 125.c
perfectio eſſentiæ & perfectio operationis. 396.e
perficere & facere. 481.a
peripſema. 452.f
per prophetas loqui. 515.c
perſpectiuorum propoſitio de rebus longe ſitis. 27.c
Petrus Barocius Epiſcopus Patauinus. 418.f.421 c.429.b
Petro data poteſtas à Chriſto. 368.f
Philo quid dicat de fonte qui eſt in medio Paradiſi. 30.e
philoſophia prima. 98.e
philoſophia prima præſtantiſſima ac certiſſima. 98.h
philoſophia naturalis ſcientiæ nomen non meretur. 99.b
phyſice quatenus Deum ſpeculetur. 98.e
Pictorum artificium à perſpectiuis ſumptum. 27.c
pilulæ ſuffragiorum. 275.a
pipinus. 284.e
Planta quare ſint coloris viridis. 88.f
Planeta. 166.f
Planetarum motum obliquum eſſe naturalem. 239.c
planetarum motus dubitatio. 241.c
planetarum ſitum non eſſe naturalem. 246.e
plantæ. 170.h
Plato quam cauſam rerum productionis attulerit. 126.g
Plato de primo principio ſe nihil dicere poſſe aſſeuerat. 142.h
Platonis opinio de aqua elemento. 29.b
Platonis definitio ſaporis. 74.f
Platonis ſententia de ſcientijs. 99.b.d
Platonis ratio fallax ad confirmandam immortalitatem animæ. 117.c
Platonis ſententia de non negligendo bellicæ rei ſtudio. 317.b
Platonici putant res eſſe eo modo, quo ab intellectu concipiuntur. 174.h
Platonicorum opinio de non ente confutatur. 109.b
mantia. 490.g

pluuia.

pluuia. 28.e

Poëtarum delectus in pueris. 425.d

pœnæ & ſatisfactionis differentia. 363.a

pœnitentia ſolemnis. 373.c

pœnitentiæ Sacramentum eſſe de iure diuino. 364.e

pœnitentiæ Sacramentum. 538.e

pœnitentis actus eſt materia Sacramenti pœnitentiæ. 363.b

Poli motus proprij ſolis an ſint poli ecliptica. 241.b

Pontifex Max. Eccleſiæ caput. 547.c

Pontifici datam fuiſſe diuinitus poteſtatem. 586.h

populus paritatem quærit. 276.h

popularis ſtatus ſpecies Venetijs. 269.b

potentia definiri non poteſt, niſi per actum. 131.d

potentia vna aliam adiuuans in eadem forma eſt, in qua illa. 206.e

potentia non eſt ſupra eſſentiam. 223.b. *quæ potentia ſeparetur, & quæ non ſeparetur ab eſſentia.* 223.b

potentiam eſſe duplicem. 128.h

poteſtas quadruplex à Chriſto conceſſa diſcipulis. 582.g

poteſtas clauium. 584.f. *paſcendi. ibid. diſcutiendi dogmata Chriſtiana.* 585.c

præconſultores. 269.c

præconſultores à Senatu eliguntur. 292.f *eorum munus.* 293.a

præconſultorum tres ordines. 293.a

prææſtimatio quid ſit. 614.g

Diui Auguſtini de prædeſtinatione ſententia. 614.g

prædicantur ſuperiora de inferioribus, non autem contra. 234.e

prædicationes, ſecundum ſe & ſecundum accidens. 233.d

præfectus hebdomadæ primi ordinis ſapientum. 294.f

præfectus Nauali. 314.e

præfecti xxxx virum. 288.b

præfecti noctis. 304.e

præfecti monetæ. 312.e. *annonæ triticeæ. ibid. vrbis ſalubritati.* 312.g

præfecti triremium. 320.f

præiudicium quid ſit. 510.g

prandia Ducis Venetiarum. 282.e

preces in miſſa quid valeant, & quando inſtitutæ. 359.c

presbyter an poſſit conferre Sacramentum Chriſmatis. 348.f

presbyter idem & epiſcopus nominatus. 513.e

prima philoſophia. 98.e

prima philoſophiæ auditor idoneus. 99.d

prima philoſophia eſt ſcientia de Deo. 228.g

primum principium non agit ex neceſſitate naturæ. 151.d

primi principij proprietates in agendo. 152.e

primogenitus omnis creaturæ, id eſt, genitus ante omnem creaturam. 497.d

principis in Rep. Veneta munus, vſus, poteſtas. 279.c

principium primum entium eſſe per ſe exiſtens. 136.g. *eſſe ipſum vnum, atque ipſum bonum, ipſumq; verum.* 137.a

principium entium ſuper omnia eſſe, quæ mens concipere poſſit. 142.e

principium primum entium eſſe cauſam finalem & efficientem omnium. 147.b

principium primum abſurde conſtituitur in ſerie animarum cœleſtium. 155.a

principij entium proprietates. 139.c

principio entium quæ attribuuntur, non ſecundum proprietatem illi conueniunt, ſed ſecundum eminentiam. 142.h

principia non eſſe infinita. 132.f

principia entium. 133.b

priuatio definitione & natura à materia diſtinguitur. 2.g

priuationes in duplici differẽtia ſunt. 117.b

priuatiue oppoſita. 117.a

Procu-

procuratores Diui Marci. 314.f
Prophetiæ donum. 459.d.560.e
proportione eadem. 114.h
proteſtationes fidei. 331.d.332.g
prouocatio à prætoribus ciuitatum ad nouos auditores. 317.a
prouocatur ab omnibus magiſtratibus. 302.e.305.b
prudentia. 408.d
pruinæ. 28.f
prunæ cur ſub cinere conſeruentur. 53.c.54.f
Pſalmi locus declaratus. 593.c
Pueri in vtero matris mortui an Chriſti participes futuri ſint. 345.d
pueris ſacros ſcriptores legendos eſſe. 426.e
pueros in limbo carere pœna ſenſus 220.e
purgationis ignis. 371.c.451.b
Putrefactio quid. 59.a
Pyramis æquilatera igni aſcribitur. 6.a
Pythagorici putauerunt elementa compoſita eſſe ex ſuperficiebus. 3.b.4.a
pythagoricorum opinio de principijs malorum. 127.a

Q

Quadraginta iudices rerum capitalium. 302.g
quadratum hypotenuſæ. 5.e
quadrata ſex corpus cubum efficiunt. 6.e
quæſtio de beatæ Virginis & Ioſeph matrimonio. 396.e
quæſtio de diuortijs. 396.g
quæſtiones de Sacramento euchariſtiæ. 351.b
quæſtiones de Sacramento pœnitentiæ. 363.d
quæſtiones de matrimonio. 389.e
quæſtores vrbani. 310.e
qualitas. 172.h
qualitatis inductione non induci formam elementi. 46.f
qualitates primæ. 41.d
qualitates primæ an remaneant in mixto. 47.b
qualitates non eſſe formas ſubſtantiales elementorum. 42.h. eſſe intenſiſſimas in elementis ſimplicibus. 43.b
qualitates elementorum utrum in corpore mixto corrumpantur. 44.e
qualitatum coniunctiones. 42.e
quantitas. 172.g
quantitatem per ſe eſſe nonnulli philoſophi poſuerunt. 353.d
quid nominis intelligitur de re, de qua non conſtat quid rei. 151.a
quid rei de nulla re poteſt intelligi, niſi de qua conſtiterit quod exiſtat. 151.a quid rei & quid nominis quandoq; idē. ibid.
quod quid eſt. 175.b
quod quid eſt rei materialis obiectum intellectus. 216.g

R

Ratio eſt intellectus obumbratus. 225.b
Refloreſcere. 496.f
regeneratio. 340.h
regius principatus in tyrannidem facile delabitur. 267.a
regij ſtatus ſpecies in Veneta Rep. 269.b
relatio ſecundum rem & ſecundum rationem. 120.f
relatiue oppoſita. 119.e
religionis Chriſtianæ præſtantia. 415.a
religionem eſſe naturalem in hominibus. 414.f
religioſorum ac monachorũ ſtatus. 543.a
reos proprios aduocatos non habentes publici aduocati defendunt. 300.e
reprobi ab electis quo cauſæ diſcrimine diſtinguuntur. 617.a
reproborum recte facta quomodo grata Deo eſſe poſſint. 622.f
repudij libellus. 385.b
res quam cognationem habeat cum ente. 128.g
reſurrectio prima quid ſit. 340.h

reſurrectio apud ſcripturam dicitur generatio. 497.d
Riuus magnus Venetijs. 282.h
Romanorum Rempub. quid euerterit. 267.b
ros. 28.e

S

Sacerdos. 378.b
ſacerdotium non conuenire vnicuiq; Chriſtiano. 376.f
ſacerdotium Chriſti præfertur ſacerdotio Aaron. 519.d
ſacramentum quid. 330.b
ſacramentum confirmationis. 347.b
ſacramentum euchariſtiæ. 349.c
ſacramentum pœnitentiæ. 361.d. eius materia & forma. 362.f
ſacramentum extremæ vnctionis. 374.c
ſacramentum ordinis. 376.f
ſacramenti res. 331.b. definitio. 331.d
ſacramenti forma & materia. 333.c
ſacramentorum effectus, character, gratia. 333.d
ſacramenti euchariſtiæ miniſter. 355.d
eius ſacramenti vis atque vſus. 356.g
ſacramenta à Chriſto inſtituta, & rebus ac verbis conſtare. 332.g. in rebus ſenſibilibus eſſe. 333.b
ſacramenta ea peccata reſpiciunt, cum quibus gratia conſiſtere non poteſt. 361.d
ſacramenta quare in Eccleſia inſtituta fuerint, 415.b
ſacramentorum numerus, fines, perfectionis gradus. 339.a
ſacramentorum explicatio. 534.f
ſacrificium quid ſit. 357.a
ſal ab humido frigido liqueſcit. 65.a
Salomon à voluptate victus. 405.b
ſanctificare Euangelium Dei. 447.b
ſanctitas veritatis pro vera ſanctitas. 490.h
ſancti qua ratione colantur ab Eccleſia. 360.f
ſanctorum inuocatio. 544.c. imagines. ibidem.
anctorum inuocatio. 573.c
ſanctos poſt mortem ſtatim aſcendere in cœlum. 540.c
ſapiens tum in aliqua diſciplina, tum abſolute quis. 97.a
ſapientes qui & præconſultores. 292.f
eorum munus. 293.a
tractare de entibus ad ſapientiam pertinet, 97.d
ſapor omnis vnde efficiatur. 29.a
ſapor non poteſt eſſe accidens ſimplicis elementi. 73.c
ſapor ſenſibile proprium ſenſus guſtus. 73.c
ſaporis definitio. 74.f
ſaporis naturam Democritus figuris accommodauit. 73.c
ſaporis genera. 75.a
ſapores contrarij. 78.e medij. ibidem.
[illegible] quid ſit & vnde fiat. 63.b
ſatisfactio & pœna in quo differant. 363.a
ſatisfactio pro peccatis. 538.b
ſatisfactionem eſſe partem ſacramenti pœnitentiæ. 366.b
ſatisfactionem eſſe neceſſariam poſt abſolutionem. 572.f
Saturni motus. 241.c
Scientia vtendum eſſe ad proximi ædificationem, non ad ſcandalum. 454.g
ſcientiam vnam eſſe poſſe eorum, quæ analogice dicuntur. 106.e
ſcientiæ plures quomodo vnam atque eandem rem conſiderent. 97.d
Scotus. 226.e
ſcribarum Venetorum ordo. 323.b
Seculum quid ſignificet. 485.d
ſeculum. 511.d
ſecundum principem apud Hebræos quid ſignificet. 485.d

Senatores

Senatores Veneti non pedibus, ſed ſuffragijs in ſententiam eunt. 294.h
ſenatorum lectio. 291.a
ſenatorium ius Quæſtoribus datum. 350.e
Senatus Venetijs quam Reip. ſpeciem referat. 269.c
Senatus grauiorum magiſtratuum elector. 277.b
Senatus ac x virum conſilium optimatiū ſtatum Venetijs referunt. 290.g
Senatus poteſtas. 292.e
Senatus conſulendi modus. 292.h
ſenſus verſantur circa accidentia. 12.f
ſenſus an ſentiat ſuam operationem. 218.h
ſenſus communis. 219.a
ſententia in Senatu per ſuffragia. 294.h
ſentire eſt motus animæ per corpus. 218.h
ſenum ac iuuenum munus in Rep. 290.f
ſeruitus Chriſtiana. 454.e
ſeſoſtris Aegyptiorum legiſlator. 321.d
Sicci definitio. 57.b
ſicci definitio. 51.a
ſiccitas quot modis fiat. 63.c
ſiccitatis natura. 50.h
ſignaculum Apoſtolatus. 456.e
ſimilarium partium corpora. 3.c
ſimile ſignificat vnum qualitate. 114.g
ſinciput cur à natura poſitum fuit in ſuprema hominis parte. 35.d
Societates ſub diuorum nomine inſtitutæ Venetijs. 324.f
ſol præſtantiſſimus Planetarum. 166.g
ſolis moram calores facere. 39.b
de ſolis centro. 221.a
ſolem aliquid operari ad concitandos æſtus maris. 34.g
ſolem non habere per ſe vt ſemper per eclipticam feratur. 246.e
ſoles gemini. 26.h.27.a
ſolſtitium brumale. 255.c.&257.a
ſolonis ſententia de fœlicitate. 228.b
ſors eſt ſtatus popularis. 276.h
ſors pro hæreditate. 483.d
Species non prædicatur ſecundum magis & minus de indiuiduo. 45.d
ſpecies naturam ſignificat determinatam. 118.g
ſpecies non ſemper contrariæ inter ſe. 559.a
ſpecies non prædicatur de genere. 234.e
ſpecie eadem. 514.h
ſpectaculis turpibus mulieres & pueros prohiberi debere. 427.d
ſpes fortitudini reſpondet. 411.a
ſpes eſt virtus ad voluntatem pertinens. 410.h.412.e
ſphæra octaua. 165.d
ſpiritus ſanctus non habitat in anima peccatis ſubiecta. 348.h
ſpiritus promiſſionis pro ſpiritus promiſſus. 484.e
ſponſalia quibus cauſis ſoluantur. 395.c
Status ciuitatis quis optimus. 267.a
ſtellæ currentes quomodo fiant. 24.b
ſtellæ currentes. 27.b
ſtipendium ex ærario iudicibus tributum, 303.e
Subdiaconus. 378.h
ſubſtantia habens contrarium corruptibilis eſt. 7.d
ſubſtantia nulla eſt ſenſibilis per ſe. 12.e
ſubſtantia ex materia & forma. 169b
ſuffragij ferendi ius quomodo Patritij adipiſcuntur. 269.c
ſuffragia in comitijs magiſtratuum. 275.a
ſuffragia in ſententijs ſenatorum. 294.b
ſulphur. 171.c
ſuperſtitionis viuandæ & expellendæ admonitio ad Epiſcopum. 425.a
ſurculus in arbore habet rationem partis. 223.d
ſuſpenſio, quid ſit. 370.g
ſyllogiſmus ſecūda, & tertia figura. 234.h
prima figura. 235.a

ſyllogiſmi vnius plures concluſiones. 225.c
ſymbolum compoſitum in concilio Niceno. 550.b
ſymbolum Sirmij conſtitutum. 553.c
ſymbolum Conſtantinopolitanum. 554.g
ſyndici ſiue recognitores. 321.b
ſynodus Ancyritana, Neocaſarienſis, Nicena. 549.c
ſynodos Graci quas appellauere O Ecumenicas. 349.d
ſynodus Antiochena. 552.e
Laodicena, Sardicenſis. ibidem.
ſynodus Arelate celebrata. 551.c
ſynodus Chalcedonenſis. 551.d.556.e.g
Synodus Sirmienſis, Mediolanenſis, Ariminenſis, Seleucienſis. 553.b
ſynodus Conſtantinopolitana. 554.f
Epheſina. 555.a.556.f
Synodus Conſtantinopolitana. 558.e
ſynodus Nicena. 561.d
ſynodus Conſtantinopolitana. 559.d. 562.f.
ſynodi prouinciales. 551.d
ſynodi Africana. 557.b
ſynodi Hiſpana. 558.h
ſynodi Romana. 561.c
ſynodus Lugdunenſis, Conſtantienſis, Baſileenſis, Ferrarienſis, Florentina, Lateranenſis. 563.a

T

Temperantiam ad omnes virtutes referri. 404.h
templum Diui Marci. 315.a
templa Dei viuentia. 429.a
tempora ſecularia. 511.d.513.d
tenebra ideo percipiuntur, quia viſum non mouent. 85.c
Terra ſimpliciter grauis. 19.a
terra ſola non afficitur cœlorum motu. 23.d
terra iuxta centrum pura. 25.f
terra vbi pura. 35.a. cur ſupra aquam emineat. 35.c
terram inter duo maria aſſurgere in medio, vtrinque vero demitti. 37.c
terra habitabilis. 38.g
terra & aqua materia mixtorum. 55.b
terra color. 87.b
terræmotus precibus ſedati. 558.f
Tertullianus de monogamia. 395.d
teſtamentum vetus cur mortis miniſtratio appelletur. 467.a
teſtificor, pro adiuro. 512.h
Theologia. 98.e
Thomæ diui opinio de elementis in corporibus mixtis. 44.g
Tonſuram ſeu coronam non eſſe ordinem. 380.g
totum quid ſit. 112.b
totum habet eſſe perfectum. 223.c
totum & perfectum ſunt idem. 223.d
Tranſubſtantiatio. 352.e
triangulus Scalenus. 4.f
triangulus Iſoſceles. 4.f
tribuni qui in oppidis Venetorum creari ſolebant. 283.b.
triumuiri ex ordine xxxx iudicum. 303.a
tropicorum habitatio. 40.f
Tyrannidem Dux Venetorum affectans oppreſſus. 297.c

V

Vacuum quantitas per ſe. 353.d
vas pro corpore, vel pro vxore. 504.f
Valentia in Hiſpania vim maximam aquarum extitiſſe. 38.f
vapor quid ſit. 30.e
Vectionis motus. 240.f
Venetia nomen cur numero plurali. 307.b
Venetiarum ſitus. 262.e
Veneta Reipub. inſtitutio. 268.e
Veneta vrbis regiones quot. 288.g
Veneta plebs in claſſes diſtributa. 323.a
Veneta plebis munera & honores. 323.c
Veneta Reip. ætas. 325.a

Venetam

INDEX.

Venetam Remp. omnes rectas gubernationes in ſe continere. 276.g
Veneti externo milite continentis imperium defendunt. 318.g
iuuentutem ad rem maritimam qua ratione exerceant. 319.c
Veneti qua ratione populum in officio continent. 321.c
Venetorum gloria in re maritima. 317.d. prolatandi in continentem Imperij occaſio. ibidem.
Venetorum atque Athenienſium mos ſimilis in iudicijs. 301.a
vera res qua dicantur. 123.a
verbum, quo baptizamur, Petrus Ap. appellat ſemen incorruptibile. 341.a
veritas enti æqualis. 123.b
veritati primorum intellectuum non opponitur falſitas, ſed ignorantia. 123.d
veritas charitatis. 506.e
Verum non eſt in conceptu ſimplici, ſed aut in compoſitione, aut in diuiſione. 122.e
Via lactea. 24.h
virga aeris accidens. 26.h. 27.b
virtus quid ſit. 128.e
virtus cognoſcens vniuerſale per ſe ſtat. 187.b
virtutis habitus non tollitur per peccatum. 362.g
virtute cenſeri debere ciuium diſcrimen. 277.b
virtutes partis rationalis. 498.f
vitæ operationes præcipuæ, intelligere & velle. 140.e
vitium quid ſit. 128.e
Vnctio extrema. 374.e. 540.g
vnitas ad quantitatem pertinet. 114.e
vnitas & multitudo ſeſe inuicem compeſcunt. 140.h
vnitatis in ciuili ſocietate ratio. 278.g
vnitatem in omnibus inueniri. 546.f
vnius natura. 107.d. eius multiplicitas. 108.e. vnum nihil aliud ſignificare quam ens indiuiſum. 108.f
Voluntas & intellectus omnia entia pertingunt. 121.c
voluntas ad omnia ſe extendit, ad quæ ſe extendit intellectus. 599.c
voluntas & appetitus differentia. 190.h. voluntas duplex operatio. 191.a
voluntatis libertas. 600.g
votum caſtitatis. 379.a
votũ caſtitatis ſimplex & ſolemne. 391.a
vota monaſtica. 574.g
Vrna ſortium in comitijs ad Electores inſtituendos. 271.d
vrna ad ſuffragia ferenda. 274.h
Vxorem à viro dimiſſam ob fornicationem non poſſe alteri nubere ex D. Pauli loco tradit Auguſtinus. 454.e

X

X figura litera Græca animæ totius attributa à Platone. 239.c

Y

Yστερήματα. 498.f

Z

Zuinglius. 252.b

F I N I S.

[illegible]